THE LIBRARY
THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
TORONTO

PRESENTED BY

St. Dunstan's College

ROBERTI CARDINALIS BELLARMINI

OPERA OMNIA

TOMUS SEXTUS

DE

SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS

LIBER UNUS

CUM ADIUNCTIS INDICIBUS UNDECIM

ET BREVI CHRONOLOGIA AB ORBE CONDITO

USQUE AD ANNUM MDCXII.

ROBERTO CARD. BELLARMINO

E SOCIETATE JESU

AUCTORE

TOMUS SEXTUS

NEAPOLI

APUD JOSEPHUM GIULIANO

EDITOREM

1862

NOV 3 1949
14587

PRÆFATIO

AD LECTOREM

Ante annos circiter quadraginta, cum me ad Sacram Theologiam in Scholis explicandam compararem: in lectionem veterum Scriptorum non indiligenter incubui; tum ut eorum doctrinam haurirem, tum ut legitima et vera eorum opera a falsis et suppositiis separarem. Itaque scripsi libellum de Scriptoribus Ecclesiasticis, addita censura, qua notabam, quae illorum opera essent certa, quae dubia, quae manifeste supposititia. Hic meus liber, me partim nesciente, partim etiam nolente, et prohibente, ad manus multorum devenit. Quare ne forte post obitum meum in lucem edatur imperfectus, et mutilus, ut solent eiusmodi libri frequenter emitti; eum in hac mea ultima aetate recognovi, expolivi et auxi, atque in lucem dare constitui, ut vel communi utilitati deserviat, vel saltem inemendatus et imperfectus neminem offendat. Propositum autem mihi in hoc opere fuit, non omnes omnino Scriptores in Catalogum redigere: sed eos tantum, qui de rebus Ecclesiasticis quoquo modo tractant. Itaque Scriptores Ethnici, et qui de rebus tantum profanis, aut etiam honestissimis quidem, sed politicis, et humanis agunt, quales sunt legum Civilium Tractatores, Philosophi, Medici, Oratores, Poetae, Historici, Mathematici, locum in hoc Catalogo non habebunt. Ac ne omnes quidem Scriptores Ecclesiastici ad meum Catalogum pertinebunt, sed illi solum, quorum opera adhuc supersunt. Plurimi enim sunt Scriptores optimi, quorum opera perierunt. Quos auctores poterit lector apud sanctum Hieronymum, Eusebium, Gennadium, sanctum Isidorum, Photium, Honorium, Sigebertum, ac Trithemium, facile reperire. Denique non omnes Scriptores Ecclesiastici, quorum libri extant, in Catalogo meo ponentur: sed ij tantum qui ab anno millesimo quingentesimo ante Christi adventum, usque ad annum Christi millesimum quingentesimum, idest, a Mose primo Scriptore Ecclesiastico usque ad nostrum seculum, Sapientiae Ecclesiasticae laude floruerunt. Omisi enim Scriptores nostri seculi, non quod nulli, aut pauci, aut obscuri sint; sed quod pene innumerabiles sint, et satis noti hominibus doctis; et quod nulli sint libri, quod sciam, illis falso supposiri: ob quorum discretionem a legitimis et germanis, hunc laborem praecipue ego suscepi. Si quis tamen cupiat hos etiam auctores cognoscere, habet Antonium Possevinum nostrum, qui in suo apparatu Sacro tribus tomis distincto, Scriptores pene omnes, veteres, et recentiores, per alphabeti ordinem enumeravit. Quia vero in hoc Catalogo solius temporis rationem habui, et miscui Theologos cum iuris Canonici peritis; et historicos ecclesiasticos cum oratoribus, et Poëtis sacris: propterea ad maiorem lectorum commoditatem, subiecci indices decem, praeter indicem Alphabeticum, qui ad initium operis ponitur. In primo indice erunt Explanatores sacrae Scripturae. In secundo, ii qui scribunt adversus haereses. In tertio, doctores Scholastici. In quarto, sacrorum canonum collectores, vel expositores. In quinto, qui casus conscientiae tractant. In sexto, oratores christiani. In septimo, Poëtae, qui res sacras canunt. In octavo, historici Ecclesiastici. In nono, Chronologi item ecclesiastici. In decimo, qui pios libellos ad alendam animi devotionem scribunt. Adieci quoque ad finem operis brevem Chronologiam ab Orbe condito usque ad nostra tempora, ut omnes intelligant, quid secutus sim, cum sua tempora prophetis atque alijs scriptoribus assignavi. Illud postremo admonendum esse censui, me in hoc Catalogo non posuisse Pontifices Romanos, qui solas epistolas ediderunt, nisi quando probabile fuit, eas epistolas ab ipsis vel dictatas fuisse, vel scriptas. Si quidem epistolae pontificiae, ut plurimum, non partus sunt ingenij Pontificum, sed eorum, qui ab epistolis illis sunt. Certe sanctus Hier. in epistola ad Geruntiam de Monogamia, testatur se iuvisse Damasum Pontificem in chartis Ecclesiasticis; et Orientis atque Occidentis Synodicis consultationibus respondisse. Ex quo intelligimus, epistolas illas partum ingenii Hieronymi fuisse, non Damasi. Sanctus quoque Gregorius auctor est insignis epistolae, quae sub nomine Pelagii secundi Pontificis habetur post quintam Synodum generalem. Erat enim tunc sanctus Gregorius Pelagii Papae Diaconus, eumque iuvabat in chartis ecclesiasticis, ut Hieronymus Damasum. Constat etiam epistolam Alexandri tertii Pontificis ad Soldanum Iconii, non ab Alexandro, sed a Petro Blesensi fuisse compositam. Quod idem de multis aliis affirmare possumus.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/operaomnia06bell

DE

SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS

TESTAMENTI VETERIS

De Mose. Anno mundi 2483.

Moses Propheta sanctissimus et vetustissimus, et primus inter Scriptores Ecclesiasticos, natus est, secundum meum computum, anno bis millesimo quadringentesimo tertio, ab initio Mundi. Vixit annis centum viginti. Anno octogesimo vitae suae suscepit iussu Dei Principatum Hebraeorum, idest, anno mundi 2483. obiit anno mundi 2523. Scripsit Pentateuchum, idest, quinque volumina: quorum nomina ab Hebraeis sumuntur a primis verbis librorum.

Itaque primum vocant Beresceit, idest, In principio.

Secundum, Ve elle semot, idest, Haec sunt nomina.

Tertium Vaicra, idest, Vocavit autem.

Quartum, Vaiedabber, idest, Locutusque est.

Quintum, Elle addebarim, idest, Haec sunt verba.

Graeci et Latini denominant hos libros a materia, de qua agitur in principio libri, et quidem primum librum vocant Genesim, quia initio scribitur generatio coeli, et terrae, et reliquarum rerum creatarum.

Exodum vocant librum secundum, quia initio describitur egressio filiorum Israel de Aegypto. Exodus enim egressum significat.

Tertium vocant Leviticum, quoniam in eo describitur officium Levitarum circa tabernaculum, sacrificia, et alia id genus.

Quartum vocant Numeros, quoniam initio libri numeratur multitudo filiorum Israel per tribus et familias suas.

Quintum vocant Deuteronomium, quasi secundam legem, quoniam in eo repetitur et explanatur lex Domini data in Monte Sina.

Ex his libris intelligi potest, Mosem fuisse virum doctissimum, non solum in omni sapientia Aegyptiorum, ut dicitur a sancto Stephano, Act. 7. sed etiam in arte Historica, Poetica, Oratoria, Morali, et Theologica. Scribit enim Historiam, Genealogias, et res gestas Patriarcharum, ab orbe condito usque ad exitum filiorum Israel de Aegypto, idest, ab initio temporum usque ad annum bis millesimum quadringentesimum octogesimum tertium, imo etiam usque ad obitum suum, idest, usque ad annum bis millesimum quingentesimum vicesimum tertium. Quae autem post mortem ipsius Mosis scribuntur in extremo capite Deuteronomii, addita sunt, vel a Iosue, vel ab Esdra, vel ab alio aliquo Propheta.

Quod etiam Poeta insignis fuerit Moses, testantur duo cantica ipsius, alterum, Exod. 15. alterum Deuteronom 32. De arte ipsius Oratoria testatur Oratio, quam scribit sub nomine Iudae ad Ioseph. Gen. 44. et alia ipsius Mosis ad Deum. Num. 14. et exhortationes, vel reprehensiones, ad populum. De scientia Morali, et peritia legum condendarum, non tam proprio ingenio quam inspiratione divina. testis est magna pars Exodi, Levitici, et Deuteronomii. Denique de mysteriis Theologiae. sub figura Arcae foederis, et vestium sacerdotalium, et totius tabernaculi, testis Philo Hebraeus, qui has allegorias subtilissime explanavit.

Scripserunt vitam Mosis Philo ex Iudaeis, et Gregorius Nyssenus ex Christianis. Tribuuntur Mosi psalmi undecim a sancto Hieronymo, et aliis: sed probabiliorem existimavi sententiam sancti Augustini, et aliorum, qui totum psalterium Davidis esse volunt. De quare scripsi in praefatione psalmorum.

De Job.

Iob, ad miraculum usque sanctus, et doctus, ante Mosem vixit. Nam ex sententia Graecorum, et multorum Latinorum, fuit tertius ab Esau, et quintus ab Abraham. Moses autem fuit quartus a Iacob et sextus ab Abraham. Sed ex sententia Hebraeorum, et sancti Hieronymi in quaestionibus Hebraicis, Iob non descendit ab Esau, sed a Nachor fratre Abrahae: et fuit tertius a Nachor fratre Abrahae ac per hoc multo antiquior Mose. Quod etiam ex aetate colligitur. Iob enim vixit centum quadra-

BQ
7007

ginta annis post plagas, ut dicitur in fine libri, et antea vixerat multos annos, cum septem filios et tres filias genuisset. Quare non male sanctus Isidorus in lib. de vita et morte Patrum cap. 24. scribit, Iob vixisse 248 annos, ad quam aetatem Mosis tempore nemo perveniebat. Mihi sententia sancti Hieronymi semper visa est probabilior, tum propter distantiam aetatis, ut diximus: tum quia pronepos ille Esau, non dicitur Iob, sed Iobab, ut notum est ex Gen. cap. 36. quo nomine nunquam vocatur Iob, neque in libro Iob, neque apud Ezechielem cap. 14. neque Tobiae primo, neque Iacobi quinto, in quibus solis locis fit mentio sancti Iob. Ac ut magis appareat differentia: sciendum, sanctum Iob, ita scribi Hebraicae איוב pronepotem autem Esau, ita scribi יובב ubi differentia est in ipsis radicalibus literis. Quod autem aliqui respondent, literam aleph, aliquando excidere, et nomina saepe contrahi; non magni momenti est. Nam literae radicales non solent excidere: et si, Iob, esset nomen contractum, aliquando legeretur integrum in libro, ubi passim nominatur: nusquam autem legitur, nisi Iob.

At contra obiicitur argumentum ex editione 70. Interpretum. Habetur enim in ea editione appendix ad finem libri Iob, in qua dicitur, Iobum fuisse de filiis Esau, et quintum ab Abraham. Sed ea appendix non videtur de textu 70. sed ab aliquo addita: alioqui non ita libere a sancto Hieronymo reiiceretur. Sed quicquid de hoc sit, auctorem libri Iob sanctus Isidorus lib. 6. Originum cap. 2. scribit fuisse Mosem, aut ipsum Iob, aut alium ex Prophetis. Et quidem non pauci contendunt, auctorem libri fuisse Iob, sed non pauciores volunt fuisse Mosem.

Mihi utraque sententia videtur vera, si ita dicamus, ab ipso Iob fuisse annotatas res ejus gestas lingua Arabica: sed a Mose fuisse postea ex volumine Iob compositum librum, quem nunc habemus lingua Hebraica, addito principio, et fine, idest, additis illis verbis, [Vir erat in terra Hus, nomine Iob, simplex et rectus, et timens Deum, et recedens a malo;] et ad finem addita morte ipsius.

Quod autem liber, qui nunc extat, sit Mosis potius quam Iob; ideo mihi persuadeo, quia et Hebraei doctores ita sentiunt, et rationes non contemnendae pro hac sententia possunt adferri.

Primum enim si Iob esset auctor libri, qui nunc extat, primus scriptor sacer esset Iob, non Moses. Iam enim ex aetate ostendimus, et ex ipsa scriptura, Iobum fuisse antiquiorem Mose. At communi consensu, Moses est primus scriptor ecclesiasticus.

Deinde si Iob esset auctor libri hujus, non esset hic liber in canonem scripturarum ab Hebraeis admissus. Iob enim non fuit de filiis Israel, sed Idumaeus, vel Arabs; Idumaei autem et Arabes pro hostibus habebantur ab Hebraeis.

Praeterea liber Iob hebraice scriptus est, non Syriace, vel Arabice, quamvis aliqua vocabula Arabica in eo legantur, praesertim quando introducuntur loquentes amici Iob: at Iob, non hebraice scripsit, si quid scripsit, sed lingua sua. Quod si non est Iob auctor libri hujus, nulli melius tribui potest hoc opus, quam Mosi, qui fuit temporibus Iobi. Quod enim quidam dicunt, auctorem hujus libri esse Salomonem, ex auctoritate sancti Gregorii Nazianzeni, oratione ad Iulianum exactorem tributorum, non magnifaciendum est; nam sanctus Gregorius non dicit, Salomonem esse auctorem libri Iob, sed solum citat sub nomine Salomonis quaedam verba, quae habentur apud Iob cap. 3. Sed facile fuit ut sanctus Gregorius ex lapsu memoriae verba unius auctoris tribuerit alteri praesertim cum eo loco verbis, quae sunt apud Iob, adiunxerit etiam alia, quae non sunt apud Iob.

De Josue 2523.

Iosue filius Nun, successor Mosis fuit in principatu Hebraeorum anno mundi 2523. qui populum post obitum Mosis rexit annis 26. et obiit anno centesimo decimo vitae suae, ut habetur in ultimo capite Iosue. Quis auctor fuerit libri Iosue, non est omnino certum. Nam sanctus Athanasius in Synopsi recte monet ex nomine libri non necessario colligi auctorem, sed materiam. Dicitur enim liber Iosue, quia continet res gestas Iosue: et eodem modo dicuntur libri alii, vel Iudicum, vel Ruth vel Regum, vel Tobiae, aut Iudith, aut Esther, aut Machabaeorum. Theodoretus in lib. de quaestionibus in Iosue, existimat, librum Iosue scriptum ab auctore anonymo, qui scripsit librum Iustorum, de quo dicitur Iosue 10. [Nonne scriptum est hoc in libro Iustorum?] Sed hoc argumentum nihil efficit. Nam non agitur eo loco, nisi de ingenti illo prodigio, quo, ad verbum Iosue, sol et luna steterunt. Hoc enim prodigium cum aliis similibus videtur annotatum fuisse in aliquo libro, qui dicebatur liber Iustorum.

Sanctus Isidorus lib. 6. Originum cap. 2. affirmat, librum Iosue scriptum fuisse ab ipso Iosue. Et hoc verissimum nobis esse videtur, tum quia in extremo capite hujus libri dicitur de Iosue, [scripsit omnia verba haec in volumine legis Domini,] tum quia omnino credibile est, Iosue ministrum, discipulum, et successorem Mosis, imitari voluisse Dominum et magistrum, et praedecessorem suum: ut sicut ille ad aeternam memoriam literis mandaverat res gestas in populo Dei usque ad sua tempora; ita et ipse faceret, cum ei nec scientia, nec assistentia Spiritus sancti in scribendis sacris historiis deesset. Porro pauca, quae adduntur in fine libri de morte ipsius et sepultura, sine dubio scripta sunt a successoribus, quicumque illi fuerint, et verisimile est a Samuele, vel Esdra.

De Samuele Propheta 2878.

Samuel Propheta fuit, ultimus Iudex et Princeps populi, antequam reges crear i coepissent. Suscepit autem principatum anno mundi 2878 praefuit annis 20. Hunc fuisse auctorem libri Iudicum, et Ruth, et libri primi Regum, docet sanctus Isidorus lib. 6. Originum cap. 2. et quod attinet ad librum primum Regum, in quo continentur res gestae Davidis, testatur liber primus Paralip. cap. ult. eum scriptum fuisse a Samuele.

Dicitur etiam lib. 1. Reg. cap. 10. a Samuele

fuisse scriptam legem Regni: haec non videtur extare.

De Davide 2919.

David rex et Propheta regnare coepit anno mundi 2919 et regnavit annis 40. ut scribitur lib. 3. Reg. cap. 2. scripsit librum Psalmorum centum quinquaginta. Sic enim docent Chrysostomus, Theodoretus, Cassiodorus, Euthymius, et alii praefatione in Psalmos, et sanctus Augustinus lib. 17 de Civitate Dei cap. 14. Quamvis autem sanctus Hilarius praefatione in psalmos et sanctus Hieronymus in epist. ad Cyprianum, velint psalmos esse compositos ab auctoribus, qui nominantur in titulis, ut a Mose, Salomone, Asaph, Chore, Idithun: tamen probabiliorem existimamus sententiam priorem. De qua re disseruimus prefatione in explanationem Psalmorum. Extat quidem psalmus quidam brevis extra numerum centum quinquaginta psalmorum; sed eum apocryphum existimamus, quia Concilium Laodicenum cap. ultimo, et Tridentinum sess. 4. non ponunt in canonem scripturarum nisi psalmos 150.

Porro David non solum Propheta eximius fuit, sed etiam poeta venustissimus, et doctissimus: et scientiam habuit historiae sacrae legum divinarum moralis et naturalis philosophiae. Quae omnia in psalmis mirifice apparent.

De Gad, et Nathan. 2959.

Gad et Nathan Prophetae prosecuti sunt res gestas Davidis, quae habentur in libro primo et secundo Regum, et initio tertii, ab eo loco ubi desiit Samuel. Sic enim scribitur lib. 1. Paralipom. cap. ultimo [Gesta Regis David priora, et novissima, scripta sunt in libro Samuel videntis, et in libro Nathan prophetae, et in volumine Gad videntis.] Aetas horum duorum Prophetarum necessario debet poni post obitum Davidis, qui obitus contigit anno mundi 2959.

De Salomone Rege sapientissimo 2959.

Salomon rex, Davidis Regis filius, regnare coepit anno mundi 2959 et regnavit annis 40 ut scribitur Regum lib. 3. cap. 2. scripsit sine ulla controversia libros tres, Proverbia, Ecclesiastem et Cantica canticorum. De libro Sapientiae nonnulla quaestio est. Nam non habetur in Codicibus hebraicis, sed solum in graecis, et Philoni adscribitur Judaeo, teste sancto Hieronymo, praefatione in Proverbia Salomonis. Sed tamen a veteribus Patribus communi consensu hic liber tribuitur Salomoni, ut notum est ex Eusebio, lib. 4. hist. cap. 22. Tertulliano de praescriptione; Cypriano, de mortalitate; Hilario, in psalm. 127. Ambrosio, sermone 8. in psalm. 118. Basilio, lib. 5. in Eunomium; Epiphanio, haeresi Anomaeorum, et Augustino, tract. in psal. 63. et ipse auctor libri Sapientiae cap. 9. testatur, se fuisse Regem in Israel, et sibi a Domino imperatum, ut templum aedificaret: quae in Salomonem proprie conveniunt. Sed haec discordia facile conciliabitur, si dicamus, sententias hujus libri esse Salomonis, sed collectas in unum volumen, et Graecis verbis expressas a Philone, non illo, qui tempore Caii Imp. floruit, sed alio antiquiore. Iosephus lib. 8. antiquitatum cap. 2. refert a Salomone scriptos fuisse libros Odarum et carminum quinque supra mille: et parabolarum libros ter mille. Item scriptas ab eo fuisse incantationes, quibus morbi curantur, et daemones pelluntur. Quae videntur parum verisimilia; sed sive sint vera, sive falsa, certum est ea hoc tempore non extare et fortasse ex verbis Iosephi, occasionem acceperunt aliqui perditi homines tribuendi Salomoni librum pernitiosissimum, qui inscribitur, Clavicula Salomonis.

De Ahia, et Addo 3000.

Ahias et Addo scripserunt res gestas Salomonis, ut habetur in secundo libro Paralipomenon cap. 9. sive sint eae, quae narrantur in tertio libro Regum, sive res aliae. Quis autem scripserit reliqua quae habentur in libro tertio Regum, post caput undecimum, et in toto quarto, et in duobus libris Paralipomenon, non est omnino certum: sed credibile est scripta fuisse a Sacerdotibus et Prophetis illorum temporum.

De Osea. 3170.

Prophetae tam maiores quam minores floruerunt post divisionem Regni, quae facta est post obitum Salomonis. Quo etiam tempore vixerunt auctores librorum Tobiae, Judith, et Esther. Sed ut eos ordine disponamus, statuendum esse videtur ut certum, Prophetas minores eo prophetasse ordine, quo in Bibliis Hebraicis et Latinis collocantur quamvis in Graecis sit aliqua diversitas, et de Abdia et Habacuch sit non exigua difficultas. Ratio huius fundamenti est, quia videmus, Prophetas maiores sine ulla controversia suo ordine collocatos, ut Isaias praecesserit Hieremiam, et Hieremias Ezechielem, et Ezechiel Danielem. Item quia magna pars Prophetarum minorum sine ullo dubio ita collocati sunt, ut Oseas Ioelem praecedat, et in fine Aggaeus Zachariam, et Zacharias Malachiam, proinde colligi potest, omnes esse suo ordine dispositos: neque excogitari potest ulla ratio, cur prior tempore debuerit posteriori postponi: nisi cum classis (ut sic loquar) variatur. Maiores enim Prophetae suam classem faciunt, et minores quoque suam. Sed nos ex utrisque unam classem faciemus, ut secundum ordinem temporis omnes collocemus.

Primus omnium tam maiorum quam minorum fuit Oseas, qui prophetavit, ut ipse testatur, in diebus Oziae, Ioatham, Achaz, et Ezechiae, Regum Iuda, et in diebus Hieroboam filii Ioas Regis Israel. Annus autem quo regnare coepit Ozias in Hierusalem, fuit vicesimus septimus, quo regnavit Hieroboam in Samaria, videlicet ter millesimus centesimus septuagesimus. Fuit autem Oseas de tribu Isachar, ut Epiphanius testatur: et iussu Domini accepit uxorem fornicariam, ut significaretur for-

nicatio populi, per Idololatriam a Deo : et propter hoc peccatum praedicit captivitatem decem tribuum ; et deinde captivitatem etiam duarum aliarum tribuum, quae facta est per Nabuchodonosor.

De Isaia. 3190.

Post Oseam sequitur proxime Isaias, primus ex maioribus. Quamvis enim tam Osee quam Isaias initio dicant, se prophetasse in diebus Oziae, Ioatham, Achaz, et Ezechiae : tamen Eusebius in Chronico, et sanctus Hieronymus in primum caput Oseae, scribunt Oseam fuisse primum, et Isaiam secundum in scribenda prophetia. Et videtur hoc posse confirmari. tum ex illis verbis Oseae, [Principium loquendi Domino in Osee;] quo significari videtur, inter multos, qui eodem fere tempore prophetaverunt, primum fuisse Oseam ; tum ex eo quod Oseas addit, se visionem vidisse, non solum in diebus Oziae , sed etiam in diebus Hieroboam, ut videlicet significaret, se visionem vidisse, et prophetasse ad initium regni Oziae, quod concurrit cum fine Regni Hieroboam : Isaias autem non meminit Hieroboam, quia non prophetavit in diebus eius, ac per hoc non prophetavit ad initium Regni Oziae, sed postea. Sed quicquid sit de his rationibus, nos nitimur auctoritate sancti Hieronymi, et Eusebii , qui Isaiam collocant post Oseam.

Isaias igitur unus est et primus ex maioribus prophetis, scripsit librum magnum, imo etiam maiorem quam ullus alius Propheta, et scripsit ante omnes alios Prophetas maiores.

Dicuntur enim Prophetae maiores, qui singuli suos scripserunt libros integros ; minores autem dicuntur illi. quorum prophetiae omnes simul unico libro apud Hebraeos continentur. Fuit vir nobilis ex tribu Iuda, et facundissimus, ut ex eius volumine quivis intelligere potest. Scripsit autem de adventu Christi, de nativitate eius ex Virgine, de vita, de praedicatione, de Regno, de miraculis, de passione, de sepultura, de aliis eius mysteriis, ut Evangelista potius quam Propheta fuisse videatur. Scripsit etiam de vocatione gentium, et de gloria Ecclesiae, plane admirabiliter. Obiit sub Manasse Rege filio perditissimo Ezechiae Regis optimi ; iussu eiusdem Manasse sectus in duas partes, crudelissimo supplicio, ut Epiphanius testatur in libro de vita et morte Prophetarum. Sed Deus eodem auctore Epiphanio, sepulchrum eius gloriosum miraculis reddidit.

De Ioel. 3195.

Graeci post Oseam ponunt Amos : sed Hebraici et Latini codices ponunt Ioel. Sed non est res magni momenti, quia fuerunt omnes isti tres Prophetae synchroni, id est, contemporanei, ut sanctus Hieronymus loquitur initio explicationis Oseae. Et quia Ioel non designat tempus, quo prophetaverit, intelligitur prophetasse sub eisdem Regibus, ut scribunt sanctus Hieronymus in caput primum Ioelis, et sanctus Augustinus lib. 18. de Civitate Dei cap. 27. et Theodoretus in prologo super duodecim Prophetas.

Porro Ioel praedicit duabus tribubus, quibus proprie Propheta datus erat a Deo, Babylonicam captivitatem, easque ad poenitentiam hortatur, et in extremo vaticinio praedicit adventum Messiae, et Spiritus sancti per eum mittendi, et ultimi Iudicii diem. Obiit in pace.

De Amos. 3195.

Amos prophetavit eodem tempore. Nam initio dicit se visionem suam vidisse in diebus Hieroboam filii Ioas.

Praedixit ipse quoque captivitatem, et alia gravia flagella ; et gravissime in scelera invectus, a filio Amasiae sacerdotis fuste inter tempora percussus interiit, ut Epiphanius testatur in libro de vita et morte Prophetarum.

De Abdia. 3195.

Abdias, ab Eusebio in Chronico, ponitur temporibus Achab Regis Israel, ac per hoc longe ante Oseam, et Isaiam, et Ioel, et Amos. Idem videntur sensisse sanctus Hieronymus, et sanctus Epiphanius. Abdias enim a sancto Hieronymo in commentario creditur esse ille dispensator domus Achab Regis, qui abscondit centum Prophetas, eosque pavit, quo tempore Iezabel uxor Achabi, Prophetas Domini persequebatur, de qua re loquitur scriptura lib. 3. Regum cap. 18. sed Epiphanius hunc eumdem Abdiam Prophetam existimat esse illum quinquagenarium Principem, cui pepercit Elias, ne ab igne de coelo misso absumeretur. De qua historia scriptura loquitur lib. 4. Regum cap. 1. Neque dissentit Epiphanius a Hieronymo, quia potest fieri, ut ille, qui erat dispensator in domo Achab, postea factus sit dux militiae in domo Ochoziae filij Achab. Sed maxima difficultas est, quia idem sanctus Hieronymus in primum cap. Oseae scribit, Abdiam fuisse contemporaneum Oseae, Ioelis, et Amos, et quartum locum habere inter Prophetas minores: et non potest fieri, ut ille Abdias, qui vixit tempore Achab, pervenerit ad tempora Oziae, et Ezechiae, in quibus temporibus prophetarunt Osee, Ioel, et Amos. Achab enim antiquior fuit Ozia, plus centum quinquaginta annis.

Contra autem videtur Abdias posterior fuisse non solum Osea, Ioele, et Amos, sed etiam Michaea, et Iona, et alijs multis. Nam in prophetia sua meminit belli Chaldaeorum contra Hierusalem, et captivitatis eiusdem Urbis tamquam iam peractae, et praeteritae, ut videatur collocandus post Hieremiam.

Mihi tamen placet sententia sancti Hieronymi, qui (ut paulo ante dixi) facit Abdiam aequalem Oseae, Ioëlis et Amos. Quod autem alibi dixit Prophetam Abdiam fuisse dispensatorem domus Achab, non ex mente sua, sed ex traditione quadam Iudaica dixisse videtur, quae traditio non alio fundamento nititur, nisi similitudine nominis, quasi non potuerint esse plures Abdiae.

Quod autem hic Propheta meminerit captivitatis Babylonicae, non cogit, ut sentiamus, illum prophetasse post captivitatem : nam more Propheta-

rum loquitur de captivitate illa futura per verbum praeteriti temporis.

Igitur Abdias prophetavit contra Idumaeos, et non solum praedixit exitium eorum, sed etiam causam exitii, quia videlicet tempore captivitatis Babilonicae futuri essent Idumaei socii Chaldaeorum contra filios Israel.

Obiit hic propheta in pace, Epiphanio auctore loco citato.

De Iona. 3195.

Ionas Propheta eodem tempore prophetavit, quo superiores Prophetae, ut scribunt sanctus Hieronymus in prologo Ionae, Eusebius in Chronico, et lib. 10. de praeparatione Evangelica cap. ultimo, et sanctus Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 27. Prophetavit autem Ionas contra Ninivitas, et exitium illis praedixit. Et quamvis agentibus illis poenitentiam Deus pepercerit : tamen postea reversis ad iniquitatem Deus exitium illis immisit, quod Ionas praedixit, ut habemus in libro Tobiae cap. 12.

Sanctus Hieronymus in prologo Ionae refert verba Tobiae, quibus expresse dicitur, evertendam Ninivem, ut praedixit Ionas. Sed in nostro libro Tobiae cap. 14. non habetur nomen Ionae, sed solum, [Prope erit interitus Ninive, non enim excidit verbum Domini.]

Hunc Ionam scribit Epiphanius, in libro de vita et morte Prophetarum, esse puerum illum quem suscitavit Elias ad preces Viduae Sareptanae. Quod idem ex traditione Hebraeorum refert sanctus Hieronymus in prologo Ionae. Quo fundamento nitatur haec traditio, non scio, certe tempora parum cohaerent.

De Michaea. 3223.

Michaeas prophetavit paulo post supradictos. Scribit enim initio prophetiae suae: et prophetasse in diebus Ioatham, Achaz, et Ezechiae , et omittit Oziam, quem Oseas, Isaias, et Amos posuerunt. Proinde prophetavit initio Regni Ioatham, idest, anno mundi 3223. praedicit hic Propheta captivitatem primam decem tribuum, et secundam duarum tribuum : praedicit adventum Christi, et nativitatem in Bethleem, et conversionem gentium ad Ecclesiam Dei.

De Nahum. 3264.

Nahum Elcesaeus prophetavit post abductas decem tribus in captivitatem a Salmanasar Rege Assyriorum, ut testantur sanctus Hieronymus, Theodoretus, et Theophylactus, in praefatione in Nahum; iidem volunt eum prophetasse tempore Ezechiae: illo enim anno decem tribus in captivitatem ductas esse constat ex lib. 4. Reg. cap. 18. Itaque tempus prophetiae Nahum incidit in annum mundi 3264.

Praedicit hic propheta exitium Regis Assyriorum, et vastationem Ninive per Chaldaeos. Et Iudaeis praedicit, non praevaliturum Regem Assyriorum contra Hierusalem, sicut praevaluerat contra Samariam. Obiit in pace, teste sancto Epiphanio, in lib. de vita et morte Prophetarum.

De Habachuc. 3283.

Habachuc prophetavit ante captivitatem duarum tribuum, ut docet Epiphanius in libro de vita et morte Prophetarum ; et in Chronico Hebraeorum, quod Seder olam vocant; dicitur Habachuc prophetasse sub Rege Manasse filio Ezechiae, id est, post captivitatem decem tribuum, sed ante captivitatem duarum tribuum. Manasses autem regnare coepit anno mundi ter millesimo ducentesimo, octogesimo tertio.

Multi tamen graves auctores volunt. Habachuc prophetasse post captivitatem Babylonicam, ut sanctus Hieronymus in prologo ad hunc Prophetam, Theodoretus, et alij. Ducuntur hi auctores illo argumento, quod Habachuc Propheta, Angelo eum rapiente, et deferente, attulerit prandium Danieli, in lacu Leonum constituto; ac per hoc vixerit tempore Danielis, et ad initium imperii Cyri Regis Persarum. Sed nos priori sententiae adhaeremus, quoniam ipse Habachuc disertis et multis verbis praedicit adventum Regis Babyloniae ad capiendos Iudaeos. Non est autem moris Prophetarum loqui de rebus praeteritis per verba temporis futuri ; sed e contrario praedicere futura per verba temporis praeteriti. Annuntiare enim praeterita, tamquam si essent futura, unusquisque potest sine spiritu prophetiae. Ad argumentum autem de allatione prandij ad Danielem, facile responderi potest, non esse eumdem Habachuc Prophetam, unum ex minoribus, et Habachuc Prophetam, qui tulit prandium Danieli : sicut non est idem Michaeas Propheta, qui vixit tempore Achab Regis Samariae, cum Michaea Propheta, qui unus est ex duodecim Prophetis minoribus.

Ergo Habachuc de tribu Simeon praedicit adventum Chaldaeorum et Babylonicam captivitatem. Praedicit etiam vastationem eorumdem Chaldaeorum, quae facta est per Medos et Persas. Et tandem praedicit adventum Christi, passionem, resurrectionem, et secundum adventum in gloria.

De Sophonia. 3340.

Sophonias prophetavit, ut ipse testatur, in diebus Iosiae Regis : et quia non designat Sophonias annum Regni Iosiae, ut facit Hieremias, intelligendum est, Sophoniam prophetasse ad initium Regni Iosiae, id est anno mundi ter millesimo, trecentesimo quadragesimo. Hoc enim anno coepit regnare Iosias. Porro hic propheta concionatur contra peccata, et hortatur ad poenitentiam, et praedicit excidium Palaestinorum, Moabitarum, Ammonitarum, Aethiopum, et aliarum gentium. Praedicit etiam conversionem gentium, et ruinam Idololatriae. Denique praedicit Christi resurrectionem. Iudaeorum excaecationem, et exitium ultimum, et Ecclesiae gloriam, et felicitatem.

De Hieremia. 3337.

Hieremias, Propheta secundus ex maioribus, prophetare coepit anno tertiodecimo Regni Iosiae, id est, anno 3337. ab orbe condito, ut ipse initio

libri sui testatur: et prophetavit usque ad annum undecimum Sedeciae Regis, qui fuit ultimus Rex Hierusalem: et tunc completa fuit captivitas Babylonica. Fuit autem Hieremias ex tribu Sacerdotali, vir mitissimus, et sanctissimus, et post multos labores et angustias lapidibus obrutus ab ingrato populo, vitam cum morte commutavit. Vide Epiphanium de vita et morte Prophetarum.

Scripsit autem vel dictavit insigne volumen, in quo populum, et Principes eius, ad poenitentiam multis sermonibus hortatus est. Praedixit imminentem ruinam Hierusalem, et templi Domini, et totius Regni. Praedixit multa de Christi adventu, de testamento novo, deque aliis Christianis mysteriis apertissime.

Addidit Hieremias ad finem libri sui threnos, idest, lamentationes, carmine scriptas, ordine alphabetico, quibus deplorat aerumnas gentis suae corporales, et spirituales.

Addidit denique epistolam ad populum captivum in Babylone, qua hortatur illos, ut in fide veri Dei persistant, et ab Idolorum cultu se abstineant; quam epistolam posuit Baruch in extremo libro suo.

De Baruch. 3366.

Baruch, minister, et amanuensis Hieremiae, praeter ea quae scripsit Hieremia dictante, ut colligitur ex cap. 36. Hieremiae, scripsit proprium volumen quinque capitibus comprehensum; nam sextum est epistola Hieremiae. Prophetavit aurem Baruch tempore Iechoniae Regis, ut ipse testatur initio sui voluminis. Regnavit vero Iechonias anno mundi 3366. et solis tribus mensibus regnavit. Proinde hoc ipso anno Baruch prophetavit, et praedixit apertissime Dei Incarnationem, et apparitionem in carne humana. Et quamvis hic liber non inveniatur in Hebraicis codicibus, et excidisse et perisse credatur; tamen citatur passim a Patribus sub nomine Hieremiae, et a sancto Cypriano lib. 2. contra Iudaeos cap. 5. et a sancto Cyrillo lib. 10. in Iulianum citatur sub nomine Baruch.

Vide, si placet, defensionem huius libri Canonici in nostris Controversiis lib. 1. de verbo Dei.

De Ezechiele. 3371.

Ezechiel, tertius ex maioribus, prophetare coepit (ut ipse testatur cap. 1.) anno quinto transmigrationis Iechoniae Regis, qui fuit annus mundi 3371. fuit ipse quoque de genere Sacerdotali, vir optimus, et sanctissimus, et praedicabat concaptivis suis, eosque ad virtutem hortabatur, sed mercedis loco ab ipso Principe populi sui obtruncatus occubuit. Praedixit reversionem populi ad propria loca, et de adventu Domini, et Baptismo, aliisque Christi mysteriis, multa, sed obscure, maxime de structura templi, vaticinatus est.

De Daniele. 3398.

Daniel, quartus ex prophetis maioribus, abductus est in captivitatem adhuc puer, et perseveravit in captivitate usque ad Cyrum Regem Persarum, id est, usque ad finem captivitatis. Coepit autem prophetare anno secundo Nabuchodonosor Regis (ut ipse testatur cap. 2.) sed annus ille secundus non intelligitur ab initio regni, sed ab initio Monarchiae, quam inchoavit devastata Aegypto. Incidit autem haec devastatio, et initium Monarchiae, in annum vicesimum tertium regni eius.

Itaque secundus annus Monarchiae notatus a Daniele, est annus regni vicesimus quartus, et annus mundi 3398. Fuit Daniel de tribu Iuda, vir nobilis, et spiritu sapientiae, et prophetiae plenissimus, atque ea de causa gratissimus Regibus etiam Idololatris, et ab eis magnis honoribus cultus. Scripsit multa de Christo, et de tempore adventus eius, nec non de morte eius, et de excaecatione Iudaeorum; item de Antichristo, et praeliis eius. Praedixit progressum quatuor praecipuorum Regnorum, et de bellis futuris inter Graecos, et Persas, et inter successores Alexandri Magni, tanta perspicuitate, ut aliqui putaverint, sed falso, ea scripta fuisse multo posterius, quam revera fuerint. Liber hic partim Hebraice partim Chaldaice scriptus est. Didicit enim Daniel in Babylone iussu Regis, linguam, et literas Chaldaeorum. De partibus quibusdam Danielis, quae ab haereticis non recipiuntur: vide in primo nostro libro de verbo Dei.

De Aggaeo. 3465.

Aggaeus prophetare coepit anno secundo Darij Regis Persarum, mense sexto, ut ipse initio testatur. Fuit autem annus ille ab orbe condito 3465. Concionatur Aggaeus ad populum, eum exhortans ad reaedificationem templi, eumque graviter increpans, quod essent diligentiores in domibus suis aedificandis et ornandis, quam in domo Dei reaedificanda. Et praedicit, templum hoc secundum fore multo gloriosius, quam fuerit primum. Quod intelligitur de gloria templi ob Christi praesentiam, sive de Ecclesia Christi, non de structura materiali, ut sanctus Augustinus ostendit lib. 18. de Civ. Dei cap. 45.

De Zacharia. 3465.

Zacharias, illo ipso anno secundo Darij prophetavit, sed mense octavo, ut ipse testatur. Itaque Aggaeus duobus tantum mensibus Zachariam praecessit. Ipse quoque hortabatur populum ad aedificandum templum, et ad timorem Domini, et obedientiam mandatorum. Praedixit quoque multa per varias similitudines de felicitate Ecclesiae Christianae, et ultima perditione Iudaeorum.

De Malachia. 3521.

Malachias, ultimus duodecim minorum Prophetarum, prophetavit post Aggaeum, et Zachariam, tempore Artaxerxis Regis Persarum. Nam cap. 2. reprehendit Iudaeos, qui duxerant filias alienigenas in uxores: et similis reprehensio extat apud Esdram lib. 1. cap. 9. et constat ex praecedentibus capitibus, hanc obiurgationem factam fuisse

post templum reaedificatum, regnante iam Artaxerxe filio Darii, cuius anno sexto finita est aedificatio templi ut habetur I bro primo Esdrae cap. 6.

Malachias posterior est Zacharia, quantum distat annus secundus Darii ab anno primo Artaxerxis, qui regnare coepit anno 3521. proinde hoc anno vixit, et scripsit Malachias. Hunc Prophetam Origenes existimavit non fuisse hominem, sed Angelum in specie hominis; quia Malachias Hebraice Angelum significat.

Refellit hunc errorem sanctus Hieronymus in prooemio Malachiae. Quia si propter nomen Angeli deberet negari Malachiam fuisse hominem; eodem modo quia Osea significat Salvatorem, et Ioel significat Deum, et Dominum, possemus existimare, Oseam fuisse Christum, et Ioelem fuisse Dominum Deum.

Alii voluerunt Malachiam fuisse Esdram, et dictum Angelum ob sapientiam, et puritatem vitae. Haec est sententia Hebraeorum, quam sanctus Hieronymus nec videtur approbare, nec reprobare. Sed communis sententia, quae omnino sequenda nobis videtur, est, Malachiam fuisse hominem diversum ab Esdra. Sic docet Eusebius Chronico, Sanctus Augustin. lib. 18. de Civ. Dei cap. 36. S. Cyrillus in primum caput Malachiae, qui dicit non esse audiendos, qui contra sentiunt: sanctus Epiphanius in libro de vita et morte Prophetarum.

Porro Malachias ex tribu Zabulon erat, ex sententia Epiphanii, loco citato, et praedixit abolitionem sacrificiorum Iudaicorum, et institutionem sacrificii novi, quod toto orbe offerendum erat. Praedixit quoque ultimum Iudicium, et reversionem Eliae Prophetae ad convertendas reliquias Israel, et praeter praedictiones, vehementer concionatus est adversus negligentiam Sacerdotum, et alia vitia. Denique in pace quievit adhuc invenis, teste Epiphanio.

De Tobia. 3236.

Historia Tobiae et Iudith incidit in tempus Prophetarum minorum, videlicet Nahum, et Habachuc, sed visum est coniungere omnes Prophetas simul, neque in chorum ipsorum extraneos admittere. Igitur Tobias censor cum Tobia iuniore translatus fuit in civitatem Ninive a Rege Assyriorum Salmanasar, et perseveravit usque ad aliquot annos Senacherib, successoris eius.

Contigit autem captivitas illa anno sexto Ezechiae Regis Iuda, qui fuit nonus Osea Regis Israel, et ab orbe condito 3264. Quis fuerit auctor libri Tobiae, non est omnino certum, sed credibile est auctorem fuisse Tobiam iuniorem, vel seniorem.

Siquidem Angelus Raphael cap. 12. iussit Tobiae utrique, ut narrarent, sive (ut habetur in textu Graeco) scriberent omnia mirabilia Domini, quae ipsi viderant, patientiam videlicet Tobiae senioris, et consolationem magnam quam a Deo per Angelum Raphaelem accepit. Itaque scriptus videtur liber anno mundi 3252. mortuo Senacherib. Quae autem in fine libri adduntur de morte Tobiae iunioris, sine dubio ab aliquo alio addita sunt.

Porro liber Tobiae scriptus est Chaldaice, non Hebraice, et ideo fortasse ab Hebraeis non agnoscitur pro lib. sacro, transtulit eum in linguam Latinam sanctus Hieronymus, ut ipse testatur praefatione in Tobiam, et ab Ecclesia Catholica inter sacros libros numeratum fuisse cognoscimus ex Concilio 3. Carthaginensi, ex Innocentio 1. in epistola ad Exuperium, ex Gelasio 1. in decreto de Scripturis Sanctis, et Cypriano in serm. de eleemosyna, ex Ambrosio in lib. de Tobia, ex Basilio in Oratione de avaritia, denique ex Conc. Trident. sess. 4.

De Eliachim auctore libri Iudith. 3270.

Quando contigerint quae narrantur in libro Iudith, maxima quaestio est: alii enim volunt ea contigisse post captivitatem Babylonicam, quia in primo capite fit mentio Regis Nabuchodonosor: alii volunt contigisse ante captivitatem illam, sed post captivitatem decem tribuum quae facta fuit tempore Ezechiae Regis Iuda: et quamvis tam hi auctores quam illi varient circa tempus praecisum: nobis tamen videtur non posse assignari aliud tempus, quam inter duas captivitates, tempore videlicet Regis Iuda, Manasse, et Regis Assyriorum Merodach Baladam, quem putamus alio nomine dictum esse Nabuchodonosor, qui regnavit etiam in Babylonia. Sed de hac re fuse tractavimus in libro primo de Verbo Dei cap. 12.

Itaque tempus huius historiae erit annus mundi ter millesimus ducentesimus septuagesimus. Quis auctor fuerit huius libri, incertum est ex sententia sancti Isidori lib. 6. Originum cap. 2.

Sed si fidem habeamus Iosepho in libro primo contra Apionem, auctor erit Eliachim, qui alio nomine dicebatur Ioachim, Sacerdos magnus Hebraeorum, de quo fit mentio in libro Iudith cap. 4. et 15.

Scribit enim Iosephus in more positum fuisse apud Egyptios et Babylonios, et potissimum apud Hebraeos, ut res gestae publicae, scribendae committerentur Sacerdotibus magnis: tempore autem Iudith Sacerdos magnus erat Eliachim, ut supra diximus.

Porro liber Iudith quamvis ab Hebraeis et haereticis modernis reiiciatur ex Canone Scripturarum divinarum: tamen Concilium Nicenum primum hunc librum retulit in numerum librorum divinorum teste sancto Hieronymo, praefatione in Iudith. Quod idem fecerunt Concilium tertium Carthaginense cap. 47. et Tridentinum sess. 4. et Decretum Gelasii 1. de Scripturis sanctis, et Epistola Decretalis Innocentii 1. ad Exuperium; et sanctus Augustinus libro secundo de doctrina Christiana cap. 8. et sanctus Isidorus lib. 6. Originum cap. 1. et Cassiodorus lib. 1. divinarum lectionum, et Rabanus lib. 2. de Institutione Clericorum, et alii Patres.

Recenset hic liber victoriam divinitus reportatam ab Hebraeis contra Holofernem Principem militiae Assyriorum per virtutem nobilissimae et castissimae feminae Iudith viduae.

De Esdra et Nehemia. 3532.

Esdras Sacerdos, vixit sub Artaxerxe Rege Persarum, qui imperare coepit anno ab orbe condito

3521. Scripsit autem librum primum Esdrae, et fortasse etiam secundum, ut sanctus Isidorus libro 6. Originum cap. 2. quamvis probabilius sit, secundum librum a Nehemia scriptum fuisse, qui post Esdram missus est in Iudaeam ab eodem Artaxerxe, cuius pincerna erat. Libri tertius et quartus inter apocryphos computantur.

Porro Esdram sancti Patres docent instauratorem fuisse sacrorum librorum: quod non ita intelligendum est, quasi Scripturae sacrae omnes perierint in eversione civitatis et templi sub Nabuchodonosor, et ab Esdra divinitus inspirato reparatae fuerint, ut fabulatur auctor lib. 4. Esdrae, cap. 14. sed, quod scripturas Mosis et Prophetarum in varia volumina descriptas, et in varia loca dispersas, et tempore captivitatis non diligenter conservatas, Esdras summa diligentia collectas ordinaverit, et in unum quasi corpus redegerit.

Vide Irenaeum lib. 3. cap. 25. Tertullianum lib. de habitu mulierum, Clementem lib. 1. Stromatum, Hilarium praefatione in psalmos, Chrysostomum hom. 8. in epist. ad Hebraeos, Theodoretum praefatione in psalmos.

Addit sanctus Hieronymus in prologo galeato, Esdram invenisse novas literas Hebraicas; et antiquas Samaritanis dimisisse.

De Mardocheo auctore libri Esther. 3528.

De tempore historiae Reginae Esther magna est inter scriptores controversia: nobis olim placuit, et hodie etiam placet sententia Iosephi Hebraei lib. 11. antiquitatum cap. 6. nec non Severi Sulpitii lib. 1. de sacra historia. Nicephori Constantinopolitani in Chronico, et aliorum multorum, quos sine nomine refert Eusebius in Chronico. Iuxta hanc sententiam Esther nupsit Assuero Artaxerxi Longimano, anno eius septimo, qui incidit in annum mundi 3528. quo eodem tempore floruit Esdras, ut supra diximus. atque hac de causa sanctus Isidorus lib. 6. Originum cap. 2. docuit, auctorem libri Esther esse Esdram.

Sed multo probabilius est, auctorem fuisse Mardochaeum patruum, et nutricium ipsius Esther, et qui illi semper adfuit, et res gestas omnium optime novit.

Vide plura, si placet, in Controversiis nostris lib. 1. De Verbo Dei, cap. 7.

De LXXII. Interpretibus, et Aristaea. 3720.

Anno decimo septimo Ptolomaei Philadelphi Regis Egypti, qui fuit annus Mundi ter millesimus septingentesimus vicesimus, facta est celeberrima illa versio sacrarum Scripturarum ex lingua Hebraica in Graecam, a septuaginta duobus viris doctissimis, non sine miraculo divino, convenientibus tot hominibus in unam et eamdem versionem, ut scribunt Philo lib. 2. de vita Mosis, Iosephus lib. 12. antiqu. cap. 2. Tertullianus in Apologetico cap. 18. Athanasius in Synopsi. Epiphanius, de mensuris et ponderibus, et Augustinus lib. 18. de Civ. Dei cap. 43. sed Epiphanius non solum nominat Regem, sed etiam annum 17. Regni eius. Qui fuerint viri illi doctissimi, et nomina, exponit Aristaeas in suo libro de septuaginta duobus interpretibus, qui extat in bibliotheca sanctorum Patrum tomo 7. editionis secundae. Et quamvis aliqui recentiores existiment, Aristaeam, qui nunc extat, non esse illum, qui vixit tempore ipsorum septuaginta interpretum, sed confictum ab Hebraeis: tamen vere esse illum ipsum, satis probatur ex eo, quod omnia, quae citant ex Aristaea Iosephus lib. 12. antiqu. cap. 2. Tertullianus in Apologetico cap. 18. Eusebius libro octavo de praeparatione Evangelica capite primo, et sanctus Hieronymus praefatione in Pentateuchum, inveniuntur in hoc nostro ad verbum.

Vide, si placet, de LXXII. Interpretibus in nostro libro 2. cap. 6. de Verbo Dei.

De Iesu Sirach. 3759.

Iesus Sirach, qui auctor est libri sacri, qui dicitur Ecclesiasticus, vixit tempore Ptolomaei Evergetis Regis Aegypti, ut ipse testatur in praefatione ad librum suum: ipse autem se nominat Iesum Sirach in fine capitis quinquagesimi. Hunc sacrum librum haeretici recentiores contemnunt: sed eum, ut divinum et sacrum agnoscunt Patres Concilii Carthaginensis tertii cap. 47. et Trident. sess. 4. Item Pontifices, Innocentius in Epist. ad Exuperium, et Gelasius in Decreto de libris sacris: item sanctus Augustinus de doctrina Christiana cap. 8. Epiphanius in haeresi Anomaeorum, Cyprianus lib. 3. epist. 9. Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum, et alii.

De auctore librorum Machabaeorum 3860.

Libri Machabaeorum ultimi sunt inter sacros libros Testamenti veteris: sunt autem duo libri, (nam duo alii inter apocryphos numerantur) quorum prior continet res gestas Matathiae, et trium filiorum ejus, Iudae Machabaei, Ionathae, et Simonis, ab anno mundi 3822 usque ad annum 3856. Hujus libri ignoratur auctor: sed credibile est auctorem fuisse Ioannem Hircanum, filium Simonis, qui rebus omnibus interfuit, et fuit summus sacerdos post patrem suum Simonem, et habuit vitam diuturnam, et pacificam in principatu, annorum triginta et unius, et fuit non solum Sacerdos, et princeps, sed etiam Propheta, ut scribit Iosephus lib. 13 antiq. cap. 26. Posterioris libri Machabaeorum, qui continet historiam eamdem, sed paulo altius incipit, et narrat martyrium insigne Eleazari, et septem puerorum Machabaeorum, et Matris ipsorum, auctor fuit Iason Cyrenaeus, qui libris quinque omnem hanc historiam comprehendit: quorum librorum epitomen solum habemus, ut dicitur lib. 2. Machabaeorum cap. 2. Hos libros, quicquid haeretici obstrepant, ut vere Canonicos habet Ecclesia, ut perspicuum est ex Concilio tertio Carthag. et Tridentino, ex Epist. Innocentii I. ad Exuperium, et Gelasio in Decreto de scripturis sacris, ex sancto Cypriano lib. 1. epist. 3. ad Cornelium, et sancto Augustino lib. 18. de Civ. Dei cap. 36. et lib. 2. contra Gaudentium cap. 23. Praeter hos

libros sacros enumerat sanctus Athanasius in Synopsi aliquot libros apocryphos qui non extant.

De Philone Hebraeo 4024.

Philo Hebraeus, vir omnium consensu doctissimus, floruit sub Caio imperatore, ad quem etiam legatione functus est pro gente sua. Hic ponitur a sancto Hieronymo inter Scriptores Ecclesiasticos quia scripsit in laudem Christianorum, qui sub sancto Marco Evangelista in Aegypto religiosissime vivebant. Et praeterea jure numeratur inter Scriptores ecclesiasticos testamenti veteris, quoniam scripturas divinas testamenti veteris primus exposuit. Scripsit plura quorum Catalogum refert Eusebius lib. 2. hist. cap. 17 sed non omnia extant. Ejus opera ex editione Basileensi anni 1561 haec sunt:

De Mundi opificio lib.	1
De Allegoriis legis,	2
De Cherubin,	1
De sacrificiis Abel et Cain,	1
Quod deterius potiori insidietur.	1
De Agricultura	1
De plantatione Noe,	1
De temulentia Noe,	1
In illud, resipuit Noe,	1
De Gigantibus,	1
Quod Deus sit immutabilis,	1
De confusione linguarum.	1
De Abrahamo,	1
De Profugis,	1
Quis rerum divinarum sit haeres.	1
De Ioseph,	2
De Mosis vita,	3
De Charitate,	1
De Creatione Principis,	1
De fortitudine,	1
De Decalogo.	1
De Specialibus legibus,	1
De Circumcisione,	1
De Monarchia,	2
De Sacerdotum honoribus,	1
De Victimis,	1
De offerentibus victimas,	1
De mercedibus mercede,	1
Quod omnis probus liber,	1
De Vita contemplativa	1
De Nobilitate,	1
De praemiis et poenis,	1
De execratione,	1
Quod Mundus sit incorruptibilis,	1
In Flaccum,	1
De Legatione ad Caium,	1

De his libris non est controversia. Circumfertur nomine Philonis Breviarium temporum, sed ab omnibus reiicitur; ut etiam alii historici, qui cum eo Breviario simul editi sunt.

De Iosepho Hebraeo 4057.

Iosephus Hebraeus floruit sub Vespasiano Imperatore, cui praedixit Imperium, cum ab eo captivus detineretur. Scripsit.

Antiquitatum Judaicarum, lib.	20
De Bello Iudaico,	7
Contra Apionem,	2
De Machabaeis.	1

Vitam ipse suam addit ad lib. antiq.

Porro in libris ant quitatum comprehendit Iosephus historiam sacram a Genesi usque ad Machabaeos, et deinde addidit reliquam historiam usque ad sua tempora. Libro autem 18 antiquitatum c. 4. reddit Christo mirabile testimonium, affirmans eum fuisse plusquam hominem, et vere Christum, in operibus magnificum, in verbis veracissimum, et a Pilato quidem occisum, sed tertia die resurrexisse: cujus testimonii meminit Eusebius lib. 1. hist. Eccles. cap. 11 et s. Hieronymus in lib. de Script. Eccles. in Iosepho.

Quod autem hebraei dicunt, testimonium illud de Christo in suis libris non haberi: et ideo videri superadditum a Christianis; facile refelli potest. Nam hebraei non habent Iosephum filium Matthiae, qui graece scripsit libros antiquitatum, de quo nos loquimur; sed Iosephum filium Gorionis, qui aliquid simile scripsit hebraice: proinde non est mirum, si Iudaei in suo Iosepho hoc testimonium non habeant, cum in nostro habeatur, et non sit superadditum, sed verum et germanum Iosephi testimonium.

Certe s. Hieronymus et Eusebius viri doctissimi fuerunt, et omnes pene libros veterum Scriptorum legerunt: et numquam hoc testimonium de Christo Iosepho tribuissent, nisi scivissent vere ab illo auctore ita scriptum fuisse.

Omisi libros Rabinorum, qui plurimi sunt, quoniam pleni sunt fabulis Iudaicis, et erroribus perniciosis: neque verum esse arbitror, quod Io. Gaetius, et alii nonnulli scribunt. Rabinos aliquot, quorum opera nunc extant, scripsisse ante adventum Christi; video enim passim ab iis mentionem fieri eversionis Hierusalem, et templi, per Titum Vespasiani filium.

DE

SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS

TESTAMENTI NOVI

SECULUM PRIMUM AB ANNO DOM. 1. AD 100.

De s. Petro apostolo. Anno Dom. 34.

Sanctum Petrum in Catalogo primum ponimus, et signamus anno 34. Quia illo anno Domini vivebat, et Ecclesiam regere coeperat.

Quamvis enim extet apud Eusebium lib. 2. hist. Eccles. cap. 13. Epistola Domini nostri Iesu Christi scripta ad Abagarum regem Edessae: tamen ea epistola numquam fuit admissa ab Ecclesia inter scripturas canonicas, inter quas sine dubio admissa fuisset, si ab ipso Domino scriptam fuisse constaret.

Quamvis etiam extent Cantica B. Virginis Mariae, Zachariae, et Simeonis; ea tamen non ab ipsis, sed a sancto Luca scriptis mandata fuerunt.

Denique quamvis inter epistolas sancti Ignatii Martyris inveniatur una b. Virginis Mariae ad ipsum Ignatium: ea tamen non habetur in Graecis codicibus, neque eius meminerunt veteres Patres ante sanctum Bernardum: proinde non constat an sit vere beatae Virginis epistola.

Quod autem attinet ad ordinem inter scriptores sacros Testamenti novi, quoniam eodem vixerunt seculo, sequuti sumus ordinem, quem Ecclesia sequitur in illis collocandis, tum in Litaniis, tum in sacrificio Missae.

Ergo sanctus Petrus Apostolus, et christianorum summus Pontifex, et Vicarius Iesu Christi, qui est Sacerdos in aeternum, anno Domini tricesimo tertio, vel secundum alios tricesimo quarto, Ecclesiae Christianae praesidere coepit, et anno sexagesimo nono, vel secundum alios septuagesimo, martyrio coronatus est.

Sanctus Hieronymus in lib. de script. eccles. scribit sanctum Petrum crucifixum fuisse anno quartodecimo Neronis. Sed sanctus Hieronymus Eusebii Chronicum secutus est. Vere enim Nero non imperavit annis quatuordecim, et mensibus octo, ut Eusebius scribit: sed annis tredecim, et mensibus septem, ut scribunt Suetonius, Dio, et alii: et quoniam imperare coepit a die quartadecima octobris, iisdem auctoribus; inde fit ut sanctus Petrus, qui die vicesimo nono Iunii obiit, non anno quartodecimo, sed tertiodecimo Neronis obierit.

Scripsit epistolas duas; ac de priore nulla unquam dubitatio fuit: de posteriore, propter stili diversitatem nonnulla apud aliquos ambiguitas fuit. Sed ecclesia utramque epistolam, et canonicam, et s. Petri esse docuit, in concilio Laodiceno, Carthaginensi tertio, Florentino, et Tridentino: et merito Beda Venerabilis admiratur, fuisse aliquos, qui epistolam illam s. Petri fuisse dubitare potuerint, cum auctor Simonem Petrum se initio nominet, et affirmet, se in monte sancto cum Christo fuisse in transfiguratione, et diserte dicat, [Hanc secundam vobis scribo epistolam.] Hinc enim sequitur, ut auctor hujus epistolae, vel fuerit insignis impostor, quod nemo unquam dicere ausus est, vel fuerit sanctus Petrus.

Cur autem diversos esse videatur stilus prioris et posterioris epistolae, rationem reddit sanctus Hieronymus in epistola ad Hedibiam, quaest. 11. quoniam Apostolus non semper eodem interprete utebatur.

Addit sanctus Hieronymus in lib. de script. eccles. multos alios libros olim sub nomine sancti Petri scriptos fuisse; quos ipse ibidem enumerat; sed omnino apocryphos, imo spurios, et supposititios fuisse vel ex eo constat, quod nunquam ab ecclesia, vel in catalogum sanctorum scripturarum redacti, vel in Bibliis sacris repositi, vel in templis recitati sint: et hoc tempore non ipsi solum, sed eorum nomina, et memoria evanuerint.

De s. Paulo apostolo.

Sanctus Paulus Apostolus, ab ipso Christo de coelo vocatus, et per caelestem revelationem evangelicam plenissime edoctus, repente de persecutore praedicator eximius factus, eodem anno et die quo sanctus Petrus martyrio coronatus est: cujus rei Eusebius in Chronico, sanctus Hieronymus de script. ecclesiasticis, et omnis antiquitas testis est.

Scripsit epistolas quatuordecim:

Ad Romanos,	1
Ad Corinthios,	2
Ad Galatas,	1
Ad Ephesios,	1

Ad Philippenses,	1
Ad Colossenses,	1
Ad Thessalonicenses,	2
Ad Timotheum,	2
Ad Titum,	1
Ad Philemonem,	1
Ad Hebraeos,	1

Et quidem de primis tredecim nulla unquam controversia fuit. Epistolam ad Hebraeos,teste sancto Hieronymo in lib. de script. eccles. alii tribuebant Barnabae, alii Lucae, alii Clementi Romano: nec defuerunt haeretici veteres, et recentiores qui huic epistolae auctoritatem detraherent. Caeterum esse eam et vere canonicam, et s. Paulo scriptam, testis est Ecclesia Catholica universa , quae illam legit assidue inter Missarum solemnia sub nomine beati Pauli Apostoli: testes sunt Patres conciliorum supra citatorum, qui hanc epistolam in numerum divinarum scripturarum posuerunt: testes veteres Patres,qui eam ad probanda dogmata fidei passim adducunt. Vide, si placet, de hac epistola integram disputationem in controversiis nostris lib. 1. de Verbo Dei cap. 17.

Praeter has epistolas quatuordecim, fertur et alia sub nomine b. Pauli ad Laodicenses ; sed ea (inquit s. Hieronymus in lib. de script. eccles.) ab omnibus explodituv.

Feruntur quoque sub ejusdem b. Pauli nomine epistolae quaedam breves ad Senecam: quas sanctus Hieronymus in eodem libro, in Seneca; non videtur contempsisse.Sed ecclesia catholica neque epistolam ad Laodicenses, neque epistolas ad Senecam in catalogo scripturarum posuit, ac per hoc b. Pauli eas non esse censuit.

De s. Joanne apostolo 34.

Sanctus Ioannes apostolus et evangelista , dilectus Deo. et hominibus, usque ad Traiani Imperatoris tempora pervenit, et sexagesimo octavo post passionem Domini anno,qui erat annus a nativitate eiusdem Domini nostri, centesimus,vel centesimus primus, in pace quievit: testes Eusebius in Chron. sanctus Hieronymus in lib. de Script. eccles. et alii.

Scripsit evangelium, Apocalypsim , et epistolas tres: et quidem evangelium, de quo nulla fuit unquam dubitatio,scripsit post alios tres evangelistas. Et quoniam sancti apostoli brevitati studebant maxime, ideo sanctus Ioannes fere omnia praetermisit, quae ab aliis scripta fuerant: ea siquidem sola repetit,quibus aliquid addendum esse existimavit.

De Apocalypsi dubitatio aliqua fuit olim , apud Graecos praecipue, et nunc est apud haereticos nostri temporis: quemadmodum etiam de secunda et tertia epistola. Sed Ecclesia catholica tum Apocalypsim tum epistolas illas duas , ut evangelium, et epistolam,primam, in numerum sanctarum scripturarum sub nomine sancti Ioannis recipit.

Vide controversias nostras lib. 1. de Verbo Dei, cap. 18 et 19.

De sancto Matthaeo apostolo 34.

Sanctus Matthaeus apostolus primus omnium evangelium scripsit lingua patria, id est, hebraica : testis est sanctus Hieronymus in lib. de script. eccles.qui etiam vidisse se et descripsisse affirmat evangelium sancti Matthaei lingua hebraica scriptum; et ante Hieronymum id ipsum testati sunt Epiphanius haeresi 29 quae est Nazaraeorum, Eusebius lib. 3. cap. 24. et Irenaeus lib. 3. cap. 1.

Quis in linguam Graecam transtulerit Hebraicum Matthaei evangelium, ignorari scripsit sanctus Hieronymus. Sanctus Athanasius in Synopsi scribit, a sancto Iacobo fratre Domini fuisse expositum evangelium sancti Matthaei.

Utrum illa expositio fuerit versio in Graecum, non scimus.

De hoc sacro libro nulla fuit unquam dubitatio.

De sancto Iacobo apostolo 34.

Sanctus Iacobus apostolus epistolam unam scripsit, quae de septem catholicis est. Ac de ipso, ut etiam de ejus epistola, nonnulla quaestio est.

Graeci in Monologio tres Iacobos Apostolos celebrant, Iacobum Alphaei, die nono Octobris; Iacobum, fratrem Domini, die vicesimo tertio ejusdem mensis; et Iacobum Zebedaei, die 30. Aprilis.

Sanctus quoque Hieronymus in libro contra Helvidium meminit huius opinionis , quae tres Iacobos facit, duos ex numero duodecim Apostolorum, et unum extra numerum. Sed recte idem sanctus Hieron. eodem loco hanc opinionem refellit: nam idem omnino est Iacobus Alphaei, et Iacobus frater Domini, qui et minor dicitur in Evangelio: et quos tantum novit, et celebrat Ecclesia Latina, Iacobum fratrem Iohannis, die 25. Iulii, et Iacobum Alphaei fratrem Domini die primo Maij.

Cur autem dicatur frater Domini, varie sentiunt auctores. Helvidius haereticus ausus est dicere, dictum esse fratrem Domini , quod esset filius b. Virginis Mariae ex Ioseph. Sed haec haeresis est manifesta. Eusebius lib. 2. ist. cap. 1. et Epiphanius haeresi 78. volunt eum fuisse filium Ioseph de priore uxore, ac per hoc fratrem Christi eo modo, quo dicitur Ioseph pater Christi, videlicet putatitius, non verus.

Sed verius est, sanctum Ioseph fuisse perpetuo Virginem, ut erat eius sanctissima coniux: et Iacobum fuisse filium Cleophae, qui Cleophas fuit frater sancti Iosephi: hinc enim Maria Cleophae dicitur soror Matris Domini, Ioan. 19. quia erat uxor Cleopha fratris Ioseph, usitatum enim est, ut coniuges duorum fratrum sorores nominentur, et quemadmodum Maria Cleophae dicebatur soror Mariae Matris Domini: sic etiam Iacobus dicebatur frater Domini, quia erat filius sororis Matris Domini.

Hanc sententiam colligo partim ex Hegesippo , partim ex Evangelio: Hegesippus enim apud Eusebium lib. 3. hist. cap. 11. ex versione Ruffini, dicit, Simeonem fuisse consobrinum fratrem Salvatoris,quia erat filius Cleophae fratris Iosephi sponsi b. Mariae Matris Domini.

Porro sanctum Iacobum minorem fuisse fratrem Simonis, et Ioseph, et Iudae, testatur evangelium sancti Matthaei, cap. 13 et Marci cap. 6. ubi dicuntur fratres Domini Iacobus et Simon, et Iudas: et hoc idem testatur Epiphanius haeresi 78 quare

si Simon, sive Simeon (idem enim est nomen) erat frater Iacobi, et Simeonis pater erat Cleophas frater Iosephi; certe sequitur, ut pater Iacobi fuerit Cleophas, non Ioseph.

Neque huic sententiae repugnat, quod sanctus Iacobus minor dicatur in Evangelio, Iacobus Alphaei: potest enim fieri, ut pater sancti Iacobi fuerit binomius, quemadmodum sanctus Matthaeus dicitur etiam Levi, et sanctus Petrus dicitur etiam Simon: et observat sanctus Hieronymus in lib. contra Helvidium, in sacris scripturis, multos esse binomios.

Quod attinet ad epistolam eius, non defuerunt olim, qui de ejus auctoritate dubitarent, ut etiam hoc tempore ab haereticis in dubium revocatur. Sed certissime epistola sacra et canonica est; de qua re vide quae scripsimus libro primo de Verbo Dei cap. 18.

Extat nomine sancti Iacobi Protoevangelium, sed ab Ecclesia nunquam receptum.

Extat etiam Liturgia eidem sancto Iacobo attributa, quae tamen a posterioribus ita locupletata est, ut non sit facile diiudicare, quae pars ejus Liturgiae sanctum Iacobum habeat auctorem.

Obiit hic beatissimus Apostolus glorioso martyrio coronatus anno septimo Neronis, ut scribit sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles.

Quod autem Epiphanius scribit haeresi 78. obiisse sanctum Iacobum anno aetatis suae nonagesimo sexto: non videtur probabile. Fundamentum enim huius numeri est opinio illa falsa Epiphanii, quod sanctus Ioseph anno quadragesimo aetatis suae genuerit Iacobum, deinde anno octogesimo viduus existens, acceperit Mariam coniugem; quo tempore fuisset Iacobus annorum quadraginta, quibus si addamus triginta tres annos Domini, et viginti quatuor quibus post Ascensionem Domini Iacobus supervixit, ut idem Epiphanius dicit, fient anni Iacobi nonaginta sex completi.

Sed hic multa sunt improbabilia; nam nec probabile est. Iacobum filium fuisse Ioseph: nec Ioseph annorum octoginta accepisse Mariam in coniugem, nec Iacobum electum esse ad Apostolatum, cum esset pene decrepitus: nec eumdem Iacobum supervixisse solum annis viginti quatuor, cum ex communi opinione gubernaverit Ecclesiam Hierosolymitanam annis triginta, et obierit anno septimo Neronis.

De S. Iuda Apostolo. 34.

Sanctus Iudas frater Iacobi, Apostolus ex duodecim, unam eamque brevem scripsit Epistolam, quam Ecclesia, ut sacram et canonicam recipit.

Vide quae scripsimus lib. 2. de Verbo Dei, cap. 18. De obitu huius Apostoli nihil habemus certi.

De S. Marco Evangelista. 44.

Sanctus Marcus Evangelista martyrio coronatus anno octavo Neronis, breve scripsit Evangelium: testis sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. Graece scriptum initio S. Marci Evangelium, scribunt sanctus Hieronymus in praefatione ad Damasum, et sanctus Augustinus lib. 1. cap. 2. de consensu Evangelistarum. Latine autem scriptum, testatur Damasus in vita sancti Petri, quae ponitur ad initium primi tomi Conciliorum: testantur etiam Syri, qui ad finem Evangelii secundum Marcum scribunt, Evangelium sancti Marci Romae, et lingua Romana scriptum.

Sed quicquid de hac re sit, satis constat, Latinam veterem et vulgatam editionem tam Matthaei quam Marci ex Graeca editione translatam.

De S. Luca Evangelista. 44.

Sanctus Lucas Evangelista, sancti Pauli comes et sectator, vixit annos octoginta quatuor, uxorem non habens: scripsitque duo sacra volumina, Evangelium, et acta Apostolorum: testis Hieronymus in lib. de Script. Eccles. Neque de his ulla controversia est.

De auctore libri, qui Pastor inscribitur.

Hermam sive Hermes librum scripsit apud veteres valde celebrem, quem inscripsit, Pastorem. Is liber quamvis a sancto Hieronymo in lib. de Script. Eccles. utilis esse dicatur, et nomine scripturae a sancto Irenaeo lib. 4. cap. 37. citetur; et ab aliis antiquissimis Scriptoribus, ut Clemente Alexandrino, et Origene, in testimonium adducatur: tamen nunquam fuit in canone sanctorum et divinorum librorum: nam Gelasius in Concilio Romano inter apocrypha scripta illum reiecit, et sanctus Hieronymus in prologo Galeato: et sanctus Athanasius in libro de decretis Nicaenae Synodi, et Eusebius lib. 5. hist. cap. 3. dicunt hunc librum non esse in canone; quod idem scripsit Tertullianus in lib. de pudicitia.

Quamvis autem hic liber multa utilia habeat, ut sanctus Hieronymus scribit: habet tamen etiam aliqua noxia, ut de unica poenitentia secundum errores Novatianorum, quibus hic liber omnino favere videtur: ut etiam illud de duobus geniis, sive de duobus Angelis, uno bono et altero malo, singulis hominibus a Deo tributis; quem errorem ex hoc auctore accepit Io. Cassianus, eumque posuit in tertia decima collatione cap. 12. et ante eum Origines hom. 35. in Lucam.

Quis autem iste Hermam fuerit, non parva quaestio est. Nam Origenes in cap. 16. ad Romanos, Eusebius lib. 3. hist. cap. 3. et sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. dicunt, hunc esse illum Hermam, quem salutari iubet Apostolus in epist. ad Romanos cap. 16. cum ait, [Salutate Asyncritum, Plegontem, Hermam,] etc. Damasus autem, sive potius Anastasius Bibliothecarius in vitis Pontificum, quae habentur ad initium primi tomi Concilorum, scribit, Hermam, sive Hermetem, auctorem libri Pastoris, fuisse fratrem sancti Pii Romani Pontificis, et librum appellatum esse Pastorem, quoniam Angelus in habitu Pastoris Hermeti apparuerat, et ut ea scriberet, quae illi revelaverat, iusserat.

Non videtur autem fieri posse ut Hermes frater Pii Pontificis ille sit, quem Apostolus salutari ius-

serat in epist. ad Romanos : nam inter illam salutationem, et Pontificatum Pii, intercedunt, ut minimum, anni centum, et qui salutabatur ab Apostolo, non erat infans recens natus, sed vir aliquis gravis, notus Apostolo ex operibus bonis: proinde non est probabile, illum supervixisse usque ad tempora Pii Pontificis.

Deinde scribit S. Hieronymus loco notato, librum Pastoris apud Graecos fuisse notissimum, apud Latinos pene ignotum: at si auctor libri fuisset homo Latinus, et Romani Pontificis frater, debuisset liber ipsius notior Latinis esse, quam Graecis.

Existimo igitur diversos esse auctores, et diversos eorum libros, quamvis idem fere nomen gererent : nam praeter ea quae dicta sunt, is qui ab Apostolo salutari iubetur, vocatur Hermam; frater Pii dicitur Hermes : deinde liber, qui scriptus dicitur a fratre Pontificis, praecipue continebat mandatum Domini per Angelum, ut Pascha die Dominico celebraretur : at in libro Pastoris, qui a veteribus citatur, et qui adhuc extat, nulla mentio fit Paschatis celebrandi die Dominico. Quare probabile est, librum Hermetis, fratris Pontificis, cito interiisse : et solum reliquum esse illum celebriorem, quem scripsit Hermam discipulus Apostolorum.

Quod etiam confirmatur ex eo, quod S. Irenaeus lib. 4. cap. 37. citans eum librum, dicit. [Bene ergo scriptura dicit, primo omnium crede, quoniam unus est Deus.] Neque enim Irenaeus scripturam absolute vocaret librum auctoris sui temporis, et qui Apostolus vel Apostolorum auditor non fuisset.

De Prochoro, uno ex primis septem Diaconibus.

Prochorum fuisse unum ex primis septem Diaconibus testatur S. Lucas in Actis Apostolorum cap. 6. Sed narratio, quae sub eius nomine extat in Bibliotheca S. Patrum, videtur omnino conficta. Nam quod in ea legitur, sanctum Ioannem Apostolum, et Evangelistam, cum ei sorte obtigisset Asia, gravissime id tulisse, ac vehementer ingemuisse, seque ad pedes aliorum Apostolorum abiecisse, atque propterea a sancto Petro fuisse reprehensum, indignum omnino est tanto Apostolo.

Quod in eadem narratione scribitur, posteaquam S. Ioannes ex olla ferventis olei illaesus exivit, a fidelibus, qui illic aderant, Ecclesiam in eius honorem fuisse constructam, incredibile est. Qui enim id auderent in oculis saevientis Domitiani?

Quod denique in eadem narratione dicitur, Evangelium a S. Ioanne in Insula Pathmo fuisse conscriptum, repugnat communi sententiae, quae habet, Evangelium a sancto Ioanne scriptum fuisse diu post exilium Pathmos, in ultima sua aetate.

Vide sanctum Athanasium in Synopsi extrema, ubi dicit, Evangelium praedicatum quidem a sancto Ioanne in Pathmo, sed editum Ephesi post reditum ab exilio. Cui consentiunt Eusebius lib. 3. hist. cap. 24. Epiphanius in haeresi quinquagesima prima, Hieronymus in lib. de Script. Eccles. Victorinus et Primasius in expositione Apoc. Beda, Rupertus et alii initio expositionis in Ioannem.

Fortasse haec Prochori narratio de rebus gestis S. Ioannis, est liber ille, qui sub nomine Circuitus Ioannis, inter apocrypha recensetur a S. Athanasio in Synopsi.

De sancto Lino. 70.

Similis narrationi Prochori est narratio, quae sub nomine S. Lini extat in Bibliotheca S. Patrum. Narrat enim auctor ille multa de actis S. Petri, quae vel falsa vel dubia sunt ; neque testimonium habet hoc opusculum S. Lini a veteribus.

Inter alia scribit auctor, Agrippam fuisse Praefectum Urbis tempore passionis S. Petri, atque ab isto Agrippa fuisse S. Petrum occisum, sine consensu Imperatoris Neronis, a quo etiam id factum postea fuisse improbatum.

Sed neque constat Praefectum Urbis tunc fuisse Agrippam : et necem S. Petri Neroni displicuisse, repugnat omnibus veteribus Patribus.

In eadem narratione scribit auctor, uxorem Albini secundum doctrinam S. Petri, repudiasse thorum viri sui ob amorem castitatis, invito et reclamante marito.

Haec vero doctrina S. Petri esse non potest, cum repugnet doctrinae coapostoli eius Pauli, 1. Corinth. 7. Fateor quidem a S. Lino conscripta fuisse Acta S. Petri, vel potius Acta sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, quod aliqui dicunt, et de Actis S. Petri in Romano Breviario legitur : sed ea non extare, et loco eorum supposita fuisse, quae nunc extant, arbitramur.

De S. Clemente Romano. 92.

Clemens Romanus, qui anno tertio Traiani martyrio coronatus est, cum sedisset in Apostolica sede annos novem, multa scripsisse fertur, videlicet,

Epistolas duas ad Corinthios.
Duas ad Iacobum fratrem Domini.
Tres ad diversos.
Libros decem Recognitionum.
Libros 8. constitut. Apostolicarum.
Canones Apostolorum.
Itinerarium S. Petri.
Disputationem S. Petri cum Apione: et Liturgiam.

Epistola prior ad Corinthios non extat : eius tamen mentionem faciunt passim veteres Patres, ut epistolae gravissimae, et epistolae S. Pauli ad Hebraeos perquam similimae. Vide S. Irenaeum lib. 3. cap. 3. Clementem Alexandrinum lib. 7. Stromat. Eusebium lib. 3. hist. cap. 12. et S. Hieronymum in libro de Script. Eccles.

Epistola posterior ad Corinth. neque extat, neque ab Ecclesia probatur, ut S. Hieronymus testatur loco notato.

Epistolae quinque quae nunc extant, non carent scrupulo. Nam constat, S. Iacobum, ad quem scribuntur duae epistolae, obiisse multo ante S. Petrum, et tamen in iis significatur Iacobo mors S. Petri. Sed forte epistolae scriptae sunt ad Simeonem

fratrem Iacobi, non ad ipsum Iacobum. In epistola quinta laudatur communitas omnium rerum, etiam uxorum: et totus hic locus desumptus est ex lib. 10. Recognitionum, ubi haec dicuntur a Faustiniano Ethnico, et a sancto Clemente refutantur. Sed forte haec irrepserunt, et in codice Vaticano non inveniuntur.

Scripsisse Clementem alias quoque epistolas, praeter illam celebrem ad Corinthios, testatur S. Hieronymus in lib. 1. adversus Iovinianum, ubi dicit, Clementem in suis Epistolis omnem pene sermonem de Virginitatis puritate contexere: quas laudes Virginitatis in epistolis, quae extant, non reperimus.

De Recognitionibus eiusdem Clementis non habeo aliquid certi, quamvis non pauca utilia documenta contineant, et a viris doctis aliquando citentur: tamen probabile existimo, vel non esse Clementis, vel esse idem opus cum eo, quod Itinerarium, vel Circuitus Petri aliqui vocant: ad quod opus, teste Epiphanio haeres. 30. Clemens ipse testatur, Circuitus Petri a se conscriptos, ab haereticis depravatos fuisse. Vere enim in Recognitionibus describuntur itinera S. Petri et sancti Clementis, et admiscentur disputationes ex media Platonis philosophia depromptae, quas nullo modo credibile est S. Petri esse.

Quod si Recognitionum et Itinerarii idem sit opus, satis constabit, esse apocryphum. Itinerarium enim inter apocrypha retulerunt sanctus Athanasius in Synopsi, sanctus Gelasius in Concilio Romano, unde extat caput, sancta Romana. dist. 16. et Leo IX. in epistolis adversus Nicetam. Verum quidem est, Recognitionem numerari libros decem, et Itinerarii libros octo: sed facile fuit corruptoribus addere vel minuere, vel mutare.

De libris Constitutionum Apostolicarum, quae Clementi auctori tribuuntur: idem fere iudicium fieri debet, ac de libris Recognitionum. Multa enim in illis utilia sunt, et a Graecis veteribus magni fiunt: sed in Ecclesia Latina nullum fere nomen habent: et ipsi etiam posteriores Graeci in Concilio Trullano can. 2. improbant has constitutiones, ut ab haereticis depravatas.

Audio Aethiopes his constitutionibus uti, ut vere Apostolicis, et ea de causa in erroribus versari circa cultum Sabbati, et diei Dominicae; et circa ministrum Sacramenti baptismi, et aliis quibusdam dogmatibus: nam lib. 7. cap. 24. iubent servari diem Sabbati, et Dominicae, et lib. 5. constit. cap. 10. prohibetur absolute, ne laici baptizent, et lib. 6. cap. 15. iubent rebaptizari eos, qui baptizantur ab haereticis, ea de causa, quia haeretici non sunt Sacerdotes.

Ac ne forte obiceretur quod Philippus Diaconus baptizabat, ut dicitur Act. 8. in iisdem constitutionibus lib. 6. cap. 7. dicitur, Philippum, qui baptizavit Simonem magum, fuisse Apostolum. Quod manifeste falsum est.

Habentur in iisdem constitutionibus alia non pauca, quae abhorrere videntur a veritate, ut quod lib. 3. cap. 2. quartas nuptias appellent manifestam fornicationem. lib. 5. cap. 6. distinguant Mariam Magdalenam a Maria sorore Lazari. lib. 8. c. 14. Iacobum fratrem Domini non velint esse Apostolum ex duodecim, et lib. eodem cap. 26. et 27. 28. velint imponi manum Subdiacono, et Lectori, et ipsi etiam Diaconissae, dum ordinantur: et lib. eodem cap. 32. dicant, Exorcistas non ordinari: et cap. 38. dicant ancillam soli domino obsequentem recipi; si cum aliis intemperans fuerit, reiici.

De canonibus Apostolorum a Clemente scriptis maior est difficultas; nam ab una parte Tertullianus in libro adversus Praxeam scribit, canones Apostolorum esse nobis per manus traditos. Sanctus quoque Athanasius in Synopsi eos numerat inter agiographa. Synodus Trullana c. 2. recipit canones Apostolorum octoginta quinque. Denique S. Ioannes Damascenus lib. 4. de fide Orthodoxa cap. 18. videtur eos ponere inter sacras Scripturas.

At contra Gelasius Papa in Concilio Romano, unde extat caput, sancta Romana, dist. 15. expresse dicit, liber canonum Apostolorum apocryphus: et hoc idem confirmatur distinct.. 16. can. 1. et 2. Sed haec conciliari possunt, si dicamus, canones legitimos esse solum quinquaginta priores: reliquos non esse legitimos, quamvis a Graecis recipiantur. Sic enim Urbanus II. apud Gratianum dist. 32. can. praeter, §. sciendum, dicit, canones Apostolorum ex toto a Graecis, ex parte a Latinis recipi: et Humbertus Cardinalis clarius idem dicit, cuius testimonium sub nomine Leonis IX. ita refert Gratianus dist. 16. can. Clementis. [Apostolorum, inquit, canones numerant Patres inter apocrypha, exceptis capitulis quinquaginta, quae decreverunt Orthodoxae fidei tractatores adiungenda.] Hincmarus quoque, ut testatur Franciscus Turrianus lib. 1. pro epistolis Decretalibus cap. 1. 5. scribit, canones Apostolorum ab Ecclesia nobis traditos esse solum quinquaginta: et ante hos omnes Dionysius Exiguus quinquaginta solum canones Apostolorum in sua collectione posuit.

Denique in antiquis codicibus Conciliorum, non inveniuntur canones Apostolorum, nisi quinquaginta. Et vere canones, qui errorem sapiunt, et ab haereticis superadditi videntur, sunt canones posteriores, ut can. 65. de sabbato non ieiunando. et 67. de baptizatis, vel ordinatis ab haereticis. et 84. de numero librorum sacrorum: in quo canone multa sunt errata manifesta. Quod vero Gratianus dicit initio distinctionis sextae decimae, canones Apostolorum auctoritate Zepherini Papae esse sexaginta: fortasse vitio librariorum erratum est in numero.

De disputatione S. Petri cum Apione, et de Itinerario eiusdem S. Petri, quod non extat, nisi forte (ut supra diximus) idem sint Itinerarium, et Recognitiones; non est multum laborandum: ab initio enim reprobata leguntur, tum apud sanctum Hieronymum in libro de Scriptor. Eccles. tum apud sanctum Athanasium in Synopsi.

De Liturgia S. Clementis idem fere dicendum occurrit, quod de Liturgia S. Iacobi, eam vere Clementis esse, sed a posterioribus auctam: credibile autem est, Clementem non ex proprio iudicio, sed ex ritu, quem observari viderat a sancto Petro, Liturgiam composuisse: quemadmodum et ipse sanctus Petrus nihil aliud faciebat in offerendo sacri-

ficio Eucharistico, nisi quod ipse Dominus fieri iusserat. Meminerunt Liturgiae S. Clementis Proclus Patriarcha Constantinopolitanus lib. 7. de traditione divinae Missae, et Nicolaus Episcopus Methonensis in libro de veritate corporis Christi, et Bessarion Cardinalis in libro de Sacramento Eucharistiae.

De sancto Ignatio. 71.

Sanctus Ignatius Episcopus Antiochenus, post sanctum Petrum Apostolum, et sanctum Evodium, sedere coepit anno Domini 71. et sedit annis 40. et Romae passus est anno undecimo Traiani, teste sancto Hieronymo in libro de script. Eccles. Scripsit Epistolas utilissimas, ut testatur sanctus Polycarpus eius aequalis, qui in epistola ad Philippenses dicit, se collegisse epistolas Ignatii quotquot invenire potuit.

Eusebius lib. 3. hist. cap. 30. septem enumerat epistolas sancti Ignatii, ut etiam sanctus Hieronymus loco citato, unam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallianos, quartam ad Romanos, quintam ad Philadelphios, sextam ad Smyrnaeos, septimam ad Polycarpum. Praeter has inveniuntur aliae quinque ad Mariam Cassabolitam una, ad Antiochenos altera, ad Tarsenses tertia, ad Philippenses quarta ad Heronem quinta. Atque hae quinque epistolae, quamvis ad manus Eusebii et Hieronymi non pervenerint; tamen ob styli similitudinem, et spiritum vere Apostolicum a viris doctis omnino recipiuntur.

Tres aliae circumferuntur, ad B. Virginem Deiparam una, et ad sanctum Ioannem Evangelistam duae, quibus additur epistola B. Virginis ad Ignatium. Harum, primus (quod sciam) meminit sanctus Bernardus ser. 7. in Psalmum, [Qui habitat:] sed neque in codicibus Graecis habentur, neque gravitatem eloquii S. Ignatii omnino redolent.

Unum hoc loco admonendum videtur, non esse magnam fidem habendam codicibus Graecis, qui nunc extant, quando discrepant a Latinis: saepe enim emendatiores inveniuntur codices Latini, quam Graeci: quod verum esse intelliget, qui conferet testimonia, quae ex Ignatio citant sanctus Athanasius in epistola ad Epictetum, et Theodoretus in Dialogis, cum verbis eiusdem Ignatii, quae nunc habentur in codicibus Latinis, et Graecis.

De sancto Polycarpo. 71.

Sanctus Polycarpus Episcopus et martyr, unam scripsit epistolam egregiam ad Philippenses, quae cum epistolis sancti Ignatii circumfertur: eius epistolae meminit sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. et Eusebius lib. 3. hist. cap. 30. alias 36. Vixit tempore S. Ignatii, sed supervixit usque ad Imperium M. Antonini, ut idem S. Hieronymus in eodem loco testatur.

De S. Dionysio Areopagita. 71.

Sanctus Dionysius Areopagita S. Pauli Apostoli discipulus fuit, teste sancto Luca, Act. 17. Quamvis autem a nonnullis dicatur martyrium subiisse sub Domitiano; contra tamen sentiunt alii, quoniam ipse idem sanctus Dionysius in libro de divinis nominibus cap. 4. nominatim allegat S. Ignatii verba ex epistola ad Romanos: quam epistolam scriptam esse constat anno septimo Traiani, quo anno sanctus Ignatius martyrio coronatus est. Scribit autem (inquit Areopagita) et divinus Ignatius, [Amor meus crucifixus est] haec autem verba in epistola ad Romanos leguntur: quomodo igitur potest Dionysius obiisse tempore Domitiani, qui Traianum praecessit, si citat epistolam scriptam septimo anno Traiani? Existimamus igitur sanctum Dionysium fuisse quidem sanctorum Ignatii et Polycarpi aequalem, sed supervixisse usque ad Imperium Adriani.

Opera santi Dionysii, quae nunc extant, haec sunt:

De Caelesti Hierarchia, lib.	1
De Ecclesiastica Hierarchia,	1
Item Epistolae ad Caium,	4
Ad Dorotheum,	1
Ad Sosipatrum,	1
Ad Polycarpum,	1
De Divinis nominibus,	1
De mystica Theologia,	1
Ad Demophilum,	1
Ad Titum,	1
Ad Apollophanem,	1
Ad S. Ioannem Apostolum,	1

De caeteris operibus viri docti et Catholici nihil dubitant. Soli haeretici Lutherani, et quidam scioli, Erasmus, Valla, et pauci alii, opera supra numerata negant esse sancti Dionysii Areopagitae.

Sed (ut alia nunc omittam) ad auctoritatem his operibus conciliandam satis esse debet, quod haec opera probentur a sancto Gregorio Papa hom. 34. in Evangelio, a sancto Martino Papa, et martyre, in Concilio Romano, a sancto Agathone Pontifice, in epistola ad Imperatorem Constantinum IV. et a Nicolao I. in epist. ad Michaelem Imperatorem. Item a Concilio VI. generali Act. 4. et a Concilio VII. Act. 2. Denique a sanctis Doctoribus plurimis, qui in haec opera, tamquam germana sancti Dionysii Areopagitae, commentaria scripserunt, ut a sancto Maximo Monacho, a S. Thoma, et aliis.

Quod autem ante sanctum Gregorium Romanum nemo horum operum nomine S. Dionysii Areopagitae meminerit: causa videtur esse, quod alicubi latuerint, ut multa alia saepe longo tempore delitescunt; et circa tempora Sancti Gregorii reperta fuerint.

Quod enim quidam dicunt, citari nominatim haec opera ab Origene homilia quadam in primum caput Ioannis, et ab Athanasio in quaestionibus ad Antiochum quaest. 8. nihil efficit: nam in homilia illa nominantur Ariani, qui diu post Origenem exorti sunt: et in quaestionibus ad Antiochum nominantur auctores ipso Athanasio posteriores: ex quo sequitur ut illa testimonia esse non possint Origenis, vel Athanasii, sed recentiorum auctorum.

Scribunt quidem Liberatus Abbas in Breviario cap. 10. et Anastasius Bibliothecarius in epist. ad

Carolum Calvum Imper. citari Dionysium Areopagitam a Ioan. Chrysostomo. et Cyrillo Alexandrino. sed quae illi citant, non inveniuntur in locis citatis.

De S. Martiale Episcopo Lemovicensi.

Sanctus Martialis primus Episcopus Lemovicensis, dicitur scripsisse duas epistolas. unam ad Burdegalenses, alteram ad Tolosanos, quae extant in Bibliotheca sanctorum Patrum. Sed multa sunt, quae eas epistolas suppositilias esse indicare videantur.

Primum enim auctor harum epistolarum dicit, se cum Christo vixisse, antequam crucifigeretur: Martialis autem Episcopus primus Lemovicensium missus fuit ad eam Urbem, Decio Augusto et Grato Coss. anno Dom. 254. ut Gregorius Turronicus testatur lib. 1. hist. cap. 10. quare necesse est, vel Martialem vixisse ferme 300. annis, vel titulum epistolarum esse falsum, qui auctorem praefert Martialem Episcopum Lemovicensem, vel Epistolas esse conflictas.

Deinde in secunda epistola cap. 8. scribit auctor a se baptizatum Stephanum Regem, et quemdam alium Tyrannum cum Satrapis suis. Atqui tempore Apostolorum, et etiam tempore Decii Imperatoris, non habuit Gallia ullos Reges, sed Imperio Romano subiecta erat. Primum enim Regem, Romanis expulsis, fuisse in Gallia Clodionem Comatum Pharamundi filium post annum Dom. 400. testantur omnes historici. Gregorius Turronicus lib. 2. cap. 9. qui eum vocat Clogionem. Ado Viennensis. Abbas Urspengensis. Aimoinus. Paulus Aemilius, Robertus Gaguinus, Papirius Massonius, et alii.

Tertio, dicit idem auctor eodem loco, templa Idolorum eversa fuisse. et Ecclesias aedificatas auctoritate Regia ipso suo tempore: quae videntur manifeste falsa; certe pugnant cum historiis Gregorii Turronici, Adonis, et aliorum.

Quarto, in epistola eadem cap. 9. citantur verba scripturae Geneseos secundum S. Hieronymi versionem, quod etiam in utraque epistola passim cernitur. Id vero signum est apertissimum novitatis.

Quinto, in eadem epistola cap. 13. scribit auctor se interfuisse cum aliis discipulis quando Iudas osculo Dominum prodidit. Atqui hoc videtur repugnare Evangelio: siquidem Marcus, cap. 14. et Lucas, cap. 22. dicunt Christum cum duodecim ultimam coenam celebrasse. et cum eisdem in hortum ingressum, ac deinde Iudae obviam ivisse.

Sexto, in epistola eadem, cap. 8. dicit, Valeriam quamdam in ipsa Gallia martyrio coronatam. Id vero repugnat Sulpitio lib. 2. sacrae historiae, et Gregorio Turronico, lib. 1. cap. 28. histo. Francorum, qui scribunt, temporibus M. Antonini primum intra Gallias martyria visa.

Multa sunt alia, quae his epistolis fidem detrahere videntur. Alioqui autem piae sunt, et ex iis non pauca dogmata Ecclesiastica confirmari possent adversus nostri temporis haereticos, si de tempore, quo scriptae sunt, plane constaret.

De Abdia Babylonio.

Abdias Babylonius, unus ex discipulis Domini fuisse dicitur. Sed vitae Apostolorum, quae sub nomine eius circumferuntur, fabulis similiores sunt, quam verae narrationi. Sed neque eius Abdiae, aut libri eius ullam in veteribus mentionem invenio.

De Presbyteris Achaiae, qui sancti Andreae passionem scripserunt.

Extat Passio S. Andreae Apostoli sub nomine Presbyterorum Achaiae, qui dicunt se scripsisse ea quibus ipsi interfuerunt. Audivi aliquando magnum quemdam virum eam historiam in dubium revocantem. Sed certe non videtur negari posse, quin vera et antiqua, et utilis historia sit.

Petrus Damiani, qui ante sexcentos annos floruit, in serm. 2. de sancto Andrea. de hac historia sic loquitur: [Non immerito in singularem auctoritatis arcem suscepta est, quam qui viderunt, scripserunt. et ministri fuerunt sermonis.] Sanctus etiam Bernardus in serm. de sancto Andrea, in vigilia eius, et in duobus, quos habuit in die festo, miris laudibus effert verba S. Andreae ad crucem, quae in hoc libro ad verbum inveniuntur.

Ioannes a Lovanio, vir multae doctrinae, et iudicii, in censura de passionibus sanctorum, quae habetur in Martyrologio Molani, hanc historiam, ut legitimam, probavit.

Idem fecit Aloysius Lipomanus, vir gravissimus, qui ex probatis auctoribus vitas sanctorum descripsit. Denique in Breviario Romano, nuper recognito, historia haec, cum de ea inter viros doctos et graves acriter disputatum esset, omnium consensu approbata locum suum retinuit.

SAECULUM SECUNDUM AB ANNO 100. AD 200.

De S. Iustino Martire. 150.

Post Apostolica tempora primus eorum, quorum scripta ad nos pervenerunt, videtur esse sanctus Iustinus Philosophus et Martyr. Floruit enim temporibus Antonini Pii, et successorum eius Marci Aurelii et Lucii Veri; et in Apologia ad Imp. et Senatum, populumq. Romanum, scribit, numerari eo tempore annos 50. a Christi nativitate.

Opera eius multa recensentur ab Eusebio lib. 4. hist. cap. 17. et a sancto Hieronymo in lib. de Script. Eccles. quorum operum aliqua non extant, et quaedam etiam extant, quorum illi non meminerunt. Haec igitur Iustini opera nunc feruntur:

Dialogus cum Tryphone Iudaeo Ephesi habitus.
Apologia ad Senatum Romanum.
Apologia altera ad Imp. Antoninum Pium.
Oratio paraenetica ad gentes.
De Monarchia.
Expositio fidei sive de recta confessione.
Epistola ad Zenam et Serenum.
Interrogationes, sive quaestiones positae gentibus. et gentium ad eas responsiones, earumq. refutationes.

Interrogationes, sive quaestiones gentium positae Christianis, et ad eas responsiones.

Refutatio quorumdam Aristotelis dogmatum.

Et quidem de primis quinque libris, quorum Eusebius et Hieronymus meminerunt, non videtur posse dubitari. Scendum est autem, Apologiam priorem, ut in nostris libris habemus, reipsa esse posteriorem, et non ad Senatum datam, ut nostri libri habent, sed ad Marcum et Lucium Imperatoris Pii successores, ut aperte colligitur ex Eusebio et Hieronymo locis citatis: sed fefellit nostros, quia Apologia prior caret initio, et ideo non potuit cognosci ad quem, vel ad quos directa esset.

Liber de expositione fidei, sive de confessione rectae fidei, cuiuscumque sit, insignis liber est, et Iustino auctore dignus. Ambigo tamen an eius sit, primo, quia veteres eius non meminerunt: secundo, quia stilus videtur esse diversus a stilo Iustini: tertio, quoniam multo apertius et distinctius disserit de mysteriis Trinitatis, et Incarnationis, quam scriptores eius seculi facere soleant.

De epistola ad Zenam et Serenum idipsum censeo.

De libro quaestionum quinque gentibus a Christianis positarum, facile iudicari potest, eum librum non esse Iustini, quod in eo saepe fiat mentio Manichaeorum, quos post mortem Iustini exortos esse constat. Idem iudicium fieri potest de quaestionibus 146. quas gentes Christianis posuerunt: nam quaest. 82. et 86. citatur Origenes, et quaest. 115. citatur Irenaeus, et Martyr appellatur: cum tamen Iustinus utroque antiquior fuerit: nam ipse etiam Irenaeus lib. 3. Iustinum Martyrem adducit, tamquam se antiquiorem.

De reprehensione dogmatum Aristotelis, meminit Photius in Bibliotheca: neque extat evidens indicium falsitatis; ideo nihil habeo quod dicam.

De Melitone. 150.

Sanctus Melito Sardensis Episcopus M. Aurelii Imp. tempore floruit; cui etiam Apologiam pro Christianis obtulit, ut refert Eusebius lib. 4. hist. cap. 25. Multa scripsit, quorum fragmenta extant apud Eusebium loco notato. Inter quae fragmenta continetur catalogus librorum Testamenti veteris, in quo liber Sapientiae tribuitur Salomoni: et hic solus liber recensetur a Melitone ex iis qui in Hebraicis codicibus non habentur: ut etiam solus liber Esther omittitur ex iis qui sunt in Hebraeo.

Tribuitur etiam Melitoni liber de transitu B. Virginis, qui extat in 7. tomo bibliothecae sanctorum Patrum, edit. 2. sed indignus liber est, qui tanto viro tribuatur.

De Athenagora. 155.

Athenagoras aequalis Iustini fuit, et insignem Apologiam pro Christianis scripsit, et Impp. Marco Aurelio Antonino et Aurelio Commodo obtulit: quam sub nomine Athenagorae citat sanctus Epiphanius in haeresi Origenis, ubi refert verba Procli ex Methodio.

Scripsit etiam librum de Resurrectione: utrumque opus extat tomo 9. bibliothecae sanctorum Patrum, edit. 2. et suspicione caret. Mirum autem est, cur Eusebius diligentissimus scriptorum investigator, huius auctoris non meminerit.

Quod autem sanctus Hieronymus hunc scriptorem omiserit, non est adeo mirum, cum satis constet, catalogum sancti Hieronymi, ex historia Eusebii esse desumptum, quoad illos scriptores, qui Eusebium praecesserunt.

De S. Theophilo. 170.

Sanctus Theophilus Episcopus Antiochenus, sextus ab Apostolo Petro, vixit tempore M. Aurelii Imp. et sub Commodo eius filio obiit, teste Eusebio in Chronico. Scripsit multa, teste s. Hieronymo lib. de Script. Eccles. sed nunc extant in 1. tomo Bibliothecae sanctorum Patrum secundae editionis, commentaria in quatuor Evangelia: et libri tres ad Autolycum adversus Christianae Religionis calumniatores.

De Tatiano. 170.

Tatianus sancti Iustini auditor, scripsit infinita volumina, ex quibus (inquit sanctus Hieronymus de Script. Eccles.) unus contra gentiles florentissimus extat liber, qui nuper est inventus, et editus in quarto tomo Bibliothecae sanctorum Patrum secundae editionis. Porro Tatianus post martyrium sancti Iustini a Fide catholica defecit, et in superbiam elatus haeresiarcha factus est.

De Egesippo. 177.

Egesippus aequalis Iustini et Athenagorae fuit, ut ex Eusebio lib. 4. hist. cap. 21. et sancto Hieronymo in lib. de Script. Eccles. perspicuum est. Scripsit historiam Ecclesiasticam usque ad sua tempora, idest, usque ad Aniceti Pontificatum. Huius historiae meminerunt Eusebius et sanctus Hieronymus locis citatis, in quibus fragmenta historiae eiusdem leguntur. Nunc extat. Libri vero de excidio Hierosolymae, qui sub nomine Egesippi circumferuntur: aut alterius Hegesippi recentioris; aut supposititii sunt. Certe ex lib. tertio, cap. 3. colligitur, post Constantini tempora libros illos fuisse conscriptos.

De sancto Irenaeo. 180.

Sanctus Irenaeus Episcopus et martyr, Commodo Imperatore et Eleuthero Pontifice vixit: et tempore Severi Imp. martyrium consummavit, scripsit multa; sed ad nos non pervenerunt, nisi quinque libri adversus Valentinum, qui pleni sunt doctrina, et pietate. Ambigunt nonnulli, Graece ne an Latine scripserit; quoniam non inveniuntur eius libri, nisi Latine conscripti: et tamen ipse natione Graecus erat, et sancti Polycarpi discipulus, et phrasis eius Graecismum redolet. Sanctus Hieronymus lib. 11. in Ezechielem explanans caput 36. Ezechielis, aperte Irenaeum inter Scriptores Graecos numerat: et in lib. de Script. Eccles. in Ter-

tulliano, dicit, Tertullianum esse primum Latinorum post Apollonium, et Victorem, quorum uterque Irenaeo posterior est.

SAECULUM TERTIUM AB ANNO 200. AD 300.

De Tertulliano. 203.

Tertullianus tempore Severi Imperatoris floruit, ut ipse testatur lib. 1. in Marcionem, in Apologetico cap. 4. et alibi. Initio catholicus ardentissimi zeli, deinde in Montani haeresim prolapsus contra Ecclesiam non pauca scripsit. Ergo opera Tertulliani indubitata sunt.

De patientia,	lib. 1
De Carne Christi,	1
De Resurrectione carnis,	1
De praescriptionibus adversus haereticos,	1
Adversus Iudaeos,	1
Adversus Marcionem,	5
Adversus Valentinianos,	1
Adversus Hermogenem,	1
Adversus Praxeam,	1
De corona Militis,	1
Ad Martyres,	1
De Poenitentia,	1
De Virginibus velandis,	1
De Habitu muliebri,	1
De cultu Foeminarum,	1
Ad Uxorem suam,	2
† De fuga in persecutione,	1
Ad Scapulam,	1
De testimonio animae,	1
De Anima,	1
† De exhortatione Castitatis,	1
† De Monogamia,	1
De Baptismo	1
De Pallio,	1
De Idololatria,	1
† De Pudicitia,	1
† De ieiunio adversus psychicos,	1
Scorpiacum contra Gnosticos,	1
De oratione,	1
De Spectaculis,	1
Apologeticus adversus gentes,	1

Ex his libris sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccl. dicit, scriptos esse contra Ecclesiam a Tertulliano iam tum haeretico, librum De fuga in persecutione, De exhortatione Castitatis, De Monogamia, De pudicitia, De ieiunio, quibus crucem addidimus. Librum de oratione scribit sanctus Hilarius in Can. 5. Matthaei, esse volumen aptissimum, sed consequentem errorem auctoris detraxisse scriptis probabilibus auctoritatem.

Opera Tertulliani dubia, vel supposititia.

De trinitate,	lib. 1.
De cibis Iudaicis, epistola.	

De libro de Trinitate dissentiunt sanctus Hieronymus, et Ruffinus: hic enim in Apologia pro Origene scribit, librum de Trinitate, Tertulliani, ab haereticis cum operibus sancti Cypriani coniunctum fuisse, ut fallerent incautos. Ille autem in secundo libro adversus Ruffinum contra asserit, librum illum de Trinitate, non esse Tertulliani, sed Novatiani.

Idem etiam sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. in Novatiano scribit Novatianum scripsisse grande volumen de Trinitate quasi Epitomen operis Tertulliani. Ubi aperte significat, Tertullianum quoque scripsisse de Trinitate, cuius libri epitomen Novatianus ediderit. Sed quicquid de hac re sit, dubitari non posse existimo quin liber de Trinitate, qui nunc extat inter opera Tertulliani, Tertulliani non sit: nam in eo libro refutatur nominatim Sabelliana haeresis. Sabellius autem post tempora Tertulliani apparuit, et in tempora Novatiani incidit, ut notum est ex epistola Dionysii Alexandrini apud Eusebium lib. 7. hist. cap. 5. Adde quod stilus (ut etiam sanctus Hieronymus annotavit) aperte clamat, librum illum Tertulliani non esse.

Liber, sive Epistola de cibis Iudaicis, non videtur stilum habere Tertulliani: et videtur ab aliquo Episcopo propriae plebi transmissus. Tertullianus autem Episcopus non fuit. Interim tamen nihil definio, sed causas dubitandi in medium pono. Illud postremo addendum videtur, Tertulliani libros cum iudicio esse legendos, non eos tantum, quos s. Hieronymo teste, contra Ecclesiam proprie scripsit, sed etiam librum adversus Praxeam, librum de anima, librum adversus Hermogenem, librum de carne Christi, et librum de poenitentia. In his enim propositiones non paucae, vel erroneae, vel certe suspectae occurrunt.

De Clemente Alexandrino. 204.

Clemens Alexandrinae Ecclesiae presbyter, vir doctissimus, Panteni discipulus, et Origenis magister, vixit sub Severo Imp. ut ipse testatur lib. 1. Stromatum. Ibi enim deducit tempora Imperatorum usque ad obitum Commodi, cui Severus successit, post brevissimum Imperium Pertinacis, et Iuliani. Multa scripsit, quorum meminerunt Eusebius lib. 5. hist. cap. 11. et s. Hieronymus de Script. Eccles. Nunc vero haec opera supersunt:

Stromatum libri octo.
Paedagogi libri tres.
Oratio exhortatoria ad gentes.

Neque de his dubitatio ulla est. Meminit Cassiodorus in lib. 1. Divinarum Institutionum explanationis Clementis Alexandrini in epistolas canonicas: an ea sit, quae in Bibliotheca S. Patrum invenitur, non facile iudicare possum.

Non desunt in hoc insigni auctore sententiae aliquae, quae errorem sapiunt, quas in libris nostris Controversiarum notavimus, et ob quas Gelasius Papa, in Concilio quodam Romano, Clementis huius opuscula inter apocrypha retulit. Utrum autem sententiae illae ab haereticis insertae sint, ut aliqui pie credunt, an auctori more humano exciderint, ignoramus.

De Minutio Felice. 206.

Minutius Felix Tertulliani aequalis, scripsit Dialogum inter Christianum Octavium, et Ethnicum

Caecilium, qui Dialogus, Octavius inscribitur ; atque inde factum est, cum auctor ignoraretur, ut septem libris Arnobii contra gentes, hic veluti octavus adiungeretur. Sed re vera non est octavus liber Arnobii, sed Octavius Minutii Felicis, causidici Romani insignis, ut s. Hieronymus testatur in lib. de Script. Eccles.

De s. Hippolyto episcopo, et Martyre 220.

Sanctus Hippolytus episcopus Portuensis, et martyr; Clementis Alexandrini discipulus, sub Alexandro Severo martyrium consummavit.

Multa scripsit quae enumerantur ab Eusebio lib. 6. hist. cap. 16. et a sancto Hieronymo in lib. de script. eccles. Nunc solum extant excepta quaedam ex libris S. Hippolyti de Theologia, et Incarnatione, apud Henricum Canisium tomo quinto antiquae lectionis: necnon in Bibliotheca sanctorum Patrum, Oratio de consummatione Mundi, de Antichristo, et secundo adventu Domini nostri Iesu Christi.

Consulat Lector notationes Card. Baronii ad Martyrologium die 22. Augusti.

De Julio Africano 222.

Julius Africanus paulo senior Origene fuisse videtur, cum in epistola ad Origenem, eum filium appellet. Scripsit librum de temporibus ab origine mundi usque ad Macrinum imperatorem, sub quo ipse vivebat, et ad M. Antoninum Heliogabalum, legationem suscepit, ut s. Hieronymus testatur in lib. de script. ecclesiast. Sed hi libri perierunt, cum tamen extarent tempore Photii, ut ipse in Bibliotheca scribit. Extat hoc tempore solum epistola ad Origenem de historia Susannae, quam fabulosam esse contendit: cui respondit Origenes, veram illam esse demonstrans. Epistola Iulii Africani extat in secundo tomo operum Origenis.

De Origene 226.

Origenes Adamantius Clementis Alexandrini discipulus vixit usque ad tempora Galli et Volusiani Imppp. teste sancto Hieronymo in lib. de script. eccles. Quamvis autem doctissimus fuerit, deceptus tamen ex Platonis philosophia in multos errores incidit sanctus Basilius in lib. de Spiritu sancto cap. 30. dicit, Origenem non habuisse sanas de Spiritu sancto opiniones. Sanctus Epiphanius in libris de haeresibus ponit Origenem in numero aliorum haereticorum. Sanctus Hieronymus vertit in Latinum idioma libros Origenis Periarchon, ut ostenderet errores plurimos, quibus libri illi scatent. Denique in quinta Synodo generali collatione 8. can. 11. dicitur anathema Origeni, et scriptis eius, sicut Ario Eunomio, Macedonio, Nestorio, et Entycheti: et in lib. qui inscribitur, Pratum Spirituale, cap. 25. in quadam revelatione visus est Origenes cum Ario aliisque haereticis in gehennae ignibus torqueri. Citatur autem Pratum spirituale in 7. Synodo generali, ne quis eum librum spernendum censeat. Haec praemittenda existimavi propter eos, qui Origenem defendere vel excusare conantur, quales fuerunt olim Eusebius in lib. 6. hist. Eccles. et in Apologia pro Origene, quam nomine Pamphyli martyris edidit: et qui Eusebium imitatus est, Rufinus qui etiam Apologiam pro eodem Origene scripsit. Deinde paulo ante nostram aetate eamdem defensionem suscepit Ioannes Picus; et nostro tempore Gilbertus Genebrardus.

Opera Origenis ascendunt ad sena millia librorum, teste Epiphanio in haeresi Origenis, quae est ordine 64. Sed plurima perierunt. Quae nunc extant, in duos tomos distributa haec sunt.

Primi tomi:

In Genesim homilia.	17
In Exodum hom.	13
In Leviticum hom.	16
In Numeros hom.	28
In librum Iosue hom.	26
In librum Iudicum hom.	9
In lib. Regum hom.	1
In librum Iob libri	3
In psal. 36. 37 et 38 hom.	9
In Cantica canticorum hom.	6
In Isaiam hom.	9
In Hieremiam hom.	14
In Ezechielem hom.	14
Per archon. id est, de principiis lib.	4
Threni, sive planctus Origenis tract.	1
De recta in Deum fide Dialogus.	
Commentaria in Iob. Ioachimo Perionio interprete.	
In eumdem hom.	4

Secundi tomi:

In Matthaeum tractatus,	35
In Lucam hom.	39
In Ioannem tractatus.	32
In diversos locos novi testamenti hom.	10
In epistolam ad Rom. lib.	36
Contra Celsum lib.	8
Contra Marcionistas Dialogi.	
Philocalia, sive de amore honesti.	
De Susannae historia Epitome.	

De eadem historia Iulii Africani epistola, et ad eamdem Origenis responsio.

His addi possunt Tetrapla, Exapla, et Octapsa Origenis labore contexta. Tetrapla sunt quatuor editiones testamenti veteris, 70. Interpretum, Aquilae, Symmachi, et Theodotionis. Exapla sunt quatuor illae adiunctis duabus Hebraeis, altera literis Hebraicis, altera literis Graecis. Octapla sunt, editiones sex supra dictae, adiunctis duabus sine nomine auctoris, quinta et sexta: addidit ipse Origenes septimam editionem ex versione 70. Interpretum emendata, et cum Theodotionis versione collata, additis asteriscis: et obeliscis. Vide de his editionibus Epiphanium in lib. de ponderibus, et mensuris.

Opera dubia, vel suppositilia.

Homiliae in Leviticum habentur etiam inter libros S. Cyrilli; sed vere Origenis sunt, non S. Cyrilli: nam et phrasim Origenis servant, et erroribus eiusdem scatent.

Libri tres in Iob, non videntur esse Origenis: nam lib. 1. meminit auctor Homousianorum, quam dicit esse sectam trium Deorum, quae totum orbem raplevit. At nomen Homousianorum inventum est ab Arianis, qui post obitum Origenis apparuerunt. Deinde lib. 2. meminit auctor S. Luciani iam tum martyrio affecti. At S. Lucianus posterior Origene fuit.

Commentaria quoque in Iob, Perionio interpetre, non videntur esse Origenis: nam in explanatione cap. 3. adfert expositionem S. Luciani martyris; item in explanatione cap. 7. et 8. refellit Manichaeos nominatim: et in cap. 18. meminit Homousianistarum. At Manichaei et Ariani, qui Catholicos Homousianistras vocabant, post Origenem exorti sunt.

De Homiliis in Psalmos aliqui dubitant, an sint Origenis.

Homiliae in diversa loca Evangelii, sine dubio non sunt omnes Origenis.

In Homilia in primum caput Ioannis mentio fit Manichaeorum, et Arianorum, qui post Origenem exorti sunt.

In Homilia nona in diversa loca, inveniuntur fragmenta ex S. Hieronymo in ultimum caput Isaiae Prophetae, et ex S. Gregorio lib. 15. Moralium cap. 14. et ex aliis Origene posterioribus; et ea fragmenta Hieronymi, et Gregorii, non Origenis esse stilus manifeste docet.

In Homilia de S. Maria Magdalena, super illud, [Maria stabat ad monumentum foris plorans.] stilus est plane Latinus.

Tractatus quintus in Matthaeum videtur esse Latini auctoris: nam adducens auctor verba Isaiae 48. [Dominus misit me. et spiritus eius:] in Graeco, inquit, Spiritus sanctus neutri generis est, non masculini, ut apud nos. Ubi se inter Latinos numerat. Et, si tractatus quintus Latini auctoris est, non parva suspicio est, reliquos etiam tractatus eiusdem operis, Latini auctoris esse. Atque haec pauca de Origene.

De Ammonio Alexandrino 226.

Ammonius Alexandrinus tempore Alexandri Imper. vixit, et scripsit canones evangelicos, quos alii harmoniam evangelicam vocant: quam Victor Capuanus cum Tatiani diatessaron confudisse videtur. Vide in Bibliotheca S. Patrum tomo 7. editionis secundae, et Card. Baronium tomo 2. Annalium ad annum Dom. 174.

De s. Gregorio Thaumaturgo 233.

Sanctus Gregorius antea Theodorus dictus, Episcopus fuit Neocaesariensis, et a magnitudine miraculorum patratorum Thaumaturgus appellatus, auditor fuit Origenis, dum esset adolescens, sed ab erroribus ejus omnino immunis fuit. Claruit tempore Alexandri Severi, cujus ann. 10 factum Episcopum scribit Cardinal. Baronius in secundo tomo Annalium, ad ann. 233.

Scripsit Metaphrasim in Ecclesiastem:

Panegyricum in Origenem.

Brevem fidei confessionem, quam ex revelatione b. Ioannis Apostoli didicit.

Expositionem fidei adversus Elianum.

Et Epistolam Canonicam.

His nuper adiunxit Gerardus Vossius duodecim sententias cum anathematismis: Qui extant Graece et Latine apud Henricum Canisium tomo 3. antiquae lectionis.

Tres sermones ejusdem s. Gregorii de Annuntiatione b. Virginis.

Item Sermonem de Baptismo Christi, sive de Theophania Domini: denique disputationem de Anima ad Tatianum.

Et quidem de metaphrasi nullum est dubium. Ejus enim testatur S. Hieronymus tum in libro de script. eccles. tum in Commentario ad cap. 4. Ecclesiastae Ruffinus etiam meminit lib. 7. hist. Eusebii cap. 25 et falluntur, qui eam tribuunt Gregorio Nazianzeno.

De Panegyrico quoque in Origenem res notissima est. Scripsit enim illud adolescens, et coram ingenti multitudine, ipso etiam Origene audiente, recitavit, teste s. Hieronymo de script. eccles. et hoc tempore in lucem prodiit auctore Gerardo Vossio hoc ipsum panegyricum graece et latine.

Non minus certum est didicisse s. Gregorium confessionem fidei a b. Ioanne Evangelista sibi cum ipsa sanctissima Virgine Deipara apparente; cujus rei meminit Gregorius Nissenus in vita Gregorii Thaumaturgi: et eam ipsam fidei confessionem ab eodem Gregorio scriptam, totidem verbis referunt idem Gregorius Nissenus, et alii.

Denique extra Controversiam est epistola canonica, quam etiam Balsamon Commentariis illustravit.

Expositionem fidei, quam S. Gregorius scripsit, existimat Gerardus Vossius se invenisse, et edidisse: sed fortasse fallitur: nam expositio illa fidei, cuius meminit S. Basilius in epist. 64. ad Neocaesarienses, quae vere a Gregorio Thaumaturgo scripta fuerat adversus Elianum, multum differt ab ista, quae nunc extat apud Vossium. In illa enim habebatur, [Patrem et filium hypostasi esse unum, et sola animi cogitatione distingui:] unde suspicio orta erat, a Gregorio foveri haeresim Sabellij: et S. Basilius laborat, ut S. Gregorium a Sabellianismi suspicione defendat. At expositio fidei quam Vossius edidit, Sabellium nominatim refutat, neque unquam dicit, Patrem et filium hypostasi esse unum, et sola rationis cogitatione distingui: sed contra dicit, Patrem et filium natura divinitatis esse unum et unamquamque personam per se subsistere, et aliam esse hypostasim Patris, aliam filii, etc. Praeterea expositio fidei Vossiana videtur omnino scripta contra Arianos, ac per hoc satis diu post tempora S. Gregorii Thaumaturgi: sic enim incipit, [Inimicissimi, et alieni a confessione Apostolica sunt, qui dicunt, esse filium ex non extan-

tibus.] et c. et infra, [Eos vere, qui communicant cum iis, qui reiiciunt homousion, tamquam alienum a scripturis, et qui dicunt aliquid ex Trinitate creatum esse, alienos existimamus.]

Constat autem Arianos fuisse, qui dicebant filium esse ex non extantibus, et qui reiiciebant vocem, homousion, tamquam alienam a scripturis. Quin etiam ita disputat hic auctor de Incarnatione, ut videatur refellere Nestorianos, et Eutychianos.

Eadem censura addi potest ad duodecim capitula cum anathematismis quae Gerardus Vossius S. Gregorio tribuit. Videntur enim illa capitula quasi appendix quaedam ad expositionem fidei adiuncta; ac praecipue Nestorii et Eutychetis erroribus opponuntur: qui haeretici longe post obitum S. Gregorii exorti sunt.

De sermonibus in Annunciationem, et Theophaniam Dominicam, ut etiam de libello De anima ad Titianum, nihil certi habeo, cum nec veteres horum meminerint; neque tamen convinci possit eos esse supposititios.

De s. Cornelio Papa 254.

Sanctus Cornelius Papa tempore Decii sedit, et scripsit insignes epistolas, quarum meminit sanctus Hieronymus in lib. de script. eccles. e quibus extat solum epistola ad Fabium, sive Flavianum Antiochenum Episcopum, sed non integra, apud Eusebium lib. 6. hist cap. 35. et alia brevis ad Lupicinum, tomo 1. Bibliotecae s. Patrum, et aliae duae inter epistolas s. Cypriani.

De s. Sixto Secundo.

Sixtus II. Pontifex, et martyr, dicitur scripsisse librum sententiarum, sive proverbiorum, qui citatur a s. Augustino lib. De natura, et gratia, cap. 6. 4. et extat in tomo 5. Bibliothecae s. Patrum, edit. 2.

Caeterum liber ille falso tribuitur s. Sixto martyri, cum sit Sixti philosophi ethnici, ut s. Hieronymus demonstrat in epist. ad Ctesiphontem; et in cap. 22. Hieremiae, et in cap. 18. Ezechielis: et s. Augustinus lib. 2. Retractationum, cap. 42. retractat locum citatum ex libro de natura et gratia. Denique Gelasius in concilio 70. Episcoporum reprobat librum proverbiorum sub nomine s. Sixti ab haereticis conscriptum: dicit autem ab haereticis conscriptum, quia Ruffinus eum librum plenum erroribus convertit ex graeco, et s. Sixto attribuit.

De s. Cypriano 250.

Sanctus Cyprianus vir eloquentissimus et sanctissimus, sub Valeriano et Gallieno martyrium passus est, teste s. Hieronymo in lib. de Script. Eccles. sed in Episcopum promotus fuit temporibus Fabiani Papae, et Philippi Imp. proinde sedit temporibus Fabiani, Cornelii, Lucii, Stephani, et Sixti, Pontificum Romanorum. Opera ejus multa extant, sed non omnia indubitata: primo igitur catalogum texemus operum indubitatorum.

Opera s. Cypriani, indubitata:

Epistolarum libri quatuor, quas Pamelius ordine temporum digessit, et sunt numero 83.

De habitu Virginum, tractatus unus. 1
De lapsis, 1
De simplicitate Praelatorum, sive de unitate Ecclesiae, 1
De oratione Dominica, 1
Contra Demetrianum, 1
De Idolorum vanitate, 1
De mortalitate, 1
De Eleemosyna, 1
De bono patientiae, 1
De zelo, et livore. 1
De exhortatione Martyrii 2
Ad Quirinum contra Iudaeos, libri tres,
Ad Iobaianum de baptizandis haereticis, 1
Ad Pompeium contra epistolam Stephani Papae, 1

Hos tamen duos libros Pamelius in epistolas coniecit, et sunt epistolae 63 et 74.

Sententiarum ex Concilio Carthaginensi de haereticis baptizandis. 1

Opera supposititia, vel dubia.

De monte Sina, et Sion, tractatus unus.
De revelatione capitis sancti Io. Baptistae.
Expositio symboli.
De singularitate Clericorum.
De operibus Cardinalibus Christi, sermones 12.
De laude Martyrii.
De disciplina, et bono pudicitiae.
Ad Novatianum de spe veniae lapsis non neganda.
De duplici martyrio.
De alcatoribus.
De coenae dispositione.
De duodecim abusionibus seculi.
De spectaculis.
De Iudaica incredulitate ad Virgilium.
De Iudaeis, qui insecuti sunt Christum.
Carmen, Genesis.
Carmen, Sodoma.
Carmen ad Apostatam Senatorem.
Hymnus de Pascha.
Oratio pro Martyribus, quae incipit, Agios.
Oratio altera, quae incipit, Domine sancte Pater.

Tractatus de monte Sina et Sion non habet stilum sancti Cypriani.

Tractatus de revelatione capitis sancti Ioannis Baptistae, non est sancti Cypriani, sed auctoris multo recentioris, qui in hoc ipso opere mentionem facit sanctorum Athanasii et Cyrilli: item Theodosii Imp. et Pipini Regis Francorum: et ipsa revelatio capitis sancti Ioannis Baptistae contigit sub Theodosio, ut Nicephorus testatur lib. 12. cap. 49. Itaque revelatio de qua hic agitur, facta est annis plus centum post obitum sancti Cypriani.

Expositio Symboli, non est sancti Cypriani, sed Ruffini: nomine Ruffini habetur inter opera sancti Hieronymi: et testatur Gennadius in libro de viris Illustribus, Ruffinum in explicatione Symboli ex-

celluisse: denique stilus est Ruffini non sancti Cypriani.

Tractatus de singularitate Clericorum, ubi prohibetur Clericis cohabitatio foeminarum, insignis et utilis est, et antiqui sine dubio auctoris: nonnullis videtur esse potius Origenis, quam Cypriani. Sed tamen stilus aperte reclamat; et Latinum auctorem, non Graecum esse clamat. Idem etiam stilus satis diversus est a stilo sancti Cypriani, et verba multa parum Latina admiscet, quae in Cypriano non inveniuntur, qualia sunt, inordinaliter, contubernalitas, mulcedo, passibilitas, et alia.

Sermones de operibus Cardinalibus Christi, eruditi et antiqui auctoris sunt, sed non videntur esse Cypriani. Primum enim stilus multo humilior est, quam sancti Cypriani esse soleat. Deinde in sermone de tentatione et ieiunio, docet hic auctor, Diabolum cecidisse de caelo ante hominis creationem: cuius sententiae contrarium habet sanctus Cyprianus in tractatu de zelo, et livore. Denique in prefatione sic alloquitur sanctum Cornelium Papam, [Quia, inquit, solent aliquando Patres nugis infantilibus arridere, et linguis balbutientibus delectari, indulgentiam meretur humilitas, quae quo potest accessu sublimitatis vestrae manibus se porrigit attrectandam:] haec ille. At S. Cyprianus semper Cornelium fratrem,et collegam appellabat: nec ignorabat, se non minus doctum, et disertum, quam Cornelius esset; et cum praeterea Episcopus ante Cornelium ordinatus fuisset, et in Ecclesia universa miriliee clareret; nunquam profecto scripta sua nugas infantiles appellaret: neque diceret sublimitatem Cornelii lingua balbutienti Cypriani oblectari debere.

Libellus de laude martirii ideo positus est inter opera Cypriani dubia, quoniam Erasmus dubitavit ob aliquam stili dissimilitudinem. Sed communiter admittitur inter vera opera sancti Cypriani, praesertim cum Moses, et Maximus, ad quos liber iste scribitur, in epistola ad Cyprianus,quae est 26. inter epistolas sancti Cypriani, huius ipsius libri mentionem faciant: neque stilus dissidet ab aliis operibus, nisi quod est magis elaboratus, quam aliqua alia eiusdem opera, sed non magis quam omnia. Siquidem epistola secunda, quae est ad Donatum, non cedit huic libello, et tamen illa epistola est, hic vero liber similis orationi in genere demonstrativo.

Liber de disciplina, et bono pudicitiae; et liber ad Novatianum de spe veniae danda lapsis; sancti Cypriani mihi esse videtur; quicquid Erasmus dicat, qui nimis subtiliter de stili dissimilitudine aliquando iudicat.

Liber de duplici Martyrio, sancti Cypriani esse non potest, cum auctor mentionem faciat Diocletiani, et Maximiani Imperatorum, qui nondum imperare coeperant, cum sanctus Cypriani martyrium pateretur: ac ut magis miremur qua fronte eius modi libri sub Cypriani nomine edantur, meminit hic idem auctor belli Caesarei contra Turcas.

Liber de allatoribus utilis et doctus est; sed non videtur esse Cypriani, cum in principio satis aperte significet auctor, se universali Ecclesiae praesidere, et Apostolatum gerere, super quem Christus fundavit Ecclesiam, et Christi vicariam sedem obtinere, et sibi traditas esse claves ligandi,et solvendi, etc. Itaque videtur libellus esse alicujus Romani Pontificis, qui sancti Cypriani scriptiones imitatur, quamvis stili eius elegantiam non assequatur.

Liber de coenae dispositione non solum Cypriani non est,verum neque alicuius docti hominis est. Fortasse auctor ejus Cyprianus dicebatur, sed longe diversus ab illo, de quo nunc agimus: nam neque verba, neque sententias habet homine docto dignas: sed ineptas, et ridiculas narrationes et fabellas.

Liber de duodecim abusionibus seculi. s.Cypriani esse non potest, cum passim citet scripturas ex versione s. Hieronymi: qua ratione neque s. Augustini erit, quamvis inter ejus etiam opera feratur.

Liber de spectaculis egregius est, et ad imitationem libri Tertulliani de eodem argumento conscriptus. Ratio dubitandi sitne Cypriani, an non, sola stili diversitas esse videtur.

Liber de incredulitate Iudaica ad Vigilium, nihil est aliud, nisi versio in Latinam linguam dialogi Graeci inter Iasonem Christianum, et Papiscum Hebraeum: qui Graecus dialogus antiquissimus est cum ejus meminerit Origenes lib.4.contra Celsum. Auctor autem Latinae versionis non Cyprianus, sed Celsus dicitur, ut perspicuum est ex ultimis verbis libri.

Liber de Iudaeis, qui insecuti sunt Christum, s. Cypriani non esse videtur, ob nimis magnam stili diversitatem.

De carminibus et orationibus nihil certi habeo: nam neque habemus veterum testimonia, unde probemus opera ista esse Cypriani: neque habemus argumenta, unde probemus non esse, opera sunt gravia, et docta, et s. Cypriano digna.

De s. Pontio Diacono 250.

Sanctus Pontius Diaconus s. Cypriani, scripsit insigne volumen de vita, et passione s. Cypriani, teste Sancto Hieronymo de script. eccles. Id volumen extat ad initium s. Cypriani in editione Iacobi Pamelii.

De s. Dionysio Alexandrino 250.

Sanctus Dionysius Alexandrinus Episcopus aequalis fuit s. Cypriani, sed paulo prior in Episcopatu, et paulo posterior in morte: et scripsit libros et epistolas multas, teste sancto Hieronymo de script. Eccles. Extat nunc epistola una satis brevis inter Canones Ecclesiasticos Graecorum cum annotationibus Batsamonis. Extant etiam multa et magna fragmenta operum hujus Dionysii apud Eusebium lib. 6. hist, cap. 33. et sequentibus, usque ad finem libri, et lib. 7. cap. 1. et sequentibus, usque ad 21. Extant denique alia fragmenta apud Athanasium in libro de sententia Dionysii Alexandrini, et in lib. de sententia Nicaenae Synodi. Neque de his ulla controversia est.

De s. Zenone episcopo, et martyre 260.

Ecclesia Veronensis sanctum Zenonem Episcopum veneratur, quem sub Gallieno Imperatore passum esse praedicat, et ejus sermones permultos nuper edidit. Hujus Zenonis Episcopi, et martyris nulla fit mentio apud Eusebium in hist. neque apud sanctum Hieronymum in lib. de Script. Eccles.

Primus est sanctus Gregorius, qui sanctum Zenonem Episcopum Veronae, Martyrem nominat, lib. 3. Dialogorum, cap. 19. sed de operibus ejus mentionem nullam facit. Extant suo nomine ejus sermones editi Veronae anno 1586.

De Genesi sermones,	4
De Abraham,	3
De Somnio Iacob,	1
De Ioda Patriarcha,	15
De Exodo,	11
De Praecepto, Attende tibi,	1
De Iob,	1
De Psalmis,	9
De Isaia,	6
De Martyrio Isaiae,	1
De Daniele,	9
De Iona,	1
De Evangelio secundum Lucam,	1
De Evangelio secundum Ioannem,	1
De epistola ad Corinthios,	1
De aeterna filii generatione,	3
De Adventu Christi.	1
De Nativitate Christi,	3
De Circumcisione,	1
De Fide,	1
De Fide, Spe, et Charitate,	1
De Fidei veritate,	1
De Pascha,	9
Invitatio ad fontem, 8	8
Ad Neophytos,	7
De Spirituali aedificatione,	1
De Patientia,	1
De Pudicitia,	1
De Contumentia,	1
De Iustitia,	1
De Timore,	1
De Ieiunio,	1
De Spiritu, et corpore,	1
De Avaritia,	3
De Livore, et Invidia,	1
De S. Arcadio,	?
De Resurrectione,	1

Ex his, sermo in illud, Attende tibi; et sermo in Evangelium Lucae, et sermo de ieiunio, et sermo de livore, et invidia, non sunt S. Zenonis, sed S. Basilii magni, ut notum est, tum ex stilo, tum ex communi sententia. Item sermones in Psalmos, si non omnes, certe maiore ex parte apud Hilarium inveniuntur.

De aliis non habeo, quod dicam, nisi aliquos esse brevissimos, ut sermones dici non mereantur; aliquos esse repetitiones aliorum; aliquos ita obscuros, ut intelligi nequeant; et, quod me male habet, de his sermonibus nullam extare apud veteres mentionem. Primus enim, qui eos invenit, Guarinus fuit Veronensis Orator, ante annos circiter centum: editi sunt autem Venetiis anno 1508. et postea emendatius, et pulchrioribus characteribus Veronae anno 1586. consulat Lector Card. Baronium in notis Martyrologii.

De S. Victorino Pictavionense. 270.

Sanctus Victorinus Pictavionensis Episcopus, et Martyr, S. Cypriani aequalis, vel paulo posterior, multa opera scripsit, teste S. Hieronymo in lib. de Script. Eccles. Nunc solum extat Commentarius in Apocalypsim, et de hoc ipso dubium est, an sit Victorini opus. Scribit enim S. Hieronymus in epistola praefixa Commentario Victorini in Apocalypsim, Victorinum in isto suo Commentario secutum esse errorem Chiliastarum; quod etiam scripsit in lib. de Script. Eccles. in Papia: qua de causa Gelasius Papa, Victorini opera inter apocrypha numeravit. At Commentarium, quod nunc extat sub nomine Victorini, non solum hoc errore caret, sed contra hunc errorem etiam pugnat. Hic beatus vir sub Diocletiano martyrium passus est anno Dom. 303.

De S. Methodio Episcopo, et Martyre 285.

Sanctus Methodius Episcopus Tyri claruit tempore Diocletiani Imperat. et anno eius 20. martyrio coronatus est, ex Hieronymo de Script. Eccles. Is multa scripsit, sed nunc solum extant fragmenta satis magna ex lib. eius de resurrectione adversus Origenem, apud Epiphanium haeres. 64. Extant etiam alia fragmenta apud Photium in bibliotheca. Circumfertur libellus revelationum sub nomine S. Methodii, sed suppositittius censetur.

De Dorotheo Tyrrhensi.

Dorotheus Tyrrhensis dicitur tempore Diocletiani exilium passus, et scripsisse Synopsim de vita Prophetarum, et discipulorum Christi: quae Synopsis extat in bibliotheca S. Patrum, et frequenter citatur. At huius Dorothei nullam mentionem inveni apud Eusebium, S. Hieronymum, vel Gennadium, aut etiam Io. Trithemium, qui scripserunt de viris illustribus.

Ipsa vero Synopsis plena est fabulis: consulat lector, quae iste auctor scribit in vita Abdiae, Ionae, Isaiae, Hieremiae, et Elisaei. Praeterea consulat, quae scribit in vita Iacobi Alphaei, et Clementis: et in summa sciat, ab isto numerari inter 72. discipulos Christi, omnes, qui ab Apostolo Paulo nominantur, etiamsi Ethnici fuerint, vel foeminae: et illos omnes non solum discipulos Domini, sed etiam Episcopos facere. Non meminissem libri tam fabulosi, nisi vidissem a multis citari, et non minimi fieri.

De Arnobio. 285.

Arnobius sub Imp. Diocletiano floruit, teste sancto Hieronymo de Script. Eccles. ac ut probaret, se vere sanctum esse ex pagano Christianum, scripsit libros septem contra gentes: nam octavus, qui illi operi adiunctus est, non est liber octavus Ar-

nobii, sed Octavius Felicis Minutii, de quo supra dictum est. Feruntur etiam sub nomine Arnobii Commentaria brevia in Psalmos. Sed ea non videntur esse huius Arnobii, sed alterius recentioris: nam in explicatione Psal. 108. refellit hic auctor haeresim praedestinatorum, quae tempore S. Augustini, vel postea, exorta est: et in explicatione Psal. 109. nominatim refellit Photinum haeresis Ebionitarum instauratorem. At Photinus tempore Valentiniani Imperatoris vixit, teste s. Hieronymo de Script. Eccles. quo tempore Arnobius superstes esse non poterat. Fuit enim Arnobius praeceptor Lactantii; Lactantius autem in extrema senectute vocatus est a Constantino Magno, ut Crispum filium erudiret, teste s. Hieronymo de Script. Eccles. in Lactantio. Quamvis autem Commentaria in Psalmos, non sint illius Arnobii, qui circa initia Principatus Diocletiani florebat : sunt tamen auctoris alicuius veteris, qui etiam Arnobius dicebatur, ut constat ex Commentariis Bedae in Psalmos, in quibus explicatio Arnobii non semel adducitur. Vide infra in verbo, Arnobius iunior. Feruntur etiam annotatiunculae in varios locos Evangelii;sed parvi momenti, neque certum est. an sint Arnobii.

De Lactantio Firmiano. 290.

Lactantius Firmianus, Arnobii auditor, floruit sub Diocletiano, et ad Principatum Constantini Magni in senectute pervenit, teste s. Hieronymo in libro de Script.Eccles. ubi multa eius opera recenset, quae non extant: quae autem extant haec sunt:

Divinarum Institutionum lib.	7
De Ira Dei,	1
De Opificio Dei,	1
Epitome in libros suos.	
Carmen de Phoenice,	
Aliud de Passione Domini,	
Tertium de resurrectione eiusdem, et Paschate.	

Et quidem opera omnia, exceptis carminibus, sine controversia Lactantii sunt: et quemadmodum ad eloquentiam Tullianam proxime accedunt, ita erroribus variis sic deformata sunt, ut non sine causa Gelasius Papa in Concilio Romano apocrypha censeri voluerit.

Carmen de Poenice Ethnici hominis esse videtur.

Carmen de Resurrectione, et de Paschate, ut etiam de Passione, ambiguum est, an Lactantii sint, quia nonnulli negant illius esse: et tamen non habemus certum argumentum, unde probetur illius non esse.

SAECULUM QUARTUM AB ANNO 300. AD 400.

De Constantino Magno Imperatore. 306.

Constantinus s. Helenae filius, Imperator Maximus, et felicissimus, quamvis occupatissimus in Imperio Orbis terrae gubernando, quod suscepit anno Dom. 306. et tenuit usque ad 337. scripsit tamen multas Latinas orationes, earumque magnam partem recitavit. Eusebio teste l bro 4. de vita Constantini, cap. 29. Una tantum nunc superest, scripta ad Sanctorum coetum: cuius meminit idem Eusebius lib. 4. cap. 32. de vita Constantini, atque eadem excudi solet post ipsos libros de vita Constantini. Oratio sane pulchra et luculenta de Christi adventu, et divinitate: ubi etiam, cap. 18. inferuntur carmina Sibyllae Erythraeae; quarum literae capitales reddunt hanc sententiam, [Iesus Christus, Dei filius, Servator, Crux.] Scripsit etiam idem Imperator epistolas multas, quarum aliquae extant tum in hist. Eusebij, tum in libris de vita Constantini. Sed epistolae possent fortasse tribui secretariis; sed orationes, ipsius Constantini proprio labore et studio scribebantur, ut diximus.

De Eusebio Caesariensi. 326.

Eusebius Pamphili Episcopus Caesariensis, tempore Constantini Magni floruit: scripsit plurima, ex quibus haec nunc extant:

De Evangelica praeparatione	lib. 14
De Evangelica demonstratione	10
De Historia Ecclesiastica,	4
De vita Constantini,	1
Adversus haeresem Hieroclis,	1
De Philosophorum dissensione.	1
Chronicum interprete s. Hieronymo.	

Ex his, libri de praeparatione et demonstratione Evangelica imperfecti sunt. Scripsit enim Eusebius, teste s. Hieronymo de Script. Eccles. De praeparatione lib. 15. De demonstratione lib. 20. Nunc autem illi sunt 14. isti sunt 10. Historiam Eusebii Ecclesiasticam Ruffinus vertens, libros novem confecit, quibus duos ipse addidit. Sed Io. Christophorsonus in sua interpretatione libros decem esse ostendit, quot etiam s. Hieronymus numeravit. Caeterum Ruffinus non ad verbum vertit, sed aliqua addidit, aliqua detraxit. Hanc historiam Gelasius inter apocryphos libros retulit, fortasse ob nimias laudes Origenis.

Scripsit praeterea Eusebius sub nomine s. Pamphili martyris Apologiam pro Origene: quamvis enim s. Hieronymus in libro de Script. Eccles. in Pamphilo testatus sit, a sancto Pamphilo scriptam fuisse Apologiam pro Origene: tamen idem sanctus Hieronymus lib. 2. in Ruffinum, se postea comperisse dicit, apologiam illam esse partem apologiae Eusebii pro eodem Origene, cui Ruffinus mutaverat titulum, et hoc ipsum probat testimonio Eusebii qui sanctum Pamphilum nihil scripsisse asseruit praeter epistolas aliquot.

Porro Eusebium hunc Caesariensem Arianum haereticum fuisse testatur sanctus Athanasius in libro de decretis Nicaenae Synodi: testatur sanctus Hieronymus in utroque libro adversus Ruffinum, ubi Eusebium hunc non solum haereticum Arianum, sed nunc signiferum, nunc principem Arianorum vocat: testatur septima Synodus Act. 5. ubi primum legati apostolici, deinde tota Synodus reiiciunt auctoritatem Eusebii Pamphili, tamquam haeretici Ariani. Quare mirum est, cur aliqui moderni Eusebium hunc tanto ardore defendere velint.

De Iuvenco Poeta Christiano 330.

Iuvencus presbyter scripsit Constantino Imperante libros quatuor carminum, quibus evangeli-

cam historiam complexus est. Laudat hoc opus sanctus Hieronymus tum in libro de Script. Eccles. tum in epistola ad Magnum, tum etiam in commentario ad cap. 7. Matthaei. Extant hi libri in 8. tomo Bibliothecae sanctorum patrum editionis secundae.

De sancto Antonio Abbate 330.

Sanctus Antonius Abbas eodem Imperatore Constantino floruit, scripsit quae epistolas septem lingua Aegyptiaca, sed sensu et spiritu Apostolico, ut sanctus Hieronymus testatur in lib. de Script. eccles. Extant epistolae s. Antonii in Bibliotheca sanctorum patrum. Addit Io. Trithemius in libro suo de script. Eccl. scriptos fuisse ab eodem magno Antonio duos libros sermonum, qui pariter nunc extant in Bibliotheca sanctorum patrum. Sed mirum est Trithemium non advertisse, in sermonibus illis citari Basilium, Gregorium Nyssenum, Io. Chrysostomum, Nilum, Photium, et alios. qui multis annorum centuriis posteriores fuerunt s. Antonio Abbate, de quo nos loquimur.

De S. Pachomio 340.

Sanctus Pachomius ex milite gentili Monachus probatissimus effectus, s. Antonii aequalis, et forte discipulus, scripsit regulam Monachorum, Angelo dictante, quae extat inter opera Ioannis Cassiani, Romae excusa.

De sancto Oresiesi 340.

Oresiesis Monachus aequalis s. Pachomii scripsit (Gennadio teste in libro de viris Illustribus) librum divino sale conditum, de Instructione vitae Monasticae: hic liber extat in Bibliotheca ss. Patrum, editionis secundae tomo quarto.

De sancto Machario Seniore 340.

Sanctus Macharius Senior s. Antonii discipulus, et s. Pachomii, atque Oresiesis aequalis, scripsit homilias quinquaginta ad Monachos, quae extant in Bibliotheca sanctorum patrum tomo secundo editionis secundae.

De sancto Athanasio 340.

Sanctus Athanasius Episcopus Alexandrinus, sub eodem Constantino florere coepit, et sub Valente Imperatore migravit ad Dominum, teste sancto Hieronymo de script. eccles. Opera s. Athanasii quatuor tomis continentur, nec tamen sunt omnia: meminit enim sanctus Hieronymus duorum librorum contra gentes, et libri unius contra Valentem et Ursacium, et alterius de Psalmorum titulis, et etiam de vita s. Antonii, qui tamen libri in his quatuor tomis desiderari videntur, nisi forte mutata sint nomina, ut mox dicemus.

Tomi Primi.

Oratio contra Idola,
De Incarnatione Verbi ejusque ad nos adventu.
Ad Epictetum Episcopum Corinthiorum epistola.
Expositio fidei.
Liberii Episcopi Romani ad Athanasium epistola.
Athanasii Responsio.
Ad Antiochenses epistola.
De aeterna substantia Filii et Spiritus sancti cum Deo.
Oratio quod Christus sit unus.
Ad Adelphium fratrem contra Arianos.
Orationes quatuor contra Arianos.
In hoc dictum, Ex Deo Deus est Verbum.
In hoc dictum, omnia mihi tradita sunt, etc.
Compendium e superioribus contra eos qui dicunt Spiritum sanctum esse creaturam.

Observatio in libros Primi Tomi.

Oratio contra Idola, et liber de Incarnatione Verbi, videntur esse duo libri contra gentes, quorum sanctus Hieronymus meminit. Nam initio libri de Incarnatione Athanasius dicit, se hactenus disputasse contra Idola, nunc sequi, ut disputet de Incarnatione Verbi, ut plane appareat duo illa opera esse conjuncta, et unum esse partem alterius. Utrumque autem est contra gentiles, et refertum testimoniis gentilium. Quare mirum est cur unum dicatur oratio, et alterum dicatur liber, cum utrumque sit disputatio contra Idola, et pro Christo adversus gentes.

In eodem primo tomo est quaedam expositio fidei, de qua num sit Athanasii, ambigo, tum quia diversa est a Symbolo Athanasii, nec scio cur duas expositiones fecerit; tum maxime, quia haec videtur illi contraria: in hac enim dicitur, tres personas divinas non esse tres subsistentias, seorsim distinctas: in illo autem Symbolo dicitur, alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti: et Graece, alia hypostasis, idest, subsistentia: testatur enim sanctus Gregorius Nazianzenus, Oratione in Athanasium extrema, ab Athanasio fuisse declaratum, intelligi a Latinis per nomen personae, quod a Graecis per nomen hypostasis, et graecos dicere tres hypostases; latinos, tres personas.

In eodem tomo habetur epistola Liberii Papae ad Athanasium, et responsio Athanasii ad Liberium: sed neutra videtur convenire auctori, cui tribuitur. Liberius enim ita scribit ad Athanasium, ac si dubitet de ejus fide: et jubet illum anathema dicere Sabellio et Ario: deinde addit rationem, [Ut ego securior efficiar, tuaque mandata inhaesitanter observem]. At neque credibile est, Liberium unquam dubitasse de fide s. Athanasii: neque etiam ita se illi subiecisse, ut mandata ejus obiturum se polliceretur. Adde, quod epistola, quae tribuitur Liberio incipit per, ergo, sine interrogandi nota, ut conclusio potius epistolae, quam epistola esse videatur.

Responsio quoque Athanasii non habet formam epistolae, sed simplicis confessionis fidei: neque confessio concepta est verbis satis propriis, praesertim ubi dicit, [Illa caro suspensa est in cruce, non ipse: in illa omnes humanas passiones, ut homo sustinuit, non ipse.] At negari non debet, ipsum Christum, sive etiam ipsum Deum crucifixum in

carne: sic enim loquitur sanctus Petrus, [Christo igitur in carne passo.] et [Christus passus est pro nobis:] et sanctus Paulus, [Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.] et, [numquam Dominum gloriae crucifixissent.] Sanctus vero Athanasius maxime proprie et castigate de ejusmodi mysteriis loqui solet. Proinde non videtur ejusmodi scriptio sancto Athanasio tribuenda.

Tomi secundi

Apologia ad Constantium,
Apologia de fuga sua.
Epistola ad omnes Orthodoxos.
De sententia Dionysii Alexandrini.
De decretis Nicaenae Synodi contra Eusebium.
Apologia contra Arianos secunda.
Ad Serapionem epistola.
Ad solitariam vitam agentes epistola.
Ad Iovianum Imp. epistola.
De Synodis Arimini et Selvuciae.
Ad Dracontium Episcopatum fugientem epistola.
Ad Episcopos Africae epistola.

Observatio in Tomum secundum.

In hoc secundo tomo nihil est, de quo aut ego ambigam, aut alios ambigere sciam. Illud unum admonendum duxi, quod sanctus Hieronymus in libro de script. eccles. scribit, extare etiam librum Athanasii contra Valentem et Ursacium, recte accipi posse de libro inscripto, De Synodis Arimini, et Seleuciae: in illis enim contra Valentem et Ursacium proprie scribitur.

Sunt etiam in hoc tomo duae breves epistolae post epistolam ad Iovianum Imperatorem, quae nescio cur in indice sint praetermissae.

Tomi Tertii.

De Incarnatione Verbi.
De natura humana suscepta.
De Incarnatione Christi.
De salutari adventu Christi contra Apollinarem.
Contra omnes haereses sermo.
Ad Maximum Philosophum Oratio.
In illud, profecti in pagum, invenietis pullum.
In passionem Salvatoris.
Ad Marcellinum de interpretatione Psalmorum.
De Virginitate, sive de meditatione.
Testimonia ex scriptura de naturali communione similis essentiae trium personarum.
Ad omnes ubique per Aegyptum. et Syriam, etc.
Refutatio contra hypocrisim Meletii.
De sanctissima Deipara Maria.
In passionem et crucem Domini.
Ad Serapionem Episcopum Tmusaeos epistola.
In illud, Quicumque dixerit verbum, etc.
Disputatio in Nicaeno Concilio contra Arium.
Homilia de semente.
Declaratio Levitici de diversa eiusdem rei nomenclatura.

Observatio in Tomum Tertium.

Liber qui hic dicitur, de interpretatione Psalmorum, videtur esse ille, quem sanctus Hieronymus vocat de titulis Psalmorum, in lib. de Script. Eccles. in Athanasio: nam Cassiodorus quoque eumdem librum vocat de titulis Psalmorum, id est, de varia excellentia Psalmorum.

Sermo de sanctissima Deipara, non videtur esse sancti Athanasii, sed alicuius posterioris, qui post Concilium tertium, et quartum, imo etiam sextum, floruerit: ita enim accurate disputat de unione divinae et humanae naturae in una ipostasi; nec non de appellatione Deiparae, quod Virgini ea appelatio iure conveniat, et denique de duabus voluntatibus, et operationibus unius volentis et operantis Christi; ut dubitari non possit, quin iste auctor viderit decreta Conciliorum contra Nestorium, Eutychetem, et Monothelitas. Ac (ut recte ratiocinatur Card. Baronius tomo primo Annalium ad annum Christi 48.) si hic sermo esset Athanasii, sine dubio citatus fuisset a sancto Cyrillo, et a Patribus tertiae, quartae, et sextae Synodi ad convincendos haereticos. Videmus autem non citari unquam hunc sermonem, sed libros de Incarnatione, ubi non tam aperte Athanasius loquitur. Adde, quod in hoc sermone auctor dicit, attributa Dei non esse ipsam substantiam Dei, sed circa substantiam versari: quod valde improprie dictum est, et alienum a consuetudine sancti Athanasii, qui valde considerate loqui solet. Adde ultimo, quod in explicatione vocabuli θσια, dicit vocem ϊσιαι significare qualitatem: at Graecis ισοτης est aequalitas, non ϊσια, et tota illa deductio vocis θσια a voce ισος, est levior quam ut Athanasium decere videatur.

Disputatio Athanasii cum Ario, quae in hoc tomo habetur, non est habita in Concilio Nicaeno, ut inscriptio indicare videtur; sed est habita in Monasterio aliquo, ut ex initio disputationis intelligi potest: neque est habita proprie cum ipso Ario, sed cum aliquo eius discipulo, ut perspicuum est ex illius verbis, [Derepente radice, Christo inimici Arii, bellua sub humana specie ad nos insiluit.] Neque obstat, quod postea, qui disputat, dicatur Arius: ponitur enim Arius, pro, Arianus: quo modo in eadem disputatione, non semel ponitur nomen Sabelli, pro nomine Sabelliani. Utrum haec fuerit vera disputatio, an dialogus conscriptus in personam Athanasii, et alicuius Ariani: et utrum sit ab Athanasio, an ab alio scriptus, non facile iudicari potest.

Tomi Quarti:

Quaestiones ad Antiochum Principem.
De definitionibus Theologicis.
Disputatio cum Ario Laedicaeae habita.
Exhortatio ad Monachos.
De Passione imaginis Domini.
Ad Marcum Papam epistola.
Marci Papae responsio.
Ad Serapionem de sancto Spiritu, epistola.
De unita Deitate Trinitatis, libri septem.
Synopsis totius Scripturae.

Observatio in Tomum Quartum.

In hoc tomo nihil fere est, quod vere sit Athanasii.

Quaestiones ad Antiochum, Athanasii esse non possunt; nam quaest. 23. citat auctor magnum Athanasium, et ab eo dissentit. Quaest. 108. dicit, Romanos esse Francorum genus: ex quo apparet, auctorem esse recentem. Franci enim dicuntur omnes occidentales in Regnis Turcarum. Quaest. 129. citatur sanctus Gregorius Theologus, qui tamen posterior est Athanasio. Multo minus Athanasii sunt quaestiones quadraginta sex, quae in aliis codicibus inveniuntur: nam in iis citantur ut antiqui Patres, Epiphanius, Gregorius Nissenus, et alii.

Liber de definitionibus Theologicis non videtur esse sancti Athanasii, quia in cap. de Actu, citat ad confirmandam suam sententiam sanctum Gregorium Nyssenum, his verbis, [Actus,] quemadmodum sanctus Gregorius Nyssenus inquit, [est naturalis cuiusque rei.] etc. At credibile est Gregorium Nyssenum nondum scribere coepisse, quando Athanasius obiit: obiit enim Athanasius sub Valente: Gregorius autem sub Theodosio scribere coepit, ut probabiliter colligitur ex lib. sancti Hieronymi de Script. Eccles. Scripsit enim eum librum sanctus Hieronymus anno 15. Theodosii, ut ipsemet testatur in extremo libro: et in eodem libro dicit, a Gregorio Nysseno lectum sibi fuisse librum quemdam a se compositum, ante paucos annos. Adde, quod in hoc libro de definitionibus, tam distincte loquitur auctor de duabus naturis Christi in una hypostasi, ut omnino scripsisse videatur post Concilium Chalcedonense.

Disputatio cum Ario Laodicaeae habita, non potest esse Athanasii vera disputatio: dicitur enim habita anno secundo Constantini, et tamen introducitur Athanasius diaconus disputans cum Ario presbytero: at ex historicis constat, Athanasium factum esse Episcopum Alexandrinum anno 21. Constantini Magni. Praeterea Arius obiit morte turpissima anno 31. Constantini, omnium consensu: quomodo ergo disputaturus adducitur anno secundo Constantii ? Denique in hac disputatione mentio fit Photini haeretici, quasi ab ipso Arius haereses didicisset: at Photinus posterior Ario fuit, ut ex sancto Hieronymo colligitur lib. de Script. Eccles. Denique videtur omnino haec disputatio, dialogus ille esse, quem a se scriptum fuisse Vigilius Episcopus Tridentinus testatur lib. 5. contra Eutychem.

Liber de Passione imaginis Domini, citatur in secunda Nicaena Synodo, act. 4. ubi totus hic liber legitur et recipitur sub nomine sancti Athanasii, sed non videtur esse sancti Athanasii huius, de quo nunc agimus, sed alterius multo recentioris. Scribit enim Sigebertus in Chronico, accidisse hoc miraculum anno Domini 766. eo tempore videlicet, quo quaestio agitabatur de cultu sacrarum imaginum: voluit enim hoc tam insigni miraculo Deus confundere haereticos Iconoclastas. Illud autem observandum est, illa ultima verba, cap. 7. [Haec est vera, et vehementer credula ratio de cruore lateris Domini nostri Salvatoris, qui profluxit de sancta imagine eius, quae crucifixa est in Syria in Beryto civitate: hic est sanguis ille Dominicus, qui apud plerosque repertus esse dicitur, nec aliter aestimandum est a vere Catholicis, praeter id quod scribitur a nobis, quasi ex carne, et sanguine Christi aliquid possit in mundo inveniri, nisi illud, quod in ara altaris per manus Sacerdotum quotidie spiritualiter efficitur , etc.] Ista, inquam, ultima verba non haberi in codice Graeco Concilii Nicaeni secundi: neque in versione Anastasii Bibliothecarii; sed esse addita ab aliquo, post disputationem habitam de sanguine Christi coram Pio II. Pontifice Maximo: quod etiam apparet ex varietate stili istius conclusionis a reliqua narratione. Quod autem auctor huius additionis dicit, a veris Catholicis non debere credi esse alium sanguinem Domini super terram, nisi illum, qui consecratur in altari; repugnat traditioni Ecclesiae Mantuanae, quae gloriatur habere se, de sanguine illo, qui de latere Domini fluxit; eumq; verum esse Domini sanguinem, declaratum fuisse a Leone III. Pontifice ante annos octingentos. Scribunt enim historici plurimi, ut annales antiqui Francorum, Ado Viennensis, Aimoinus, Rhegino, Abbas Urspergensis, et al i, Leonem Pontificem, Carolo Magno id petente, contulisse se Mantuam, ut de veritate sanguinis Domini miraculis multis ibi coruscante iudicaret: atque inde in Franciam ad Carolum perrexisse. Et quamvis historici non explicent qualis fuerit sententia Pontificis: tamen Card. Baronius, tomo 9. Annalium, ad annum Domini 804. scribit, Romae extare diplomata Pontificia, in quibus veritas illius sanguinis declaratur. Et certe si Pontifex illo tempore secus censuisset, tamdiu sanguis ille conservatus non fuisset. Scribit etiam Matthaeus Parisiensis in Henrico III. Angliae Rege, pag. 713. in meo codice, missum fuisse a Patriarcha Hierosolymitano vasculum cum vero sanguine Christi ad eumdem Regem, et susceptum cum incredibili celebritate, Episcopis praedicantibus, et rationem reddentibus de veritate illius sanguinis.

De epistolis Athanasii ad Marcum Papam, et Marci Papae ad Athanasium, constat ex ratione temporis, eas epistolas esse suppositilias, ut dicemus infra in observatione ad Gratianum.

Libri septem de unita Deitate Trinitatis, non mihi videntur Athanasii; quia Latine scripti videntur non ex Graeco versi, ut patet, tum ex stilo, tum quia aliquoties auctor significat, quo modo dicantur apud Graecos quae ipse Latine scripsit, ut lib. 6. [Maledictus, inquit, qui hanc Dei nativitatem ex nullis extantibus phantasma esse confitetur, quod Graeci εξ μη ονγων appellant.] et lib. 7. in ultimis verbis: [Ac per hoc, inquit, unita est Patris, et Filii, et Spiritus sancti substantia, quam Graeci dicunt ομοθσιον. Deinde refellit hic auctor nominatim Urbicum Potentinum, qui Eunomii discipulus fuit. Non videtur autem credibile, Athanasium potuisse confutare discipulum Eunomii, cum ipsum Eunomium, non Athanasius, sed Basilius, qui Athanasio iunior erat, primus confutaverit.

Praeter libros, qui in his quatuor tomis continentur, extat seorsim vita sancti Antonii, et Symbolum, quod incipit, [Quicumque vult salvus esse;] quae

sancti Athanasii opera esse vera et germana non dubitamus. Quod enim sanctus Athanasius scripserit vitam sancti Antonii testatur sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. in Antonio, in Evagrio, et in Athanasio; testatur etiam sanctus Gregorius Naz anzenus oratione in Athanasium, et sanctus Augustinus, lib. 8. confess. cap. 6. Quod autem ea, quae nunc extat, si illa ipsa, cuius meminit sanctus Hieronymus, et sanctus Augustinus, perspicuum est ex eo quod est revera insigne volumen, ut eam vocat sanctus Hieronymus, et continet magna illa miracula, quorum meminit sanctus Augustinus; et habet revelationem illam de anima Ammonis, quam ex vita a sancto Athanasio scripta referunt Palladius in historia Lausiaca cap. 8. et Socrates in hist. lib. 4. cap. 18. Neque potest contra obiici. nisi quod in hac vita non fiat mentio Pauli primi Eremitae, et aliarum rerum, quae narrantur a sancto Hieronymo in vita s.Pauli primi Eremitae. Sed responderi potest, Athanasium, non omnia, quae ad vitam s. Antonii pertinebant, assecutum fuisse, vel non omnia quae acceperat, in mentem venisse illi, cum scriberet, vel etiam noluisse omnia scribendo nimis longam orationem suam facere: alioqui si obiectio illa vim ullam haberet, possemus de Scriptoribus Evangeliorum etiam dubitare: multa enim Matthaeus et Marcus omiserunt in vita et rebus gestis Christi referendis, quae Lucas non omisit: multa quoque omisit Lucas quae Matthaeus et Marcus non omiserunt: multa denique et gravissima Ioannes scripsit, quae tres Evangelistae praetermiserunt.

De Symbolo Athanasii Ecclesia ipsa Catholica testimonium perhibet. dum illud sub nomine s. Athanasii in divinis officiis recitandum proponit: neque id facit sive veterum Patrum testimonio. Sanctus enim Augustinus tractatu in Psalm. 120. sic loquitur explicans illud, [Per diem sol non uret te] De hoc sole Pater Athanasius Alexandrinus Episcopus ita pulchre locutus est, [Filius, inquit, Dei a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.]

Tribuuntur sancto Athanasio a nonnullis commentaria in omnes epistolas s. Pauli. Sed ea Theophylacti sunt, non Athanasii.

De Serapione.

Serapion Episcopus Thmuseos a s. Athanasio ordinatus. Vir fuit s. Antonio charus, ut scribit s. Hieron. in lib. de Script. Eccl. scripsit librum contra Manichaeos, qui extat apud Henricum Canisium tomo quinto antiquae lectionis: scripsit de Psalmorum titulis, et epistolas ad diversos: teste sancto Hieronymo in lib. de Script. Eccles. Sed non videntur extare.

De Iulio Materno Firmico. 340.

Iulius Maternus Firmicus floruit tempore filiorum Constantini Magni, ad quos scripsit egregium librum de mysteriis et erroribus profanarum religionum. Extat hic liber in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo quarto.

De Lucifero Calaritano. 350.

Lucifer Episcopus Calaritanus Athanasii aequalis, ita zelo fidei catholicae ardens fuit, ut a sanctis Patribus, etiam post schisma factum, et sectam Luciferianam post se relictam, non nisi timide et dubitanter arguatur. Sanctus Ambrosius in Oratione de obitu Satyri, [Lucifer, inquit, se a nostra tunc temporis communione seiunxerat, quamquam pro fide exulavit, et fidei suae reliquit haeredes.] Sanctus Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos prope finem, [Ventum est, inquit, ad asperrimum locum, in quo adversum voluntatem et propositum meum cogor de beato Lucifero secus quicquam, quam et illius meritum, et mea humanitas possit, aestimare, etc.]

Sulpitius lib. 2. sacrae historiae, [Caeterum, inquit, Luciferi tum Antiochiae longe diversa sententia fuit: nam in tantum eos qui Arimini fuerant, condemnavit, ut se etiam ab eorum communione secreverit, qui eos sub satisfactione, vel poenitentia recepissent.] Id recte an perperam constituerit, dicere non ausim. Sanctus tamen Augustinus liberius schisma Luciferi condemnat, tum in libro de haeresibus, tum in libro de agone Christi, cap. 30.

Vide de Luciferi rebus gestis historicos, Ruffinum lib. 1. c. 30. Sulpitium lib. 2. sacrae hist. Socratem lib. 3. cap. 7. Theodoretum lib. 3. cap. 5. Sozomenum lib. 3. cap. 14. Nicephorum lib. 10. cap. 17. Historiae trip. lib. 6. cap. 23. Libri Luciferi qui extant hi sunt:

Ad Constantium Imperatorem, lib.	2
De Regibus Apostaticis,	1
De non conveniendo cum haereticis,	1
De non parcendo delinquentibus in Deum,	1
Quod moriendum sit pro filio Dei,	1
Epistola ad Florentium,	1

His additae sunt Epistolae Florentii ad Luciferum.

Item epistolae duae s.Athanasii ad eumdem Luciferum.

Item epistola Liberii Papae ad Constantium Imp.

Item epistola Athanasii ad servos Dei.

De quibus libris, vel epistolis nulla dubitatio mihi esse videtur, quin sint eorum auctorum, quorum nomina praeferunt.

Impressi sunt hi libri Parisiis anno 1568. opera Io. Tilii Episcopi Meldensis.

De Victorino Afro. 350.

C. Marius Victorinus Afer floruit tempore Constantii Imperatoris, anno quadragesimo, ut ipse testatur post Concilium Nicaenum. In senectute conversus ad fidem est, teste sancto Augustino lib. 8. confess. cap. 2. et post conversionem relictis libris Gentilium scripsit, teste sancto Hieronymo in lib. de Scriptorib. Eccles. contra Arianos, et in epistolas B. Pauli: de quo Commentario in epistolas idem Hieronymus scribit in prooemio epistolae ad Galatas, non esse admodum probandum.

Extant nunc in tomo 4. vel 8. Bibliothecae Sanctorum Patrum lib. 4. de Trinitate, Hymni tres, et carmen Heroicum de Machabaeis, quae omnia caute legenda sunt, cum auctor magis arti Rhetoricae, quam Theologiae et sacris literis operam dederit.

De Sancto Hilario. 353.

Sanctus Hilarius Pictavorum Episcopus, s. Athanasii aequalis fuit, et quamvis iam provectae aetatis Christianus factus, tamen brevi in Ecclesiastica doctrina ita profecit, ut Doctor maximus, et Ecclesiae Catholicae columna merito habitus sit. Eius opera haec extant :

De Trinitate libri	12
Adversus Constantium Augustum,	1
Ad eumdem,	1
Ad eumdem alter.	
Adversus Auxentium Arianum.	1
De Synodis adversus Arianos	1
Ad Apram filiam epistola.	
Ad eamdem Hymnus.	
In Matthaeum Commentaria.	
In psalmos aliquot explanatio.	
De Patris et Filii unitate,	1
De essentia Patris, et Filii,	1
Ad Augustinum epistolae,	2
Carmen in Genesim.	

Et quidem de libris de Trinitate; De duobus libris adversus Constantium, De libro contra Auxentium, De libro de Synodis, De Commentariis in Matthaeum, et in Psalmos, nulla dubitatio est: horum enim et meminit sanctus Hieronymus in lib. de Scriptor. Eccles. et nemo illis contradixit unquam.

De Epistola et Hymno ad Apram filiam Erasmus non solum dubitavit, sed etiam scripsit, notha esse. Caeterum Fortunatus s. Hilarii successor in vita ipsius disertis verbis scripsit, dedisse sanctum Hilarium epistolam ad Apram filiam, et totum argumentum epistolae descripsit, ut non sit dubium, hanc ipsam quae extat epistola, vere s. Hilarii esse, ut etiam hymnum adiunctum.

De epistolis ad Augustinum extra controversiam est, eas non esse Hilarii Pictaviensis, sed Hilarii alterius multo recentioris : nam et Pelagiani, de quibus in illis epistolis agitur, post Hilarii obitum exorti sunt, et ipse Augustinus ad quem scribuntur, post Hilarii excessum Christianus factus est.

Pari ratione carmen in Genesim Hilarii esse non potest, cum ad Leonem Papam scriptum sit : sed etsi hoc carmen non sit Hilarii, tamen constat ex Concilio Toletano 4. can. 12. hymnos aliquot s. Hilarii cani in officio Ecclesiastico.

De libris duobus, de Patris, et Filii unitate, et de essentia Patris, et Filii, non omnino certus sum, Hilariine an alicuius alterius sint : nam s. Hieronymus horum librorum non meminit ; et in posteriore invenitur fragmentum valde magnum ex lib. 8. de Trinitate : quae sunt argumenta, quod libri isti non sunt Hilarii, sed alterius, qui Hilarium imitari voluerit. Libri certe graves sunt, et docti, et Hilarii spiritu et eloquentia non indigni.

Una superest quaestio, an liber primus adversus Constantium Imp. sit scriptus ipso Constantio vivente, an post eius mortem. Sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. dicit, unum librum scriptum esse Constantio vivente, alterum post eius obitum : et nisi is, qui primus nunc extat, sit scriptus Constantio mortuo, nullus erit illo mortuo scriptus : nam alii duo citra controversiam scripti sunt vivente Constantio. Erasmus hoc argumento ductus, primum librum existimat scriptum esse post obitum Constantii. Cardinalis Baronius tomo tertio Annalium pag. 714. et 715. contendit omnes tres libros scriptos esse vivo adhuc Imperatore Constantio, et librum, quem sanctus Hieronymus testatur post obitum Constantii scriptum, non extare : et rationem adducit, quia sanctus Hilarius in hoc libro scribit se per hanc liberrimam confessionem tendere ad martyrium, et animat alios ad martyrium per eamdem libertatem loquendi. [Pomamus, inquit, animas pro ovibus, quia fures introierunt, et Leo saeviens circumit. Ad martyrium per has voces excamus, quia Angelus Satanae transfiguravit se in Angelum lucis. Clament pastores, quia mercenarii fugerunt.] At si iam persecutor erat mortuus, ridicula videtur Hilarii iactantia. Deinde scribit, se ita loqui cum Constantio, ut Io. Baptista loquebatur cum Herode : At Ioannes Baptista Herodi viventi, non mortuo, dicebat : [Non licet tibi habere uxorem fratris tui.] Praeterea ipse Hilarius describit tempus, quo hunc librum scripsit, et dicit, ante annos quinque missos fuisse in exilium, Paulinum, Eusebium, Luciferum, Dionysium : at illi in exilium pulsi sunt anno 19. Constantii, tempore Concilii Mediolanensis: ergo scripsit Hilarius librum illum anno Constantii 24. quo anno Constantius vivebat. Obiit enim ad initium anni 25. Sed fortasse possunt hae sententiae conciliari, si dicamus, Hilarium scripsisse librum illum ex Gallia, cum putaret, Constantium adhuc vivere, sed vere mortuus esset, constat enim ex Sulpitio, in secundo de sacra historia, et ex s. Hieronymo in Chronico, et ex ipso Card. Baronio, sanctum Hilarium rediisse in Galliam, paulo antequam Constantius moreretur : et quia res in tam remota regione gestae continuo resciri non possunt, facile concurrere potuit finis scriptionis Hilarii, cum fine vitae Constantii. Itaq; immerito Erasmus in annotationibus marginalibus irridet Hilarium, quasi Constantio minetur audacter, sed post mortem eius.

De Gregorio Baetico, et Sebadio Agennensi.

Gregorius Baeticus in Hispania, et Sebadius, sive Phegadius, sive Phebadius Agennensis in Gallia, eodem tempore, quo s. Athanasius, et s. Hilarius, adversus Arianos librum quisque suum edidit. Meminit horum auctorum et librorum s. Hieronymus in libro de Script. Eccles. et libri ipsi nunc extant in Bibliotheca s. Patrum tomo 4. Phegadii vero mirae laudes extant apud Sulpitium lib. 2. hist.

De Paciano Episcopo Barchiononensi. 360.

Pacianus Episcopus Barchiononensis obiit Theodosio imperante : et scripsit epistolas tres contra

Novatianos, quarum meminit S. Hieronymus in libro de Scrip. Eccles. Nunc vero in Bibliotheca s. Patrum, et seorsim in editione Romana anni Dom. 1564. non solum extant tres illae epistolae, sed etiam paraenesis eiusdem Paciani ad poenitentiam, et libellus de baptismo. Neque aliquid occurrit, unde de eorum librorum auctoritate dubitari possit.

De Didymo Alexandrino. 361.

Didymus Alexandrinus caecus a prima aetate dictavit opera plurima, et nobilissima, teste s. Hieronymo in lib. de Script. Eccles. Nunc solum extat liber de Spiritu sancto inter opera s. Hieronymi, quoniam eum librum idem s. Hieronymus Latinitate donavit : et expositio in epistolas canonicas in Bibliotheca s. Patrum tomo 9. extat etiam liber contra Manichaeos apud Henricum Canisium tomo quinto antiquae lectionis. Claruit sub Valentiniano et Valente Principibus. In eo reprehenditur ab ipso etiam s. Hieronymo, eius alioqui admiratore, quod Origenis errores securus sit. Vide Apologiam adversus Ruffinum.

De s. Optato Milevitano. 365.

Sanctus optatus Milevitanus Episcopus eodem tempore floruit : at egregios septem libros adversus Donatistas edidit. s. Hieronymus in lib. de Script. Eccles. sex libros ab Optato scriptos fuisse dicit : sed nunc septem numerantur, neque septimus dissentit a caeteris. Facile fuit in librum s. Hieronymi irrepsisse errorem innumeris.

De Tito Bostreno. 365.

Titus Bostrorum Episcopus vixit Imperatore Iuliano, sed obiit sub Valente, ut s. Hieronymus testatur in libro de Script. Eccles. Scripsit egregios libros contra Manichaeos, e quibus tres cum argumento quarti, editi sunt Ingolstadii anno 1604. ab Henrico Canisio, tomo quinto antiquae lectionis. Extant etiam eiusdem Titi commentaria in Matthaeum, et Lucam, impressa cum aliis quibusdam Ingolstadii apud Sartorium. Observandum est autem Commentaria in Matthaeum, et Lucam non posse esse huius Titi; quoniam auctor horum commentariorum passim citat Chrysostomum, Cyrillum Alexandrinum, et Pelusiotam, qui pueri erant cum Titus moreretur.

De s. Cyrillo Hierosolymitano. 365.

Sanctus Cyrillus Hierosolymae Episcopus sub Constantio Episcopus factus, ac saepe de sede eiectus, et sedi restitutus, tandem Theodosio Imperante obiit. Scripsit in adolescentia Catecheses, quae nunc Latine et Graece extant. Fertur etiam eius epistola ad Constantium de apparitione Crucis : cuius epistolae s. Hieronymus in libro de Script. Eccles. non meminit; sed nihil est cur improbetur.

De Apollinario. 365.

Apollinarius Laodicenus Episcopus vixit a tempore Constantii Imp. usque ad Theodosium seniorem. Vir fuit magis peritus Poeticae, et Rhetoricae, quam Theologiae : ideo in errores gravissimos incidit, atque in eum potissimum, quod in Christo non esset anima rationalis. Scripsit innumerabilia, teste s. Hieronymo, in libro de Script. et s. Basilio epist. 72. ubi dicit, Apollinarem fuisse nimis promptum ad scribendum, et mundum totum libris suis replevisse, sed libris parum considerate scriptis. Nunc solum extant Psalmi Davidis ab ipso carmine heroico descripti, et Parisiis impressi, ann. 1580.

De s. Ephrem Syro. 365.

Sanctus Ephrem Diaconus Edessenus obiit sub Valente Principe, scripsitque plurima opera, quae teste s. Hieronymo in libro de Script. Eccles. in Ecclesiis post lectionem scripturarum publice legi solebant. Editae sunt Coloniae anno 1547. Multa opera s. Ephrem, magis pia quam docta. Sed multo plura Romae a Gerardo Vossio, partim anno 1589. partim anno 1593. Sed non vacavit mihi legere, nisi sermones aliquos de compunctione, et poenitentia, et de s. Cruce, et passione Domini, et de s. Deipara, et alia quaedam; ideo iudicare nequeo an sint admixta.

De s. Basilio. 370.

Sanctus Basilius magnus Archiepiscopus Caesariensis in Cappadocia, Valente imperante floruit, et sub Gratiano obiit, ut s. Hieronymus testatur in lib. de Script. Eccles. Opera eius praeclarissima sunt, et quatuor tomis continentur in editione Basileensi anni 1540.

Tomi primi haec sunt :

In opificium sex dierum homiliae	11
In Psalmos homiliae	17
Variorum argumentorum homiliae	28
Tomi Secundi.	
De Virginitate lib.	2
De Paradiso,	1
Contra Eunomium libri	3
Contra Sabellianos et Arianos lib.	1
De Spiritu Sancto,	1
De libero arbitrio,	1
De Baptismate,	2
Tomi Tertii :	
Sermones ascetici,	7
De Iudicio Dei,	1
De confessione fidei,	1
Moralium Summae,	80
Quaestiones fuse explicatae,	55
Quaestiones compendio explicatae,	313
Constitutiones Monasticae.	
Quarti tomi :	
Epistolae Basilii, et Gregorii Theologi,	180
Epistola ad Chilonem de vita solitaria.	
Aliae eiusdem epistolae.	
Oratio adversus eos qui calumniantur, quod tres Deos dicimus.	

Observatio in Opera s. Basilii.

In primo tomo ponuntur homiliae undecim de opificio sex dierum: sed novem tantum censentur a nonnullis esse Basilii, quia sanctus Hieronymus novem tantum meminit. Duae prostremae tribuuntur Graegorio Nysseno, qui opus Basilii imperfectum perficere studuit. Sed falli videntur, qui decimam et undecimam homiliam Gregorio tribuunt, et Basilii esse negant: nam ipse Gregorius in libro suo de opere sex dierum extremo dicit quidem in supplementum operis Basilii composuisse se librum de opificio hominis, sed non duas homilias: et liber ille extat inter opera Gregorii Nysseni, sed diversus omnino ab illis duabus homiliis Basilii. Scribit s. Hieronymus in libro de Script. Eccles. homilias Basilii de opere sex dierum, esse novem: sed hoc dicit quia Basilius novem tantum initio scripsit; sed postea addidit alias duas, quarum initium est, [Veteris debiti solutionem, etc.] Vide infra in observatione in opera Gregorii Nysseni.

In secundo tomo ponitur liber unus de Paradiso: sed in editione Antuerpiensi anni 1568. ponuntur homiliae quatuor.

Item in secundo tomo ponuntur libri tres contra Eunomium: sed in editione Antuerpiensi libri quinque: et quamvis duos ultimos libros Erasmus sustulerit, ut indignos Basilio: alii tamen Basilio non indignos censent.

In tertio tomo sunt quaestiones compendio explicatae, quae non sunt indubitatae. Nicephorus enim lib. 9. cap. 16. et lib. 13. cap. 29. et Sozomenus lib. 3. cap. 13. dicunt, a multis tribui Eustachio Sebasteno Asectica Basilii: id quod de quaestionibus compendio explicatis intelligendum videtur: nam q. 1. et 95. videtur damnare traditiones, quas Basilius acriter defendit in libro de Spiritu sancto cap. 27. item q. 4. et 293. videtur tollere de medio discrimen peccati mortalis, et venialis: quod certe s. Basilio tribui non potest. Additur etiam in editione Antuerpiensi Commentarius s. Basilii in 16. capita Isaiae Prophetae: et alia quaedam minutiora, tum in ea editione, tum in aliis adduntur.

De Andrea Episcopo Caesareae.

Andreas Episcopus Caesareae Cappadociae vir doctus scripsit commentaria in Apocalypsim, quae extant in Bibliotheca s. Patrum tomo primo editionis secundae. Quando vixerit non est omnino certum: sed hoc loco eum posuimus, quia post s. Basilium Episcopus Caesariensis fuit, eumque saepe citat, et omnium consensu antiquus scriptor habetur: ex quo Arethas Caesariensis compendium suum decerpsit in Apocalypsim.

De s. Gregorio Nazianzeno. 70.

Sanctus Gregorius Episcopus Nazianzenus, cognomento Theologus, s. Basilii aequalis et studiorum comes, floruit sub Valente, et anno 11. Theodosii obiit, teste sancto Hieronymo de Script. Eccles. Multa scripsit, in quibus sapientiam cum eloquentia mirifice copulavit. Quae extant Coloniae edita, anno Domini 1570. haec sunt:

Libri scripti soluta Oratione:	
Apologetici lib.	4
Orationes ad diversos,	3
Orationes funebres,	7
Oratio in laudem Heronis Philosophi,	1
Orationes de pace,	3
Orationes sive libri de Theologia,	5
Orationes in Iulianum Imp.	2
Ad Chidonium epistolae,	2
Orationes in dies festos,	7
Tractatus de fide,	1
Tractatus de fide Nicaenae Synodi,	1
Orationes variorum argumentorum,	17
Ad Virginem exhortatio,	1
Metaphrasis in Ecclesiastem,	1
Epistolae,	80
Carmina.	
Tragaedia, Christus patiens,	1
De rebus suis,	2
De variis argumentis veteris et novi Testamenti.	9
De Virginitate insigne carmen,	1
De praeceptis a Virgine servandis,	1
Spiritualia epigrammata.	13
Sententiarum spiritualium carmine scriptarum libri	3

Observatio in opera s. Gregorii.

Oratio in laudem Heronis Philosophi, debet inscribi, in laudem Maximi Philosophi, ut testatur sanctus Hieronymus in libro de Script. Eccles. in Gregorio Nazianzeno, ubi reprehendit eos qui mutaverunt nomen Maximi in nomen Heronis.

Metaphrasis in Ecclesiastem non est Gregorii Nazianzeni, sed Gregorii Thaumaturgi, ut supra ostendimus. Tragaedia, [Christus patiens.] non videtur habere gravitatem solitam Nazianzeno, praesertim cum describitur eiulatus matris Christi, quae prudentissima et constantissima erat.

De sancto Damaso. 367.

Sanctus Damasus Romanus Pontifex anno sexto Theodosii obiit, et scripsit de Virginitate, et alia, quorum meminit s. Hieronymus in libro de Script. Eccles. Sed vera eius scripta non extant, exceptis paucis epistolis, quarum aliquae sunt inter epistolas s. Hieronymi, aliquae in historia Theodoreti lib. 2. cap. 22. et lib. 5. cap. 10. et 11. Tribuitur sancto Damaso liber de vitis Pontificum, qui extat in primo tomo Conciliorum: sed liber ille est Anastasii Bibliothecarii, non Damasi, ut notum est.

De Faustino Diacono. 367.

Faustinus Diaconus vixit tempore Damasi Pontificis, et bis schismaticus fuit semel in schismate Ursicini contra Damasum: et iterum in schismate Luciferianorum, ut testantur Gennadius de viris Illustribus, et Card. Baronius tomo 4. Annalium

ad annum Damasi I. et Syricii IV. placuit tamen eum in hoc Catalogo ponere, quoniam scripsit ad Flacillam Imperatricem libros septem contra Arianos satis eruditos, qui extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tom. 4. edit. 2.

De sancto Epiphanio. 370.

Sanctus Epiphanius Salamiae Cypri Episcopus floruit sub Valente, Gratiano, et Theodosio Augustis. Scribit sanctus Hieronymus in libro de Script. Eccles. Epiphanium anno quartodecimo Theodosii adhuc superfuisse, et in extrema etiam senectute libros scripsisse.

Opera eius haec extant:

Opus panarium contra omnes haereses, quae tunc ad octoginta numerabantur.

Liber inscriptus Ancoratus.

Anacephalaeosis, sive summa panarii.

De mensuris et ponderibus liber.

Historia brevis de Prophetarum vita.

Ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum epistola, a sancto Hieronymo Latinitate donata.

De his operibus nulla dubitatio est.

Dicitur Epiphanius scripsisse vitam s. Hilarionis: sed ea non extat.

Ad finem epistolae ad Ioannem Hierosolymitanum videtur aliquid additum ab Iconoclastis: de qua re vide controversias nostras lib. 2. de sanctis cap. 9.

De Philone Carpathio 374.

Philo Carpathius a s. Epiphanio Episcopus ordinatus est, ut in vita s. Epiphanii legitur. Scripsit Commentaria in cantica canticorum, quae extant in primo tomo Bibliothecae sanctorum Patrum, secundae editionis. Sed videntur multa inserta ex Commentario s. Gregorii Papae in cantica, quae cum reliqua explicatione non multum cohaerent.

De sancto Ambrosio Mediolanensi 374.

Sanctus Ambrosius Episcopus Mediolanensis, vir plane sanctissimus, et doctissimus, Gratiano et Theodosio Imperatoribus floruit. Obiit anno tertio post excessum Theodosii, qui erat trecentesimus nonagesimus septimus ab adventu Salvatoris; ex Card. Baronio.

Opera ejus in editione Parisiensi, anni Domini 1549. qua ego utebar cum haec scriberem, haec sunt:

Tomi Primi:

De Officiis. lib.	3
De Virginibus,	3
Ad Virgines exhortatio.	1
Institutio Virginis,	1
Ad Virginem devotam,	1
Ad Virginem lapsam,	1
De Viduis,	1
De Poenitentia.	2
Exhortatio ad Poenitentiam,	1
De Fuga seculi,	1
De bono mortis,	1

Tomi Secundi:

De Vocatione gentium. lib.	2
De fide ad Gratianum,	5
De Spiritu sancto ad eumdem,	3
De fide contra Arianos,	1
De Incarnationis Sacramento,	1
De mysterio Paschae,	1

Tomi Tertii.

Oratio funebris de obitu Valentiniani.	
Alia de obitu Satyri.	
De fide resurrectionis Oratio.	
Alia de obitu Theodosii.	
Epistolarum ad diversos lib.	10
Conciones ad populum.	92

Tomi Quarti.

Exameron, lib.	6
De Paradiso	1
De Cain, et Abel,	2
De Noe, et Arca,	1
De Abraham Patriarcha,	2
De Isaac, et Anima,	1
De Iacob, et beata vita,	2
De Ioseph Patriarcha,	1
De benedictionibus Patriarcharum,	1
De Nabute Israelita,	1
De Elia, et Iejunio,	1
De Tobia,	1
De interpellatione Iob, et David,	3
Apologia David,	1
De Salomone.	1
De iis qui mysteriis initiantur.	1
De Sacramentis,	6
De dignitate Sacerdotali,	1
Precationes ante Missam,	2
Commentarii in Psalm. 1. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 43. 45. 47. 48. 61 et 118.	
Alia David Apologia.	
De interpellatione David.	

Tomi Quinti:

In Evangelium Lucae, lib.	10
In omnes epistolas Sancti Pauli commentaria.	
De fide resurrectionis acephalus.	
Precationes piae.	
Hymni sacri.	
Canticum sanctorum Ambrosii et Augustini, quod incipit, [Te Deum laudamus.]	

Observatio in opera S. Ambrosii.

In primo tomo, Liber ad Virginem lapsam non videtur esse s. Ambrosii: nam cap. 8. sic loquitur auctor, [Inhaere poenitentiae usque ad extremum vitae, nec tibi praesumas ab humana die posse veniam dari: quia decepit te, qui hoc tibi polliceri voluerit: quae enim proprie contra Dominum peccasti, ab illo solo te convenit in die Iudicii expectare remedium.] Atqui haec sententia Novatianum errorem continet, et contra eam disputat s. Ambrosius in duobus libris de poenitentia: quos libros indicat ipse cap. 8. lib. 2 a se fuisse compo-

sitos, dum describit, quo pacto a forensi negotio ad sacerdotium repente vocatus fuerat. Petrus quidem a Soto lect. 2. de necessitate confessionis libros duos de poenitentia non audet affirmare esse s. Ambrosii: sed communiter s. Ambrosio adscribuntur.

In secundo tomo, libri de vocatione gentium, falso tribuuntur S. Ambrosio, cum manifeste S. Prosperi sint. Certe Ambrosii esse non possunt, cum lib. 1. cap. 7. et lib. 2. cap 8. disputet auctor adversus Pelagianos, qui post mortem S. Ambrosii exorti sunt.

In tertio tomo certum est aliquas epistolas et aliquos sermones non posse esse Ambrosii. Nam in epist. 84. quae est ad Demetriadem, mentio fit Pelagianorum, qui (ut paulo ante dixi) Ambrosio noti non fuerunt. Sunt etiam, qui epistolam 82. ad Vercellenses, S. Ambrosii esse negent, quod in ea fiat mentio Venetiarum, quae tempore S. Ambrosii nondum conditae erant. Sed falluntur, nam per Venetias eo loco non intelligitur civitas Venetiarum, sed regio: coniunguntur enim Venetiae cum Liguria, et Aemilia: sic enim loquitur auctor in principio epistolae [Ex omnibus Liguriae, atque Aemiliae, Venetiarumque vel caeteris finitimis Italiae partibus, etc.]

Sermones, nonus, tricesimus septimus, et septuagesimus secundus inveniuntur etiam inter sermones S. Augustini. Item sermo sexagesimus nonus, qui est de sancto Eusebio Vercellensi Episcopo, et sermo septuagesimus tertius, qui est de sancto Cypriano, inveniuntur etiam inter sermones S. Maximi, sed verbis alicubi mutatis.

Sermones vero sequentes nempe 3. 14. 30. 31. 32. 44. 47. 50. 51. 52. 53. 54. 56. 57. 58. 60. 61. 62. 66. 71. 77. 78. et 82. sunt ad verbum inter sermones S. Maximi, ut plane iudicari non possit, utrum Ambrosio, vel Maximo tribui debeant. Sed cuiuscumque sint,antiqui et Sancti auctoris sunt.

Sermo nonagesimus de passione B. Agnetis dubius redditur, quoniam sanctus Ambrosius lib. 1. de Virginibus significat. Beatae Agneti cervicem gladio amputatam. [Stetit, inquit, oravit, cervicem inflexit.] At illius sermonis auctor scribit, B. Agneti ad palum alligatae, ut combureretur, cum flamma divinitus extincta esset, iussu Aspasii iudicis gladio guttur fuisse perfossum.

Sermo quoque nonagesimus secundus de baptismo S.Augustini,longissime distat a stilo et gravitate Ambrosii: neque ullo modo credibile est, quod in eo sermone dicitur, Ambrosium saepe Deum orasse, ut eum a captionibus Augustini liberaret. Augustinus enim non disputando cum Ambrosio, sed cum concionantem audiendo, ad fidem Catholicam conversus est, ut ipse idem testatur lib. 5. confess. cap. 13. et lib. 6. cap. 1.

In quarto tomo Apologia David posterior, et liber etiam posterior de interpellatione David, non videtur esse Ambrosii tum quia stilus diversus est, et iam antea scripserat Ambrosius Apologiam David, et libros tres de interpellatione, quorum tertius est de interpellatione David; tum quia auctor posterioris Apologiae negat, adulterium David fuisse verum adulterium, et allegorice interpretandum censuit: Ambrosius autem in vera Apologia sua peccatum adulterii confitetur, sed laudat poenitentiam.

In Quinto tomo, sunt commentaria in epistolas S. Pauli, quae a multis non creduntur Ambrosii; nec sine causa.

Primo, quia S. Augustinus, qui libenter et frequenter Ambrosii testimoniis utitur contra Pelagianos, ex his commentariis nulla testimonia petit.

Secundo, quia Pelagius ipse, qui Ambrosii testimonia S. Augustino obiicere solet,ex his commentariis nihil obiicit; cum tamen in his commentariis sint non pauca quae Pelagii errores continere videntur, ut perspicuum est commentariis in epistolam ad Romanos.

Tertio, quia auctor horum commentariorum multa exponit contra sententiam s. Ambrosii, quod plane perspiciet, qui conferre voluerit illud Philip. 2. [Qui cum in forma Dei esset:] explicatum in commentario huius auctoris, cum explicatione Ambrosiana in epist. 47. et lib 2. de fide cap. 4. et illud 1. Timoth. 1. [Regi seculorum immortali:] explicatum in commentario huius auctoris, cum expositione Ambrosiana lib. 2. de fide cap. 1. et 3. et lib. 3. cap. 2.

Quarto, quia s. Augustinus lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 4. citat s. Hilarium in expositione illorum verborum ad Rom.5.[in quo omnes peccaverunt:] et sententia, quam sanctus Augustinus citat, habetur totidem verbis in commentario huius auctoris: non igitur auctor huius commentarii, est Ambrosius, sed Hilarius aliquis. non est autem auctor huius operis s. Hilarius Pictaviensis, aut Hilarius Atelarensis: nam iste auctor vixit tempore Damasi, ut ipse testatur in Commentario ad caput 3. prioris ad Timotheum: tempore autem Damasi Hilarius Atelarensis, aut natus non erat, aut adolescens erat: sanctus autem Hilarius Pictaviensis obiit anno quinto Valentiniani Imp. ex Hieronymo in Chronico: annus autem quintus Valentiniani erat secundus Damasi: non est autem credibile, in extrema aetate tam ingens opus cudisse Hilarium; et stilus Hilarii cum stilo huius auctoris nihil simile habet: Hilarius vero Atelarensis post Damasi tempora floruit. Credibile igitur est auctorem horum commentariorum esse Hilarium Diaconum Romanum, qui Luciferi schisma propagavit, et libros etiam non paucos scripsit, ut sanctus Hieronymus testatur in dialogo contra Luciferianos extremo. Neque mirum est, hunc Hilarium a sancto Augustino, sanctum Hilarium vocari, cum nuncupatio Sancti, tunc satis communis fuerit Christianis, praesertim Ecclesiasticis.

Postremo accedit, quod idem videtur esse auctor horum commentariorum, et quaestionum veteris et novi testamenti, quae extant inter libros sancti Augustini: doctrina enim horum Commentariorum et illarum quaestionum, simillima est, ut notaverunt Censores Lovanienses in notis ad Augustinum: stilus videtur etiam esse idem, et aetas mirifice consentit: auctor enim illarum quaestionum quaest. 44. scribit, ab excidio Hierosol. usque ad sua tempora fluxisse annos trecentos:quibus si addas annos a Nativitate Christi usque ad excidium Hierosol.erunt om-

nes anni 372. vel 373. ut ex Chronico s. Hieronymi apparet. Hoc eodem tempore sedisse Damasum Pontificem, sub quo auctor horum commentariorum scripsisse se memorat in explicatione capitis primi epistolae prioris ad Timoth. notissimum est.

Quod si auctor horum commentariorum idem sit cum auctore illarum quaestionum, plane efficietur auctorem horum commentariorum non esse Ambrosium. Ambrosius enim nihil scripsit antequam Episcopus fieret, neque factus est Episcopus ante annum Dom. 374. ut Card. Baronius in Annalibus docet. Ille autem auctor cum scriberet, numerabat annum Dom. 372. vel 373. ut supra diximus.

In eodem tomo sunt hymni sacri ex quibus aliqui certo sunt Ambrosii, ut ille, [Deus creator omnium, Polique rector vestiens, etc. cuius meminit s Augustinus lib. 9. confess. cap. 12. et ille, [Aeterne rerum conditor, Noctem diemque qui regis, etc.] cuius meminit idem Augustinus lib. 1. Retract. cap. 21. Aliqui certo non sunt Ambrosii, ut ille, [Vexilla Regis prodeunt:] qui est Fortunati, et alii quidam, in quibus non servatur ratio metrica, quae Ambrosio notissima erat, eiusmodi est ille, [Optatus votis omnium Sacratus illuxit dies, Quo Christus mundi spes Deus Conscendit caelos arduos.] et ille, [Christe, qui lux es, et dies, Noctis tenebras detegis, etc.] Isti enim indigni videntur qui Ambrosio tribuantur. Canticum, [Te Deum laudamus.] Ecclesia in divinis officiis, Ambrosii et Augustini canticum vocat: et extat Chronicum s. Dacii Episcopi Mediolanensis, qui Iustino imperante floruit, in cuius Chronici libro primo cap. 10. scribitur, completo baptismo s. Augustini, toto obstupescente populo, repente canticum illud a sanctis Ambrosio et Augustino alternatim fuisse cantatum.

Praeter opera supra scripta, In editione Romana anni 1585. adduntur opera quaedam s. Ambrosio adscripta, quamvis eius non sint, ut commentarius in Apocalypsim, et alia quaedam: et recte dicuntur ea opera non esse s. Ambrosii; ac praesertim explicatio Apocalypsis, cum auctor mentionem faciat Longobardorum Italiam invadentium invasio diu post mortem s. Ambrosii contigit.

De s. Philastrio Brixiensi 380.

Sanctus Philastrius Episcopus Brixiae, tempore s. Ambrosii vixit, ut s. Augustinus testatur initio libri de haeresibus ad Quod vult Deus: scripsit librum de haeresibus usque ad sua tempora; qui liber extat in Bibliotheca s. Patrum secundo edita, tomo 4. Sed illud est observandum, multa a Philastrio inter haereses numerari, quae vere haereses non sunt: proinde cum prudentia legendus est. Quod autem in haeresi 65. meminit anni Dom. 430. mendum est typographorum: nam ad eum annum hic auctor non pervenit.

De Idacio Claro 380.

Idacius, sive Ithacius Clarus, Episcopus Hispanus, de quo multa Sulpitius in historia sacra, cum de Priscilliano agit: scripsit libros tres adversus Varimandum Arianum, qui extant in bibliotheca s. Patrum tomo 4. edit. 2. scripsit etiam Apologeticum adversus Priscilliani haereses, teste Isidoro de viris Illustribus cap. 15. quem librum extare non puto. Vixit circa annum Dom. 380. et in eo reprehensus, et punitus ab episcopis fuit, quod Priscillianum apud seculares iudices accusaverit, et occidi curaverit.

De s. Gregorio Nysseno 380.

Sanctus Gregorius Nyssenus Episcopus, S. Basilii frater, vivebat adhuc, et scribebat anno 14. Theodosii, teste s. Hieronymo lib. de script. eccles. Interfuit Concilio primo Constantinopolitano, et scripsit Symbolum fidei in ea Synodo editum, ut refert Nicephorus lib. 12. hist. cap. 13.

Ejus opera ex editione Basileensi anni 1562, haec sunt:

Epistola de nomine Christiani.
De Oratione Dominica lib.
De octo beatitudinibus in cap. 5. Matth. 1.
Sermones, de Nativitate.
De s. Stephano.
In sextum psalmum.
De octava.
De Pascha.
De Christi Assumptione.
De Trinitate, et quod Spiritus sanctus sit Deus.
De eo, quod non sint tres Dii.
De differentia essentiae, et hypostaseos.
De fide Trinitatis.
In dictum Apostoli, tunc ipse filius subiicietur ei.
De Dormientibus.
De Infantibus praematurе raptis.
De Resurrectione Orationes 4.
De Assumptione Domini.
In dictum Domini [Quatenus fecistis uni ex minimis his, mihi fecistis.]
De Anima et resurrectione disputatio.
De Trinitate contra Judaeos.
De sancto baptismate.
Orationes laudatoriae in Basilium.
In 40. martyres.
In Pulcheriam.
In Placillam.
In Gregorium Neocaesariensem.
In Theodorum martyrem.
In Meletium.
De imagine, sive de creatione hominis, supplementum exameron Basilii.
De philosophia, lib. 8
De vita Mosis. 1

Prima observatio in opera s. Gregorii Nysseni.

Deesse videntur in hoc librorum catalogo libri in Eunomium, quorum meminit sanctus Hieronymus in libro de script. Ecclesiast. Neque dici potest, contra Eunomium scriptum esse librum de Trinitate, et, quod Spiritus sanctus sit Deus: nam hic est libellus, non libri plures: et in hoc libello Eunomius ne nominatur quidem. Audio, ex Bavarica Bibliotheca depromptos Graece libros duode-

cim contra Eunomium, cosque latinitate donatos a Patre Iacobo Gretsero nostro, de literis, et quod est longe amplius, de Ecclesia Catholica optime merito. Hi sunt igitur libri, quos commemorat s. Hieronymus, et sibi ab ipso Gregorio lectos fuisse dicit.

Secunda observatio.

Praeter libros supra numeratos extant ex editione Parisiensi anni 1573.
In Ecclesiasten conciones octo.
In Cantica canticorum explanatio.
De perfecti hominis Christiani forma.
Catechetica Oratio, quae dicitur magna.
In eos, qui differunt baptisma.
De fugienda fornicatione.
In eos qui aegre ferunt reprehensiones.
In mulierem peccatricem.
De Pauperibus amandis.
De vera Virginitate.
Ad Flavianum epistola.

Tertia observatio.

Libri octo de Philosophia non videntur esse s. Gregorii Nysseni: nam in lib. 2. docet, animam non creari in corpore, sed ante corpus fuisse creatam; qui est error Origenis: et praeterea totum hoc opus philosophicum est, et sapit Pelagianismum. Adde quod hoc idem opus invenitur in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo nono, ex editione secunda, sub nomine cujusdam Nemesii Philosophi Christiani: eo solum excepto, quod apud Nyssenum dividitur in octo libros apud Nemesium est unus liber divisus in capita 45. et inscribitur, De homine sive de anima. Hic autem Nemesius, quando scripserit, ignoratur, sed quia nominatim refellit Manichaeos, Apollinarem, et Eunomium, videtur vixisse, et scripsisse tempore s. Gregorii Nysseni, aut certe non antea.

Quarta observatio.

Posset ab aliquo quaeri, cur Gregorius scripserit de creatione hominis ad supplendum exameron Basilii, cum ipse Basilius suppleverit opus suum, addens decimum et undecimum homiliam, in quibus creationem hominis satis copiose explicat. Respondemus, Basilium in duabus illis postremis homiliis absolvisse explanationem divinae scripturae de opere sex dierum; sed non accurate disputasse de tota structura corporis humani, imo vero solum attigisse ea quae ad oculos pertinent, ut ex illis caetera colligerentur. Itaque in homilia postrema aperte indicat, se non omnia dixisse, quae dici potuissent, cum ait, [Si mihi tantum superesset otii, ut tibi hominis structuram demonstrare possem, ex te ipso sane disceres sapientiam Dei circa te.] Gregorius igitur ex his et aliis Basilii verbis occasionem accepit scribendi libri de creatione hominis, libri, inquam, longissimi, in quo suppleret ea quae Basilius omisit, de voce, de auribus, de manibus, de aliis denique membris, vel sensibus, quae structuram humani corporis admirabilem reddunt.

Quinta observatio.

Haeretici, qui peregrinationes ad loca sancta reprehendunt, nituntur maxime Oratione quadam valde prolixa sancti Gregorii Nysseni, quam totam referunt Magdeburgenses centuria quarta cap. 10. Sed eam orationem non invenimus hactenus inter opera s. Gregorii Nysseni. Neque argumenta, quae inde colligunt haeretici, aliquid probant, ut nos aperte ostendimus in controversiis lib. 3. de Sanctis cap. 8.

De amphilochio 380.

Amphilochius Iconii Episcopus s. Gregorii aequalis, quem s. Hieronymus in epistola ad Magnum parem doctrina sacra et prophana facere videtur Basilio, et Gregorio Nazianzeno, cum de his tribus viris dicit, non facile judicari posse, quid in illis primum admirari debeas, eruditionem seculi, an scientiam scripturarum.

Scripsit librum de Spiritu sancto, et homilias non paucas: de priore libro testis est sanctus Hieronymus in lib. de script. eccles. De homiliis testis est Theodoretus, qui eas in dialogis frequenter citat.

An hoc tempore extent liber de Spiritu sancto, et homiliae, quas Theodoretus citat, equidem certo scire non potui.

Extat quidem sub nomine Amphilochii vita s. Basilii Magni, sed haud dubio falsa, vel supposititia. Primum enim narrat ille auctor fasilium factum Episcopum ante mortem Iuliani. Quod repugnat historiis, et ipsi s. Gregorio Nazianzeno in oratione de s. Basilio. Deinde narrat auctor, sanctum Basilium ostensum fuisse per revelationem Eusebio Caesariensi, cum antea eum non posset. Quod etiam falsum esse certum est, ex eo, quod Nazianzenus scribit, Eusebium cum Basilio de Episcopatu contendisse, et ea de causa inimicum Basilio factum. Tertio constat, sanctum Basilium obiisse anno ultimo Valentis Imper. et octo annis Episcopatum administrasse: ex Gregorio Nazianzeno, et aliis: proinde Episcopum factum anno sexto Valentis: at juxta supposititium Amphilochium Basilius, vel sedisset annis quindecim, vel ante mortuus esset, quam Episcopus fieret, si vivente Iuliano iam Episcopus erat.

Omitto multa alia, quae perperam narrantur in illa vita tum de Libanio, tum de aliis.

De s. Hieronymo 390.

Sanctus Hieronymus presbyter et Ecclesiae doctor floruit anno quartodecimo Theodosii, ut ipse de se testatur in libro de script. eccles. extremo. Obiit Honorio imperante anno Domini 422. aetatis suae anno 91. ex Chronico s. Prosperi, vel anno Dom. 420 aetatis anno 78. ex Annalibus Card. Baronii. Opera sancti Hieronymi novem tomis conti-

nentur in editione Lugdunensi anni 1530. In editione vero Romana anni 1565 et 1572. Mariani Victorii idem est tomorum numerus, sed quae prior editio conjecerat in quartum tomum, editio posterior conjecit in octavum et nonum: et quae editio prior collocaverat in tomis quinto, sexto, septimo octavo, et nono: posterior collocat in quarto quinto sexto et septimo. Nos sequemur ordinem editionis posterioris, quae ab erroribus Erasmi purgata est.

Igitur in primo tomo haec opera insunt,

Primi Tomi:

Epistolae hortatoriae, ut plurimum, 42.
Ad Heliodorum.
Ad Rusticum.
Ad Lactam.
Ad Salvinam.
Ad Ageruchiam duae.
Ad Paulinum.
Ad Paulam et Eustochium nomine Marcellae.
Ad Marcellam tres.
Ad Paulum Concordiensem.
Ad Theophilum Alex.
Ad Castrutium.
Ad Exuperantium.
Ad Iulianum Diaconum.
Ad Virgines Hermonenses.
Ad Ruffinum.
Ad Chromatium et alios.
Ad Antonium.
De vitando suspecto contubernio.
Ad Sabinianum Diaconum.
Ad Nepotianum.
Ad Florentium duae.
Ad Demetriadem.
Ad Furiam.
Ad Gaudentium.
Ad Celantium.
Ad Eustochium duae.
Ad Lucinium.
Ad Abigaum.
Ad Iulianum.
Ad Castorinam.
Ad Theodosium Monachum.
Ad Augustinum.
Ad Nicaeam Diaconum.
Ad Chrysogonum.
Ad Rusticum.

In eodem tomo sunt epistolae laudatoriae, sive funebres, num. 12.

In Nepotianum.
In Marcellam.
In Blesillam.
In Asellam.
In Leam.
In Paulam.
In Lucinium.
In s. Paulum.
In Malchum.
In s. Hilarionem.
In mulierem septies ictam.

Denique ad finem primi tomi est liber de script. ecclesiast. sive de viris illustribus.

Observatio in primum tomum.

In hoc primo tomo nihil est, de quo merito dubitari possit.

Secundi Tomi.

In 2. Tomo libri sunt contra haereticos, vel calumniatores.

Adversus Helvidium, liber 1.
Adversus Iovinianum, lib. 2.
Apologia pro libris in Iovinianum.
Apologeticum ad Domnionem.
Ad Pammachium pro iisdem libris.
Adversus Vigilantium ad Riparium epistola.
Adversus Vigilantium, liber 1.
Ad Marcellam adversus Montanum epistola.
Adversus Luciferianos Dialogus.
Ad Avitum contra Origenem.
Ad Ioannem Hierosolymitanum Origenistam.
Ad Pammachium de erroribus Io. Hierosol.
Ad Theophilum contra eumdem Ioannem.
Apologiae adversus Ruffinum, lib. 3.
Ad Ctesiphontem adversus Pelagium.
Adversus Pelagianos, lib. 3.
Ad diversos diversorum argumentorum epistolae triginta: necnon epistolae Epiphanii, Theophili, et Augustini.
Ad Hieronymum epistolae octo.

Observatio in secundum Tomum.

In hoc etiam tomo nihil est dubium, vel suppositilium.

Tertii Tomi.

In tomo tertio sunt praefationes, et quaestionum explicationes.

Ad Paulinum de libris divinae scripturae.
Praefationes in Pentateuchum.
In Iosue.
In Libros Regum.
In librum Paralip. 2.
In Esdram.
In Tobiam.
In Iudith.
In Esther.
In Iob.
In Proverbia.
In Ecclesiastem.
In Cantica.
In Isaiam.
In Hieremiam.
In Ezechielem.
In Danielem.
In 12. Prophetas.
In quatuor Evangelia.

Sequuntur in eodem tomo explicationes quaestionum a diversis propositarum.

A Damaso.
A Dardano.
A Vitali.
Ab Amando.

A Minerio, et ab Alexandro.
A Cypriano.
A Paula Urbica.
Ab Evagrio.
A Marcella.
A Sophronio.
Ab Hedibia.
A Principia Virgine.
A Fabiola.
A Ruffino.
A Sunia, et Fretella.
Ab Algasia.
A Paulino.
A Desiderio.

Denique sunt in eodem Tomo.

Traditiones, sive quaestiones Hebraicae.
In Genesim.
In libros Regum.
In libros Paralipomenon.

Item libri, de locis Hebraicis, et de nominibus Hebraicis, quae in omnibus libris testamenti veteris et novi occurrunt.

Observatio in Tomum tertium.

In hoc tomo nihil est, de quo dubitetur, exceptis quaestionibus in libros Regum, et in libros Paralip. Sanctus enim Hieronymus in lib. de Script. Eccles. extremo, testatur, se scripsisse traditiones sive quaestiones Hebraicas in Genesim, loca Hebraica, et nomina hebraica: et de traditionibus, sive quaestionibus hebraicis in libros Regum, et in libros Paralip. nihil dicit: praeterea in quaestionibus hebraicis in Genesim adscribit idem Hieronymus passim verba Hebraica; in quaestionibus autem in libros Regum, et Paralip. nonnisi semel, aut iterum id facit. Denique gravior videtur scriptio illa in Genesim, quam ista in libros Regum, et Paralipomenon, sed cujuscunque sit hoc opus, non magni refert.

Quarti Tomi.

In 4. tomo sunt commentaria in quatuor Prophetas majores, et Threnos Hierem.

Quinti Tomi.

In quinto tomo sunt commentaria in Ecclesiasten: et in duodecim Prophetas minores.

Sexti Tomi.

In tomo sexto commentaria in Matthaeum, in epistolas ad Galatas, ad Ephesios, ad Titum, ad Philemonem. Liber Didymi de Spiritu sancto a Hieronymo Latinus factus.

Observatio.

In his tribus tomis omnia sunt legitima, et certa quod attinet ad auctorem, excepto Commentario in threnos Hieremiae, qui videtur esse potius Rabani, quam Hieronymi: habetur enim inter opera Rabani et inveniuntur in eo sententiae aliquae ex sancto Gregorio decerptae.

Post commentarium in Matthaeum, sequebatur Commentarium in Marcum; quod Marianus prudenter omisit, quia auctor ostendit, se neque Graecae linguae neque Hebraicae fuisse peritum: et in explicatione cap. 14 et 15 multa scribit inepta et falsa.

Septimi Tomi.

In tomo septimo Commentaria in Psalmos omnes.
Versio s. Hieronymi ex Hebraeo.

Observatio.

De commentariis in psalmos obscura quaestio est: scripsit sanctus Hieronymus in psalmos septem, videlicet in psal. 14. 15. 16. 17. 18. 19. et 20. ut ipse testatur in lib. de Script. Eccles. Deinde scripsit in psal. 44. 89. et 126 36. ut notum est ex Epistolis eius ad Principiam, ad Cyprianum, et ad Marcellam. Scripsit denique Commentariolos in omnes Psalmos, ut ipse idem testatur in Apologia prima contra Ruffinum. Certum est primos tractatus in psalmos septem, periisse: non minus certum est, explicationem trium psalmorum, esse sancti Hieronymi, et extare inter epistolas. De Commentariolis quaestio est, an sint ista Commentaria, quae sub nomine sancti Hieronymi extant in hoc septimo tomo. Quod enim sint ista ipsa Commentaria, quae nunc extant, probari potest, primo ex eo, quod sanctus Hieronymus in Apologia prima contra Ruffinum, scribit, se in Commentariolis illis vertisse verba Hebraica, nassecubar.] quae habentur in secundo Psalmo, [adorare filium.] eadem autem verba in interpretatione Psalterii de Hebraeo in Latinum, vertisse, [adorate pure:] et utramque lectionem defendit. Atqui in istis Commentariis, de quibus agitur, invenitur. [adorate filium:] et in interpretatione ex Hebraeo invenitur.] adorate pure:] igitur sicut interpretatio Psalterii ex Hebraeo, quae extat est sancti Hieronymi; ita et commentaria quae extant, eiusdem sunt Hieronymi. Deinde probari potest alio simili argumento ex sancto Augustino: sanctus enim Augustinus in epistola ad Fortunatianum citat verba sancti Hieronymi exponentis Psalmum nonagesimum tertium: et verba illa omnia inveniuntur in Commentario isto, ut non videatur posse esse dubium, quin sanctus Augustinus citaverit Commentaria ista sub nomine sancti Hieronymi. Accedit tertium argumentum ex testimonio sancti Gregorii, qui explicans verba illa Psal. quarti poenitentialis. [Cor contritum, et humiliatum Deus non despicies:] allegat sanctum Hieronymum exponentem eumdem locum: et expositio illa in his Commentariis invenitur: proinde testimonio sancti Gregorii, haec ipsa Commentaria sancti Hieronymi esse videntur. Contra tamen sunt argumenta non minus probabilia. Nam hic auctor in explicatione Psal. sextidecimi. disertis verbis citat Eucherium:

Eucherium autem, qui ex scriptis notus est, multis annis sanctus Hieronymus praecessit: neque in libro de Script. Eccles. ullius Eucherii sanctus Hieronymus meminit, cum tamen nullum fere praetereat ex maioribus vel aequalibus suis. Deinde hic idem auctor in explicatione Psal. 108. scribit, suo tempore fuisse annum quadrigentesimum ab excidio Hierusalem, in quo coepit ultima captivitas Iudaeorum: excidium autem Hierusalem contigit anno quadragesimo secundo post passionem Domini, ut idem auctor ibidem affirmat: quibus annis si addamus annos triginta tres vitae Christi, erunt omnes simul anni 475. Igitur auctor horum Commentariorum vivebat anno Domini 475. Atqui sanctus Hieronymus obiit anno Domini 422. ut supra dictum est. Accedit tertium argumentum, quod hic auctor in explicatione Psal. 86. dicit. illa verba, [Numquid Sion dicet homo:] esse ex Hebraica veritate: et tamen in translatione Psalterii ex Hebraeo sanctus Hyeronymus vertit, [Ad Sion dicetur homo:] et vere sic est in Hebraeo, ut videatur auctor horum Commentariorum non calluisse linguam Hebraicam, ac per hoc non esse Hieronymus, qui eius linguae, sine controversia, peritissimus erat. Ac (ut omittam alia multa) s. Hieronymus in Apologia prima contra Ruffinum scribit, se Commentariolos confecisse in Psalmos: auctor autem horum Commentariorum in quorumdam Psalmorum explicatione longissimas disputationes vel cohortationes adiungit. Vide Commentaria in Psal. 81. 86. 32. 133. et secundam expositionem Psal. 119. quae habetur ad finem ultimi tomi: isti enim Psalmi brevissimi sunt et Commentaria habent fusissima. Ego igitur (si mihi liceat sententiam meam exponere) existimo, Commentaria, de quibus agimus, vere esse sancti Hieronymi, sed non pura. Videtur enim aliquis longe posterior scriptor adiunxisse multa de suo: quod idem accidit versioni Scripturarum ex Hebraeo, quam habemus in editione vulgata: est enim versio ipsa sancti Hieronymi, exceptis Psalmis, in editione vulgata, sed multis additis, ut ostendi in Controversiis, l. 2. de Verbo Dei. c. 9. extremo: sic igitur Commentaria ista Hieronymi sunt, sed aucta ab aliquo, qui multa inseruit ex Hilario ex Ambrosio, ex Ruffino et ex Augustino; et quia etiam adiecit cohortationes, sive conciunculas, quae habentur interdum ad finem: et qui ista adiecit, videtur vixisse anno Domini 475. ut etiam facile Eucherium citare potuerit. Atque ex hac observatione solvuntur omnia argumenta, quae nos paulo ante adduximus, quaeque ab aliis Scriptoribus adducuntur. Illud unum videtur solvi non posse, quod hic auctor dicat, secundum Hebraicam veritatem haberi in Psal. 86. [Numquid Sion dicet homo.] Respondemus tamen, vocem illam, (Hebraicam,) irrepsisse in textum, scioli alicuius temeritate, et omnino abradendam esse: auctor enim dixerat, alicubi legi, [Mater Sion.] alicubi, [Numquid Sion:] et addidit, in textu Graeco haberi μητι, id est, [numquid.] sed ab aliquo mutatum est in μητηρ, id est, [mater:] et se velle utroque modo exponere: et cum exposuisset, [Mater Sion,] addit, exponamus nunc secundum Hebraicam veritatem, quae habet, [Nunquid Sion:] ubi illud, Hebraicam, supervacaneum est: et legendum videtur, exponamus nunc secundum veritatem, quae habet, [Numquid Sion.] Illud enim [mater Sion] non est secundum veritatem Graeci textus, sed secundum corruptionem: in illis enim Commentariis sanctus Hieronymus exponit Psalterium secundum versionem Graecam 70. Interpretum, non secundum versionem ex Hebraico.

Octavi Tomi.

In tomo octavo haec sunt:
In Iob Commentaria Bedae.
In Proverbia Commentaria Bedae.
In Cantica Homiliae Origenis.
In omnes Pauli epistolas Commentaria falso attributa Hieronymo.

Observatio.

Recte Marianus Victorius Commentaria in Iob non tribuit sancto Hieronymo, sed Bedae: nam in extremo volumine scribit auctor, se scripsisse in gratiam Vecterii: Vecterium autem Episcopum fuisse in Anglia tempore Bedae, ex historia eiusdem Bedae manifeste colligitur.

Recte quoque Commentaria in Proverbia tribuuntur Bedae, non autem Hieronymo: siquidem in caput 21. et 31. citatur sanctus Gregorius Papa: et in capite 30. citatur nominatim sanctus Hieronymus.

Commentaria in omnes Epistolas, non solum non sunt Hieronymi, sed, quod magis mirum est, Pelasii haeresiarchae sunt. Nam sanctus Augustinus, lib. 3. de peccatorum meritis. et remiss. cap. 1. dicit se legisse Commentaria Pelagii brevia in omnes epistolas Pauli: et infra cap. 12. allegat quaedam ex Commentario in caput 7. prioris ad Corinth. quae in his Commentariis inveniuntur. Vide auctorem horum Commentariorum, in caput 5. 6. 7. et 8. et 11. ad Romanos; item 1. Cor. 4. Philipp. 1. et 3. et in caput 6. prioris ad Timoth. et invenies sententias manifeste Pelagianas.

Noni Tomi.

In Tomo nono sunt multa aliorum, ut Eusebii Caesariensis, Ruffini, Augustini, Gennadii, et aliorum, de quibus nullum est dubium.

Plurimi etiam libri, vel epistolae ponuntur, quas Erasmus tamquam supposititias in tomum quartum coniecerat. Vere enim nihil horum est, quod Hieronymi doctrina vel fide sit dignum. Ego solum ea commemorabo, quae manifeste comperi ad Hieronymum non pertinere.

Epistola ad Demetriadem Virginem, quae incipit, [Si summo ingenio;] Pelagiana est, et a sancto Augustino tribuitur ipsi Pelagio, et confutatur in lib. de gratia Christi, cap. 22. 27. 37. 38. et 40.

Epistola ad Geruntii filias, similiter Pelagiana est: sicut etiam.

Epistola ad amicum de cognitione divinae legis.

Epistola de Scriptoribus Ecclesiasticis ad Desiderium ponit inter lumina Ecclesiae Origenem, Io-

vinianum, Pelagium, haereticos: numerat etiam Hilarium Pontificem, qui sancto Leoni successit, qui diu post mortem sancti Hieronymi, clarere coepit.

Epistola de filio luxurioso, et frugi, Pelagiana est: et multum omnino discrepans a vera epistola sancti Hieronymi, de eodem argumento.

Symbolum ad Damasum, quod incipit, [Credimus in Deum Patrem,] et clauditur illis verbis, se imperitum, et malevolum vel non Catholicum, non me haereticum comprobabit: non est Hieronymi ad Damasum, sed Pelagii ad Innocentium. Id ostendit sanctus Augustinus in lib. de gratia Christi, cap. 30. 31. 32. et 33. ubi dicit Pelagium misisse ad Innocentium Papam libellum fidei suae: et ibidem refert verba eius libelli, quae sunt illa ipsa, quae in hoc Symbolo continentur.

Epistolae sancti Augustini ad Cyrillum Hierosolymae Episcopum de obitu sancti Hieronymi, sine dubio falsae et supposititiae sunt. Constat enim Cyrillum Hierosolymitanum Episcopus obiisse diu antequam sanctus Hieronymus moreretur, scribit enim sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. in Cyrillo, Cyrillum saepius expulsum, et revocatum, tandem octo annis pacifice sedisse. Adde quod epistolae istae, ut etiam epistola Eusebii ad Damasum de morte sancti Hieronymi novitatem suam manifeste produnt. Nec solum novitatem, sed etiam imperitiam, et imposturas: scribit enim fictitius Cyrillus ad Augustinum haeresiarcha, quemdam Sylvanum docuisse, duas in Christo esse voluntates: sed miraculis sancti Hieronymi hunc haeresiarcham fuisse confutatum. At haeresis monothelitarum ducentis annis post tempora Cyrilli et Hieronymi exorta est: et non est haeresiarcha dicendus, qui duas voluntates in Christo confitetur, sed qui unam tantum, ut ex concilio sexto generali intelligi potest. Itaque auctor harum epistolarum confundit tempora, haeresim monothelitarum pro fide Catholica vendit, Cyrillum, Augustinum, et Hieronymum pro magna laude haereticos monothelitas facit.

Tribuitur ad ultimum sancto Hieronymo liber de vitis sanctorum Patrum: sed sciendum est, eum librum non esse unius auctoris: nam in prima parte ponuntur vitae Monachorum, quas scripsit Evagrius Ponticus, de quo scribit sanctus Hieronymus in epistola ad Cresiphontem; ex illis vitis solam primam esse veram, quae est Ioannis Abbatis: eidem Evagrio tribuit vitas Patrum Gennadius in suo Catalogo scriptorum. Vitis illis ab Evagrio scriptis adiunctae sunt vitae Pauli primi Eremitae, Hilarionis, et Malchi, a sancto Hieronymo scriptae: item vita sancti Antonii scripta ab Athanasio: item vita Mariae Aegyptiacae a Zozimo edita: item multa ex collationibus Cassiani: denique vita sancti Hieronymi parum fideliter conscripta.

De Theophilo Alexandrino. 390.

Theophilus Alexandrinae Ecclesiae Episcopus sancti Hieronymi aequalis, ut epistolae utrinsque invicem scriptae testantur: scripsit epistolas tres Paschales, quas sanctus Hieronymus Latinas fecit. Atque epistolae istae satis utiles et doctae extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 3. scripsit praeterea adversus Origenem et alia quorum meminit Gennadius in lib. de viris Illustribus, sed haec non extant.

De Ioanne Episcopo Hierosolymitano. 390.

Ioannes Episcopus Hierosolymitanus vixit tempore sancti Hieronymi, ut notum est ex contentionibus inter eos non semel excitatis, Scripsit, teste Gennadio, librum in obtrectatores studii sui, ostendens se non esse Origenistam. Tribuitur eidem Ioanni liber ad Caprasium de institutione Monachi, qui habetur in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 9. edit. 2 sed hic liber videtur scriptus ab aliquo longe posteriore: siquidem eo in libro dicit auctor se esse Ordinis Carmelitarum, et describit habitum Carmelitarum: at illis temporibus nomen Carmelitarum Religiosorum erat plane inauditum, ut etiam Card. Baronius affirmat, tomo 6. Annalium, ad annum 444. adde quod stilus est hominis Latini, et temporum posteriorum.

De Diadocho. 390.

Diadochus Episcopus Photices scripsit insignem librum De perfectione, continentem capita centum: hic liber extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo quinto, edit. 2.

De Dorotheo Archimandrita.

Sanctus Eucherius Episcopus Lugdunensis vixit temporibus Theodosii junioris, et Valentiniani: sub Valentiniano et Martiano Imperatoribus obiit circa annum Domini 433. ut scribunt Gennadius, de viris Illustribus, et Ado Viennensis, in Chronico. Existimat tamen Card. Baronius tomo 5. Annalium, hos auctores falli, et Eucherium vixisse ultra annum Domini 463. quia invenitur Eucherii nomen in subscriptionibus Episcoporum Concilii Arausicani secundi, et Arelatensis tertii. Sed ego suspicor pervenisse etiam ad annum 499. nam in Vita sancti Caesarii Episcopi Arelatensis dicitur Eucherius Episcopus Lugdunensis aliquando iter fecisse cum ipso Caesario Arelatensi: Caesarium autem fuisse in vivis tempore Symmachi Papae, qui sedere coepit anno 499.aperte constat ex eadem vita sancti Caesarii, apud Surium, die 27. Augusti. Itaque vel oportet librum Gennadii esse corruptum, vel fuisse duos Eucherios Lugdunenses Episcopos.

Sed quicquid de hoc sit, scripsit s. Eucherius varia opuscula, quae Gennadius enumerat, nec satis novi an adhuc extent. Scripsit etiam teste Claudiano Episcopo Viennensi in lib. de statu animae, eloquentissimas conciones.quae fortasse sunt illae quae sub nomine Eusebii Emeseni nunc extant. Tribuuntur Eucherio libri explanationum in Genesim, et in libros Regum. Sed Eucherii esse non possunt. cum auctor saepe sanctum Gregorium citet, et ad finem expositionis libri primi Regum lectorem invitet ad moralia sancti Gregorii perlegenda: sanctus autem Gregorius plus centum annis fuerit Eucherio posterior. Fortasse qui hos libros Eucherio tribuerunt, ex eo permoti sunt, quod Gennadius testatur scripsisse Eucherium ad Salonium, et Uranium, de obscuris sanctarum Scripturarum capitulis.

Porro auctor huius operis in Genesim, et in libros Regum, videtur fuisse Angelus: nam in tertio libro Commentariorum in libros Regum cap. 22. sic loquitur, [Nostris, inquit, nuper temporibus sanctus Gregorius Papa Evangelicis roboratus eloquiis Romanam rexit Ecclesiam, et Reverendissimi Patres Augustinus, Paulus, et alii soci eorum jubente illo venerunt in Britanniam, etc.] Atque ab hoc auctore multa iisdem pene verbis describit Beda in suis quaestionibus super libros Regum.

De Claudiano episcopo Viennensi 440.

Claudianus Mamertus Episcopus Viennensis aequalis sancti Eucherii: scripsit insigne opus de statu animae, in quo Eucherii mentionem facit, ut supra diximus.Habetur hoc opus tribus libris comprehensum in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo quarto.

De Sidonio Apollinari 440.

Sidonius Apollinaris vir nobilissimus eodem tempore floruit. Fuit autem Episcopus Arvernensis. Scripsit varia opera soluta oratione, et carmine, ut Gennadius refert in libro de viris Illustribus. Nunc extant libri epistolarum ejus ad diversos, et carmina ejusdem simul edita.

De Ioanne Cassiano 440.

Ioannes Cassianus sancti Ioannis Chrysostomi olim Diaconus, et postea ad Gallias accedens, ibique sedem figens apud Massiliam presbyter ordinatus, scripsit Latino idiomate.

De habitu Monachorum. et de canonico orationum et Psalmorum modo, lib.	3
Institutionum,	1
De origine, et remedio octo principalium vitiorum.	8
Collationes Patrum	24
De Incarnatione Verbi,	7

Et hoc opere expleto ad petitionem Leonis, postea summi Pontificis, finem vivendi fecit Theodosio juniore et Valentiniano regnantibus, ut testatur Gennadius in libro de viris Illustribus. Haec omnia extant. et utiliter legi possunt, excepta collatione tertiadecima. et paucis aliis, quae in editione Romana notata sunt.

De Vincentio Lirinensi 440.

Vincentius Monasterii Lirinensis presbyter aequalis Cassiani fuit, quippe qui paulo post Concilium Ephesinum se scripsisse testatur, idest, tribus annis post Concilium celebratum. Scripsit opusculum parvum mole, sed virtute maximum, de prophanis vocum novitatibus. Libellus extat, et utilissime legitur.

De Socrate, et Sozomeno 440.

Socrates et Sozomenus historiam Ecclesiasticam scripserunt ab eo tempore in quo desinit historia Eusebii Caesariensis, usque ad tempora Theodosii junioris. Eodem tempore ipsi vixerunt, et quod dolendum est, uterque Novatianis erroribus favisse dignoscitur.

De Sixto Tertio 442.

Sixtus III. Papa sedit Romae tempore Valentiniani tertii Imperatoris. Scripsit insignem epistolam ad Ioannem Antiochenum: cujus fragmentum extat in libro Vincentii Lirinensis. Scripsit etiam alteram ad omnes Orientales, quae extat in tomo primo Conciliorum. Extant etiam duae in tertia parte Concilii Ephesini, editionis Romae. Extat praeterea in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo quinto secundae editionis sub nomine Sixti tertii Pontificis liber de divitiis: et alter de castitate, et epistola de malis doctoribus: quae tria volumina falso adscribuntur Sixto Pontifici, cum sint plena erroribus Pelagianorum. Sixtus enim, cum adhuc

presbyter esset, primus damnavit Pelagium, unde est epistola 105. Augustini ad Sixtum: ac deinde magno zelo Pelagianos insecutus est, ut testatur Prosper.

De Isidoro Pelusiota 442.

Isidorus Pelusiota Monachus doctissimus floruit tempore Theodosii junioris, ad quem extat ejus epistola apud Card. Baronium tomo quinto Annalium ad annum Dom. 431. Scripsit epistolas plurimas, quas Graece et Latine impressas habes Parisiis opera Billii anno 1585.

De s. Petro Chrysologo 440.

Sanctus Petrus Chrysologus Episcopus Ravennas a Sixto III. Papa Episcopus creatus scripsit homilias 122. breves, sed disertas. Scripsit etiam insignem epistolam ad Eutychetem haeresiarcham, exhortans illum ad obedientiam sancto Leoni praestandam in materia fidei potissimum. [Hortamur, inquit, te, ut iis, quae a beatissimo Papa Romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendas: quoniam b. Petrus, qui in propria sede vivit, et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem.] Habetur alia epistola, inter epistolas quae praecedunt Chalcedonense Concilium.

De sancto Leone Papa 440.

Sanctus Leo primus Papa, jure magnus appellatus, sedit in Apostolica sede tempore Theodosii junioris, Martiani, et Leonis Impp. ab anno Dom. 440. usque ad 461. scripsit homilias eloquentissimas de praecipuis solemnitatibus Domini, et Sanctorum, necnon epistolas ad diversos de rebus gravissimis numero nonaginta octo. Ex quibus illa ad Flavianum, quae incipit. [Lectis dilectionis tuae literis:] magna veneratione recepta fuit in Synodo Chalcedonensi Act. 4. ab omnibus, et singulis Patribus: et Gelasius Papa in decreto de libris Doctorum, dicit anathema iis, qui Epistolam hanc sancti Leonis integram, et usque ad unum iota non recipiunt.

Tribui solet sancto Leoni liber de conflictu virtutum, et vitiorum. Sed (ut supra in Augustino diximus) s. Leonis is liber esse non potest cum in eo fiat mentio regulae s. Benedicti.

De sancto Nilo 445.

Sanctus Nilus, Constantinopolitanus Monachus, s. Ioannis Chrysostomi discipulus, vixit tempore Theodosii junioris, et multa scripsit de institutione Monachorum, ut refert Nicephorus lib. hist. 14. cap. 53. Nunc extant in Biblioth. SS. Patrum tomo quinto edit. 2. capita paraenetica: item asceticus: item adversus vitia: item de Oratione centum quadraginta octo capita. Extant etiam separatim liber S. Nili de Christiana philosophia, quo nomine Monasticem significat. Citantur etiam epistolae Nili in septima Synodo, Act. 4. Sed loci quidam ab haereticis depravati esse dicuntur.

De sancto Simeone Stilita 457.

Sanctus Simeon, cognomento Stilita, quia stetit in columna annis 81. floruit tempore s. Leonis Imperatoris. Scripsit librum de morte assidue cogitanda, qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum, secundae editionis tomo secundo. Idem scripsit epistolas pro Concilio Chalcedonensi; quae an extent, ignoro: sed earum meminit Card. Baronius tomo quinto Annalium ad annum Dom. 458. Fuit etiam alius Simeon Stilita junior tempore Iustiniani Imp. cujus una epistola recitatur actione quinta Concilii Nicaeni secundi: de quo vide Evagrium lib. 6. Historiae cap. 22.

De Hilario Arelatensi 458.

Hilarius Arelatensis Episcopus vixit tempore s. Leonis Papae: ad quem scripsit heroico carmine historiam Geneseos usque ad septimum caput. Scripsisse dicitur praeterea epistolam unam ad sanctum Augustinum, de praedestinatione: cujus occasione sanctus Augustinus scripsit libros de praedestinatione Sanctorum, et de bono perseverantiae.

Sed ea epistola non videtur esse hujus Hilarii, sed alicuius alterius: nam sanctus Prosper, in epistola quam scripsit cum Hilario ad sanctum Augustinum de eadem re, dicit, Hilarium Arelatensem tunc fuisse Episcopum: et tamen iste Hilarius, qui scribit ad Augustinum, significat, se tunc fuisse laicum; quod etiam confirmatur ex primo capite libri de praedest. Sanctorum, ubi Augustinus vocat Filios, Prosperum et Hilarium: quod certe non faceret si hic Hilarius Episcopus Arelatensis fuisset.

Scripsit denique vitam s. Honorati decessoris sui et aliqua alia brevia opuscula teste Gennadio in libro de viris Illustribus, Sed opera superiora scripsit ante Episcopatum: in Episcopatu enim ob nimiam superbiam reprehenditur a sancto Leone Papa in epistola ad Episcopos per Viennensem provinciam constitutos: postea tamen resipuit, et multis virtutibus clarus sancto fine quievit.

De sancto Prospero Aquitano 460.

Sanctus Prosper Aquitanus Hilarii aequalis, et s. Leonis quondam notarius, Episcopus fuit Rhegiensis in Italia, vel in Gallia. Scio passim existimari sanctum Prosperum fuisse Episcopum Rhegii in Aemilia provincia Italiae: sed ego suspicor, Episcopum fuisse Rhegiensem in Provincia Provinciae suffraganeum Archiepiscopi Aquensis: nam video sanctum Prosperum subscripsisse in Concilio Provinciali Vasensi, et Carpentoratensi: quod argumentum est, illum fuisse Episcopum in provincia Galliae. Praeterea sancto Prospero successit in Episcopatu Faustus Rhegiensis: omnes autem Faustum, Episcopum Gallum faciunt, non Italum, ac dicunt metropolitano Aquensi subiectum, non Ravennatensi, cui subiectus est Episcopus Rhegii in Aemilia. Sed quicquid de hac re sit (nihil enim definio) sanctus Prosper multa praeclare scripsit pro gratia Christi contra Pelagianos, sequc s. Au-

gustini discipulum, et defensorem acerrimum demonstravit.

Scripsit libros tres de praedictionibus, et promissionibus Dei.
De vita contemplativa alios tres.
De vocatione gentium duos.
De gratia et libero arbitrio ad Ruffinum.
Responsiones ad capitula objectionum Gallicarum, Vincentianarum, et Genuensium.
De gratia Dei contra Collatorem, 1
Librum sententiarum s. Augustini, 1
Librum de providentia Dei, 1
Epistolam unam ad sanctum Augustinum de praedestinatione.

Commentaria in Psalmos a centesimo usque ad centesimum quinquagesimum.

Librum Epigrammatum inter quae est carmen contra ingratos.

Chronicum Eusebii et s. Hieronymi continuavit.

Observatio.

Gennadius in lib. de viris Illustribus scribit, epistolam illam celebre S. Leonis ad Flavianum contra Eutychem, existimari a sancto Prospero fuisse scriptam. At certe si ulla epistola sancti Leonis est, illa omnino est, sive stilum, sive doctrinam Leonis attendas.

Libri de vocatione gentium tribuuntur etiam sancto Ambrosio, sed vere Prosperi sunt, non Ambrosii, ut supra demonstravimus, cum de libris Ambrosii ageremus.

Liber de providentia Dei, non videtur Prosperi, sed alicujus ex factione Gallorum, qui Semipelagiani sunt appellati. Legat prudens Lector, et judicet.

De Arnobio juniore 445.

Arnobius, non ille qui scripsit contra gentes, et sub Diocletiano floruit, sed alius junior, qui paulo post sanctum Leonem Papam vixisse videtur, scripsit librum titulo, Conflictus Catholici cum Serapione de Deo trino, et uno. Item de duabus in Christo substantiis in unitate personae: item de gratia, et liberi arbitrii concordia: qui libri editi sunt Coloniae anno 1596. Neque est improbabile hujus Arnobii junioris esse Commentarios in Psalmos, qui sub Arnobii nomine circumferuntur: de quibus vide quae diximus supra in Arnobio.

De Theodoro presbytero in Raytu 460.

Theodorus presbyter in monasterio Raytu, qui a Gennadio dicitur, Theodorus presbyter Antiochenus; scripsit quindecim libros de Incarnatione Domini: nunc extat Commentarium de Incarnatione Domini contra Nestorium et Eutychetem in Bibliotheca SS. Patrum tomo 1. edit. 2.

De Salviano Episcopo Massiliensi 460.

Salvianus presbyter, ac postea Episcopus Massiliensis, aequalis fuit s. Eucherii Lugdunensis, quippe qui filiorum Eucherii, (habuit enim Eucherius ex legitimo coniugio ante Sacerdotium duos filios, qui ipsi quoque Episcopi fuerunt) Veranii et Salonii Episcoporum magister fuit, teste Gennadio in lib. de viris Illustr.

Porro Salvianus plurima opera scripsisse fertur, sed nunc extant solum, quod ego sciam, libri octo de providentia, et judicio Dei, et libri quatuor de Ecclesia, sub nomine Timothei, in quibus ita exaggerat vitia Christianorum, et maxime clericorum sui temporis, ut nimius videri posset, nisi ex vero zelo gloriae Dei, et salutis animarum, oratio ejus proficisceretur.

De Salonio Episcopo 470.

Salonius sancti Eucherii filius, et Salviani discipulus, scripsit in Proverbia, et Ecclesiastem Salomonis, dialogum, qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 1. editionis secundae. An Episcopus fuerit Viennensis, nec ne, disputat Card. Baronius tomo 6. Annalium, ad annum Domini 441.

De Fausto Regiensi 480.

Faustus ex Monacho Lirinensi factus Episcopus Regiensis in Gallia, vixit medio tempore inter sanctum Prosperum et sanctum Fulgentium: scripsit de Spiritu sancto, et contra Arianos, et Macedonianos, quae non extant: scripsit praeterea libros duos de gratia et libero arbitrio, qui extant, et quos Gennadius in lib. de viris Illust. miris laudibus effert: sed Gelasius Papa in decreto de libris apocryphis omnino reiicit: ut etiam reiiciunt et refellunt sanctus Fulgentius, Petrus Diaconus, Alcimus Avitus, et alii. Ado Viennensis in Chronico ad annum 492. sic loquitur, [Faustus ex Abbate Monasterii Lirinensis apud Regium Galliae Episcopus factus, Pelagianorum dogma destruere conatus, in errorem labitur: unde qui eius sensus in hac parte Catholicos praedicant, sicut Gennadius de viris Illustribus scribens, omnino errant.] Ita enim liberum arbitrium tam Augustinus quam caeteri Catholici in Ecclesia Dei docent, ut illuminatio, virtus, et salus illi a Christo, per Christum, et in Christo sit. Faustus vero iste ita liberum Christianorum arbitrium docere conatur, ut illuminatio, virtus, et salus non a Christo, sed a natura sit: contra hunc scribit Beatissimus Avitus Viennensis Episcopus lucidissima fide, eius redarguens errorem. Similiter et Ioannes vir eruditissimus Antiochenus presbyter.

Isidorus de viris Illustribus, in Fulgentio, dicit, a Fulgentio scriptos libros septem contra Faustum, qui mira calliditate Catholicus videri volebat, cum Pelagianus esset. Auctor quoque vitae sancti Fulgentii cap. 28. testatur a sancto Fulgentio refutatos libros duos Fausti de gratia et libero arbitrio. Et Petrus Diaconus in libro de Incarnatione et gratia Christi, cap. ultimo, anathema dicit libris Fausti.

Haec admonere volui propter aliquos qui nostro tempore Faustum Catholicum fuisse contendunt.

De Aenaea Gazeo 490.

Aenaeas Gazeus vir doctissimus scripsit dialogum insignem de anima immortalitate, et corporum resurrectione, quem inscripsit Theophrastum, quia persona principalis in dialogo nominatur Theophrastus: aetatem suam ipse aperit in extremo dialogo, ubi dicit, se vidisse sanctos illos, qui in persecutione Vandalica abscissis linguis optime loquebantur: hoc autem contigisse imperante Zenone, notum est ex Victore Uticensi de persecutione Vandalica.

De Cereali 490.

Cerealis Episcopus Africanus, scripsit contra Maximinum Episcopum Arianum, librum de fide, qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum, tomo 4. editionis secundae, cuius meminit Gennadius Massiliensis.

De sancto Victore Uticensi 490.

Sanctus Victor Uticensis Episcopus scripsit libros tres de persecutione Vandalica lectu dignissimos ob insignium Martyrum fortitudinem, qui in ea persecutione claruerunt. Vixit autem ipse regnante Zenone Imperatore. ut ipse testatur lib. 3. de persecutione Vandalica, id est, circa annum Domini 490.

De Gennadio Massiliensi 490.

Gennadius Massiliensis presbyter,et postea Episcopus, vixit tempore Gelasii Papae, circa annum Domini 490. nam ad ipsum Gelasium misisse librum suum de fide testatur ipse Gennadius in extremo lib. suo de viris Illustribus. quamvis non in omnibus codicibus liber Gennadii inveniatur completus.

Scripsit librum de Ecclesiasticis dogmatibus,qui extat inter libros sancti Augustini; et hic esse creditur liber, quem ipse misit ad Gelasium.

Scripsit etiam librum de viris Illustribus in quo suspicionem non parvam reliquit suae non rectae fidei. Laudavit enim Cassianum, et Faustum, qui Semipelagiani fuerunt. et sanctum Prosperum depressit, qui pro gratia Dei contra Pelagium fortissime dimicavit.

Scripsit praeterea multa alia, quae ipse commemorat in extremo libro de viris Illustribus, sed ea non extant, aut certe ad manus meas non venerunt.

De Pomerio 490.

Pomerius, alias Iulianus Pomerius, presbyter, vivebat cum Gennadius catalogum suum scriberet; scripsit autem per modum dialogi libros octo de natura animae, qui videntur excerpti ex libris octo Gregorii Nysseni, de Philosophia, sive potius Nemesii philosophi, de anima: scripsit etiam prognosticon tribus libris comprehensum, sed diversum ab eo, quod diu postea scripsit sanctus Iulianus Archiepiscopus Toletanus. vide Card. Baronium in notis Martyrologii, die 8. Martii.

De s. Gelasio Papa. 492.

Sanctus Gelasius Papa primus sedit in Apostolica Sede ab anno Domini 492. usque ad annum 496. scripsit epistolas aliquot insignes ad Imp. et alios, quae extant. Scripsit tomum de vinculo anathematis, qui extat inter epistolas eius decretales. Scripsit etiam librum contra Pelagianos, qui extat inter quintam et sextam epistolam. in editione Romana. Scripsit etiam hymnos Ecclesiasticos ad imitationem s. Ambrosii, et libros quinque contra Nestorium, et Eutychetem, teste Anastasio Bibliothecario, in vita s. Gelasii. De hoc opere dubitatio exstitit, an extet, vel perierit: circumfertur enim liber sub nomine Gelasii Papae de duabus naturis Christi contra Eutychetem ; sed non videtur hic liber esse Gelasii Papae, et multo minus esse ille, de quo loquitur Anastasius, et de quo etiam loquitur Gennadius Massiliensis in lib. de viris Illustribus. Non esse hunc librum Gelasii Papae. videtur manifestum, quia in hoc libro citatur tamquam unus ex catholicis et s. Patribus Eusebius Caesariensis, quem tamen haereticum Arianum fuisse, et Origenis acerrimum defensorem, notum erat s. Gelasio, qui hac de causa reprobavit opera Eusebii Caesariensis in decreto de libris apocryphis. adde quod iste auctor, Graecus fuit, non Latinus, cum inter s. Patres non posuerit Hieronymum, Augustinum, Leonem, etc. Non esse hunc eundem librum cum cuius mentio est apud Anastasium, et Gennadium, ex eo colligitur, quod Anastasius dicit opus illud Gelasii divisum fuisse in quinque libros : Gennadius autem dicit fuisse grande volumen : hic vero unius est, et non magnus liber. Non desunt, qui hunc librum velint esse Gelasii Caesariensis, cuius meminit s. Hieronymus in lib. de Script. Eccles. in Gelasio. Sed iste Gelasius ad tempora Eutychetis non pervenit, cum post ipsum defunctum fuerit Episcopus Caesareae Paulus. et post Paulum Eulogius, antequam haeresis Eutychetis appareret. ut Card. Baronius demonstrat tomo 6. ad annum Christi 496. Praeterea ab eo tempore, quo scripsit s. Hieronymus librum de Script. Eccles. quod erat annus 14. Theodosii senioris, usque ad exortam haeresim Eutychetis, qui primum apparvit anno 42. Theodosii junioris ; sunt anni paulo minus sexaginta : nam Theodosius senior supervixit tribus annis, quibus si addas annos Arcadii tredecim. et annos Theodosii junioris quadraginta duos, fient anni quinquaginta octo : neque credibile est Gelasium scripsisse contra Eutychetem ipso primo anno, quo errorem suum manifestare coepit, sed post eius haeresim iam promulgatam. et fortasse etiam damnatam : quare credibile est. eum. aut non supervixisse usque ad haeresim Eutychetis. aut plane decrepitum fuisse. et ineptum ad scribendum, quando haeresis Eutychiana confutanda erat : non enim verisimile est, eum fuisse adolescentem. aut

puerum, quando a s. Hieronymo inter Scriptores Ecclesiasticos numeratus est. Alii sunt, qui librum istum Gennadii esse credunt, eo quod facile fuerit Gelasium pro Gennadio scribere. Sed neque hoc verimile est, cum ipse Gennadius Catalogum librorum suorum scripserit, et hoc opus inter alios non numeraverit. Card. Baronius tomo 6. Annalium ad annum Christi 496. probat satis apertis coniecturis, auctorem libri fuisse Gelasium Cyzicenum, de quo nunc dicemus.

De Gelasio Cyziceno. 495.

Gelasius Cyzicenus vixit tempore Basilici Imperatoris, sive potius Tyranni, circa annum Domini 476. ut ipse testatur in praefatione librorum de actis Nicaenae Synodi. Scripsit historiam de actis Nicaenae Synodi tribus libris comprehensam, quae nuper excusa est in primo tomo Conciliorum generalium Graece et Latine Romae editorum. Scripsisse etiam creditur librum de duabus naturis Christi contra Eutychetem, qui liber hactenus est editus sub nomine Gelasii Papae. Coniecturae, cur auctor huius libri existimati possit Gelasius iste Cyzicenus, hae sunt:

Prima, quod non inveniatur alius Gelasius, cui liber ille tribui possit.

Secunda, quia in hoc auctore conveniunt nomen, et tempus, ut notum est.

Tertia, quia in praefatione historiae de Actis Nicaenae Synodi, scribit, se disputasse cum Eutychianis.

Quarta, quia sicut Gelasius in historia Nicaenae Synodi, lib. 2. mirifice laudat Eusebium Caesariensem, eumque affirmat nunquam adhaesisse Arianis: sic etiam auctor libri de duabus naturis Christi, ponit eumdem Eusebium Caesariensem inter Sanctos, et probatissimos Patres, Athanasium, Nazianzenum, et alios eiusdem gloriae.

Quinta, quia stilus est omnino similis, simplex, et nudus omnibus ornamentis. Quomodo autem intelligi debeat, quod iste auctor dicit in libris de duabus naturis Christi, remanere in Eucharistia, panis et vini naturam; diximus in controversiis lib. 2. de Eucharist. cap. 27.

De Gilda Sapiente. 495.

Gilda cognomine Sapiens scripsit de excidio Britanniae, quod incidit in annum Dom. 445. Scripsit etiam reprehensionem acrem in clerum Britanniae: nam propter peccata populi, et maxime propter peccata cleri iratus Deus immittit flagella huiusmodi. Extant haec opera in Bibliotheca s. Patrum tomo quinto editionis secundae.

De Vigilio. 495.

Vigilius scripsit libros quinque valde eruditos contra Nestorium, et Eutychetem, pro defensione epistolae s. Leonis, et Concilii Chalcedonensis: ex quo coniectura est, eum vixisse tempore Zenonis, et Anastasii Impp. quo tempore Concilium Chalcedonense graviter oppugnabatur. Quis fuerit iste Vigilius, non satis constat; non enim potest esse s. Vigilius Episcopus Tridentinus, et Martyr: ille enim vixit tempore s. Ambrosii: ad quem etiam est epistola eiusdem Ambrosii; et ex vita eius, quae extat apud Lipomanum, et Surium, constat eum martyrio coronatum sub Stilicone Honorii Imperatoris Duce. Vide de hac re Card. Baronium tomo quinto Annalium ad annum Dom. 400. accuratissime disserentem.

De Paschasio Diacono Cardinali. 469.

Paschasius Diaconus Card. Rom. Ecclesiae, floruit sub Gelasio, Anastasio, et Symmacho Pontificibus Romanis. Vir fuit magnae sanctitatis, et doctrinae, et scripsit libros duos de Spiritu sancto, rectissimos, et valde luculentos: sic enim loquitur s. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 40. Hi libri extant in Bibliotheca s. Patrum tomo 9. edit. secundae.

De s. Caesario Arelatensi. 499.

Sanctus Caesarius Episcopus Arelatensi vixit tempore Symmachi Papae, et Theodorici Regis Italiae, ut in eius vita scribit Cyprianus eius discipulus, apud Surium die 27. Augusti: itaque falsum esse videtur, quod Concilium Arelatense tertium, cui praefuit s. Caesarius, celebratum sit aera 461. idest, anno Dom. 423. Sed (ut habet alia lectio) aera 492. idest anno 454. Falsum quoque est, quod Trithemius scripsit, hunc s. Caesarium floruisse anno 670. et veritas est in medio; pervenit enim ad annum 499. Extant eius homiliae 46. in Bibliotheca s. Patrum tomo 2. edit. secundae.

SAECULUM SEXTUM AB ANNO 500. AD 600.

De s. Fulgentio.

Sanctus Fulgentius Carthaginensis, Episcopus Ruspensis, vir sanctissimus et doctissimus, floruit tempore Thrasymundi Regis, ad quem scripsit libros. Obiit anno Dom. 529. vitae suae anno 65. Episcopatus autem 25. ut Card. Baronius annotat tomo 6. Annalium. Scripsit plura teste Isidoro in lib. de viris Illustr. quorum multa perierunt. Extant nunc in editione Antuerpiana anni 1574.

Ad Trasymundum Regem, lib.	3
De Incarnatione et gratia Christi,	1
Ad Monimum,	3
Contra obiectiones Arianorum,	1
Ad Donatum,	1
Ad Euthymium,	2
Ad Ferrandi quaestiones.	2
De fide ad Petrum, qui inter libros Augustini habetur, de quo diximus supra,	1
Epistolae septem satis prolixae instar librorum,	7

Denique Sermones decem variorum argumentorum, qui soli supersunt, ex multis, quos scripsisse et habuisse dicitur.

De Ennodio. 503.

Ennodius Diaconus, et postea Episcopus Ticinensis, claruit tempore Symmachi et Hormisdae Pontificum Romanorum, scripsit anno 503. Apologeticum librum pro quarta Synodo sub Symmacho, qui receptus fuit, et probatus a quinta Synodo sub Symmacho: scripsit etiam epistolas, et alia, quae extant excusa Parisiis in 8.

De Petro Diacono. 503.

Petrus Diaconus aequalis s. Fulgentii fuit, ut notum est ex libris invicem scriptis. Scripsit enim Petrus hic librum de Incarnatione et gratia Christi, ad s. Fulgentium, et alios Episcopos Africanos: qui liber extat inter opera s. Fulgentii proxime ante librum s. Fulgentii de eodem argumento.

De Ferrando Diacono. 504.

Ferrandus Diaconus Carthaginensis eodem tempore scripsit paraeneticum ad Reginum Comitem, qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum, tomo quinto edit. secundae. Scripsit etiam epistolas, quae extant Romae impressae. Scripsit denique breve compendium sacrorum canonum.

De Eugippio Abbate. 510.

Eugippius Abbas Africanus vixit tempore sancti Fulgentii, et composuit magno labore tomos duos thesaurorum sancti Augustini: in quorum priore posuit quaecumque sanctus Augustinus scripserat de rebus obscurissimis, ut de anima, de charitate, de Resurrectione, de iudicio, de vita ac morte aeterna. In posteriore collocavit, quae sanctus Augustinus disputat contra Arianos, Donatistas, Manichaeos, et Pelagianos. Editum est hoc opus Basileae anno Dom. 1542. et Venetiis anno 1543. sed cavendae sunt insidiae haereticorum, qui hoc opus in lucem miserunt.

De Marcellino Comite. 520.

Marcellinus Comes vixit tempore Iustiniani: nam anno Iustiniani nono, et salutis 535. finem imposuit Chronico suo, quod a Cassiodoro valde laudatur libro de divinis lectionibus cap. 17. extat hoc Chronicum in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 7. edit. 2. Scripsit idem Marcellinus, teste Cassiodoro, quatuor libros de Urbe Constantinopolitana et Hierosolymitana: qui libri (ut opinor) non extant.

De Ioanne Maxentio. 520.

Ioannes Maxentius Monachus, et, ut creditur, presbyter Antiochenus, vixit tempore Hormisdae Papae, contra cuius epistolam scripsit. Eius opera extant in quarto tomo Bibliothecae sanctorum Patrum. Scripsit autem Catholicae fidei professionem, item libellum contra Acephalos, item dialogorum contra Nestorianos libros duos, item responsionem ad epistolam Papae Hormisdae, in quibus disputat adversus Nestorianos, et adversus Faustum Regiensem Semipelagianum. Et quidem Faustum, et Pelagianos egregie refellit, ex libris s. Augustini: at Nestorianos ita refellit scribens contra Possessorem Episcopum Africanum, ut ad Eutychianos declinare videatur. Certe s. Hormisda Papa Possessorem defendit, et Ioannem cum suis Monachis acriter insectatus est. Vide epistolam Possessoris ad Hormisdam, et responsionem Hormisdae in ipso opere Ioannis Maxentii. Scripsit autem Maxentius contra epistolam Hormisdae, negans illam esse Hormisdae, ne videretur contra summum Pontificem scribere; sed revera negari non potest, epistolam illam vere esse Hormisdae.

De s. Avito Alcimo. 520.

Avitus Alcimus Episcopus Viennensis vir nobilissimus, sanctissimus, et doctissimus, floruit temporibus Papae Hormisdae, a quo Vicarius in Galliis constitutus est, ut constat ex epistola Hormisdae ad ipsum. Multa scripsit et versu et soluta oratione, ut docent Gregorius Turronicus lib. 2. cap. 34. et Ado Viennensis in Chronico. Ego solum legi libros quinque metrice scriptos in Genesim, et Exodum, et librum de castitate, ad sororem, plane gravissimos, et venustissimos, qui extant in Bibliotheca sanctorum Patrum edit. 2. tomo 8.

De Boëtio Severino. 520.

Boëtio Severinus, vir clarissimus, Senator et Consularis, floruit tempore Theodorici Regis Italiae, nam ad ipsum Boëtium extat epistola Regis Theodorici, quae est quadragesima quinta libri primi apud Cassiodorum. Scripsit multa de re Philosophica, et Theologica; ac ut philosophica omittam, scripsit librum unum de Trinitate ad Symmachum socerum suum.

Item librum de unitate Trinitatis.

Item librum unum de duabus naturis Christi adversus Eutychetem.

Item librum unum de fide, ad Ioannem Diaconum.

Item de consolatione philosophiae libros quinque, partim carmine, partim prosa, eruditissimos. Obiit capite obtruncato iussu Theodorici Regis anno Dom. 521. Papiae.

De Dionysio Exiguo. 525.

Dionysius Exiguus natione Scytha, sed moribus Romanus, quemadmodum cognomento Exiguus, sed doctrina et sanctitate maximus, vixit tempore Theodorici Regis Italiae et successorum eius: nam anno 527. scripsit cyclum Paschalem, et omissa profana numeratione annorum ab Imperio Diocletiani impii persecutoris, numerare coepit ab Incarnatione Domini Iesu Christi. Scripsit praeterea collectionem sacrorum canonum ex Conciliis Ecclesiae Catholicae: quem postea imitati sunt Martinus Bracarensis et Cresconius.

De Victore Episcopo Africano. 530.

Victor Episcopus scripsit de ratione fidei Catholicae ad Hunericum Regem Vandalorum circa annum Dom. 530. extat eius liber in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo quarto editionis secundae.

De Aurelio Cassiodoro. 530.

Aurelius Cassiodorus Senator, et Regi Theodorico ab epistolis fuit. Scripsit eo tempore libros 12. epistolarum variarum, et Chronicum breve ab initio Mundi usque ad tempora Theodorici Regis Italiae, quae simul excusa extant. Scripsit etiam libros 12. de rebus gestis Gothorum, cuius operis compendium fecit Iordanus Episcopus Ravennae, quod compendium cum libris epistolarum excusum invenitur. Deinde mundo valedicens, et monachus effectus, se rebus divinis addixit, et tum scripsit:

De Institutionibus divinarum lectionum lib. duos.

In omnes Psalmos, et in Cantica canticorum Commentaria.

Historiam tripartitam ex libris Socratis, Theodoreti, et Sozomeni, per Epiphanium Scholasticum in Latinam linguam conversis, confecit.

Atque haec omnia extant. Dicitur praeterea a Trithemio Cassiodorus scripsisse in Acta Apostolorum, in epistolas canonicas, et in Apocalypsim Commentaria: praeterea, summam divinae Scripturae, quam memoriale Scripturarum appellavit, quae an extent ignoro.

De Leontio Byzantino. 540.

Leontius Byzantinus Monachus paulo ante quintam Synodum floruisse videtur. Scripsit libros tres contra Nestorianos, et Eutychianos: nec non contra fraudes Apollinaristarum; et contra Severum: quae omnia extant apud Henricum Canisium tomo 4. antiquae lectionis.

De s. Victore Capuano. 540.

Sanctus Victor Capuanus Episcopus vir sanctus, et doctus, tempore Iustiniani Imp. circa annum Dom. 545. scripsit de cyclo Paschali, teste Beda, de sex aetatibus, et de ratione temporum cap. 48. Scripsit etiam praefationem in Harmoniam Tatiani, qua ex quatuor Evangeliis unum fecit. Sed recte Cardin. Baronius monet, tomo secundo Annalium ad annum Christi 174. a Victore Capuano erratum esse in nomine: Ammonii enim, non Tatiani ea Harmonia est. Vide Bibliothecam sanctorum Patrum tomo quarto edit. 2.

De s. Iusto Orgelitano.

Sanctus Iustus Orgelitanus Episcopus vixit tempore Iustiniani Imperatoris: scripsit in Cantica canticorum. Extat hoc opus in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 1. edit. secundae. Vide de hoc auctore Isidorum de Scriptor. Ecclesiast. cap. 14. et de viris Illustribus, cap. 34.

De Anastasio Synaita. 544.

Anastasius Synaita Episcopus Antiochenus vixit tempore Iustiniani Imp. ut scripsit Evagrius lib. 4. hist. c. 39. scripsit multa, sed solum extat ὁδηγὸς, idest, dux viae. contra Acephalos, impressus Ingolstadii anno 1606. et praeterea extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 1. edit. 2. Anagogicarum contemplationum in exameron libri undecim: et de fidei dogmatibus libri quinque.

De Aratore. 545.

Arator Subdiaconus. S. R. E. scripsit duos libros carminum, quibus Acta Apostolorum complexus est: eos libros Vigilio Papae obtulit, et publice eodem Papa annuente recitavit: extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo octavo.

De Iunilio. 545.

Iunilius Episcopus Africanus, scripsit ad Primasium item Episcopum Africanum libros duos de partibus divinae legis, qui extant in Bibliotheca sanctorum Patrum editionis 2. tomo 1. Tribuitur etiam Iunilio Commentariolus in prima capita Geneseos: sed ille non est Iunilii, sed Bedae, citat enim sanctum Gregorium, et habetur inter opera Bedae.

De Primasio. 545.

Primasius Episcopus Africanus tempore Vigilii Papae Constantinopoli fuit, cum quinta Synodus generalis celebraretur, ut constat ex collatione secunda eiusdem Synodi: scripsit in epistolas sancti Pauli, et in Apocalypsim non contemnenda Commentaria.

De Martino Dumiensi, alias Bracarensi.

Martinus Dumiensis monasterii Abbas, ac deinde Ecclesiae Bracarensis Episcopus: vixit circa annum Domini 572. nam praefuit Concilio secundo Bracarensi, quod habitum est Era. 610. idest, anno Domini 572. sed videtur anno sequente obiisse, ut notat Card. Baronius: scripsit collectionem Canonum ex Graecis Synodis, qui extant in tomis Conciliorum post secundam Synodum Bracarensem. Scripsit etiam de quatuor virtutum Cardinalium differentia, et alia, quae extant in tomo quinto Bibliothecae sanctorum Patrum edit. 2. meminit huius Martini s. Isidorus in catalogo Script. Eccles. cap. 22. et in lib. de viris Illustribus cap. 35.

De Procopio Gazeo. 560.

Procopius Gazeus sophista, cuius meminit Photius in sua Bibliotheca, scripsit in octateuchum Commentaria magis ex aliorum libris, quam ex proprio ingenio: scripsit etiam in Isaiam, quae extant excusa Parisiis, Graece et Latine, dicitur etiam scripsisse in libros Regum, et Paralipomenon; quae opera utrum extent, ignoro: quando

vixerit, non certum est: sed posuimus eum post annum quingentesimum, quia nec sanctus Hieronymus, nec Gennadius, neque alii qui scripserunt ante annum quingentesimum, hunc auctorem nominaverunt.

De Ioanne Climaco. 560.

Ioannes Climacus Monachus religiosissimus, scripsit librum triginta gradnum, quibus ascenditur ad perfectionem, unde ipse nomen Climaci invenit. Existimant aliqui recentiores illum floruisse anno Domini 340. sed non putamus id esse verum, tum quia nemo veterum hoc dicit, neque ex ipsius libro id colligi potest; tum quia in eo libro fit mentio sancti Abbatis Sabbae, qui tempore Iustiniani Imp. obiit anno Domini 532. ut refert Card. Baronius tom. 6. Annalium.

De sancto Dacio Mediolanensi. 560.

Sanctus Dacius Episcopus Mediolanensis vixit tempore Iustini Imp. teste sancto Gregorio lib. 3. dialog. cap. 4. et scripsit Chronicum, in cuius Chronici lib. 1. cap. 10. tradit, Canticum, [Te Deum laudamus,] compositum fuisse a sanctis Ambrosio et Augustino.

De Liberato. 560.

Libertus Archidiaconus Carthaginensis vixit paulo post quintam Synodum, ut ex eius Breviario intelligi potest: scripsit enim Breviarium de causa Nestorii et Eutychetis: quod Breviarium extat in 2. tomo Conciliorum, et caute legendum est: sive enim ab aliquo depravatum fuerit, sive ipse auctor non bene assecutus sit historiae veritatem, non pauca in eo videntur esse perperam scripta.

De Venantio Fortunato. 570.

Venantius Fortunatus Episcopus Pictaviensis, floruit doctrina et sanctitate tempore Iustini iunioris. scripsit vitam sancti Hilarii, quae extat apud Surium die 14. Ianuarii: scripsit plurima carmina sacra, quae extant in Bibliotheca santorum Patrum tomo 8. edit. 2. sed in Ecclesia celebrantur maxime illa de sancta Cruce, [Vexilla Regis prodeunt:] et, [Pange lingua gloriosi.]

De Evagrio. 596.

Evagrius Scholasticus scripsit historiam Ecclesiasticam libris sex, ab eo tempore in quo desiit Sozomenus usque ad annum duodecimum Mauritii Imperatoris, id est, ad annum Domini 597.

De sancto Gregorio Turonico. 56.

Gregorius Turonensis Episcopus floruit imperante Mauritio, et sancto Gregorio Papa aliquanto senior fuit: siquidem anno septimodecimo inchoante Episcopatus Gregorii Turonici, Gregorius Papa creatus est: et anno vicesimo primo completo in Episcopatu suo Gregorius Turonicus obiit: cui supervixit Gregorius Papa annis octo. Itaque Gregorius Turonicus obiit anno Dom. 596. Gregorius autem Papa anno Dom. 604. Haec ex Breviario vitae s. Gregorii Turonici, et ex vita s. Gregorii Papae decerpta sunt. Scripsit sanctus Gregorius Turonicus,

De historia Francorum, lib.	10
De gloria Martyrum,	1
De gloria Confessorum,	2
De miraculis sancti Iuliani.	1
De miraculis sancti Martini,	4
Epitomen historiae Francorum,	1

Alia praeterea scripsisse dicitur, quae vel non extant, vel certe ad notitiam meam non pervenerunt.

SAECULUM SEPTIMUM AB ANNO 600. AD 700.

De sancto Gregorio Papa.

Sanctus Gregorius Papa sanctissimus, et Doctor eximius, et merito magnus appellatus, floruit, Iustini, Mauritii, et Phocae temporibus, et anno quartodecimo Pontificatus sui, salutis autem 604. obiit. Scripsit

Moralis expositionis in Iob, lib.	38
De cura pastorali partes tres,	1
Dialogorum cum Petro,	4
Expositionis in Cantica,	1
Expositionis in Ezechielem, homil.	22
In Evangelia, homil.	40
Expositionem in septem psalmos Poenitentiales.	
In primum librum Regum, lib.	6
Epistolarum libros duodecim.	
Decreta nonnulla.	
Responsiones ad undecim interrogationes Austini Episcopi Anglorum.	

De Hesychio, sive Isychio. 601.

Hesychius, sive Isychius, Episcopus Hierosolymitanus, tempore s. Gregorii vixit: nam ad eum est epistola 40. libri 9. ex registro s. Gregorii. Neque alius invenitur Episcopus Hierosolymae, qui dicatur Hesychius, vel Isychius, ante istum. hic igitur scripsit in Leviticum libros septem, et exponit versionem s. Hieronymi, quod est argumentum. auctorem hunc esse posteriorem Hieronymo, et Augustino, et aliis veteribus: non enim coepit versio sancti Hieronymi esse in usu Ecclesiarum, nisi satis diu post obitum s. Hieronymi.

De s. Sophronio Episcopo. 630.

Sanctus Sophronius Episcopus Hierosolymitanus vixit tempore Honorii Papae primi, et Heraclii Imperatoris. et initio haeresis Monothelitarum ini signis fuit defensor fidei Catholicae. Extat epistola ipsius ad Sergium Episcopum Constantinopolitanum in sexta Synodo. Act. 11. Extant etiam in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 2. edit. 2. duo sermones eius, unus de natali Domini, alter de

Angelis. Obiit anno Dom. 634. Ex Card. Baronio, tomo octavo Annalium.

De Ioanne Moscho. 630.

Ioannes Moscus, alias Eviratus, scripsit ad sanctum Sophronium Episcopum Hierosolymitanum, librum, qui dicitur Pratum spirituale : atque hinc fortasse factum est, ut ipsi Sophronio, a multis hic liber tribuatur. Extat in tomo septimo Bibliothecae sanctorum Patrum editionis secundae. Et quidem liber est magna ex parte utilis, et citatur in septima Synodo.

De Leontio. 630.

Leontius tempore Heraclii Imperatoris vixit, et sancti Ioannis Episcopi cognomento Eleemosynarii aequalis sui admirabilem vitam literis mandavit. Obiit sanctus Ioannes anno 11. Heraclii, qui fuit annus Dom. 920. Hic liber testimonium habet a Synodo secunda Nicaena, et vere lectu dignissimus est.

De Iona. 630.

Ionas Anglus, sive Hibernus, tempore eiusdem Heraclii, scripsit vitam et res gestas sancti Columbani (ut est apud Bedam lib. 5. hist. gentis suae cap. 17.) qui ut novus quidam Apostolus Angliam, Gallias, et Italiam mirifice illustravit. Obiit anno sexto Heraclii, qui erat annus Dom. 615. Extat haec vita apud Surium die 21. Novembris.

De Antiocho Monacho. 630.

Antiochus Monachus vixit Heraclii tempore, et centum viginti novem homiliis (quae extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo secundo edit.2.) deploravit ingentem illam calamitatem, quae contigit anno quartodecimo Heraclii, cum Hierusalem a Persis capta, et lignum sanctae Crucis in Persidem asportatum fuit : quo tempore Christiani plurimi, ad nonaginta millia, Iudaeis vilissimo pretio divenditi, atque ab eis crudeliter morte necati dicuntur.

De s. Isidoro Hispalensi. 630.

Sanctus Isidorus Hispalensis Episcopus sedere coepit in Episcopali sede anno 596. et anno 636. migravit in coelum, ut ex Chronicis Hispaniensibus intelligitur: Scripsit multa, quorum catalogum his verbis texit sanctus Hildephonsus in libro de viris Illustribus.

Scripsit, inquit, opera eximia, et non pauca, id est,

Librum de genere officiorum.
Librum prooemiorum.
Librum de ortu, vel obitu Patrum.
Librum commentariorum, quem Synonyma vocitavit.
Libellos duos ad Florentinam contra nequitias Iudaeorum.
Librum de natura rerum ad Sisebutum Principem.
Librum differentiarum.
Librum Sententiarum.
Librum quaestionum, sive expositionis Sacramentorum.
Librum Etymologiarum, quem non complevit.

Haec ille. Sed in edit. Parisiensi anni 1601. adduntur isti libri :

De contemptu Mundi.
Norma vivendi.
Exhortatio ad poenitentiam.
Lamentum poenitentiae, versu, et alphabetice editum.
Oratio s. Isidori prolixa, ad peccata deflenda.
Oratio brevior contra insidias Diaboli.
Epist. ad Massonum de lapsu, et reparatione Sacerdotis.
Chronicum ab initio Mundi usque ad annum quintum Suinthiliani Regis Gothorum.
Chronicum Gothorum.
Historia Vandalorum.
Historia Suevorum.
De Antiocho Rege, et martyrio Machabaeorum.
De Scriptoribus Ecclesiasticis.
De nativitate Domini, Passione, Resurrectione, Regno, et Iudicio ad Florentinam sororem.
De vocatione gentium ad eamdem.
Epistola ad Ludifredum de Episcopi et aliorum clericorum in Ecclesia officio.
Sententiarum, sive de summo bono libri tres.
Regula Monachorum.
De conflictu vitiorum, et virtutum.
Expositio in Cantica canticorum.
Liber de viris Illustribus.
Glossarium ex diversis, quae nomine Isidori Hispalensis circumferuntur, collectum.

Observatio.

Mirum est, unde tot opera sancti Isidori prodierint, quorum non meminit sanctus Hildephonsus, qui eadem aetate vixit, qua Isidorus ipse. Ideo suspicor, haec non esse ab ipso sancto Isidoro scripta, sed ab aliquo alio superaddita. Certe liber de contemptu mundi, et Norma vivendi, decerpta sunt ex libro Synonymorum. Item Chronicum decerptum est ex lib. 5. Etymologiarum: aut si non inde decerptum est, non est verisimile Chronicum bis ab Isidoro scriptum.

Porro quae dicuntur in editione Parisiensi Commentaria in Genesim, Exodum, etc. dicuntur a sancto Hildephonso, quaestiones, sive expositiones Sacramentorum, ex variis auctoribus collectae: et qui sunt duo libri ad Florentinam sororem; de nativitate Domini, etc. et de vocatione gentium: fortasse sunt duo illi, quorum meminit sanctus Hildephonsus, contra nequitiam Iudaeorum. Et qui vocantur in editione Parisiensi de officiis Ecclesiasticis, vocantur a sancto Hildephonso, de genere officiorum.

De sancto Eligio Episcopo. 640.

Sanctus Eligius Episcopus Noviomensis, scripsit homilias sexdecim, quae extant in Bibliotheca san-

ctorum Patrum, tomo 2. edit. 2. Obiit anno 665 teste Sigeberto in Chronico : cuius vita scripta satis diligenter libris duobus a Beato Audoeno Rothomagensi praeposito, extat apud Surium die 1. Decemb.

De Berengosio Abbate.

Berengosius Abbas scripsit de inventione sanctae Crucis libros tres : item librum de mysterio ligni Crucis : et sermones variorum argumentorum, quae omnia extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo secundo editionis secundae : quo tempore vixerit, ignoratur.

De Esaia Abbate.

Esaias Abbas, qui quo tempore vixerit, invenire non potui, scripsit hom. 29. valde utiles, praesertim Monachis ad perfectionem tendentibus. Extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo secundo editionis secundae.

De sancto Maximo Martyre. 650.

Sanctus Maximus Monachus Constantinopolitanus, et Martyr clarissimus, vixit temporibus Honorii Papae primi, et Heraclii Imperatoris : obiit autem sub Vitaliano Pontifice, et Constante Imperatore anno Domini 660. Scripsit plurima, quorum catalogum refert Card. Baronius tomo 8. Annalium: nunc extat insignis disputatio habita in Africa contra Pyrrhum Monotheliam, quam Graecam et Latinam edidit idem Card. Baronius in appendice ad octavum tomum Annalium. Extat etiam in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 6. edit. secundae liber de Ecclesiastica mystagogia. Extant denique tomo 5. eiusdem Bibliothecae sanctorum Patrum Centuriae s. Maximi de charitate, et de Incarnatione Verbi: sed cum translatae sint e lingua Graeca in Latinam opera haereticorum, non multum illis fidendum est. Solent enim haeretici in auctoribus bonis transferendis saepe ad suos errores sententias auctorum bonorum accommodare.

De sancto Hildephonso Episcopo Toletano. 658.

Sanctus Hildephonsus Episcopus Toletanus factus est anno Domini 658. tempore Vitaliani Papae. Obiit anno Dom. 667. Scripsit insigne tractatum de Virginitate B. Mariae, et alium de perpetua Virginitate, et partu huius eiusdem sanctissimae Deiparae, et sermones duodecim de eadem: quae omnia extant excusa Parisiis apud Nivellium anno 1576. et inveniuntur in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 9. edit. secundae. Extat item liber de viris Illustribus, inter opera s. Isidori Hispalensis, sed cum titulo s. Hildephonsi: alia multa et versu et prosa scripsisse dicitur, quae non extant. Ob singularem devotionem erga Beatissimam Dei Matrem, et defensionem perpetuae Virginitatis eiusdem Virginum Reginae, meruit iste felix Antistes non solum in terris intueri eam divino splendore fulgentem, sed etiam ab ea donari praeclara veste Sacerdotali, et, quod summo gaudio animam eius replevit, certus reddi de veste gloriae post beatam mortem consequenda: quae omnia scribit Iulianus eius Diaconus, prefatione in librum s. Hildephonsi de laudibus intemeratae Virginis Mariae.

De sancto Iuliano Episcopo Toletano. 680.

Sanctus Iulianus Episcopus Toletanus, creatus est anno Dom. 680. et post annos decem obiit. Scripsit tres libros adversus Iudaeos, qui extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo quarto edit. 2. Scripsit etiam tres libros de futuro seculo, quos Prognosticon vocavit, qui extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 9. edit. secunde admonet autem Card. Baronius in notis ad Martyrologium, die octavo Martii, factum Iulianum Episcopum Toletanum non recte vocari Iulianum Pomerium: duo enim fuerunt Pomerii, unus Presbyter qui simpliciter dicebatur Pomerius, a Gennadio, sed ab Isidoro, et ab aliis dicitur Iulianus Pomerius, quem Gennadius Massiliensis in Catalogo illustrium virorum, scribit, suo tempore vixisse, id est, ante annum Dom. 500. atque hic videtur esse ille, quem tam saepe citat in suo Prognostico sanctus Iulianus Archiepiscopus Toletanus, de quo nunc agimus. Alter fuit Iulianus Pomerius Diaconus, qui praefationem addidit ad libros s. Hildephonsi, de quo paulo ante meminimus. Hic autem sanctus Iulianus vivebat Aera. 724. id est, anno Dom. 686. Sed cum auctor huius operis in Epistola ad Regem Ervigium se Iulianum Pomerium nominet, non video, cur non ipse Iulianus Pomerius dici possit, ut sint tres Iuliani Pomerii, unus presbyter, alter Diaconus, et tertius Episcopus.

De Anastasio Nicaeno.

Anastasius Nicaenus Episcopus vixit post Concilium Trullanum, quinisextum a Graecis nuncupatum, quia canones addidit Concilio quinto et sexto generali: citat enim hic auctor canonem secundum Trullanum. Scripsit responsionem ad interrogationes de multis capitibus Ecclesiasticis. Vide Bibliothecam sanctorum Patrum, tomo primo edit. secunda, ubi notae marginales caute legendae, aut potius delendae sunt, quia non sanam doctrinam continent.

SAECULUM OCTAVUM AB ANNO 700. AD 800.

De S. Gregorio Iuniore. 714.

Sanctus Gregorius Papa secundus, sive Iunior, sedere coepit anno salutis 714. sedit annos 17. obiit anno 731. Scripsit varia opera, sed extant solum Epistolae doctissimae, et multae, quarum una ad sanctum Germanum extat in septima Synodo Act. 4. duae Graece et Latine ad Imperatorem Leonem Isauricum, extant apud Card. Baronium, tomo Annalium 9. ad annum 13. Gregorii secundi, apud eumdem extant epistolae ad Bonifacium anno undecimo Pontificatus; et ad Carolum Martellum, ad Turin-

gos, ad Saxones, et ad alios anno decimo Pontificatus.

De S. Anthelmo.

Sanctus Anthelmus, sive Adelmus, Episcopus fuit in Scotia, et anno Dom. 700. sedere coepit, et Beda lib. 5. hist. cap. 19. scripsit de Virginitate librum, qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo tertio edit. secunda. Scripsit etiam de Paschatis die contra errores Britonum, teste Beda. Eius vita habetur apud Surium die 28. Maii.

De s. Marcellino 717.

Sanctus Marcellinus Presbyter vir Apostolicus socius fuit s. Suiberti, primi Verdensis Episcopi, qui obiit anno Dom. 717. Sed ipse b. Marcellinus diutius multo vixit, et scripsit vitam s. Suiberti, quae extat apud Sutium die primo Martii, atque ad relationem factam ex hoc libro s. Marcellini, s. Suibertus canonizatus fuit postea a Leone III. Pontifice anno 804.

De s. Germano Constantinopolitano 720.

Sanctus Germanus Episcopus Constantinopolitanus vixit temporibus Gregorii II. Papae, et Leonis Isaurii Imper. haeretici. Multa propter sacras Imagines, et fecit egregie, et pertulit fortiter: tandem nonagenarius in exilio mortuus est anno Domini 730. Scripsit multa. Extat nunc Theoria rerum sacrarum in Bibliotheca s. Patrum tomo 6. edit. 2. Extant etiam epistolae tres Graece et Latine ejusdem s. Germani in Concilio secundo Nicaeno, art. 4. quarum tertia valde prolixa est: quibus epistolis praeponitur epistola Gregorii Papae II. ad Germanum. Extat apud Henricum Canisium tomo 3. antiquae lectionis fragmentum Graeco Latinum Orationis eiusdem de haeresibus.

De Venerabili Beda.

Dialogus de Passione Domini non est sancti Anselmi, sed alicuius indocti hominis, qui multa inepta, et aliqua falsa scribit: et ipsum Anselmum, vocat Beatum Anselmum: quem titulum ipse sibi nunquam tribuisset.

Homilia de Assumptione B. Virginis extat etiam inter Homilias ab Alcuino collectas: Alcuinus autem praecessit Anselmum fere trecentis annis.

Opusculum de excellentia B. Virginis non videtur Anselmi, non solum quia eius non meminit

Edinerus, sed etiam quia non habet stilum, neque gravitatem Anselmi.

Opusculum de similitudinibus, non est Anselmi, sed alicuius discipuli eius: nam in ultimis capitibus vocat Anselmum Patrem suum, et multa narrat de eius verbis et factis.

Opusculum de Imagine mundi tribui solet Honorio Incluso, et continet multa fabulosa, et inepta, indigna quae tribuantur Anselmo.

Opusculum de voluntate Dei brevissimum est, et nihil habet Anselmi ingenio dignum.

Opusculum de commensuratione Crucis, ambigo cuius sit, cum eius non meminerit Edinerus.

Observatio quarta.

Sixtus Senensis in sua Bibliotheca tribuit sancto Anselmo explicationem in Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Iosue, et Iudices: sed unde hoc habeat, divinare non possum, cum tanta opera Edinerum latuerint.

De Anselmo Laudunensi. 1077.

Anselmus Laudunensis Scholasticus sancti Anselmi Cantuariensis aequalis, aut paulo iunior, scripsit glossam interlinearem, quae extat cum glossa ordinaria, et Lyrani. Eidem (ut paulo ante diximus) tribuuntur Commentaria in Cantica, et in Apocalypsim, quae habentur inter opera sancti Anselmi.

De Bertoldo Constantiensi. 1077.

Bertoldus Constantiensis, historicus fidelissimus, et pius, continuavit Chronicum Hermanni Contracti usque ad annum 1065. et praeterea scripsit historiam, sive Chronologiam rerum gestarum sui temporis usq; ad annum Domini 1100. quo tempore putatur etiam obiisse.

De Micrologo. 1077.

Micrologus, quem aliqui Ioannem Micrologum nominant, scripsit librum de Ecclesiasticis observationibus, qui extat cum aliis similibus Coloniae, et Romae excusis: vixit autem tempore Gregorii VII. et Anselmi Episcopi Lucensis: nam cap. 17. sui operis dicit, Anselmum Lucensem Episcopum observasse in Missa celebranda ritum quemdam Gregorii VII. et sibi atque aliis observandum commendasse. et cap. 14. dicit, suo tempore Gregorium VII. in Sede Apostolica sedisse.

De Oecumenio, et Olympiodoro.

Oecumenius, et Olympiodorus Graeci scriptores, scripserunt catenas ex antiquis Patribus: ille in Acta Apostolorum, et Epistolas s. Pauli; iste in Iob: quo tempore floruerint, non omnino constat; alii enim collocant eos inter annum 800. et 900. alii post annum millesimum. Scripsit praeterea Olympiodorus Commentarium in Ecclesiasten, quod extat in primo tomo Bibliothecae sanctorum Patrum, editione secunda. Extat in eodem primo tomo catena quaedam in Epistolam ad Romanos sub nomine Theoduli Presbyteri Caelesyriae. Sed Theodulus ille multo antiquior est ipso Oecumenio, qui in hac catena citatur; imo ista catena ex Oecumenio videtur tota excerpta, et quasi compendium esse catenae Oecumenii in epistolam ad Romanos.

Porro Theodulus presbyter Caelesiriae obiit sub Zenone Imperatore, teste Gennadio de viris Illustribus.

De Lamberto Schafnaburgensi. 1077.

Lambertus Schafnaburgensis insignis, et verax historicus, praesertim cum de contentione inter Gregorium VII. Papam, et Henricum tertium Imperatorem agit. Scripsit historiam Germanicam, et incipit ab Orbe condito usque ad annum Dom. 1077. Sed continuavit Monachus quidam Erphesphordensis, cuius nomen proprium ignoratur, usque ad annum Dom. 1472.

De Ingulpho Anglo. 1077.

Ingulphus Abbas in Anglia vivebat anno Dom. 1050. ut ipse testatur in fine historiae suae: sed supervixit usque ad annum Dom. 1100. Scripsit historiam Monasteriorum Angliae, quae amplissima erant, sed attingit multa, quae ad res gestas Regum Angliae pertinent. Incipit ab anno Dom. 664. et desinit anno Dom. 1067. quo Rex Uvillelmus primus regnare coepit. Extat hic auctor cum aliis, qui de rebus Anglicanis scripserunt.

De Mariano Scoto. 1083.

Marianus Scotus Monachus Fuldensis scripsit libros tres Chronicorum ab initio mundi usque ad annum Dom. 1083. Sed primus liber caret principio: describit historiam universalem satis diligenter. Continuavit eius historiam Dodechinus Abbas s. Dysibodi usque ad annum Dom. 1200.

De B. Brunone. 1088.

Bruno Cartusianorum institutor, Coloniensis, vir doctissimus habitus est, ut testantur multa encomia sapientiae ipsius apud Surium die sexto Octobris. Vixit tempore Urbani secundi Pontificis, a quo Romam vocatus fuit ex Cartusia. Obiit autem anno Dom. 1101. ex vita eius apud Surium. Scripsit multa, quae extant impressa Parisiis apud Iodocum Ascensium: praecipua esse videntur Commentaria in Psalmos, et Commentaria in epistolas s. Pauli.

De Ivone. 1088.

Ivo Carnotensis Episcopus vixit tempore Urbani secundi, ad quem extant epistolae: sed supervixit usque ad annum 1114. Scripsit volumen decretorum. Scripsit etiam de divinis et Ecclesiasticis officiis, et praecipuis festis diebus sermones viginti

unum, qui extant excusi Coloniae cum aliis similibus libris. Scripsit quoque librum de corpore Domini; quod extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 3. Scripsit denique epistolas multas ad varios, quarum nonnullas refert Card. Baronius tomo 11. et 12. Annalium. Fertur etiam sub Ivonis nomine Patnormia, seu potius Pannomia: sed ea Pannomia non dicitur Ivonis, quia sit ab Ivone composita, sed quia sit ex decreto Ivonis maxima ex parte desumpta: est enim Pannomia quasi compendium decreti Ivonis, et ideo mirum videri non debet, quod libro 8. multa sint decreta ex Innocentio secundo Papa, et ex historia Sigeberti, qui fuerunt Ivone posteriores.

De Samuele Marochiano. 1090.

Samuel Marochianus ex Iudaeo Christianus scripsit utilissimam epistolam, sive librum de adventu Messiae, et de iis, quae Iudaei moderni negant, et ob quae in Iudaismo obstinate perseverant. Scripsit autem, ut ipse testatur, post mille annos ab ultima eversione Ierosolymae sub Tito Imp. id est, post annos mille septuaginta duos a natali Domini. Extat hic liber in tomo 4. Bibliothecae sanctorum Patrum, edit. secundae, et etiam seorsim excusus invenitur.

SAECULUM DUODECIMUM AB ANNO 1100. AD 1200.

De Leone Ostiensi. 1101.

Leo Marsicanus Episcopus Ostiensis factus a Paschali secundo, sub eodem obiit ad initium anni 1110. Scripsit Chronicum Monasterii Cassinensis a sancto Benedicto usque ad Desiderium Abbatem, qui fuit postea Victor Papa tertius. In quo Chronico non pauca attinguntur ad historiam Ecclesiasticam illorum temporum valde utilia.

De Zacharia Chrysopolitano. 1101.

Zacharias Episcopus Chrysopoleos vixit tempore Paschalis secundi Pontificis ad initium anni 1101. et scripsit in qualuor Evangelia quatuor libros Commentariorum.

De Sigeberto Historico. 1101.

Sigebertus Monachus Gemblacensis vixit tempore Gregorii septimi Pontificis, et obiit tempore Paschalis secundi circa annum Dom. 1112. Scripsit chronologiam, quae extat cum aliis historicorum Germanorum libris ab anno Dom. 381. usque ad annum 1111. continuavit Sigebertum Robenus de Monte usque ad annum Dom. 1210.

Porro Sigebertus in sua Chronologia iniquior fuit Gregorio septimo ob studium erga Imperatorem: qua de causa non pauca mentitus est, et praesertim cum narrat obitum ipsius Gregorii.

Scripsit praeterea duos libros de viris Illustribus, inter quos se ipse posuit, et opuscula sua diligentissime numeravit. Inter quae opuscula unum invenitur contra Epistolam Gregorii septimi ad Episcopum Metensem, et alterum contra epistolam Paschalis secundi, quae opuscula merito ab Ecclesia catholica interdicta fuerunt.

Scripsit quoque, ut ipse testatur, librum contra eos qui calumniantur Missas coniugatorum Presbyterorum, qui liber periisse videtur, et iure: indignus enim erat, qui lucem aspiceret. Neque enim Gregorius septimus, in cuius odium liber ille scriptus erat, reprehenderat Missas coniugatorum Presbyterorum, sed missas concubinariorum Presbyterorum: neque vetuerat Gregorius, Missas eiusmodi concubinariorum audiri, quod existimaret illas non esse veras Missas; sed quod iudicaret concubinarios indignos esse, qui Missam celebrarent, et qui a fidelibus populis frequentarentur. Quod autem liber ille Sigeberti in defensionem concubinariorum Sacerdotum, scriptus esset contra Gregorii Papae edictum; perspicuum est ex ipsa eius chronologia ad annum Dom. 1074. ubi dicit, a Gregorio septimo prohibitos fuisse uxoratos Sacerdotes divina officia celebrare, novo exemplo, et inconsiderato, etc. Sed in defensionem Gregorii Papae contra calumnias Sigeberti, scripsit sanctus Anselmus in epistola ad Gulielmum Abbatem, quae est numero octava, ubi sic ait, [De Presbyteris, inquit, qui se aperte reproba libidinis conversatione Deo reprobabiles exhibent, omnino tenendum est quod Apostolica providentia Ecclesiastico iustoque rigore constituit. Nempe nullatenus convenit, ut ibi reverenter adstent, ubi pertinaciter aperta et impudenti libidine foetentes, Dei et sanctorum prohibitionem contemnendo, sacris altaribus deserviunt, imo non deserviunt, sed quantum ad ipsos, commaculant: non quo quis ea, quae tractant, contemnenda, sed tractantes execrandos existimet: ut quae Dei et Angelorum praesentia non reverentur, vel hominum detestatione repulsi, sacra contaminare desistant.]

De Gofrido Vindocinensi. 1101.

Gofridus Abbas Vindocinensis, et Cardinalis tit. s. Priscae ab Urbano secundo creatus vixit usque ad extrema tempora Innocentii secundi, ut constat ex epistola Innocentii ad ipsum. Scripsit epistolarum libros quinque, Opuscula quindecim, et sermones duodecim: quae omnia extant excusa Parisiis anno 1610. Opera Iacobi Sirmundi e societate Iesu.

De Euthymio Zigabeno. 1118.

Euthymius Zigabenus Monachus vixit tempore Alexii Comneni Imperatoris, ut ipse testatur initio Panopliae.

Scripsit Panopliam adversus omnes haereses, et parte secunda tit. 23. describit errores Basilii autoris Bogomilum, quem Alexius Imperator comburi iussit in equestri theatro.

Scripsit etiam Commentaria in omnes Psalmos, et in quatuor Evangelia. Falluntur, qui hunc auctorem floruisse scribunt anno Dom. 440. vel 1180. floruit vero anno 1118. quo Alexius Imperator obiit.

De Ioanne Zonara. 1118.

Ioannes Zonaras Monachus Graecus scripsit libros tres Annalium, quibus complexus est historiam universalem ab orbe condito usque ad exitum Alexii Comneni Imperatoris Graecorum, qui obiit anno Dom. 1118.

Scripsit etiam Commentaria in Nomocanonem Photii.

De Ruperto Tuitiensi. 1119.

Rupertus Abbas Tuitiensis vixit tempore Paschalis secundi Pontificis, et Henrici IV. dicti V. Imperatoris circa annum Domini millesimum centesimum undecimum: hunc enim annum ipse notat lib. 8. de divinis officiis cap. 4. Scripsit multa opera, quorum catalogum ipse ponit in epistola dedicatoria ad Cunonem Episcopum Retisponensem, cui dedicat libros de divinis officiis.

Opera eius haec sunt:

De divinis officiis, lib.	12
In Iob Commentariolum abbreviarum,	10
In Ioannem Evangelistam,	14
De operibus sanctae Trinitatis,	42
In Apocalypsim,	12
In duodecim Prophetas minores,	30
De victoria Verbi,	13
De gloria et honore filii hominis secundum Evangelium Matthaei,	8
De glorioso Rege David ex libris Regum,	11
In Cantica Canticorum,	7

Observatio prima.

Libri de officiis divinis olim carebant nomine auctoris; nam, ut testatur Thomas Valdensis lib. de Sacrament. c. 47. 65. et 93. extabat suo tempore liber, sive opus de divinis officiis, ex quo Io. Uviclef haeresiarcha mirifice triumphabat, et Catholicos vexabat, nunc sancti Ambrosii, nunc s. Isidori, nunc s. Fulgentii nomine eum librum venditans. Itaque Catholici diu libri eius auctorem quaerentes suspicati sunt, auctorem fuisse quendam Valramum, ad quem scripsit s. Anselmus librum de azymo: hinc postea Dominicus a Soto, Claudius Sanctus, Guilelmus Alanus Cardinalis, et alii, auctorem erroris de impanatione fecerunt Valramum. Sed revera opus illud de divinis officiis a Uviclefo citatum, non est Valrami, qui nihil eiusmodi usquam scripsisse legitur, sed Ruperti Tuitiensis Abbatis, de quo nunc agimus: siquidem initium illius operis, quod a Uviclefo citabatur apud Valdensem, erat, [Ea quae per anni circulum:] et hoc ipsum est initium librorum Ruperti de officiis divinis. Deinde omnia, quae citabat Uviclefus ex auctore de divinis officiis, inveniuntur ad verbum in lib. 2. de officiis divinis cap. 2. et cap. 9. apud Rupertum. Praeterea errores istius libri, inveniuntur etiam in libris Ruperti in Exodum, et in Ioannem, ut plane constet eumdem esse auctorem omnium istorum librorum. Denique Algerus lib. 1. de Sacramento Eucharistiae cap. 6. dicit tempore suo exortam novam haeresim et absurdissimam de impanatione. Atqui Rupertus vixit eodem seculo, quo Algerus, et erat Algero paulo senior: et hic ipse error, quem Algerus notat, habetur in secundo lib. cap. 2. et cap. 9. de officiis divinis apud Rupertum. Atque haec videtur esse causa, ut opera Ruperti Tuitiensis alioqui non mala, nec indocta, iacuerint sine luce et honore in tenebris oblivionis, annis circiter quadringentis: nam nostro primum tempore coeperunt lucem aspicere.

Observatio secunda.

Error Ruperti in eo situs est, quod existimavit, non converti panem in corpus Christi dum conficitur Eucharistia, sed assumi a Verbo Divino, quemadmodum assumpta est humanitas. Id perspicuum est ex libro sexto in Ioannem, ubi Rupertus dicit, [Verbum factum esse hominem, non destruendo, sed assumendo humanitatem: et eodem modo in Eucharistia idem verbum fieri panem non destruendo, sed assumendo panem,] et similia habet lib. 2. in Exodum cap. 10. sed clarissime lib. 2. officiis divinis cap. 2. cum sic ait, [Nec duo corpora dicuntur, aut sunt, hoc quod de Altari, et illud quod acceptum est de utero Virginis: quia videlicet unum idemque Verbum, unus idemque Deus sursum est in carne, hic in pane:] et cap. 9. sic inquit. [Verbum patris carni, et sanguini, quem de utero Virginis assumpserat, et pani ac vino, quod de altari assumpsit, medium interveniens, unum sacrificium efficit, quod cum in ora fidelium Sacerdos distribuit, panis et vinum absumitur, et transit: partus autem Virginis cum unito sibi Verbo Patris et in coelo, et in hominibus integer permanet, et inconsumptus:] haec ille, ubi cum dicit, permanere in coelo, et hominibus partum Virginis Verbo Patris unitum; intelligit, permanere in hominibus per fidem, non re ipsa: statim enim subiungit, [Sed in illum in quo fides non est, praeter visibiles species panis et vini, nihil de sacrificio pervenit.] haec ille. Hunc errorem explicuimus, et refutavimus lib. 3. de Sacramento Eucharistiae, cap. 11. et 13.

De Algero Scolastico. 1130.

Algerus Scholasticus Leodiensis, ac postea Monachus Cluniacensis floruit circa annum Domini 1130. Scripsit varia opuscula de gratia, et libero arbitrio, et de Misericordia, et iustitia. Sed praecipuum eius opus est de corpore et sanguine Domini contra Berengarium, quod tribus libris comprehensum valde laudatur a venerabili Petro Cluniacensi, qui initio libri de sacrificio dicit, Lanfrancum scripsisse de Sacramento Eucharistiae, bene, plane, perfecte: Guitmundum, melius, plenius, perfectius; Algerum, optime, plenissime, perfectissime. Sed tamen observandum est, hunc Algerum lib. 2. cap. 1. non recte scripsisse species Sacramentales non posse corrumpi, vel rodi a muribus, etc. quod etiam notavimus in Guitmundo, a quo id videtur Algerus accepisse, sic etiam

cap. 8. perperam citavit Algerus s. Augustinum, cum ait, [Unde, ut ait Augustinus, nec caro sine sanguine, nec sanguis sine carne rite communicatur.] Haec enim non sunt Augustini, sed Paschasii in libro de corpore Domini, cap. 14. Denique cap. 10. videtur Algerus velle, esse de iure divino, ut sacrificium Missae celebretur in azymo: quod non est verum, alioquin Ecclesia non toleraret eos, qui celebrant in fermentato. Haec notare volui, non ut imminuam gloriam Algeri, qui magno zelo veritatem sua aetate defendit: sed ne lector offendiculum incurrat in legendo opere isto, alioqui valde bono, cum sit commune mortalibus aliquando labi. Extat hoc opus Algeri impressum Lovanii cum Paschasio, Lanfranco et Guilmundo, nec non cum iisdem in Bibliotheca s. Patrum tomo sexto, edit. 2.

De Hildeberto Turonensi. 1125.

Hildebertus Archiepiscopus Turonensis vixit tempore Honorii secundi Pontificis, ad quem epistolam scripsit. Honorius autem sedere coepit anno Domini 1125.

Scripsit Sermones, Epistolas, et Carmina sacra, quae extant in Bibliotheca s. Patrum tomo 3. edit. 2. ad eum una extat Epistola s. Bernardi, qua eum hortatur, ut Innocentium II. ut verum Pontificem agnoscat, et veneretur.

De s. Bernardo. 1130.

Sanctus Bernardus Abbas Clarevalensis, vir plane Apostolicus, et non minus gloria miraculorum, quam sapientiae splendore illustris, floruit maxime tempore Innocentii II. Pontificis anno Dom. 1130. sed obiit anno 1153. aetatis suae 63. Scripsit multa opera, sed multa etiam illi tribuuntur, quae eius non sunt. Opera, quae sine dubio s. Bernardum habent auctorem, illa sunt, quae numerantur a Gofrido eius discipulo, et alumno lib. 3. vitae ipsius cap. ultimo: vitam enim s. Bernardi primus scripsit eo vivente Gulielmus Abbas s. Theodorici, unico libro comprehensam: deinde adiecit secundum librum Bernardus Abbas bonae Vallis: tres ultimos addidit Gofridus Monachus Clarevallensis.

Opera s. Bernardi indubitata ex Gofrido Monacho.

Homiliae in laudem Virginis Matris, sive super, Missus est Angelus, 4
De gradibus humilitatis, 1
De diligendo Deo, 1
Apologeticus ad Gulielmum Abbatem, 1
De praecepto, et dispensatione, 1
Exhortatorius ad milites templi, 1
De gratia, et libero arbitrio, 1
De Consideratione ad Eugenium, 5
In Cantica, sermones, 86
Epistolae ad diversos, 351
Vita s. Malachiae Episcopi Hiberniae.

Opera s. Bernardi secundi ordinis, quae habentur etiam pro indubitatis.

De Adventu Domini serm. 7
De Vigilia natalis Domini, 6
De natali Domini, 6
De Circumcisione, 3
De Epiphania, 4
De Dominica prima post Epiphaniam, 2
De Conversione s. Pauli, 2
De Purificatione B. Mariae, 3
De Septuagesima, 2
De Quadragesima, 7
De s. Benedicto Abbate, 1
De Annunciatione B. M. 3
De Dominica Palmarum, 3
De feria quarta poenosa, 1
De feria quinta in Coena Domini, 1
De Pascha, 4
De octava Paschae, 2
De Rogationibus, 1
De Ascensione, 6
De Pentecoste. 3
De s. Ioanne Baptista, 1
De Ss. Petro et Paulo, 4
De David, et Golia, 1
De septem panibus, 3
De s. Victore, 2
De s. Maria Magdalena. 1
De Assumptione B. M. V. 5
De verbis. Signum magnum, 1
De nativitate s. Mariae, 1
De s. Michaele, 2
De festo omnium Sanctorum, 5
De s. Malachia, 1
De verbis Isaiae, 5
De s. Martino, 1
De s. Clemente, 1
In vigilia s. Andreae, 1
In die s. Andreae, 2
In obitu Humberti. 1
In dedicatione Ecclesiae, 6
In Psalmum 90. 17
De diversis argumentis, 35
De altitudine cordis, 4
De Conversione ad Clericos, 1
Sermones parvi, 66
De donis Spiritus sancti, 1
Sententiae s. Bernardi.
Declamatio in illud, Ecce nos reliquimus omnia.

Ordo tertius operum dubiorum.

Ad fratres de monte Dei.
Meditationes.
De interiori domo.
De ordine vitae.
De scala Claustralium.
Formula honestae vitae.
Speculum Monachorum.
Sermones varii.
Liber de conscientia.
Descriptio Clarae vallis.

Lamentatio Virginis Mariae.
Doctrina sancti Bernardi.
Homilia de exeuntibus in Emmaus.
De amore Dei.
De natura, et dignitate Divini amoris.
Sermo de Passione Domini.
Tractatus de Passione Domini.
Rhetorica sancti Bernardi.
De modo bene vivendi ad sororem suam.
De conscientia.
Sermones de diversis argumentis, 15
Super Salve Regina.
Epistola ad quemdam, qua docetur, quid a nobis requirat Deus.
De oneribus sermones, 11

Observatio prima.

Inter opera secundi ordinis est sermo de nativitate B. Mariae, qui non est, ut multi existimant, de nativitate ex sancta Anna matre sua in hunc mundum; sed de nativitate per dormitionem mortis, in coelum, quomodo dicuntur natalitia aliorum omnium Sanctorum. Id ex contextu facile potest intelligi, haec enim sunt prima verba, [Foecundae Virginis amplectitur coelum praesentiam, terra memoriam veneratur,] etc.

In eodem ordine est sermo brevissimus de Beata Virgine post sermonem quintum de Assumptione; sed ille ex sermonibus parvis est secundus, et inde huc sine causa translatus: et fortasse non est sancti Bernardi, cum auctor eius sermonis dicat, se carere virginitate, et ex primo libro, cap. 3. vitae sancti Bernardi, probabiliter colligatur, eum virginem fuisse.

In eodem ordine invenitur lib. Sentent. S. Bernardi, de quo libro ambigo, an sit scriptus ab ipso S. Bernardo, an ab aliquo alio, qui collegerit eas sententias ex scriptis et Sermonibus eiusdem sancti viri: video enim in iis sententiis quaedam vocabula barbara, ut guerram, pro bello, et res alias leviores, quam ut decere videantur sanctum Bernardum: sed nihil definio.

Observatio secunda.

In tertio ordine in quo dubia opera continentur: aliqua sunt, quae manifeste sancti Bernardi non sunt, sed tamen gravia, et utilia sunt: alia habent suos auctores, qui in titulis praenotantur: alia sunt inepta, et indigna, quae tanto viro attribuantur: alia denique tam proxime accedunt ad spiritum et stilum sancti Bernardi, ut eius foetus indicari possint. Ac ut dicam de singulis quod sentio:

Sermo, seu liber de vita solitaria ad fratres de monte Dei, non habet stilum, sed habet spiritum sancti Bernardi, et dignissimus est, qui legatur.

Meditationum capita sexdecim similia sunt libro superiori: non habent stilum, neque eruditionem sancti Bernardi, sed habent pietatem, et devotionem, et utiliter legi possunt.

Tractatus de interiori domo, non est malus, sed ad superiores duos non pertingit.

Tractatus de ordine vitae, sive de doctrina puerorum, similis est superiori.

Scala claustralium, sive de modo orandi, non habet stilum sancti Bernardi, sed alioqui insignis libellus est, et lectu dignus.

Formula vitae, cum annexo documento, et speculum Monachorum, utilissima continent documenta, ac Religiosis viris plane necessaria, quamvis a stilo sancti Bernardi longe absint.

Sermones de Natali Domini, qui ordine succedunt, non sunt B. Bernardi, neque eruditi: siquidem in primo sermone auctor laudat Abbatem Clarevallensem, idest, sanctum Bernardum; proinde non est ipse S. Bernardus sermonis auctor. Idem ipse auctor dicit, nocte Natalis Domini corruisse templum pacis Romae, quod aeternum futurum sperabatur, At nascente Domino nondum templum illud aedificari coeptum erat. denique stilus turgidus est, sed vocabulis barbaris non caret.

Idem de aliis sermonibus, eiusdem auctoris iudicium fieri potest.

Inter sermones est unus de Villico iniquitatis, cui praemittitur epistola Bernardi ad Matthaeum Episcopum Albanensem, cui sermo ille transmittitur, et quidem sermo stilum sancti Bernardi non habet, sed alioqui eruditam explicationem continet. Itaque vel sanctus Bernardus solitam suam eloquentiam in hoc sermone neglexit, vel alius Bernardus est, qui sermonem istum conscripsit.

Liber de conscientia pius et utilis est quamvis sancti Bernardi esse non videatur.

Descriptio Clarae Vallis non est sancti Bernardi, sed alicuius, qui eam bene noverat.

Lamentatio B. Virginis indigna est, quae sancto Bernardo tribuatur, quippe, quae ineptias, et falsa nonnulla continet.

Sermo de duobus discipulis euntibus in Emmaus, insignis est, sed s. Bernardi stilum non habet.

Liber de amore Dei stilum potius sancti Augustini, quam sancti Bernardi habere videtur: qui enim librum illum composuit, imitari voluit sanctum Augustinum in libris Confessionum cum Deo colloquentem.

Liber de natura, et dignitate amoris divini, subtilis et obscurus est, nec cuius sit affirmare possum.

Sermones duo de Passione Domini, quorum prior incipit. [Iesum Nazarenum,] et poster or longe prolixior, Ego sum vitis vera,] docti sunt, et utiles, sed non videntur sancti Bernardi stilo iudicium fiat.

De Rythmis, hoc solum dicere possum, illum qui incipit. [Iesu dulcis memoria,] longe praestare caeteris omnibus.

Liber de modo bene vivendi, qui scriptus dicitur a sancto Bernardo ad sororem suam; utilissima documenta continet; sed neque stilum habet sancti Bernardi, neque ad sororem eius scribi potuit: hic enim liber ad sororem Virginem, et cum Virginibus in monasterio degentem, scribitur, ut perspicuum est ex cap. 21. Sanctus autem Bernardus unicam habuit sororem, eamque primo coniugatam, deinde sanctimonialem. Vide lib. 1. vitae sancti Bernardi cap. 1. et 6.

Liber de conscientia, de gradibus humilitatis, ser-

mones de Coena Domini, et caetera usque ad finem secundi tomi, non solum longe distantia stilo sancti Bernardi, sed etiam verisimile non est de iisdem argumentis toties sanctum Bernardum disseruisse.

De Petro Cluniacensi 1130.

Petrus venerabilis Abbas Cluniacensis sancti Bernardi aequalis fuit, ut epistolae testantur, ultro citroque missae. Fuit nobilis Aquitanus, ac primo miles, deinde monachus. Scripsit libros duos de miraculis sui temporis.

Scripsit librum, per formam epistolae, adversus errores Petri de Bruis, in quo egregie tractat.

De baptismo parvulorum.
De auctoritate libri Actorum Apostolorum.
De auctoritate epistolae b. Pauli.
De auctoritate Ecclesiae.
De auctoritate veteris Testamenti.
Iterum de baptismo parvulorum.
De Basilicis, templis, et aris.
De veneratione sanctae Crucis.
De sacrificio Missae, et veritate transsubstantiationis.
De suffragiis defunctorum.
De laudibus Dei in canticis, et musicis instrumentis.

Scripsit quoque libros multos epistolarum ad diversos, quarum nonnullas refert Card. Baronius tomo 12. Annalium.

Addit Trithemius, eum scripsisse de conversatione Eremitica. Sed hunc librum non vidi, neque utrum extet, scio.

De Hugone de sancto Victore 1130.

Hugo de sancto Victore, natione Saxo, professione Monachus, dignitate Abbas sancti Victoris, aequalis fuit sancti Bernardi, ut ex epistola sancti Bernardi ad hunc ipsum Hugonem constat. Scripsit multa, quae tribus tomis comprehenduntur in editione Veneta, anni 1588.

Primi tomi haec sunt:

De scripturis, et scriptoribus sacris praenotationes.
Annotationes elucidatoriae in Pentateuchum, Judices, libros Regum, Psalmos aliquot.
In Ecclesiasten homiliae 19.
Annotationes elucidatoriae in Threnos, in Ioelem, et Abdiam.
Annotationes elucidatoriae allegoriarum in totum testamentum vetus, exceptis Prophetis, et libris Sapientialibus.
Annotationes elucidatoriae allegoriarum in quatuor Evang.
Annotationes literales et quaestiones in epistolas s. Pauli.
Annotationes elucidatoriae in Dionysium Areopagitam.

Secundi Tomi haec sunt:

Institutiones in decalogum.
Expositio in Regulam sancti Augustini.
De Institutione novitiorum.
De Claustio animae.
De anima libri quatuor.
De medicina animae.
De arrha animae.
De laude charitatis.
De modo orandi.
De fructu carnis, et spiritus.
De nuptiis carnalibus et spiritualibus libri duo.
De vanitate mundi libri quatuor.
De meditatione libellus.
De Arcae mysticae descriptione.
De Arca Noe libri quatuor.
Sermones centum de variis argumentis.
Sermo de Assumptione B. Mariae.

Tertii tomi haec sunt:

Didascalici libri septem, quorum ultimus de Trinitate disserit: reliqui sex ad artes liberales pertinent.
De potestate, et voluntate Dei, libellus.
De quadruplici voluntate in Christo, libellus.
De sapientia animae Christi, libellus.
De unione corporis, et spiritus, libellus.
Dei Verbi Dei efficacia, libellus.
Apologia de Verbo Incarnato.
De Verbo Incarnato disputationes tres.
De perpetua Virginitate B. Mariae.
Miscellaneorum secundi codicis, libri quinque.
De filia Iephte tractatus.
Speculum de mysteriis Ecclesiae.
De ceremoniis, Sacramentis, et officiis Ecclesiasticis lib. 3.
De canone mystici libaminis, libellus.
Dialogus de Sacramentis legis naturalis, et scriptae.

Summa sententiarum septem tractatibus comprehensa, quorum est.
Primus de Fide, Spe et Charitate, de Trinitate, et Incarnatione.
Secundus de creatione et statu angelicae naturae.
Tertius de creatione, et statu humanae naturae.
Quartus de Sacramentis in genere, et praeceptis divinis.
Quintus de Sacramento Baptismi.
Sextus de Sacramento Confirmationis, Eucharistiae, Poenitentiae, et Extremae unctionis.
Septimus de Sacramento coniugii.
De Sacramentis Christianae fidei libri duo.

Observatio

Non pauca sunt in operibus Hugonis, quae non videntur germana ejus opera, sed quoniam auctor editionis Venetae suis locis haec annotavit, et mihi non licuit per angustias temporis omnia excutere,

remitto lectores ad notas, quae in ipsis operibus extant. Hoc solum addam, extare apud Card. Baronium insignem epistolam Hugonis ad Ioannem Archiepiscopum Hispalensem apostatam a fide, tomo 12. ad annum Dom. 1136.

De Richardo de sancto Victore. 1130.

Richardus de sancto Victore, natione Scotus, Monachus Ordinis Canonicorum regularium, Hugonis tempore claruit, et in eodem monasterio sancti Victoris sanctissime vixit. Fuit quoque sancti Bernardi amicissimus, ut ex libris ad eum scriptis perspicuum est. Eius opera duobus tomis continentur.

Primi tomi opera:

De exterminatione mali, et promotione boni tract. 1
De statu interioris hominis. 3
De eruditione interioris hominis libri 3
Beniamin minor, idest, de preparatione ad contemplationem.
Beniamin maior, idest, de gratia contemplationis libri. 5
Allegoriae tabernaculi foederis, 1
Te Trinitate, 6
De tribus appropriatis personis in Trinitate, ad sanctum Bernardum, 1
De Incarnatione Verbi, ad eumdem, 1
De Emanuele libri 2
Exceptionum, 4
De potestate ligandi et solvendi tract. 1
De contemplatione plagarum in fine mundi, 1
De Iudiciaria potestate in finali judicio, 1
De spiritu blasphemiae, 1
De gradibus charitatis, 1
De quatuor gradibus violentae charitatis, 1
De gemino Paschate. 1
In die Paschae sermo, 1
Declaratio difficultatum Scripturae Sanctae, ad sanctum Bernardum. 1
Quomodo Spiritus sanctus sit amor Patris, et Filii. 1
De differentia peccati mortalis, et venialis, 1
De super excellenti Baptismo Christi, 1
De missione Spiritus sancti sermo, 1
De comparatione Christi ad florem et B. M. ad virgam, 1
Quomodo Christus ponitur in signum populorum, 1
De differentia sacrificii David. et Abrahae, 1
De differentia sacrificii Abrahae, et B. Mariae. 1

Opera tomi secundi:

Explanatio difficultatum ex tabernaculo foederis.
De templo Salomonis ad literam.
De concordia temporum in libros Regum.
Explanatio variorum locorum in Psalmis.
Explanatio libri Cantici canticorum.
De visione Ezechielis.
De templo Ezechielis.
Decisio dubiorum in Apostolo.
In Apocalypsim Ioannis libri septem.

Observatio.

Haec omnia opera, uno excepto, quod inscribitur, Exceptionum libri quatuor, videntur mihi docta, et pia, et dignissima ingenio acutissimo Ricciardi, neque scio de eis ab ullo esse dubitatum, an sint legitima Ricciardi opera. De libris exceptionum nonnihil ambigo, an sint ejusdem auctoris non quod non sint libri illi eruditione varia pleni, sed quod quaedam contineant, quae non videntur a Riccardo scribi potuisse. Libro primo cap. 24. sic loquitur. [Inventores Theologiae fuerunt apud Graecos Linus, apud latinos Varro, et nostris temporibus Ioannes Scotus.] At cur Joannes Scotus inventor Theologiae? cur non magis Moses, aut Athanasius, aut Augustinus, aut Ioannes Damascenus? Deinde non sunt noti Ioannes Scoti nisi duo, unus trecentis annis ante Riccardum, alter centum et amplius annis post Riccardum: quis igitur ille est, de quo hic dicitur, [Et nostris temporibus Ioannes Scotus?] Eodem capite dicit hic auctor, inventorem Rhetoricae fuisse Demosthenem. Id quod est manifeste falsum: Demosthenes enim insignis orator fuit, sed ante illum fuerunt alii, ut Isocrates, Pericles, et alii; et cum ipso claruit Aeschines: et eodem tempore floruit Aristoteles, qui de Rhetorica egregie scripsit. In tertio libro cap. 7. scribit de Insulis, et Scotiam suam tantum nominat. Et cap. 8. describit civitates celebres totius mundi, et Luteriam Parisiorum, ubi ipse degebat, ne nominat quidem, ut neque Londinum, neque Cantuariam, neque Edimburgum, neque alias Britanniae, vel Scotiae Civitates. In quarto libro numerat Pontifices Hebraeorum, et omittit Aaron, Aleazarum, Phinees et nonnullos alios inter praecipuos.

De Uvillelmo Malmesberiensi 1130.

Uvillelmus, seu Gulielmus, Monachus Anglus, dictus Bibliothecarius, et Malmesberiensis, vixit eodem tempore, quo praedicti quatuor scriptores. Scripsit libros quinque de rebus gestis Regum Anglorum, usque ad Henricum primum. Item historia novellae libros duos. Denique de rebus gestis Pontificum Anglorum libros quatuor.

De Henrico Utidoniensi. 1140.

Henricus Utidoniensis scripsit historiam Anglicanam libris octo usque ad Stephani Regis obitum, id est, usque ad annum 1153.

De Gratiano. 1145.

Gratianus Patria Clusinus, professione Monachus sancti Benedicti, claruit tempore Eugenij tertij Pontificis, et Conradi tertij Imperatoris, ad annum Dom. 1145. Scripsit Decretum, sine concordiam discordantium canonum: opus valde laboriosum, in quo canones plurimos collegit ex scripturis, ex responsis Pontificum, ex Concilijs, et ex Patribus. Et quamvis multi alij viri docti in hoc genere scriptionis laboraverint, ut Dionysius Exiguus. Isidorus, Cresconius, Burchardus, Ivo, et si qui alij sunt: ipse tamen solus obtinuit, ut publice in gymnasijs praelegeretur, et multorum doctissimorum virorum Commentarijs illustraretur.

Scripsit hoc opus Bononiae in monasterio sancti Felicis ex sententia Trithemij in secundo libro de viris Illustribus Ord. sancti Benedicti, anno Dom. 1127. vel, ut alij volunt, anno Dom. 1151 nisi forte Trithemius inchoationem, alij consummationem operis annotaverint.

Porro hoc opus a mendis purgatum, et suae integritati restitutum fuit a viris quibusdam eruditissimis auctoritate Gregorij XIII. Pontificis anno salutis 1580.

Observatio in Gratianum.

Gratianus id unum habet, quod reprehendi posse videtur, quod non habuit delectum auctorum, ex quibus decreta collegit, annotabo hic aliqua loca per modum exempli.

Primo, distinctione XVI. can. Septuaginta, citatur epistola sancti Athanasij Episcopi Alexandrini de canonibus Nicaenis incendio consumptis, ad Marcum Papam. Sed Card. Baronius tomo 3. Annalium demonstrat, eo tempore Athanasium fuisse exulem in Gallijs, et incensionem illam canonum Nicaenorum contigisse diu post obitum Marci Papae, et ipsum Marcum defunctum iam fuisse, quando scribitur respondisse ad epistolam Athanasij: ut undique nutet fundamentum harum epistolarum, et septuaginta canonum Nicaeni Concilij.

Secundo, distinctione 63. can. Adrianus, et can. in Synodo: ponuntur duo canones ex historia Ecclesiastica Sigeberti, quibus affirmantur investiturae Episcoporum concessae Imperatoribus ab Hadriano primo, et a Leone octavo summis Pontificibus: quos canones confictos fuisse a Sigeberto schismatico historico probat multis argumentis Card. Baronius tomo 9. Annalium, ad annum tertium Hadriani primi Pontificis. Neque obstat, quod idem canones habentur etiam apud Ivovem in Pannomia lib. 8. cap. 135. et 136. cum tamen Ivo Sigebertum aetate praecesserit. hoc (inquam) non obstat: quoniam Pannomia non dicitur Ivonis, quia sit ab Ivone composita, sed quia sit ex decreto Ivonis maxima ex parte decerpta. Quod autem auctor Pannomiae sit recentior Ivone, perspicuum est ex libro octavo, ubi multa sunt decreta Innocentij secundi Pontificis, qui fuit Ivone posterior.

Tertio, causa 24. quaest. 1. can. Haec est fides: tribuitur iste canon sancto Hieronymo in Symbolo ad Damasum. Sed te vera desumptus est ex libello fidei Pelagij haeresiarchae ad Innocentium primum Pontificem. Id satis constat ex sancto Augustino libro de gratia Christi cap. 30. 31. 32. et 33. ubi ponit ipsa verba huius Symboli, et dicit esse verba libelli, quem de fide sua Pelagius ad Innocentium misit.

Quarto, causa 10. quaest. 1. can. Quia Sacerdotes. Iste canon sumitur ex epistola sancti Hieronymi ad Damasum, de oblationibus altaris. Sed ea epistola indigna est, quae sancto Hieronymo tribuatur: nam inter sancti Spiritus organa numerat auctor huius epistolae Eusebium Chronographum, quem sanctus Hieronymus Arianum haereticum passim appellat.

Item scribens ad Damasum citat Chrysostomi Commentarium in Matthaeum: at eo tempore, quo Chrysostomus scripsit in Matthaeum, Damasus iam ante multos annos obierat. Obiit enim Damasus anno septimo Theodosij Senioris: Chrysostomus autem anno seguenti ordinatur Presbyter, et incipit concionari ad populum: inter quas homilias sunt etiam illae, quibus explicatur Evangelium sancti Matthaei. Omitto quod stilus huius epistolae impolitus et barbarus cum sit, nihil habet simile cum stilo sancti Hieronymi.

Quinto, causa 22. can. Nec artificioso: citatur sanctus Augustinus in libro de conflictu virtutum et vitiorum cap. 19. At is liber non potest esse S. Augustini, cum in fine eius libri commendetur Regula S. Benedicti, qui fuit plus centum annis Augustino posterior.

Sexto, causa 27. can. Nubendi licentia: iterum citatur idem liber cap. 24. qui nullo modo Augustini esse potest. Adde quod plurimis in locis Gratianus citat Chrysostomum pro auctore operis imperfecti, et Hieronymum pro Origene.

De Petro Lombardo. 1145.

Petrus Lombardus, Episcopus Parisiensis, eodem tempore floruit, quo Gratianus, et sicut iste collegit Canones, et Canonistarum quasi magister fuit: sic ille collegit sententias sacrorum Theologorum, et magister sententiarum et Theologorum Scholasticorum dici meruit. Ferunt Gratianum, et Petrum Lombardum, et Petrum Comestorem, germanos fratres fuisse: sed fundamento caret ea opinio. Certe in patria non conveniunt: Gratianus enim Ethruscus fuit ex Clusio Civitate: Magister Petrus Lombardus ex Novaria; Petrus Comestor Gallus ex Trecis. Quae scripserit Petrus Lombardus, ex epitaphio sepulchri eius, quod est in Ecclesia S. Marcelli Parisiis, cognosci potest: sic enim ibi legitur. [Hic iacet Magister Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, qui composuit librum Sententiarum, Glossas Psalmorum, et Epistolarum.]

Porro libri Sententiarum, quod est praecipuum opus Magistri Petri, quatuor sunt.

Primus continet sententias Patrum de Trinitate, et Unitate Dei.

Secundus, de creatione Mundi, ac praecipue Angelorum, et hominum, et de gratia Dei.

Tertius, de Incarnatione Verbi, deque virtutibus, et vitiis.

Quartus, de Sacramentis, et novissimis, id est, Resurrectione, Iudicio, etc.

Observatio.

Quamvis Petrus Lombardus Magister appelletur, tamen discipuli eius, Scholastici doctores, viri acuti, et docti, non omnia probant, quae Magister docuit: notantur enim articuli viginti sex, in quibus Magister reijcitur, in additione ad Magistrum excusa typis. Nec solum opiniones eius aliquando refelluntur: sed etiam non defuerunt, qui eum ad Alexandrum tertium Pontificem detulerint, haeresis nomine, quod docuisset, Christum, ut hominem, non esse aliquid. Quam eius sententiam damnatam fuisse in Concilio quodam Parisiensi, iubente Alexandro Pontifice, testatur Matthaeus Paris in historia Anglicana, in Henrico secundo pag. 132. quae damnatio contigit annis novemdecim post obitum eiusdem Petri. Non diu postea accusatus fuit a Ioachim Abbate, quod docuisset, unam summam rem esse Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Sed Concilium Lateranense sub Innocentio tertio, Petri Lombardi sententiam approbavit, et contrariam Ioachimi Abbatis reprobavit.

De Ottone Frisingensi 1145.

Otto Frisingensis Episcopus, insignis nobilitate pietate, et doctrina, fuit Henrici quarti Imperatoris nepos, Henrici quinti sororius, Conradi Regis frater uterinus, Friderici primi patruus, initio Monachus fuit Cisterciensis, ac paulo post Abbas Morimundensis, deinde Episcopus Frisingensis: tandem in ipso eodem monasterio pie Deo animam reddidit anno Dom. 1159 et quoniam Gilbertum Porretanum aliquando valde laudaverat, in morte revocavit, si quid in ejus laudem dixisset, quod fidei Christianae contrarium videri posset. Siquidem aliqui articuli in Concilio Episcoporum ab Eugenio tertio Pontifice damnati fuerant sub nomine Gilberti. Vide haec omnia apud Radevicum lib. 2. de gestis Friderici Imperatoris cap. 11.

Scripsit Otto Frisingensis libros septem Chronicorum ab orbe condito usque ad annum Dom. 1146 quibus addidit librum octavum de fine mundi, Antichristi persecutione, Resurrectione mortuorum, judicio finali, et gloria beatorum, ac supplicijs damnatorum.

Scripsit praeterea de gestis Friderici primi Imp. libros duos; quibus duos alios addidit Radevicus Canonicus Frisingensis.

De Petro Comestore. 1150.

Petrus Comestor, qui et Magister historiae Scholasticae, hoc ipso tempore floruit: dedicavit enim opus suum Uvilelmo Archiepiscopo Senonensi, cui Alexander tertius Papa commisit, ut sententiam quamdam Petri Lombardi damnaret, ut supra diximus. Scripsit historiam sacram 16. libris, qui sunt libri sacri historiales, videlicet Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Iosue, Iudices, Ruth, primus Regum, secundus Regum, tertius Regum, quartus Regum, Tobias, Ezechiel, Daniel, Iudith, Esther, Machabaeorum, Historia Evangelica, et historia Actuum Apostolorum. Scripsit autem inserens verbis sacris multa ex Glossis, et ex prophanis auctoribus, et non raro admiscens incertas historias.

De Theoriano. 1170.

Theorianus quidam Graecus vir doctus, missus fuit a Manuele Imperatore ad Armenos, ut eos ab erroribus circa fidem Christianam revocaret: quod ille egregie praestitit anno Dom. 1170. Extat dialogus Theoriani Orthodoxi cum generali Armenorum, in tomo quarto Bibliothecae sanctorum Patrum edit. secundae, estque dialogus lectu dignus, quamvis Genebrardus lib. 4. Chronologiae conetur excusare Armenos ab errore Petri Gnaphei, tamen indicent lectores, an recte excusaverit.

De Hugone Etheriano. 1177.

HUgo Etherianus natione Thuscus, vir doctus Graece et Latine, Constantinopoli degens scripsit valde erudite librum de processione Spiritus sancti, adversus errores Graecorum: quem librum ad Alexandrum tertium Pontificem misit anno 1177. teste Card. Baronio tomo 12. Annalium, ubi et epistolam eiusdem Alexandri ponit, qua gratias agit Hugoni. Scripsit etiam de regressu animarum ab inferis. Utrumque opus extat in tomo 9. Bibliothecae SS. Patrum, edit. 2.

De Arnoldo Carnotensi. 1177.

Arnoldus Carnotensis, Abbas bonae Vallis, vir admodum pius, et doctus, et sancti Bernardi discipulus, et amicus in primis, ad quem etiam scripsit epistolam 310. de obitu suo iam imminente. Scripsit insigne opusculum de septem verbis novissimis a Christo in Cruce prolatis. Scripsit item de laudibus Virginis Mariae Matris Dei: quae duo opera extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo primo edit. secundae. Scripsit quoque secundum librum vitae sancti Bernardi, qui habetur ad finem operum sancti Bernardi.

De Ioanne Saresperiensi. 1177.

Ionnes Saresperiensis, Episcopus Carnotensis, vixit tempore Alexandri tertij. Scripsit multa, et in iis vitam S. Thomae Cantuariensis, Opus poenitentiale, Obiurgationem Cleri, Polycraticum libris octo, De nugis curialium, Epistolas ad diversos. Extant impressa anno 1513.

De Petro Blesensi. 1177.

Petrus Blesensis, Archidiaconus Bathoniensis, vixit tempore Alexandri iii. Pontificis, et Henrici secundi Regis Anglorum, cui diu familiaris et administer fuit. Scripsit multa sapienter et eloquen-

ter. quae nunc extant opera Ioannis Bufaei: edita sunt Moguntiae anno 1600. videlicet epistolae 180.

Tractatus de transfiguratione Domini.
Tractatus de Conversione sancti Pauli.
Compendium in Iob.
Tractatus de Hierosolymitana peregrinatione.
Instructio fidei ad Soldanum Iconij.
Liber de confessione Sacramentali.
Liber de satisfactione a Sacerdote iniungenda.
Canon Episcopalis, sive de institutione Episcopi.
Invectiva contra depravatorem.
Tractatus de amicitia Christiana.

Adhaec meminit ipse in Invectiva aliorum operum suorum quae non videntur extare. Inveniuntur multae huius Petri epistolae in tomo 12. Annalium Card. Baronij: et instructio fidei ad Soldanum, invenitur etiam apud Matthaeum Parisiensem ad annum Dom. 1169. sub nomine Alexandri III. Pontificis. Pontifex enim eam direxit nomine suo, quamvis a Petro Blesensi conscriptam.

De Gulielmo Tyrio 1180.

Gulielmus Archiepiscopus Tyri vivebat anno Dom. 1180. quo anno Manuel Imperator Graecorum obiit, ut ipse testatur libro 22. historiae suae cap. 4. et 5.

Scripsit historiam de bello sacro libris viginti tribus, sed liber vicesimus tertius ab ipso inchoatus, non absolutus fuit. Incipit ab anno Dom. 1095. et perduxit historiam usque ad annum 1180. sed continuavit Ioannes Heroldus additis libris sex ad annum Dom. 1521.

De Helmoldo Butsoniensi. 1180.

Helmoldus Canonicus Butsoniensis eodem tempore scripsit historiam Henetorum, sive Sclavorum, a Carolo Magno usque ad annum Dom. 1168.

De Gothefrido Viterbiensi 1180.

Gothefridus Viterbiensis Notarius Conradi III. Friderici primi Imperatorum. scripsit Chronicum universale, quod appellavit Pantheon, fortasse, quod contineat res gestas omnium Principum, tum Ecclesiasticorum, tum temporalium. Principes enim Dij appellantur in scripturis. Scripsit autem partim prosa, partim carmine, et divisit opus suum in partes viginti, et dedicavit illud Urbano III. summo Pontifici, ad cuius Pontificatum historiam suam perduxit. idest, ab initio mundi usque ad annum Dom. 1186.

Porro hoc ipso anno nupsit Constantia filia Rogerij Regis Siciliae, Henrico sexto filio Friderici primi, adolescenti annorum viginti et unius adhuc vivente parente eius Friderico primo, ut idem Gothefridus testatur parte decima septima extrema.

Ex quibus refellitur fabula de Constantia filia Rogerij. Sanctimoniali, et vetula, per dispensationem Caelestini III. nubente Henrico sexto.

Caelestinus enim tertius sedere coepit anno Dom. 1191.

De Gulielmo Neubrigensi. 1190.

Gulielmus Neubrigensis eodem tempore scripsit historiam Anglicanam libris quinque, et lib. 4. cap. 13, deplorat infelicem exitum Friderici primi, ob iniustam persecutionem factam legitimo Pontifici Alexandro III. Coepit historiam suam ab anno Dom. 1066. et brevissime pertransiit usque ad annum 1135. quo anno se natum fuisse testatur, et ab hoc anno fuse scribit historiam gentis suae usque ad annum 1197.

De Rogerio historico. 1190.

Rogerius de Hoveden insignis historicus scripsit libros duos Annalium Anglicanorum valde diligenter, et pervenit usque ad Ioannes Regem qui regnare coepit anno Dom. 1199.

De Theodoro Balsamone. 1191.

Theodorus Balsamon Patriarcha Antiochenus vixit tempore Xiphilini Patriarchae Constantinopolitani, cui dedicavit suum opus. Georgius autem Xiphilini anno 1191. sedere coepit teste, Baronio Card. tomo 12. Annalium, ad annum 1191. Scripsit Balsamon duos libros Commentariorum, unum in Nomocanonem Photij, alterum in Canones variorum Conciliorum, et SS. Patrum. Fuit autem Balsamon schismaticus, et Romanae Ecclesiae infensus, non minus quam Photius. Vide Baronium loco citato.

De Ioachimo Abbate 1195.

Ioachimus Abbas Florensis Monasterij vivebat anno 1195. Scripsit in Isaiam, et Hieremiam, et Apocalypsim, et Concordiam testamenti veteris et novi: quae omnia extant. Circumferuntur quaedam vaticinia sub eius nomine de futuris Pontificibus Romanis, quae quam fidem mereantur, aliorum sit iudicium: illud mirum est, quod cum ea vaticinia ad solos quindecim Pontifices pertineant: tamen curiositas hominum ad nostra usque tempora extendere illa conatur.

Seculum Decimumtertium ab anno 1200. ad 1300.

De Innocentio tertio Pontifice.

Innocentius III. Pontifex maximum sedere coepit in Apostolica sede anno 1198. et sedit usque ad annum 1216. Vir fuit multae pietatis, et doctrinae, nec minoris prudentiae in Ecclesia gubernanda. Eius opera duobus tomis continentur.

In priore habentur:

Sermones de tempore.
Item de Sanctis, tum proprij, tum communes.

Item de consecratione Pontificis, quatuor.

Ad haec libri :

De Eleemosyna,	1
In septem Psalmos poenitent.	1
De laude charitatis,	1
De mysteriis Missae,	6
De contemptu mundi,	3
Encomium in Christum, et eius Matrem.	
Precationes de passione Christi,	3
De Sanctorum veneratione,	3
Hymnus in Christum, et eius Matrem.	
Conciones paraeneticae ad Concilium,	2
Acta atque decreta Concilij Lateranensis.	

In posteriore tomo sunt :

Epistolarum libri duo : et Constitutionum decretalium libri quinque.

Observatio.

Qui libros Innocentij tertij edidit, praemisit ante Concilium Lateranense admonitionem, in qua dixit, Concilij illius decreta non a Concilio, sed ab ipso Innocentio post Concilium conscripta, atque edita fuisse : quod inde probat, quia in capitulis quibusdam fit mentio Concilij Lateranensis iam peracti, ac praesertim in cap. 29. 33. et 41. Sed hic auctor, quicumque fuerit, omnino deceptus est, et alios nonnullos scriptores decepit. Siquidem Concilium Lateranense, cuius fit mentio in his capitulis, non est Lateranense sub Innocentio III. sed sub Alexandro III. atque ad hunc errorem tollendum e medio, in editione Romana Conciliorum generalium Graece et Latine editorum, In Concilio sub Innocentio III. notatur ad marginem, ubi sint capitula Lateranensis Concilij sub Alexandro III. ibi citata. Itaque decreta Concilij sub Innocentio III. edita, vere Concilij generalis sunt, et ab ipso Concilio constituta, et edita, non a solo Innocentio post Concilium.

De Gunthero. 1203.

Guntherus Monachus Parisiensis scripsit historiam Constantinopolitanam, quae tempore suo contigit, quando videlicet Constantinopolis a Latinis capta est, et Balduinus Flander. Imperator creatus: quae historia extat apud Henricum Canisium tom. 5. pars. 2 antiquae lectionis.

De Helinando. 1203.

Helinandus Monachus Gallus scripsit historiam ab orbe condito usque ad annum 1212. libris quadraginta octo ; quem auctorem praecipue sequuti sunt Vincentius Bellovacensis, et S. Antonius in historia scribenda. Scripsit etiam sermones, et epistolas, et alia, quae utrum excusa extent, ignoro.

De Nicola Choniate. 1205.

Nicetas Acominatus, sive Choniates, floruit post annum 1200 Scripsit enim historiam, quae extat Graece, et Latine, ab anno 1118. usque ad annum 1205. idest, ab Imperio Io. Comneni. Alexij filij, usque ad obitum Balduini primi ex Latinis Imperatoris Constantinopolitani. Dicitur etiam scripsisse libros quinque de fide Orthodoxa, Graeco idiomate, quos non vidi, sed Parisiis excusos esse accepi.

De Conrado Urspergensi Abbate. 1215.

Abbas Urspergensis, cuius nomen diu fuit incognitum, sed tandem Conradum esse innotuit, vivebat tempore Innocentij III. Pontificis : testatur enim ipse, se anno Dom. 1202. factum Presbyterum, et anno 1207. factum esse monachum Praemonstratensem: et anno 1215. factum esse Abbatem Urspergensem.

Scripsit historiam, sive Chronicum a primo Rege Assyriorum Belo usque ad Fridericum secundum Imperatorem, idest, usque ad annum Dom. 1229. et Friderici Imperatoris nonum.

Observatio.

Necesse est, hanc historiam, vel non esse unius auctoris, vel Conradum hunc, inservisse aliqua in historia sua, ex scriptis aliorum. Siquidem anno 1102. scribit se Romae fuisse, cum Paschalis secundus Pontifex feria quinta in Coena Domini publice Imperatorem Henricum excommunicatum pronuntiavit. At ipse (ut paulo ante notavimus) scribit, se anno 1215. factum esse Abbatem Urspergensem : quae certe non cohaerent, nisi forte factus sit Abbas cum esset plusquam centum et quindecim annorum. Sed neque hoc dici potest ; cum ipse idem loquens de initio Pontificatus Innocentij tertij, idest, de anno 1198. dicat, se tunc fuisse in minori aetate, et adhuc laicum: quomodo enim esse poterat in minori aetate, si plusquam centenarius erat ?

Illud quoque observandum est, hunc auctorem, ob amorem erga Imperatores suae nationis, non pauca contumeliosa scripsisse de Innocentio tertio, et Gregorio nono Pontificibus valde pijs et doctis : alioqui autem scriptorem esse satis diligentem, et dignum, qui legatur.

De Honorio Augustudunensi 1220.

Honorius Augustudunensis Presbyter claruit anno Domini 1120. ex Trithemio, qui ei multa opera attribuit, quae fortasse non extant. Extat autem excusa Basileae anno 1544. summa historiarum, sive Chronicum magnum : extat etiam commentarius in libros Salomonis editus Coloniae anno 1544. Extat quoque liber inscriptus Gemma animae, qui liber solet excudi cum auctoribus qui scripserunt de officiis divinis.

De S. Antonio de Padua 1220.

Sanctus Antonius, de Padua appellatus, quia in ea Civitate post multa sanctitatis edita signa, obiit,

et in eadem sepultus mirifice honoratur : patria fuit Ulyssiponensis, et vivente adhuc sancto Francisco, eius ordinem ingressus, doctrina, et miraculis plurimos convertit, vel ab haeresi ad rectam fidem, vel ab improbis moribus ad poenitentiam agendam. Extant eius conciones tum de tempore, tum de Sanctis. Migravitin caelum anno Dom. 1231. et anno sequenti a Gregorio nono Pontifice inter Sanctos relatus est.

De S. Raymundo de Pennaforti. 1230.

Sanctus Raymundus de Pennaforti Barcinonensis, Ord. Praedicatorum, floruit tempore Gregorij noni, cuius iussu collegit in unum volumen quinque libris distinctum epistolas decretales summorum Pontificum, ut ipse Gregorius Papa testatur in prooemio Decretalium. Idem scripsit egregiam summam, quae cum diu manuscripta ferretur, tandem typis mandata est. Obiit senex admodum Barcinonae anno Dom. 1275. illustris vitae sanctitate, et miraculorum gloria : et nostro tempore, ac me ipso praesente, in sanctorum numerum relatus est a Clemente octavo summo Pontifice, anno Dom. 1601.

De Gulielmo Antisiodorensi 1240

Gulielmus Antisiodorensis Episcopus hoc seculo scripsit summam Theologicam Scholastico more, distinctam in libros, tractatus, capita, et quaestiones. Una eius sententia notari solet, ut singularis, quod videlicet merita hominum iustorum prius et principalius a fide quam a charitate dependeant. Sic enim docet libro tertio, tractatu duodecimo, capite primo, quaestione secunda : et capite secundo quaestione prima. Et quamvis ipse fidem praedicet longe alio sensu, quam Lutherani faciant ; tamen sententia eius, hoc potissimum tempore, vitanda esse videtur. Vide, si placet, quae scripsimus libro quinto de iustificatione cap. 15

De Gulielmo Parisiensi. 1240.

Gulielmus Episcopus Parisiensis vivebat anno Dom. 1240. ut colligitur ex articulis quibusdam ab ipso hoc anno damnatis, qui habentur in additione ad libros sententiarum Petri Lombardi.

Vir fuit admodum pius, et doctus : eius opera haec extant Venetiis excusa :

De sancta Trinitate, lib.	1
De primo principio,	1
De Sacramentis,	1
Cur Deus homo,	1
Summa virtutum,	1
Summa vitiorum,	1
De fide, et legibus,	1
De animabus hominum,	1
De bono, et malo,	1
De universo,	6
De professione novitiorum,	1
De dono scientiae,	1
De operibus virtutum,	1
De remediis tentationum,	1
De pluralitate beneficiorum,	1
De claustro animae,	1
De Rhetorica divina,	1
De poenitentia,	1
De Daemonibus,	1
In Exameron,	1
In Psalterium,	1
In Proverbia Salomonis.	1
In Ecclesiastem,	1
In Cantica canticorum,	1
In Evangelium Matth.	1
Sermonum,	1
Epistolarum,	1

De collatione, et pluralitate beneficiorum Ecclesiasticorum tractatus duo

De Iocobo a Vitriaco. 1240.

Iacobus a Vitriaco, natione Gallus. S. R. E. Cardinalis, et Episcopus Tusculanus a Gregorio nono creatus, multis laboribus pro Ecclesia Dei perfunctus in Oriente et Occidente, pie obiit anno Dom. 1240. de quo multa narrat Thomas Cantapratensis eius ferme aequalis.

Scripsit magnum volumen concionum de tempore, in quibus multus est in sacris Scripturis citandis, et exponendis.

Scripsit libros duos historiae Hierosolymitanae, et Occidentalis.

Item librum unum contra Saracenos.

Item libros duos de vita B. Mariae Oegniacensis, quia extant apud Surium, die 23. Iunij. Denique scripsit epistolas ad diversos.

De S. Edmundo Cantuariensi. 1240.

Sanctus Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis a Gregorio nono Pontifice creatus, obiit anno Dom. 1240. et paulo post ab Innocentio IV. Pontifice in sanctos relatus fuit.

Scripsit utilem librum, qui speculum Ecclesiae dicitur; et extat in tomo quinto Bibliothecae sanctorum Patrum, edit. 2.

De Innocentio. IV. 1243.

Innocentius quartus Pontifex, patria Genuensis, vir doctrina et prudentia clarus, sedere coepit anno Dom. 1243. et obiit anno 1254. Scripsit apparatum super Decretales, brevem, sed eruditum. Scripsisse dicitur etiam alium librum, Novellas, sive authenticas, appellatum, necnon librum de Pontificis auctoritate, et Imperatoris iuribus contra Petrum de Vineis. Sed hos duos posteriores libros ego non vidi.

De Alexandro de Hales. 1245.

Alexander Halensis, natione Anglus, Ordinis sancti Francisci, vir doctissimus, et sanctorum

Bonaventurae et Thomae Aquinatis praeceptor, scripsit iussu Innocentij Papae quarti summam Theologiae egregiam, et copiosissimam, quae notissima est. Scripsit postillam in tota Biblia: nec non summam virtutum. Obiit anno Dom. 1245. ut testatur Petrus Rodulphus Tossiniano in historia Seraphica.

De Hugone de S. Caro. 1245.

Hugo de sancto Caro, natione Burgundus, Ordinis Praedicatorum, Cardinalis sanctae Sabinae ab Innocentio quarto Pontefice creatus fuit anno Domini 1244. et pie ac sancte obiit anno 1264.

Scripsit Commentaria brevia in universa sacra Biblia.

Scripsit etiam seorsim in Psalmos: quamvis omnino non constet an Commentaria illa in Psalmos sint huius Hugonis, an Alexandri Halensis.

Item Hugo excogitavit concordantias Bibliorum, teste sancto Antonino 3. par. summae historialis tit. 19. cap. 5. §. 2. et per homines a se delectos opus laboriosissimum perfecit: cui operi (ut facile est inventis addere) posteriorum industria multa addidit.

De Humberto, quinto Generali Praedicatorum. 1245.

Frater Humbertus, patria Viennensis, natione Gallus, quintus Generalis Ordinis Praedicatorum, aequalis fuit Hugonis, quem etiam traxit ad Ordines S. Dominici. Scripsit multa utilia et valde pia: videlicet:

Expositionem Regulae sancti Augustini.

Librum de septem gradibus contemplationis.

Librum de votis essentialibus religiosorum.

Librum de eruditione Concionatorum.

Alium de officiis Ordinis Praedicatorum a Generali usque ad lanitorem.

Alium de vitis primorum Patrum sui Ordinis.

Denique sermones multos valde utiles, qui nuper, idest, anno 1603. recusi sunt Venetiis.

De Matthaeo Parisiensi. 1245.

Matthaeus Paris, sive potius Parisiensis (sic enim vocatur in ipso eius libro, et in indice libri) fuit monachus Albanensis in Anglia tempore Henrici tertij Regis Anglorum. Scripsit historiam Anglicanam a Uvillelmo primo usque ad annum tricesimum quintum Henrici tertij, idest ab anno Dom. 1067. usque ad annum 1250. et hoc ipso anno habentur haec verba, [Hic terminatur fratris Matthaei Parisiensis Monachi S. Albani Chronica.] et ibidem insinuatur eius mors. Continuavit autem aliquis alius usque ad obitum Henrici tertij, idest, ad annum Dom. 1273.

Observatio.

Haec historia multa habet scitu digna, praesertim de rebus Ecclesiasticis, de Concilio Lugdunensi, de dissidio inter Ecclesiam, et Imperium. Sed quoniam edita est ab haereticis Tigurinis, caute legenda est: non pauca enim leguntur tum in ipso libro, tum in notis marginalibus, quae videntur addita ab haereticis, ad invidiam conflandam Ecclesiae Romanae

De Martino Polono. 1250.

Martinus Polonus natione, Monachus professione, Archiepiscopus dignitate, et Poenitentiarius Innocentij quarti Pontificis, scripsit Chronicum, in quo breviter res gestas Pontificum et Imperatorum persequitur usque ad sua tempora, idest, usque ad Honorium quartum, qui sedere coepit ad annum Dom. 1285. quem auctorem in hoc meo libro non posuissem, nisi citaretur ab historicis Magdeburgensibus, atque ab aliis haereticis: fuit enim Martinus vir simplex, et fabellas pro historiis obtrudit, qualis in primis est illa de Ioanne Papa femina. Quod enim Magdeburgenses dicunt, hanc narrationem de Ioanne femina haberi apud Marianum Scotum, et Sigebertum, qui Martinum Polonum praecesserunt, falsum est, ut ostendi in lib. 3. de summo Pontefice capitul. 24. nam in impressis codicibus Mariani et Sigeberti irrepsit haec fabula ex Martini Poloni libro: sed in antiquis manuscriptis non habetur.

De Vincentio Bellovacensi. 1250.

Vincentius Bellovacensis Episcopus ex Ord. Praedicatorum, vixit tempore Innocentij quarti Pontificis. Scripsit opera laboriosissima, ac praesertim quatuor specula, Doctrinale, Historiale, Naturale, et Morale.

Doctrinale speculum continet lib. 17. tractat de omnibus scientijs a Grammatica usque ad Theologiam.

Historiale speculum tradit historias ab initio mundi usque ad annum Domini 1244. sed continuavit aliquis alius usque ad annum Domini 1494.

Naturale speculum continet libros 32. et tractat de rebus omnibus, herbis, avibus. etc. et in ultimo libro de locis. et temporibus: et sua tempora dicit fuisse anno Dom. 1250.

Morale speculum continet libros tres, divisos in partes, et distinctiones, et tractat de passionibus animi, de legibus, de gratia, de vitijs et virtutibus copiosissime. Obijt autem anno Dom. 1256. teste Antonio Senensi in Bibliotheca Ordinis Praedicatorum, qui Vaseum testem adducit.

De speculo morali, vide infra, ubi de S. Thomae scriptis disserimus.

De Henrico Card. Episcopo Hostiensi. 1261.

Henricus natione Gallus hortatu Alexandri Papae quarti scripsit in Epistolas decretales accuratam expositionem. Scripsit celebrem summam multa eruditione canonica plenam. Hic ab Urbano Papa

quarto Card. Episcopus Hostiensis creatus, vixit usque ad annum Dom. 1281.

De Guidone Papa 1265.

Guido Grossus, patria Nabornensis, qui postea fuit Clemens Papa quartus: dum in minoribus esset, scripsit plurima ad Ius civile pertinentia, cuius iuris consultissimus erat. Scripsit etiam in primum et secundum Decretalium. Obijt anno Dom. 1268. pie et sancte, ut semper vixerat.

De Roberto Sorbona. 1256.

Robertus Sorbona tempore sancti Ludovici Regis Francorum, vir multae doctrinae et pietatis, quique Collegium Sorbonae toto orbe celeberrimum Parisijs instituisse dicitur: Scripsit opuscula nonnulla, ut de Conscientia, de Confessione: De itinere ad Paradisum: quae extant tomo quinto Bibliothecae sanctorum Patrum editionis secundae.

De Alberto Magno. 1265.

Albertus ob sapientiam singularem cognomento Magnus, natione Svevus, professione Religiosus, Ordinis S. Dominici, dignitate Episcopus Ratisponensis, ad quam dignitatem ab Urbano quarto Pontifice assumptus fuit: scripsit plurima opera tum Philosophica, tum Theologica, ac omissis philosophicis, extat Summa Theologiae, sed imperfecta.

Commentaria in libros sententiarum.
Commentaria in 12. Prophetas minores.
Commentaria in quatuor Evangelia.
De quatuor coaevis liber unus.
De virtutibus liber unus.
De adhaerendo Deo liber unus.
Compendium Theologicae veritatis lib. 7.
Enchiridion de veris perfectisque virtutibus.

Multo plura tribuuntur Alberto a venerabili Patre, F. Antonio Senensi in Bibliotheca Praedicatorum, et alijs, quae an extant, ignoro. Obijt autem Magnus Albertus anno Dom. 1280.

Observatio.

Inscribuntur libro duo, unus de mirabilibus, et alter de secretis mulierum, Magno Alberto. Sed uterque liber indignus est, qui tanto viro tribuatur: nam superstitiosa quaedam continent, et multa vana.

De Thoma Cantapratensi. 1265.

Thomas Cantapratensis, quem alii Gulielmum, alii Henricum appellarunt; fuit natione Brabantinus, professione Religiosus S. Dominici, dignitate Episcopus suffraganeus Archiepiscopi Cameracensis, et auditor Alberti Magni, ut ipse in opere suo testatur, libro secundo cap. ultimo num. 50. condiscipulus S. Thomae Aquinatis, quem nobilem adolescentem vocat lib. 1. cap. 20. num. 10. Scripsit utilissimum opus de proprietatibus apum duobus libris comprehensum, in quo sub figura apum multa scribit de officio Praelatorum, et subditorum: et miracula, atque exempla sui temporis vere fideliterque describit. Editum est hoc opus Duaci anno 1597. cum annotationibus, et vita auctoris.

Scripsit praeterea idem auctor vitam B. Christinae mirabilis, quae extat apud Surium, mense Iunio, die vicesimo tertio, et vitam sanctae Ludgardis, quae extat apud eundem, mense eodem, die sexto decimo: et addidit unum librum ad vitam sanctae Mariae de Oegnies. Scripsit autem magno labore et longo tempore librum de natura rerum, cuius ipse meminit in praefatione libri de proprietatibus apum. Sed hoc opus tam laboriosum non videtur extare. Dicitur denique hic idem auctor in gratiam sancti Thomae vertisse Aristotelem e Graeco idiomate in Latinum, de quare consulat lector vitam huius auctoris praepositam libris de proprietatibus apum.

De S. Thoma Aquinate. 1265.

Sanctus Thomas Aquinas, natione Italus, patria Neapolitanus, professione Religiosus, Ordinis Praedicatorum, Illustris genere, sed illustrior sanctitate et sapientia: natus est anno Domini 1224. et obijt anno 1274. quo anno obijt etiam sanctus Bonaventura, eius amicissimus, sed hic mense Martio, ille mense Iulio.

Eius opera (ut sanctus Hieronymus de sancto Cypriano scripsit) Sole sunt clariora, ut supervacaneum videatur eorum indicem texere. Describam eorum indicem ex Romana editione, quae iussu Pij quinti Pontificis maximi confecta censetur omnium optima. Tomi sunt septemdecim.

Primus tomus continet vitam B. Thomae, et Commentaria in libros Perihermenias, et Posteriorum analyticorum.

Secundus tomus continet Commentaria in libros octo Physicorum, in lib. 4. de coelo, et mundo, et in lib. 2. de generatione.

Tertius tomus continet Commentaria in lib. 4. Meteororum, in lib. de anima, et in parva naturalia.

Quartus tomus continet Commentaria in lib. 12. Metaphysicorum, Tractatum de ente, et essentia, cum Commentarijs Card. Caietani: et, Expositionem in librum de causis.

Quintus tomus continet Commentaria in libros 10. Ethicorum, et in libros 8. Politicorum.

Sextus tomus continet Commentaria in primum et secundum sententiarum.

Septimus tomus continet Commentaria in tertium et quartum sententiarum.

Octavus tomus continet Quaestiones disputatas, et Quodlibeta.

Nonus tomus continet Summam contra gentiles cum Commentarijs Francisci Fertariensis.

Decimus tomus continet Primam partem summae Theologiae cum Commentarijs Card. Caietani, et expositionem S. Dionysij de divinis nominibus.

Undecimus tomus continet Primam secundae, et, Secundam secundae cum Commentarijs Card. Caietani.

Duodecimus tomus continet Tertiam partem cum Commentarijs Card. Caietani.

Tertius decimus tomus continet Commentarium in Iob : in primam quinquagenam Psalmorum, in Cantica canticorum, in Isaiam, in Hieremiam, et Threnos.

Quartus decimus tomus continet Commentaria in Matthaeum, et in Ioannes.

Quintus decimus tomus continet Auream Catenam ex Patribus contextam in quatuor Evangelia.

Sextus decimus tomus continet Commentaria in omnes epistolas sancti Pauli, et sermones de tempore, et de Sanctis.

Septimus decimus tomus continet septuaginta tria opuscula, et, Scriptum secundum in quatuor libros sententiarum, ad Anibaldum Cardinalem.

Observatio prima in opera sancti Thomae.

Praeter libros in editione Romana numeratos feruntur sub nomine sancti Thomae Commentaria in Genesim, et in libros Machabaeorum, et in septem epistolas canonicas. Sed Commentarium in Genesim a sancto Antonino tertia parte summae historialis tit. 18. cap. 10. reijcitur, ut spurium. Scribit quidem Antonius Senensis in Bibliotheca Ordinis Praedicatorum a sancto Antonino reiici Commentarium in Genesim, quod tunc extabat : non illud, quod nuper inventum et editum est. Sed cum ego Commentarium neutrum viderim, non possum de hac re ferre iudicium. De Commentario in libros Machabaeorum Lutetiae excuso, non habeo quod dicam, quia Commentarium illud non vidi. Commentaria vero in epistolas canonicas videntur mihi erudita, et digna ingenio sancti Thomae, presertim cum in iis cernatur stilus, et modus procedendi sancti Thomae, neque obstat, quod in editione Romana hoc opus non recenseatur. Siquidem eo tempore hoc opus nusquam inveniebatur, et primum in lucem prodiit Antuerpiae anno 1592.

Observatio secunda.

Ex opusculis, quae sancto Thomae tribuuntur, aliqua sunt, quae non est certum esse germana eius opera ; quae quia in editione Romana notata sunt diversitate characteris, de illis nihil dicam. In aliis unum est, quod inscribitur de Regimine Principum ad Regem Cypri : quod mihi multis de causis suspectum semper fuit, primum quia lib. 3. cap. 20. scribit auctor huius operis suo tempore accidisse, ut Adolphus Imperator Rodulpho et Albertus Adolpho succederet. At sanctus Thomas obiit anno 1274. Adolphus autem Rodulpho successit anno 1292. et Albertus Adolpho anno 1299. Posset quidem fieri, ut ista verba ex margine annotata ab aliquo posteriore in textum irrepserint : sed oratio continuata non videtur admittere istam responsionem. Deinde lib. 3. cap. 10. non semel vocat iste auctor summum Pontificem Christi successorem, quod improprie dictum esse nemo nescit, qui Christum Pontificem aeternum esse novit, cui nemo succedit, sed omnes ministrant : at sanctus Thomas ita improprie loqui non solet. Praeterea iste auctor stilum habet a stilo sancti Thomae valde diversum : hic enim presse et breviter scribit, et multa paucis complectitur : ille contra verbis abundat, et pauca multis explicat. Adde, quod hic auctor non pauca levia profert, de nominibus magistratuum lib. 3. cap. 22. et lib. 4. cap. 26. quae sancto Thomae numquam excidissent, quae causae fortasse fuerunt, ut in editione Lovaniensi anni 1562. libri isti de regimine Principum inter opuscula sancti Thomae adscripta non inveniantur. Adde ultimo, cum sanctus Thomas scripserit septem libros de eruditione principum, plane utilissimos, qui habentur inter opuscula Romae edita, non videbatur necessarium, ut scriberet etiam de regimine Principum.

Observatio tertia.

Mirum est valde, quod magna pars primae secundae, et secundae secundae inveniantur iisdem verbis in primo, et tertio libro speculi moralis Vincentij Bellovacensis, et quidem non videtur Vincentius potuisse speculum suum morale conficere ex doctrina et verbis sancti Thomae, cum ipse obierit anno Domini 1256. ut testatur Antonius Senensis ex Vasaeo, in Bibliotheca Patrum Praedicatorum : et sanctus Thomas obierit anno Domini 1274. et in extrema aetate summam Theologiae confecerit. Sed neque est ullo modo credibile sanctum Thomam summae suae partem secundam, eamque nobilissimam, ex alio scriptore hausisse. In his angustiis nihil mihi occurrit, nisi speculum illud morale fortasse non esse Vincentij Bellovacensis, sed alicuius auctoris posterioris, qui fortasse Vincentius etiam diceretur, quique secundam partem sancti Thomae in compendium redigere voluerit. Id quod videtur posse confirmari ex eo quod speculum morale gravius multo esse videtur, quam sint speculum doctrinale, naturale, et historiale, quae tria sine ullo dubio sunt Vincentij Bellovacensis.

De sancto Bonaventura. 1265.

Sanctus Bonaventura natione Italus, patria Balneoregiensis, Ordinis sancti Francisci Minister Generalis, ac postea Albanensis Episcopus et Cardinalis a Gregorio decimo creatus, non in festo Pentecostes, et in Lugdunensi Concilio, ut multi scribunt, sed ante Concilium, et forte in quatuor temporibus Decembris anni 1273. Nam in ipso Concilio Lugdunensi, quod Romae nuper est ed-

tum, invenitur sanctus Bonaventura Cardinalis residere cum caeteris in prima sessione, prima autem sessio celebrata est anno 1274. die 7. Maij, triduo ante Ascensionis festum. Vir fuit sanctissimus, et doctissimus, et multa scripsit, quae Romae edita sunt iussu Sixti V. Pontificis, in octo tomos distributa.

Primo Tomo continentur, Principium sacrae Scripturae, Expositio in Exameron, id est, sermones viginti tres in diversa loca Exameron ex ore dicentis ab auditoribus excerpta. Expositio item in Psalterium, in Ecclesiastem, in Sapientiam, in Lamentationes Hieremiae Prophetae.

Secundo Tomo continentur, Expositio in caput sextum Matthaei, Expositio in Evangelium sancti Lucae, Postilla in Evangelium sancti Ioannis, et Collationes in eundem.

Tertio Tomo continentur, Sermones de tempore, et de Sanctis.

Quarto Tomo continentur, Commentaria in primum et secundum librum Magistri Sententiarum.

Quinto Tomo continentur, Commentaria in tertium, et quartum librum Sententiarum.

Sexto Tomo continentur prima et secunda pars opusculorum; videlicet prima pars quae est:

De reductione artium ad Theologiam.
Breviloquium.
Centiloquium.
Pharetra.
Declaratio terminorum Theologiae.
Principium compendiosum in libros Sententiarum.
Quatuor libri Sententiarum carmine digesti.
De quatuor virtutibus Cardinalibus.
De septem donis Spiritus sancti.
De tribus ternariis peccatorum.
De Resurrectione a peccato ad gratiam.
Diaeta Salutis.
De Ecclesiastica hierarchia.

Secunda pars:

Soliloquium.
De meditatione vitae Domini nostri Iesu Christi.
Libellus meditationum.
De septem gradibus contemplationis.
De quinque festivitatibus Pueri Iesus.
Officium de Passione Dominica.
De sancta Cruce laudatio.
Lignum Vitae.
Speculum de laudibus B. Mariae.
De Corona Beatae Mariae.
De compassione eiusdem.
Philomela passioni Domini aptata per septem horas.
De septem verbis Dominis in cruce.
Psalterium B. Mariae maius.
Psalterium eiusdem minus.
In Salutationem Angelicam.
In Salve Regina.

In septimo Tomo continetur pars tertia opusculorum, quae est:

De institutione vitae Christianae.
De regimine animae.
Speculum animi.
De decem praeceptis.
De gradibus virtutum.
Itinerarium mentis in Deum.
De septem itineribus aeternitatis.
Stimulus divini amoris.
Parvum bonum, sive incendium amoris.
Amatorium.
Exercitiorum spiritualium libellus.
Fascicularius,
Viginti quinque memorialia.
Confessionale.
De ratione confitendi.
De puritate conscientiae.
De praeparatione Sacerdotis ad Missam.
Expositio Missae.
De sex alis Cherubim.
De sex alis Seraphim.

Octavo tomo continetur pars quarta opusculorum, quae est,

De triplici statu Religiosorum.
Speculum disciplinae propter novitios.
Viginti passus Novitiorum.
In Regulam Novitiorum.
De processu Religionis.
De contemptu Seculi.
De reformatione mentis.
Alphabetum parvum boni Monachi.
De perfectione vitae ad Sorores.
Declaratio Regulae Minorum.
Quaestiones circa eandem Regulam.
Quare Fratres Minores praedicent, etc.
De paupertate Christi.
Quod Christus et Apostoli nudis pedibus incedebant.
Apologia Evangelicae paupertatis.
Contra calumniatorem Regulae Franciscanae.
Apologeticus in eos qui Ordini Minorum adversantur.
De non frequentandis quaestionibus.
Collationum libellus ad Fratres.
De reformandis Fratribus, Ad ministros Provinciales.
Appendix continet Compendium Theologiae.
De essentia, invisibilitate, et immensitate Dei.
De Mystica Theologia.

Obiit vir S. Deo et hominibus amabilis valde, anno Dom. 1274. Mense Iulio, die quintadecima, quae erat Dominica, sub auroram, in Concilio Lugdensi, ut in ipso Concilio legitur.

De Petro Tarantasiensi. 1265.

Petrus Tarantasiensi Ordinis S. Dominici Cardinalis Hostiensis a Gregorio X. Pontifice cum S. Bonaventura creatus, ipsi Gregorio succedens, et Innocentius V. appellatus; quinto mense obiit, anno Dom. 1276.

Scripsit in quatuor libros Sententiarum: dicitur etiam scripsisse in Pentateuchum, in Psalmos, in Evangelium Lucae, et in epistolas S. Pauli; et denique Compendium Theologiae. Non defuerunt, qui plusquam centum propositiones eius reprehenderent: sed iussu Ioannis Vercellensis Magistri generalis Ordinis Praedicatorum a S. Thoma defensae sunt, ut ex opusculo eius perspicuum est.

De Henrico Sterone. 1265.

Henricus Stero Monachus Chronicam scripsit ab anno 1. Friderici I. usque ad Rodulphum Aspurgium, idest, ab anno Dom. 1152, usque ad annum 1273. vide Henricum Canisium tomo 1. antiquae lectionis.

De Udalrico Argentinensi. 1280.

Udalricus de Argentina Ordinis Praedicatorum, et Alberi Magni auditor, scripsit in libros quatuor Magistri Sententiarum: et summam Theologiae, ac librum de anima, claruit anno Dom. 1280.

De Ruperto de Russia. 1280.

Rupertus, sive Robertus de Russia, Ordinis Minorum, claruit eodem tempore, et circa annum Dom. 1280. scripsit Commentaria in quatuor libros sententiarum: Expositionem Regulae S. Francisci, et librum de anima.

De Gulielmo Durante. 1280.

Gulielmus Durantes, dictus Speculator, natione Vasco, Episcopus Mimatensis, iure consultus insignis, scripsit Speculum in tria volumina distinctum ad Cardinalem Othobonum, qui fuit postea Hadrianus Papa V. Scripsit etiam rationale divinorum officiorum libris octo, et Repertorium iuris, et Commentaria in Canones Concilii Lugdunensis Vivebat tempore Nicolai III. Pontificis anno Dom. 1280.

De Guidone Archidiacono. 1283.

Guido Baifius, Archidiaconus Bononiensis, scripsit Commentarium in Decretum Gratiani, quod Rosarium appellavit. Scripsit etiam in epistolas Decretales: claruit anno 1283.

De Aegidio Romano. 1290.

Aegidius Romanus ex nobili familia Columnensium. Ordinis S. Augustini Prior generalis, ac postea Archiepiscopus Bituricensis, S. Thomae auditor, et eius doctrinae defensor acerrimus, plurima scripsit tum Philosophica, tum Theologica; sed magna ex parte non extant, nisi manuscripta in variis Bibliothecis. Quae extant Theologica impressa, haec sunt:

In primum et secundum Sententiarum Commentaria.
In Exameron libri duo.
In Cantica Canticorum lectiones novemdecim.
In Epistolam ad Romanos lectiones.
In cap. Firmiter, et in cap. Marthae expositio.
In Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam explanatio.
Tractatus de corpore Christi, de distinctione articulorum Fidei, et de arca Noe.
Theoremata de Sacramento altaris et de corpore Christi.
Tractatus de renunciatione Papae.
Libellus scriptus occasione Clerici minus sufficienter ad Subdiaconum promoti.
Quomodo Reges possint bona Regni Ecclesiis elargiri.
De Regimine Principum libri tres.
Quodlibeta.
Tractatus contra exemptos.
De divina influentia in beatos.
De laudibus divinae sapientiae.
De defectu malorum culpae.
De praedestinatione, praescientia, paradiso, et inferno.
De peccato originali.
Castigatorium in corruptorium librorum Thomae Aquinatis.

Extat etiam manuscriptus liber, quem ego vidi, De potestate Ecclesiastica.

Ex Philosophicis haec habentur typis mandata:

In Metaphysicam Aristotelis, expositio.
In eiusdem libros de anima.
In eiusdem libros de generatione.
In eiusdem libros Priores analyticos.
In eiusdem libros Rhetoricorum.
De materia caeli.
De formatione corporis humani.
Super auctorem libri de causis.
De esse, et essentia.
De motu Angelorum.
De mensura Angelorum.
De congnitione Angelorum.

Sed hi tres postremi tractatus possunt inter opera Theologica numerari. Floruit hic auctor circa annum Dom. 1290.

Observatio.

Opusculum in orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam, et tractatus de corpore Christi; non sunt omnino certa opera Aegidii. Solet citari liber in quartum Sententiarum nomine Aegidii, ut etiam liber de intellectu possibili contra Averroem et de gradibus formarum: sed utrum ii libri extent, ignoro.

De Raymundo Lullo. 1290.

Raymundus Lullus ex insula Maiorica, vixit tempore Philippi Pulchri Regis Francorum, circa annum Domini 1290. Scripsit lingua sua vulgari, multa opera, quorum aliqua versa sunt in linguam Latinam, ut Ars magna, et parva. Hunc Raymundum Eimericus in directorio Inquisitorum, scribit accusatum fuisse ad Gregorium XI. Papam, vel potius accusata fuisse scripta eius, quod continerent plusquam trecentos errores: et Bernardus de Lutzemburgo Raymundum hunc ponit in Catalogo haereticorum. Contra autem non desunt, qui eundem Raymundus colant, ut S. Martyrem,et vocent Doctorem illuminatum, et scripta eius orthodoxa esse confirment: de qua re editus est liber anno 1604. cum hac inscriptione, [Sententia definitiva in favorem Lullianae doctrinae iuris ordine, et Apostolica auctoritate lata, et in veritatis triumphum, inque gloriosae vindicationis memoriam, denuo impressa, et principalibus rescriptis munita.] Quid in hac controversia tenendum sit, nondum videtur esse definitum ab Apostolica Sede, cum tam directorium Eimerici, quam liber illi oppositus, publice, et sine prohibitione legatur.

De Richardo de media Villa. 1290.

Richardus de media Villa, natione Anglus, Ordinis S. Francisci, scripsit in libros quatuor Sententiarum dilucida Commentaria, in quibus S. Thomae doctrinam imitari visus est.

Scripsit etiam in quatuor Evangelia, et in Regulam Fratrum Minorum, et contra Petrum Ioannem librum unum. Dicitur etiam scripsisse de Conceptione B. Virginis, et in epistolas S. Pauli, et de ordine iudiciorum, quod an ita sit, non mihi constat.

De Henrico Gandaversi. 1290.

Henricus a Gandavo natione Belga Archidiaconus Tornacensis, vir doctissimus, scripsit egregium opus Quodlibetorum. Item summam quaestionum ordinariarum. Item de Virginitate, et Poenitentia. Denique etiam Commentaria in libros Physicorum, et Metaphysicorum Aristotelis. Dicitur etiam scripsisse librum De viris illustribus. Obiit anno Domini 1293.

De Ioanne Parisiensi. 1296.

Ioannes Parisiensis, Ordinis Praedicatorum, claruit circa annum 1296. Scripsit in quatuor libros Sententiarum, et, Quodlibeta varia: sed praecipue De potestate Regia, et Papali: et quoniam incidit in tempora turbulenta ob discordiam inter Bonifacium VIII. Pontificem, et Philippum Pulchrum Regem Gallorum, et ipse Parisiis agebat, et docebat, videtur propensior fuisse erga Regem, quam erga Pontificem.

De Dino Mugelano 1299.

Dinus Mugelanus scripsit in titulum de regulis iuris in sexto,claruit tempore Bonifacii Papae VIII. anno 1299.

SECULUM DECIMUM QUARTUM AB ANNO 1300. AD 1400.

De Ioanne Duns Scoto.

Ioannes Duns Scotus, natione Anglus, Ordinis Minorum, vir fuit acutissimo ingenio praeditus, et cum docuisset primum Oxonii, deinde Parisiis, immatura morte diem extremum obiisse dicitur anno Domini 1308. Scripsit haec.

Scriptum Oxoniense in quatuor libros Sententiarum.
Scriptum Parisiense in eosdem libros.
Librum Quodlibetorum.
Librum Collationum Parisiensum.
Librum de primo principio rerum.
Librum Theorematum.
Librum de cognitione Dei.
Tetragrammata quaedam.
Sermones de tempore, et de Sanctis.
Commentaria in Genesim, in Evangelia, et in Epistolas, valde obscura.
Item in Philosophicis.

Scripsit Quaestiones in Porphyrium,item in Aristotelis praedicamenta Perihermenias, Priora, Posteriora, Elenchos, de anima, Metaphysica, et Physica.

De Augustino Anconitano. 1301.

Augustinus Triumphus,patria Anconitanus, professione religiosus sancti Augustini, vir pius, et doctus, floruit ad initium anni 1300. sed obiit anno 1328. cum esset annorum octoginta quinque, ut ex inscriptione sepulchri ipsius constat, quod habetur Neapoli in Ecclesia Fratrum Eremitarum sancti Augustini. Scripsit egregiam summam de potestate Ecclesiae, quae extat Romae edita anno 1584. Scripsit etiam Commentarium in Canticum Beatae Virginis Mariae,quod extat Romae excusum anno 1590. Scripsit plurima alia tum in sanctam Scripturam, tum in Magistrum Sententiarum, tum etiam in Aristotelem, et sermones, ac tractatus varios, qui extare dicuntur in Bibliotheca Vaticana.

De Barlaamo. 1303.

Barlaamus Episcopus Hieracensis, vixit circa annum Dom. 1303. et scripsit Epistolas multas ad Graecos de unione cum Ecclesia Romana, quas edidit Henricus Canisius num. 6. antiquae lectionis.

De Siffrido. 1305.

Siffridus Presbyter Misnensis eodem tempore scripsit epitomen historiarum libris duobus comprehensam ab anno Domini 458. usque ad annum

Dom. 1307. Extat hoc opus impressum cum aliis historicis Germaniae.

De Nicephoro Callisto. 1305.

Nicephorus Callistus historicus Graecus, vixit tempore Andronici Senioris Imperatoris, cui dedicavit historiam suam: proinde vixit post annum Dom. 1300. Historia, quae nunc extat Nicephori Callisti, continetur libris octodecim, et incipit a nativitate Christi, ac desinit in annum eiusdem 625. Credibile autem est, multo plures ab eo libros scriptos fuisse, sed periisse.

Porro in istoria huius auctoris, ut Graeci, et Schismatici, non mirum videri debet, si inveniantur errores proprii Graecorum, ut de processione Spiritus sancti a solo patre, in ipsa praefatione. Magis mirum est, inveniri non paucos errores in rebus historicis, ut ex Annalibus Card. Baronii constat.

De Eberardo. 1205.

Eberardus Archidiaconus Ratisponensis scripsit Chronicum ab anno 1273. usque ad annum 1305. Vide Henricum Canisium primo tomo antiquae lectionis.

De Petro Aureolo. 1317.

Petrus Aureolus Ordinis Minorum, ex Provinciali Aquitaniae, Archiepiscopus Aquensis, floruit anno Dom. 1317. et multa scripsisse dicitur, sed Commentarium in primum librum sententiarum, idque solum Romae impressum vidi, anno 1596.

Citantur multa ex Aureolo apud Ioannem Capreolum, sed ea typis mandata non extant.

De Antonio Andreae. 1317.

Antonius Andreae, natione Aragonius, Ord. sancti Francisci, Scoti discipulus, scripsit in quatuor libros sententiarum: quod scriptum editum est Venetiis anno 1578.

De Durando a sancto Portiano. 1320.

Durandus a sancto Portiano, natione Gallus, Ordinis Praedicatorum, et Episcopus Meldensis, Theologus insignis, scripsit in quatuor libros Magistri sententiarum Commentaria satis dilucida, in quibus quamvis nonnulla scripserit, quae a communi Doctorum sententia abhorrent, quaedam etiam ab Ecclesia improbata sunt, ipse tamen in praefatione commentarii sui in Magistrum, disertis verbis asserit ad Ecclesiam Catholicam Romanam pertinere iudicium de doctrina, seque omnia sua scripta eiusdem Ecclesiae censurae submittere.

Scripsit etiam librum egregium de origine iurisdictionum. Floruit circa annum Dom. 1320.

De Herveo Natali. 1320.

Herveus Natalis Brito, Ordinis Praedicatorum Magister generalis, et Durandi aequalis, ac Theologus doctissimus. Scripsit in Epistolas sancti Pauli, quod opus habetur inter opera sancti Anselmi, ut supra diximus.

Scripsit etiam in quatuor libros Magistri sententiarum.

Item scripsit tractatum de potestate Papae.

Alium de Sacramentis.

Alium de Christi et Apostolorum paupertate.

Alium de utraque potestate Papali, et regali.

Alium de beatitudine.

Item scripsit Quodlibeta.

Item librum adversus Durandum, in iis, in quibus a sancto Thoma dissentit:

Et seorsum librum de unitate formarum contra eundem.

Nec non libros aliquot contra Henricum a Gandavo.

Et multa alia Philosophica scripsit,

De materia caeli,

De aeternitate mundi,

De voluntate,

De secundis intentionibus.

Denique scripsit de Verbo.

De motu Angeli,

De relationibus.

Obiit anno Domini 1325.

De Francisco Mayrone. 1320.

Franciscus Mayronis natione Scotus: professione Religiosus Ordinis sancti Francisci, Scoti discipulus, vixit tempore Ioannis XXII. Papae, anno Dom. 1320.

Scripsit Commentaria in libros quatuor Magistri sententiarum.

Item Quodlibeta.

Formalitates.

De primo principio.

De expositione divinorum nominum.

Et de univocatione.

Quae omnia simul edita sunt Venetiis anno 1520. et 1556.

Scripsit praeterea Quadragesimale, et Sermones de Sanctis.

Item de paurpertate Christi, et Apostolorum.

De virtutibus, et vitiis capitalibus.

De articulis fidei.

De Baptismo.

De humilitate.

De Indulgentiis.

De corpore Christi.

De Angelis.

De suffragiis defunctorum.

De poenitentia.

De ieiunio.

De ultimo iudicio.

De septem donis Spiritus sancti.

Quae omnia iam olim impressa fuerunt Basileae.

De Gulielmo Ockam. 1320.

Gulielmus Ockam natione Anglus, Ordinis Minorum, Scoti discipulus, et aequalis Francisci Mayronis, vir doctus, sed fautor Ludovici Imperatoris quarti, nimis ardens ob quam causam in aliquos errores lapsus meruit, ut in Indice librorum prohibitorum eius nomen poneretur.

Scripsit in quatuor libros Magistri sententiarum.
Librum Quodlibetorum.
De fautoribus haereticorum.
De Sacramento Altaris.
Compendium Theologiae.
De actibus hierarchicis.
De ingressu scientiarum.
De paupertate Apostolorum.
De potestate Pontificum, et Imperatorum.

Opus nonaginta dierum, et dialogos, quae duo opera cum aliis contra Ioannem XXII. scripsit interdicta sunt in Indice librorum prohibitorum.

De Monaldo. 1320.

Monaldus Dalmata Ordinis Minorum, et postea Archiepiscopus Beneventi, scripsit summam Iuris Canonici, quae aurea dicitur, et impressa fuit Lugduni anno Dom. 1516.

Scripsit etiam quaestiones in quatuor libros sententiarum, et sermones. Obiit anno Dom. 1332. Martyrio coronatus apud Saracenos, ut testatur Antonius Possevinus in apparatu sacro, tomo secundo.

De Nicolao Lirano. 1320.

Nicolaus Liranus ex Iudaismo conversus ad fidem Christianam, et Ordine Minorum assumpto, scripsit Commentarium, sive postillam in universa Biblia: quod opus notissimum est; et recognitum impressum est Lugduni anno 1590.

Scripsit praeterea librum de corpore Christi.
Sermones de tempore, et de Sanctis.
Librum contra Iudaeos.
Commentaria in quatuor libros sententiarum.
Quaestiones veteris et novi Testamenti.
Tractatum de Visione Dei.
Expositionem decem praeceptorum.
Tractatum de idoneo ministrante, et suscipiente Sacramentum altaris. Obiisse dicitur anno Dom. 1359.

De Pelagio Alvaro. 1320.

Pelagius Alvarus, natione Hispanus, Religiosus Ordinis Minorum, et Episcopus Sylvensis, vixit tempore Ioannis XXII. Pontificis, circa annum Dom. 1320. cuius Pontificis defensor acerrimus fuit.

Scripsit insigne opus De planctu Ecclesiae.
Apologiam contra Gulielmum Ockam.
Speculum Regum.
Et in libros Magistri sententiarum.

De Petro Bertrando. 1329.

Petrus Bertrandus Episcopus Elvensis, postea Cardinalis, vir doctissimus, disputavit de libertate Ecclesiae contra Petrum de Cugnet, coram Philippo Rege Francorum, anno 1329. et ea disputatio habetur tomo 4. Bibliothecae SS. Patrum. Scripsit etiam librum de origine et usu Iurisdictionum, sive de spirituali et temporali Potestate. Obiit anno 1348: 14. Iunii.

De Nicephoro Gregora. 1330

Nicephorus Gregoras, historicus Graecos, vivebat anno Domini 1344. ut ex fine operis illius intelligi potest.

Scripsit libros undecim de rebus Imperii Orientalis ab eo tempore quo Imperium Orientale devenit in potestatem Latinorum, et perduxit historiam usque ad obitum Andronici iunioris, idest, ab anno Dom. 1200. usque ad annum 1344.

De Petro Paludano. 1330.

Petrus Paludanus natione Burgundus Ord. sancti Dominici, Patriarcha Hierosolymitanus, vir pius, et doctus, claruisse dicitur anno Dom. 1330. tametsi alii eum posteriorem faciant, sed nulli eum collocant ante annum Dom. 1400.

Scripsit in quatuor libros Magistri sententiarum, sed non extant, quod sciam, Commentaria eius, nisi in tertium et quartum librum.

Scripsit etiam tractatum egregium de causa immediata Ecclesiasticae potestatis.

Scripsit quoque sermones de tempore, qui editi sunt Antuerpiae anno 1572. multa alia scripsisse fertur, quae non extant typis excusa.

De Ioanne Villano. 1330.

Ioannes Villanus historicus Florentinus, vixit tempore Ioannis XXII. Pontificis, et successorum eius Benedicti XII. et Clementis VI. et obiit anno 1348.

Scripsit historiam universalem temporis sui satis accurate, quamvis etiam leviter attigerit priora tempora ab erectione turris Babyloniae, usque ad sua tempora.

Scripsit autem idiomate Italico, et totam historiam libris duodecim comprehensam perduxit ad annum Dom. 1348.

Quamvis autem propositum eius fuerit scribere historiam civitatis Florentiae: tamen multa commemorat utilia de rebus Ecclesiasticis, quae ab aliis minus fideliter narrata fuisse inveniuntur.

De Guidone Carmelita 1330,

Guido natione Catalanus, Prior generalis Ordinis Carmelitani, ac postea Episcopus Maioricensis, scripsit ingens volumen de omnibus haeresibus: quod extat impressum Parisiis. Multa alia scripsis-

se fertur, quae ad manus meas non pervenerunt. Claruit anno 1330.

De Astesano Astensi 1330.

Astesanus Astensis scripsit summam casuum conscientiae libris octo, quae typis mandata fuit Venetiis. Vivebat anno Dom. 1330.

De Adamo Goddam 1330.

Adamus Goddamus, Anglus, scripsit Commentaria in quatuor libros sententiarum, quae edita fuerunt Parisiis anno 1512. Vivebat auctor anno 1330.

De Landulpho Carthusiano 1330.

Landulphus, sive Ludolphus natione Saxo, professione Carthusianus, vir valde pius, scripsit historiam vitae Domini nostri Iesu Christi ex Evangeliis depromptam. Scripsit etiam Commentaria in Psalmos, iuxta sensum praecipue spiritualem, claruit circa annum Dom. 1330.

De Lupoldo Bambergensi. 1330.

Lupoldus Bambergensis, vir eruditus, aequalis Landulphi Carthusiani, scripsit librum de juribus Imperii, in quo multa admiscet ad historiam Ecclesiasticam utilia.

De Joanne Andrea. 1330.

Ioannes Andreas Bononiensis Iureconsultus doctissimus floreit tempore Ioannis XXII. Papae, sed obiit anno 1348 Scripsit in quinque libros decretalium, quod opus Novellas appellavit. Scripsit etiam Glossas in sextum, et Clementinas, addidit quoque ad speculum Gulielmi Durantis.

De Bartholomaeo Pisano. 1335.

Bartholomaeus Pisanus Ordinis Praedicatorum edidit summam, quae dicitur Pisanella: quam imitatus est Angelus de Clavasio.

De Joanne Calderino 1340.

Ioannes Calderinus Bononiensis filius adoptivus Ioannis Andreae, scripsit in libros Decretalium. Item Consilia, et Decisiones.

De Joanne de Baccone. 1340.

Joannes de Baccone Anglus, et Ordinis Carmelitarum, Prior Provincialis, Theologus, et Philosophus doctissimus, floruit tempore Clementis VI. Pontificis, et obisse dicitur anno 1346. Scripsit Commentaria in quatuor Magistri sententiarum; Compendium legis Christi; et Quodlibeta: quae typis excusa extant. Alia permulta scripsisse dicitur, quae non vidi.

De Alberico. 1341,

Albericus Roxiatus Bergomensis, scripsit in sextum Decretalium.

De Simone de Cassia 1340.

Simon de Cassia, natione Hernicus, Religiosus Ordinis sancti Augustini, admodum pius, vixit eodem tempore quo Ioannes de Baccone et obiit Florentiae anno Domini 1348.

Scripsit libros quindecim de rebus gestis Domini Salvatoris.

Scripsit etiam librum de speculo Crucis.

Librum epistolarum ad diversos.

Scripsit quoque lingua Italica libros duos de vita Christiana, et expositionem Symboli Apostolici.

De Henrico Susone.

Henricus Suso natione Germanus, Ordinis sancti Dominici, vir fuit piissimus, et devotissimus,

Scripsit horologium sapientiae,

Librum de novem rupibus.

Meditationes de Passione Domini, et alia, vivebat anno 1340.

De Roberto Holkoth. 1349.

Robertus Holkoth, natione Anglus, professione Dominicanus, scripsit in librum Sapientiae lectiones 213.

Item lecturam in Cantica canticorum: et in septem priora capita Ecclesiastici.

Scripsit etiam Commentaria in quatuor libros Magistri sententiarum, et alia quaedam. Floruit circa annum Dom. 1349.

De Thoma Argentinensi 1350.

Thomas de Argentina, natione Germanus, Ordinis sancti Augustini Prior generalis, vixit tempore Clementis VI et obiit Viennae anno 1357.

Scripsit Commentaria in Magistri Sententiarum libros.

Scripsit etiam quaestionum e sacris Scripturis solutiones.

Sermones, et Epistolas, et librum Meditationum.

De Nicolao Cabasila 1350.

Nicolaus Cabasilas Graecus, vixit tempore Io. Cantacuzeni Imperatoris, vel potius Tyranni. Fuit vir valde doctus, et Archiepiscopus Thessalonicensis, sed schismaticus. Scripsit tomos sex de vita in Christo, qui Latine impressi sunt Ingolstadii. Extant etiam libri de tribus Sacramentis, Baptismo, Unctione, et Eucharistia, impressi ibidem. Extat explicatio Liturgiae apud Bignaeum in Bibliotheca Patrum tomo 6. edit. 2. ex qua caput 29. et 30. omnino expungenda essent, vel cautissime legenda. Denique praeter alia multa, scripsit de processione Spiritus sancti contra Latinos, ubi se Lo

stem Ecclesiae aperte demonstrat. Sed hunc librum impressum non vidi.

De Gregorio Ariminensi 1350.

Gregorius Ariminensis, aequalis, fuit Thomae Argentinensis, et eiusdem Ordinis S. Augustini Prior generalis.

Scripsit Commentarium in primum et secundum librum Magistri sententiarum.

Scripsit etiam in Epistolas S. Pauli, et in epistolam S. Iacobi.

De Richardo Armachano 1350.

Richardus Radulphus, Archiepiscopus Armachanus, vixit tempore Innocentii vi Pontificis, et obiit anno 1359.

Scripsit libros novem decem adversus errores Armenorum.

Observatio.

Hic auctor, caute valde legendus est, praesertim libro 10. contra Armenos cap. 4, et cap. 23. et 24. et lib. 11. cap. 4. et sermone primo, et 4. in quibus locis multos errores habet de potestate Presbyterorum, de paupertate Christi, et de statu Religiosorum Mendicantium: consulat lector Thomam Valdensem, qui errores Armachani, et Io. Uvicleft, qui ab Armachano aliqua accepit, diligenter refutat: consulat etiam, si placet. quae nos scripsimus lib. de Monachis cap. 45 et 46.

De Francisco Petrarcha 1350.

Franciscus Petrarcha, patria Florentinus, Archidiaconus Parmensis, et Canonicus Patavinus, lusit aliquando elegantissimis versibus Italicis, amores suos erga Lauram, seu veros, seu confictos, ut haberet materiam exercendae Musae; sed poenitentia ductus, et tempus in cantiunculis illis consumptum deflevit, et in solitudine positus vitam Christiano et pio homine dignam egit, et multa opera gravia atque utilia scripsit, ac tandem pie sancteque obiit anno Dom. 1374. aetatis suae 70.

Eius opera quatuor tomis continentur.

In primo tomo haec habentur:

De remediis utriusque fortunae, lib.	2
De vita solitaria,	2
De Otio Religiosorum,	2
De vera sapientia, dialogi	2
De contemptu mundi, dialogi	3
Septem salmi poenitentiales ad imitationem Davidis.	
De Rep. optime administranda, lib.	1
De officio et virtutibus Imperatoris, lib.	1
Rerum memorabilium, lib.	4
Epitome vitarum virorum Illustrium.	
De pacificanda Italia Exhortatio.	
Ad veteres Rôm. Reip. defensores Oratio	
De libertate capessenda hortatoria Oratio ad Nicolaum Laurentium.	
De obedientia, et fide uxoria.	
De Avaritia vitanda.	
Itinerarium Syriacum.	

In tomo secundo haec sunt:

Epistolarum familiarium, lib.	8
Epistolarum ad quosdam ex veteribus illustriores,	1
Epistolarum sine titulo,	1
Epistolarum de rebus senilibus,	16
Epistolarum variarum,	1
De sui ipsius, et multorum ignorantia,	1
Galli anonymi in Petrarcham invectiva.	
Apologia Petrarchae contra Gallum.	
In Medicum quemdam invectivarum, lib.	4

In tertio tomo sunt:

Epistolae octo de Laurea sumenda.	
Privilegium receptae Laureae.	
Eclogae duodecim.	
Africae, sive de bello Punico carminum, lib.	9
Epistolarum carmine scriptarum,	3
Testamentum Petrarchae.	

In quarto tomo sunt carmina Italica.

De Nicolao Gorram. 1350.

Nicolaus de Gorram, natione Gallus, Ordinis Praedicatorum, vivebat anno Dom. 1350.

Scripsit Commentaria in Pentateuchum,
In Psalmos,
In Cantica,
In Ecclesiastem,
In Ecclesiasticum,
Item in Hieremiam,
In Evangelia,
In Epistolas S. Pauli,
In Epistolas Canonicas,
In Apocalypsim.
Denique etiam in libros sententiarum Magistri.

De Alphonso Vargas. 1359.

Alphonsus Vargas Hispanus, Archiepiscopus Hispalensis, obiit anno 1359. Scripsit in primum Sententiarum, et in libros de Anima: quae impressa sunt Venetiis anno 1566.

De Ioanne Taulero. 1350.

Ioannes Taulerus natione Germanus, Ordinis sancti Dominici, concionator insignis, et piissimus, scripsit:

Sermones de perfectione vitae interioris:
Tractatus de virtutibus.
Epistolas ad diversos.
Cantica spiritualia.
De novem gradibus Christianae perfectionis.
Speculum et exemplar Domini nostri Iesu Christi.
Exercitia de vita et Passione Christi.

Vixit circa annos Domini 1350.

Porro hunc virum, ut suspectum circa fidem, contempsit Ioannes Eckius; sed egregie eum defendit Ludovicus Blosius.

De Manuele Caleca 1375.

Manuel Caleca, Graecus, vir doctus, scripsit librum contra errores Graecorum pro latinis, quem vertit in Latinum idioma Ambrosius Camaldulensis, iussu Martini quinti Pontificis: et eum in libros quatuor partitus est. Vixisse videtur hic auctor post schisma Urbani VI.. et Clementis VII et ante schisma Eugenii IV. et Felicis V. nam libro 4. sui operis scribit, Romanam Ecclesiam suo tempore gubernatam fuisse a duobus Pontificibus, ubi videtur loqui de schismate illo diuturno Urbani VI et Clementis VII, siquidem in eodem libro meminit Concilii Lugdunensis sub Gregorio X. a tempore autem illius Concilii non fuit schisma celebre, nisi schisma Urbani et Clementis: quod enim excitavit Ludovicus Imper. inter Ioannem XXI. et Nicolaum V. brevissimum fuit. Itaque falsum est quod quidam dicunt, interfuisse Calecam in Concilio sub Gregorio X.

De Henrico de Hassia 1380.

Henricus de Hassia Carthusianus scripsit:
- In Magistrum Sententiarum.
- In Genesim.
- In Exodum.
- In Proverbia Salomonis.
- In Apocalypsim s. Ioannis.
- Dialogum inter Episcopum, et Presbyterum.
- Sermones varios.
- Regulas ad discernendum peccatum lethale a veniali.

De obitu eius variant scriptores. Alii volunt obiisse anno 1317. alii 1397. alii 1428.

De Joanne Rusbrochio 1380.

590 S. Gregorius Papa.
Isichius Hierosolymitanus.
626 Sophronius.
639 Ioannes Moschus.
640 Leontius. Ionas.
641 Antiochus. S. Isidorus.
649 S. Eligius Berengosius.
654 Esaias Abbas. S. Maximus Martyr.
655 S. Ildephonsus.
680 S. IulianusToletanus.
687 Anastasius Nicenus.
715 S. Gregorius secundus.
716 S. Anshelmus. S. Marcellinus
731 S. Germanus. S. Beda.
741 S. Ioannes Damascenus.
742 S. Bonifacius Moguntinus.
746 Antonius Melissa.
772 Hadrianus Papa Primus.
776 Paulus Diaconus.
780 Paulinus Aquileiensis. Eginarth. Albinus Alcuinus.
800 S. Nicephorus Constantinopol.
802 Usuardus.
812 S. Ludgerus.
814 Aponius.
817 S. Theodorus Studites.
821 Paschasius Rathertus.
824 Claudius Scotus. Ionas Aurelianensis.
827 Halitgarius. Amalarius. Nithardus. Freculphus.
830 Hilduinus. Theodulph.
Rabanus.
841 Strabus.
S. Eulogius martyr.
842 Haymo. Angelomus.
844 Christianus Drutmarus.
847 Valfridus Strabo.
Simeon Metaphrastes.
858 Photius.
867 Nicetas David.
868 Anastasi bibliothecari Hincmarus.
873 Ioannes Diaconus.
876 Aimoinus.
878 Ado Viennensis.
888 Remigius Antisiodorensis.
891 AmbrosiusAnsbertus.
900LeoSapiensImperator.
901 Idiota.
905 Marcus Eremita.
906 Rhegino Abbas.
907 RadulphusFlaviacensis.
946 Luitphrandus Uvisichind.
956 Stephanus Edversis. Frodoardus.
961 Moses Barcepha.
1012 S. Fulbertus Carnotensis.
1014 S. Burcard Vormaciensis.
1024 Berno Augiensis.
1040 Glaber Rodulphus.
1048Hermannus Contractus
Humbertus Card.
Lambertus Scaphnaburgensis.
Ingulphus.
Petrus Damiani.
Lafrancus.
Guitmundus.
Georgius Cedrenus.
Bertoldus.
Theophylactus.
Micrologus.
Anselmus Cantuariensis.
Anselmus, Lucensis.
Io. Curopalates.
Oecumenius.
Olympiodorus.
Marianus Scotus.
Bruno.
Ivo Carnotensis.
Samuel Marochianus.
1099 Leo Ostiensis.
Zacharias Chrysop.
Sigebertus Gemblacensis.
Godefridus Vindocin.
Euthymi Zigabenus, Io. Zonaras.
Rupertus Tuitiensis, Hildebertus Turonensis.
Algerus.
S. Bernard.
Petrus Cluniacensis.
Hugo de S. Victore, Richardus de S. Vict. Uvilelm
Malmesberiensis.
Gratianus
Petrus Lombardus.
1154 Petrus Comestor.
Otho Frisingensis.
Theorianus.
Hugo Etherianus.
Arnoldus Carnotensis.
Petrus Blesensis.
Gulielmus Tyrius.
Helmold Gothifredus Viterbiensis,
1191 Gulielmus Neubrugensis.
Rogerius Hoveden.
Theodorus Balsamon.
Ioachimus Abbas.
Innocentius Guntherus Helivandus.
Nicetas Choniates.
Honorius Augustudunensis.
Conradus Abbas Urspergensis.
S. Antonius de Padua.
Raymundus de penna forti.
1241 Gulielmus Antisiod.
Gulielmus Parisiensis.
Iacobus a Vitriaco.
Edmundus Cantuar.
Innocentius.
Alexander de Hales.
Hugo de S. Caro.
Humbertus.
Matthaeus Parisiensis.
Martinus Polonus.
Vincentius Bellovac.
Guido Papa.
Robertus Sorbona.
Albertus magnus.
S. Thom.
S. Bonaventura.
Henricus Stero.
Udalricus Argentin.
Petrus de Tarantasia.
Rupertus de Russia.
1277 Guido Archidiac.
Guilelmus Durantes.
Aegydius Romanus.
1285 Raymundus Lullius
Richardus de media villa.
Henricus de Gandavo. Dinus Magellenus.
Io. Parisiensis.
Io. Scotus Augustinus de Ancona.
Barlamus Hieracensis Nicephorus Callistus.
Eberaldus.
Petrus Aureolus.
Antonius Andreas.
Pelagius Alvarus.
Durandus Hervaeus.
Franciscus Mayronis.
Gulielmus Okam.
Monaldus Nicola de Lyra.
Nicephorus Gregoras.
Petrus de Palude.
Io. Villanus.
Guido Carmelita.
Astesanus.
Adam Goddam.
1342 Landulphus.
Lupoldus.
Ioan Andreas.
Bartholomaeus Pisanus.
Ioan. Calderinus.
Ioann. de Bachone.
Albericus Simon de Cassia.
Henricus Suso.
Robertus Olkot.
Grego. de Arimino.
Thom. de Argentina.
Franc. Petrarcha.
Armachanus.
Nicolaus Gabasila.
Nicolaus Gorram.
Io. Taulerus.
Alphonsus Vargas.
Manuel Caleca.
Ioann. Rusbrochius.
Henricus de Hassia.
Petrus de Ancharano.
Augustin. de Butrio.
Ioan. Capreolus.
S. Vincentius.
1410 Franc. Zabarella.
Petrus ab Alliaco.
Io. Gerson.
Thomas Valdensis.
Augustinus de Roma.
Ioannes de Imola.
Ioann. de Anania.
Ioann. de Ragusa.
Henricus Kalteisen.
S. Bernardinus Senensis.
Ioan. de Capistrano.
Ioan. de Polemar.
Alphonsus Tonstatus.
Flavius Blondus.
Nicolaus Abbas Panormitanus.
S. Antoninus Florentinus.
Aeneas Sylvius.
Io. de Turrecremata.
Bessarion.
Andreas Barbatius.
Georgius Scholarius Laonicus.
Ioan. Bassolius.
B. Laurent. Iustinian.
1484 Iosephus Methon.
Greg. Protosincellus.
Nicolaus de Cusa.
Dion. Cart. Th. de Kacp.
Haer. Harph. Alex. de Im.
Bapt. Plat. Ambr. Cam.
Gabriel Biel.
Marsilius ab Ingen. Io. Picus. Iacobus de Valentia.
Marsilius Ficinus. Cyp. Benet. Robertus Gaguinus.
M. Antonius Sabellicus. Iocobus Philippus Berg. Io. Naucler.
Albertus Krantzius. Felin. Sande Iacob. Uvim phelingius Ant. Bonsini Hector Boet. Tho. Caiet. Iac. Almain. Franciscus Ferrariensis. Io. Franciscus Picus. Io. Tabiens. Io Maior. Hadrian. vi. Sylvester Prieras. Io. Roffens. Tho. Morus. Io. Eckhius. Io. Faber. Io. Cochlae Iacobus Latomus. Io. Driedo. Franciscus Victoria. Ambrosius Catharinus Dom. a Sot. Martinus Navarrus.

Heresiarchae

Simon Magnus primus haeresiarcha, existimavit donum Dei pecunia possideri. Act. 8. docuit praeterea mundum non esse creatum a Deo: se esse creatum a Deo se esse Deum, qui in Samaria apparuit, ut Patrem, in Iudea ut filium, in gentibus, ut Spiritum sanctum; non esse necessaria opera bona: Animas migrare de corpore

in corpus. Vide Irenaeum lib. 1. cap 20.

Menander, Saturninus, Basilides, Discipuli Simonis, Iren. lib. 1. cap. 21 et 22.

Nicolaus unus ex septem primis diaconis, docuit licere fornicari, et vesci idolothytis. Iren. lib. 1. c. 27. Alii tamen existimant, Nicolaum diaconum fuisse virum probum, sed Nicolaitas, qui arguntur Apoc. 2. et qui ea docebant, fuisse haereticos, falso nomine Nicolaitas dictos. Vide Euseb. lib. 3. hist. cap. 29.

Cherinthus, et Ebion eius discipulis, Iesum esse purum hominem ex Ioseph et Maria natum docuerunt. Iren. lib. 3. cap. 3. et lib. 1. cap. 25 et 26.

Chiliastae: qui docent, Sanctos regnaturos mille annis post resurrectionem cum Christo in terris; coeperunt tempore sancti Ioannis per Papiam eius discipulum. Vide Eusebium lib. 3. hist. cap. 39.

Gnostici, auctore Carpocrate, secundum Irenaeum lib. 1 cap. 24 vel Nicolao, secundum Epiphanium haeresi 26 vel Valentino, secundum Hieronymum in lib. de Script. Eccles. docuerunt, Animam esse de substantia Dei. Unum esse Deum bonum, alterum malum, et alia id genus vide Augustinum heresi 6.

Carpocrates docuit, Iesum Christum ex Ioseph natum mundum ab Angelis factum, nihil esse bonum, vel malum nisi opinione hominum. Omnia opera esse exercenda, quantumvis pessima, et toties animam ad corpus quasi ad carcerem redituram, donec expleat, iuxta illud. Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. Irenaeus lib. 1. cap. 24.

Caiani inde dicti sunt, quod Caimum, Iudam, Sodomitas, Chore, Dathan, et Abiron, salvatos esse dicunt: negant carnis resurrectionem. Iren. lib. 1. cap. 35.

Valentinus innumeras fabulas invenit, de quo vide Iren. lib. 1. c. 1.

Marcion duo principia posuit, unum bonum, alterum malum. Iren. lib. 1. c. 29.

Hermogenes posuit materiam Deo coaeternam: et in Deo unam tantum esse personam. Tertull. lib. contra Ermogenem.

Montanus Phryx. unde Cataphrygae, asseruit se paracletum esse, et plurimos seduxit inter quos ipsum etiam Tertullianum. Epiphan. haeresi 48. August. haeresi 26. et 86.

Origenes ex philosophia Platonis deceptus multa docuit contra fidei veritatem praesertim de inaequalitate divinarum personarum; de origine animarum; de resurrectione corporum; de salvatione daemonum vide. Epiphanium haeresi 64. et Hieron. ad Avitum, et ad Pammachium de erroribus Origenis, et quintam Synodum generalem.

Helcheseitae docebant, licitum esse fidem ore negare modo in corde retineretur. vide Euseb. lib. 6. hist c. 28.

Rebaptizantes in Africa, Agrippino, qui sanctum Cyprianum in Episcopatu Carthaginensi praecessit, auctore exorti sunt, docuerunt, baptizatos ab haereticis, iterum esse in Ecclesia baptizandos; et quamvis Agrippinus, et S. Cyprianus haeretici appellari non possint, cum Ecclesiae communionem numquam reliquerint: tamen posteri eorum Donatistae, qui pertinaciter anabaptismum defenderunt, merito haeretici habiti sunt. vide S. August. lib. 2. de baptismo contra Donatistas.

Novatiani a Novatiano presbytero Romano, et a Novato presbytero Carthaginensi dicti sunt: docuerunt non esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata post baptismum commissa, neque esse baptizatos sacro chrismate confirmandos. et secundas nuptias esse illicitas. vide Epiphan. haeresi 59. et August. haeresi 39.

Sabellius Noeti discipulus, docuit Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, esse unam personam, sed nomina tria. Epiph. haer. 57.

Paulus Samosatenus Episcopus affirmavit Christum non esse Deum, sed hominem tantum. Circumcisionem servandam, non baptizandum in nomine trium personarum divinarum. Epiphanius haeresi 61. Augustinus haeresi. 44.

Manes, sive Manichaeus anno 4. Aureliani agnosci coepit. docuit, duo esse principia coaeterna, unum bonum, alterum malum, nihil esse vere spirituale, sed omnia esse corporalia. hominem non esse liberi arbitrii, et omnium peccatorum causam esse naturam mali principii. Manichaeum esse Spiritum sanctum paracletum, quem Christus promisit; carnem et vinum esse res immundas natura sua, et ideo ab iis abstinendum esse. Animas migrare de corpore in corpus. Vetus Testamentum esse a malo principio, et ideo reiiciendum. vide Epiphanium haeresi 66 et Augustinum haeresi 46.

Donatus initio schisma fecit, postea haeresim condidit, docuit rebaptizandos baptizatos ab haereticis. In sola Africa, et in sola parte Donati esse Ecclesiam. August. haer. 69.

Arius presbyter Alexandrinus docuit, filium Dei esse creaturam. non esse coaeternum Patri, non esse coessentialem Patri. Christum hominem non habere animam: sed eius loco esse Verbum. Epiphan. haer. 69. August. haeresi 49. Theodoretus. lib. 4. de fabulis haereticorum.

Photinus Sirmiensis Episcopus docuit, Christum non esse Deum, sed purum hominem. Deum non esse trinum, Epiphan. haer. 71.

Macedonius Episcopus Constantinopolitanus docuit, Filium quidem Dei esse Patri per omnia similem, sed Spiritum sanctum esse creaturam. Epiphan. haeresi 78. Augustinus haeresi 52.

Aetius, et Eunomius eius discipulus, docuerunt, Filium Dei esse omnino dissimilem Patri. Spiritum sanctum esse creaturam Filii. Opera non esse necessaria, sed fidem solam sufficere ad salutem Basilius lib. 1 et 2. in Eunomium, August. haeresi. 54.

Aetius, quia Episcopatum obtinere non potuit, docere coepit, Episcopos et presbyteros esse omnino aequales: addidit, non esse orationes et sacrificia offerenda pro defunctis; non esse fervida iunia, et festa ab Ecclesia indicta. Epiphan. haeresi 75. Augustinus haeresi 53.

Apollinarius Laodicenus grammaticus, et poeta melior, quam Theologus, docuit Verbum Dei accepisse carnem humanam sine anima rationali: divinas personas esse inaequales, magnum videlicet esse Spiritum sanctum, maiorem Filium, maximum Patrem. Epiphanius haeresi 77. Augustinus haeresi 55.

Vadius, Anthropomorphitarum auctor, docuit, Deum habere formam humanam. Epiphan. haer. 70.

Helvidius docuit. B. Virginem post Christi nativitatem, habuisse ex Ioseph alios filios. Hieron. contra Helvidium.

Priscillianus docuit, animas esse eiusdem substantiae cum Deo; mundum creatum a Principe maligno: et alia multa stultissima. August. haeresi 70.

Iovinianus docuit, peccata esse paria, praemia Sanctorum esse aequalia virginitatem non praestare coniugio, et alia. August. haeresi 82.

Vigilantius docuit, non esse honorandas reliquias Sanctorum, inanem esse invocationem Sanctorum. Hieron. contra Vigilant.

Pelagius Brito monachus anno Domini 415. coepit docere peccatum originale non esse in hominibus: sine Dei gratia posse impleri omnia mandata, et alia. Augustinus haeresi 88.

Nestorius Episcopus Constantinopolitanus anno 430. coepit docere, B. Virginem non esse matrem Dei, et in

Christo duas esse personas, alteram divinam, alteram humanam. Theodor. lib. 4. de fabulis haeret. et Proso. in chr.

Eutyches Abbas,ut Nestorio contradiceret, docuit in Christo unamesse personam et unam naturam. Evagrius lib. 1. c. 9. et lib. 2. c. 4. Atque hae duae haereses usque in nostra tempora durant in partibus Orientis.

Pacificantes dicti sunt,qui auctore Zenone Imperatore, unionem quamdam facere volebant inter Catholicos, et Eutychianos. Vide Evagrium lib. 3. c. 1. 4. et 30.

Petrus Gnapheus Episcopus Antiochenus, ad errores Eutychetis addidit,ut in trisagio poneretur crux, videlicet, Sanctus Deus, sanctus fortis,sanctus et immortalis, qui crucifixus es pro nobis. Ex quo videbatur sentire,totam Trinitatem fuisse crucifixam.Vide Io. Damascenum lib. 3. de Fide cap. 10. et in epistola de trisagio;et epist. Felicis PP. III.

Iulius Halicarnasseus auctor eorum qui docuerunt Christi corpus a Conceptione impassibile.Vide Ioannes Damasc. in libr. de haeresibus, et Evagrium libr. 4. c. 38 et 39.

Agnoitae auctore Themistio diacono Timothei Alexandrini Episcopi, ad errores Eutychetis et Dioscori addiderunt, Christum ignorare diem iudicii. Vide Io. Damascenum in lib. de haeresibus , et Liberatum in Breviario ca. 19.

Iacobus Syrus docuit candenti ferro inurendam frontem baptizatorum. Nicephor. lib. 18. c. 45.

Io. Philoponus Tritheitarum auctor fuit, qui tres personas divinas, tres Deos esse volunt. Nicephorus lib. 18. cap. 46. et 48.

Armeni sequebantur errores Eutychianorum,et multa addebant. Vide Nicephorum lib. 18. cap. 53. Niconem de erroribus Armenorum, et Theoriani disputationem tomo 3. et 4. Bibliothecae Patrum.

Monothelitae a Cyro Episcopo Alexandrino, et Sergio Constantinopolitano originem ducunt.Initium huius haeresis fuit anno 630. doctrina eorum erat. in Christo unam tantum fuisse voluntatem, et unam operationem ex quo sequebatur unam tantum fuisse naturam. Vide Io. Damascenum in lib. de haeresibus.

Iconomachi, idest, oppugnatores sacrarum Imaginum , fuerunt semper Hebraei,et Mahumethani: nam Ezides Rex Arabum persuasus a quodam Hebraeo malefico, in toto regno suo iussit imagines e templis Christianis auferr . et Leo Isauric. alio Hebraeo impulsore edictum proposuit,ut ubique sacrae imagines de templis tollerentur: unde Iconomachus dictus est, ut testantur Cedrenus, Zonaras, Paulus Diaconus, et alii historici.

Felix Urgelitanus, et Elinandus Episcopus Toletanus docuerunt, Christum esse filium Dei adoptivum , et damnati sunt tamquam renovantes Nestorianismum in Concilio Francfordiensi et ab Hadriano Papa in epistola ad Epicopos Galleciae. Vide Adonem in Chronico.

Claudius Episcopus Taurinensis docuit non esse venerandam Crucem Domini, nec sepulchra, et reliquias Sanctorum , peregrinationem ad limina Apostolorum esse inutilem. Vide Ionam Aurelianensem li. 3. de cultu Imaginum.

Michael Balbus Imperator, teste Cedreno , et Zonara, Resurrectionem corporum negabat , prophetas irridebat , daemones esse non credebat, scortationem peccatum non esse dicebat, Iudam proditorem inter Beatos collocabat.

Gracci coeperunt quidem tempore Nicolai primi, auctore Photio schisma facere: tamen hoc tempore apertissime se ab Ecclesia Romana diviserunt, et errores suos de processione Spiritus sancti a solo Patre, et de sacrificio non celebrando in azymo, et de primatu summi pontificis, et alios defendere coeperunt.

S. Antoninus summae hist. p. 3. tit. 22.

Berengarius Archidiaconus Andegavensis, docuit in Eucharistia non esse verum Christi corpus , et sanguinem : deinde cum hunc errorem revocasset , docuit cum corpore Christi esse etiam substantiam panis , addidit parvulos non esse baptizandos,sed adultos tantum. Itaque viam aperuit haereticis nostri temporis , Zuinglianis in primo errore, Lutheranis in secundo, et Anabaptistis in tertio: tandem tamen resipuit, et in fide Catholica obiit. Vide Lanfrancum , et Guitmundum contra Berengarium : et Blondum decadis 2. lib.3.

Bogomiles, auctore Basilio, qui ab Alexio Comneno Imp. in theatro exustus fuit , docebant , non esse in Deo Trinitatem, Deum humana forma praeditum esse, Mundum a Daemonibus creatum, et alia : testis Euthymius in Panoplia parte 2. titul. 23.

Petrus de Bruis, et Henricus ex monacho apostata, docebant,parvulos non baptizandos, cruces conculcandas, nullum esse in Ecclesia sacrificium, non esse invocandos sanctos,nec pro mortuis orandum.et alia. S. Bernardus ep. 240. et Petrus Cluniacensis in epistola contra hanc haeresim.

Petrus Abailardus, et Arnoldus Brixiens, S. Bernadi tempore docebant gradus esse inaequales in divinis personis ; fidem sine ratione admittendam non esse, et alia id genus multa : testis S. Bernardus in epist. 190. resipuit postea, et sancte obiit, teste Petro Cluniacensi lib. 5. epist. 3. et 20.

Cathari , sive Patareni haeretici docebant , mundum factum esse a daemonibus,Sacramenta nihil valere , et alia , de quibus vide Ioann. de Turrecremata , in summa de Ecclesia, lib. a p. 2. cap. 35.

Valdesius, unde Valdenses, qui et pauperes de Lugduno,anno 1170. docere coepit non esse obediendum Pontifici Romano : potestatem absolvendi a peccatis , et conficiendi Eucharistiam laicis etiam esse concessam: Indulgentias nihil valere ; non extare Purgatorium. Sanctos non attendere precibus nostris: Festa et ieiunia indicta non esse servanda : et alia. De quibus vide S. Antoninum in Summa p. 4. art. 11. ca. 7. et Claudium Cussordium contra Valdenses.

Petrus Ioannis hoc tempore docuit Cfristo latus perforatum adhuc viventi : animam rationalem non esse formam corporis : Ecclesiam universalem esse Babylonem de Apocalypsi : et Papam esse mysticum Antichristum. Guido Carmelita, et Bernardus de Lutzemburgo in Catalogo haeresum.

Almaricus Doctor Parisiensis docuit legem Dei Patris durasse usque ad Adventum Christi: legem Christi usque ad Almaricum : legem Spiritus sancti usque ad finem mundi. Docuit multa alia perniciosissima. Vide Ioan. de Turrecremata lib. 4. Summae part. 2. c. 35. et Vincentium in Speculo historiali lib. 99. cap. 107.

Albigenses tempore Innocentii III. et forte antea, exorti sunt,qui non solum concionibus, sed etiam armis Ecclesiam diu vexaverunt. Errores eorum recenset S. Antonius in Summa Theologica, part. 4. tit. 11. cap. 7. quod videlicet ponerent duo principia coaeterna, unum bonum , alterum malum , more Manichaeorum: et alia id genus. Vide S. Antoninum in Summa historiali.3. part. tit. 19. cap. 1.

Guillelmus de S. amore , Doctor Parisiensis, tempore Alexandri Papae. IV. odio religiosorum mendicantium docuit, illicitum esse omnia relinquere, nisi quis cogatur. Quod idem Desiderius Longobardus docuit et addidit, non esse licitum instituere, vel ingredi ordinem religiosum, qui non habeat possessiones, saltem in communi.

Scripserunt contra hanc haeresim S. Thomas in opusculo contra impugnantes

Religionem. et S. Bonaventura in opusculis variis.

Fraticelli auctore quodam Hermanno cum Dulcitio Novatiensi, haeresim suam inchoarunt, docentes auctoritatem Rom. Ecclesiae cessasse propter malitiam Praelatorum: se solos esse veram Ecclesiam, et perfectos, ut erant Apostoli: se nulli debere obedire, et quod secta ipsorum sit immediate a Christo: quod omnes Pontifices a tempore sancti Sylvestri fuerint praevaricatores, excepto Caelestino V. Haec et similia damnavit Bonif. viii. vide Nauclerum generat. 44 et Io. de Turrecremata lib. 4. Summae part. 2. cap. 37.

Begardi, et Beghinae, auctore Bogonato (erant autem Begardi, Monachi, et Beghinae, Moniales, sed absque votis) docebant, hominem posse in hac vita fieri impeccabilem: et non teneri amplius ad ieiunia, vel orationem: et in gratia crescere non posse, et alia id genus. Vide Alvarum de planctu Ecclesiae lib 2. cap. 52. et Io. de Turrecremata lib. 4. part. 2. cap. 36.

Lollardus Gualter docuit, Luciferum iniuste a Deo damnatum, ut testatur Trithemius in chronico anni 1315. ubi alios etiam errores.

Marsilius de Padua, et Io. de Ianduno, multos errores docuerunt, quos damnavit Ioannes XXII. in Extravacanti, quae incipit, Licet iuxta doctrinam. Summa errorum est, quod sanctus Petrus non fuerit caput Ecclesiae, et quod Christus solverit didrachma necessitate coactus, non ex condescensione.

Flagellantes orti quidem sunt in Italia, sed in Germania maxime propagati. Docebant, non posse salvari eos, qui non se baptizarent in proprio sanguine, flagellantes se nodosis funibus: sacramenta, et caetera opera bona contemnebant. Purgatorium in alia vita esse negabant. Denique plurimis erroribus laborabant. Vide Bernardum Lutzemburgensem in catalogo haeresum, et Nicolaum Sanderum de visibili monarchia Ecclesiae.

Ioannes Uviclephus Anglus an 1372. haeresim perniciosissimam docere coepit: de qua vide Concilium Constantiense sess. 8. et Ioannem Cochlaeum in historia Hussitarum li. 3.

Io. Hus Bohemus ex libris Uviclephi haereses hausit et propagavit in Bohemia. Errores ei referunt, et damnantur in Concilio Constantiensi ses. 15.

Vide de hac haeresi, quae adhuc viget, historiam Io. Cochlaei, et Aeneam Sylvium in lib. de origine Bohemorum c. 35.

Hussitae dividuntur in varias sectas. Alii enim dicuntur, Orebitae. Alii Thaboritae. Alii Orphani. Alii Adamitae, sive Pichardi, auctore quodam Gallo, qui dicebantur Pichardus, et Bohemos multos seduxit, dicens se esse filium Dei et vocari Adamum. Vide Aeneam Sylvium de origine Bohemorum, cap. 40. 41. 43. et 57.

Hermannus Rissnich natione Batavus, tempore Alexandri VI. docuit animam mori cum corpore: nullum esse Infernum: Christum fuisse stultum: fidem nostram esse fabulosam: Evangelium falsum. Bernardus Lutzemburgensis in catalogo haereticorum.

Martinus Lutherus Germanus haeresiarcha, et Pater haeresiarcharum anno Domini 1517. perturbare coepit Ecclesiam, et perturbavit usque; ad annum 1546. in quo misere obiit. Docuit errores plurimos. Sed praecipui sunt, hominem sola fide iustificari: liberum arbitrium periisse per peccatum: Papam esse Antichristum: in Eucharistia remanere substantiam panis cum corpore Christi. Indulgentias nihil valere: non esse Purgatorium: per Sacramenta non dari gratias: peccata cum remittuntur, non deleri, sed non imputari: et alia id genus multa. Vide Ioannem Cochlaeum in libro de actis, et scriptis Martini Lutheri.

Andreas Carolostadius, qui primus ex discipulis Lutheri uxorem publice duxit, cum esset Sacerdos, et cum eo Huldricus Zuinglius, et Ioannes Oecolampadius sacramentariam haeresim inchoarunt anno 1526. docentes, in Eucharistia non esse corpus Christi, nisi in signo: et addiderunt, Imagines Christi, et sanctorum esse confringendas. Vide Io. Cochlaeum in libro de actis Lutheri anno 1526.

Balthasar Pacimontanus, et Bernardus Rothmannus sectam Anabaptistarum instituerunt ann. 1527. quae etiam proles Lutheranismi est, et in varias sectas divisa. Docent hi non esse parvulos baptizandos, et, si baptizati fuerint, iterum esse baptizandos; quando adulti erunt. Alios plurimos errores docuit, de quibus vide Io. Cochlaeum de actis Lutheri ann. 1527. et Card. Hosium lib. 1. de haeres. nostri temporis.

Philippus Melanchton Lutheri discipulus Confessionem Augustanam composuit an. 1530. unde Confessionistae et molles Lutherani dicti sunt, qui eam sequuntur. Multos habent errores, ut quod partes poenitentiae sint duae tantum, contritio, et fides, id est, terrores conscientiae, et fides, qua credimus per Christum nobis remissa esse peccata. Vide Cochlaeum in lib. de act. Lutheri.

Ioannes Calvinus Noviodunensis Zuinglii discipulus, contempto magistro propriam familiam instituit an. 1538. docuit, filios baptizatorum nasci sanctos: gratiam semel habitam non posse amitti: omnes veros fideles esse praedestinatos. haec, et his similia habentur in libris quatuor Institutionis. Obiit an. 1567. morbo prediculari, teste Surio in historia ad hunc annum; et blasphemans, ac desperans, teste Hieronymo Balseco in eius vita.

Michael Servetus Hispanus cum esset annorum 25. summum se orbis prophetam esse iactabat. Scripsit autem libros septem de erroribus Trinitatis, in quibus docuit, nullam esse in Deo realem generationem: non esse in Deo personalem distinctionem: non debere homines baptizari, nisi anno 30. tandem an. 1535. ab ipso Calvino Genevae igni traditus est. Vide Io. Cochlaeum de actis Lutheri ad annum 1532 et Surium in historia eiusdem anni

David Georgius Delphis in Batavia natus, praedicavit se esse eximium Prophetarum, et Filium Dei Christo Iesu maiorem, et anno tertio post mortem resurrecturum, et Regnum Israel restituturum. Sed iam anni circiter sexaginta ab eius obitu praeterierunt, et nondum surrexit, neque resurget, nisi in die novissimo cum aliis impostoribus gehennae aeternis ignibus cruciandus. Vide totam historiam apud Surium in historia anni 1535.

Gaspar Suvenchfeldius, unus ex confessionistis, propria dogmata adinvenit, Humanam Christi naturam post ascensionem in divinam esse mutatam, et solo spiritu contentos nos esse debere, vocale verbum, tamquam occidentem literam esse reiiciendum. Vide Fridericum Staphilum in lib. de concordia Lutheranorum.

Andreas Osiander, unus ex confessionistis, sed propter novas haereses, ipsis etiam confessionistis haereticus, docuit. Charitatem, et Iustitiam, et Sapientiam, quibus homo iustus, et sapiens est, esse ipsam Dei essentiam: et Christum iustificare homines solum, iuxta naturam divinam. Vide Fridericum loco citato, et Surium in historia anni 1551.

Io. Brentius non minimus inter confessionistas, docuit, Christi humanitatem ab ipsa Incarnatione, semper fuisse ubique. Unde nati sunt Ubiquistae, adversus quos acriter diu pugnarunt Theodorus Beza, et alii. Vide Surium in historia anni 1564.

Matthias Flaccius illyricus auctor praecipuus historiae centuriatae Magdebur-

gensis, et Lutheranorum rigidorum Pater, praeter alia stultissima dogmata, docuit peccatum originale esse substantiam. Vide in nostris controversiis lib. 5. de amissione gratiae c. 1.

Libertini auctore quodam Quintino Piccardo, docent, licitum esse simulare, et dissimulare fidem, et religionem, et cum omnibus communicare: unum esse tantum spiritum immortalem; Angelos, et animas hominum non esse immortales: Christum non vere obiisse in cruce, sed opinione tantum. Alia multa docent, sed clam, et inter se. Quorum non alium auctorem habeo, nisi Ioannem Calvinum, haeresiarcham, in libro contra Libertinos, ubi dicit, sibi notum esse, multa millia esse in hac secta.

Valentinus Gentilis patria Consentinus an. 1558. Arianismum renovans docere coepit, tres personas divinas esse tres spiritus aeternos, essentiali numero differentes: sed Patrem esse maiorem filio, et Spiritu sancto. Ob quam haeresim ab ipsis haereticis Bernae capite plexus est. Extat haec historia apud Benedictum Aretium, auctorem damnatum, quem citamus, quia alios non habemus.

Franciscus David cum caeteris ministris Transylvanis, novis Samosatenis, et Ebionitis: docent, solum Patrem esse Deum verum; Filium, et Spiritum sanctum esse virtutes Dei, non distinctas a Patre persona, vel relatione, vel essentia. Christum esse purum hominem, sed dici Verbum Dei, quia verba Dei annunciavit, quomodo Io. Baptista dicitur vox. Vide, si placet, in nostris controversiis, lib. 1. de Christo cap. 1. et 2.

VARIA

Anno 42. Augusti inchoante nascitur Iesus Christus. Nam anno 15. Tiberii compleverat Iesus an. 30. Luc. 3. ergo an. 1. Tiberii compleverat Iesus annos 15. ergo si demus ex annis Augusti quindecim ann. concurret annus primus Christi cum anno 42. Augusti.

Christus mortuus est, et resurrexit, et Petrum Ecclesiae praefecit, anno suo 34. Scribit enim Beda lib. de ratione temporum cap. 45. Fidem Ecclesiae habere vixisse Christum in carne mortali, paulo amplius triginta tribus annis.

Concilium primum Hierosolymitanum sub S. Petro, anno Domini 51.

Eusebius in Chronico scribit, Neronem imperasse annis 14. m. 8. sed non ita est: imperavit enim annis 13. m. 7. ex Svetonio Dione, et aliis. Proinde S. Petrus non fuit crucifixus anno 14. Neronis, ut S. Hieronymus, Eusebium secutus 9 scripsit, in lib de Script. Eccl. sed ann. 13 alioqui martyrium S. Petri non contigisset die 29. Iunii, ut Ecclesia celebrat. Obiit enim Nero die 10. Iunii an. 14.

Anno 1. Vespasiani Hierusalem capitur, incenditur, evertitur ut non remaneret in ea lapis super lapidem, iuxta praedictionem Domini. Luc. 19.

Secunda persecutio sub Domitiano.

Domitianus, qui se Dominum, ac Deum haberi, et dici volebat, misere confoditur.

Persecutio tertia sub Traiano.

Hic Traianus vir optimus existimatus est ab infidelibus, ita ut acclamarent novis Principibus, Augusto felicior, Traiano melior, Eutropio teste: fuit tamen vino deditus, et puerorum amoribus, Dione teste, quae illi vitia non agnoscebant, cum sint enormia, et contra naturam.

Persecutio quarta sub Antonino.

Hoc tempore quaestio de Festo Paschae celebrando die Dominico, an cum Hebraeis decimaquarta Luna, diu Ecclesiam vexavit.

Lucius Rex Britannorum ab Eleutherio Pontifice petit et impetrat, qui eum cum sua gente Christianum faciant. Beda, Ado, et alii in Martyorologio et Tertullianus lib. adversus Iudaeos cap. 7.

Quinta persecutio sub Severo; qui annis fere decem Christianos pacem habere permisit, sed postea crudeliter occidi mandavit.

Heliogabalus et Severus adolescentes consobrini, unus post alterum Imperium rexit, illo nihil turpius, et nequius: isto nihil iustius, et sanctis, si fides ei Christi non defuisset. Ubique scribi iubebat, [Quod tibi non vis, alteri ne feceris.]

Sexta persecutio sub Maximino.

Fabianus descensu columbae coelitus missae declaratus fuit a Deo Pontifex futurus. Euseb. lib. 6. hist. cap. 22.

Septima persecutio sub Decio Imperat. quam continuarunt Gallus et Volusianus.

Primum schisma in Rom. Ecclesia Novatiani Antipapae contra Cornelium.

Gothi Rom. Imperium infestare incipiunt.

Octava persecutio sub Valeriano, quem Sapores Rex Persarum a se captum, vilissime habuit, ut etiam dorsum eius calcaret cum equum ascendere vellet.

Nona persecutio sub Aureliano, vel eius Praefectis.

Probus Imperator fortissimus a Chroco Rege Alemannorum Gallias liberat caesis quadringentis millibus hostium. Vopiscus: et tunc simul Ecclesia Gallicana post longas persecutiones aliquantulum requievit Gregorius Turonicus lib. 1. cap. 32.

Carus Imperator quamvis Ethnicus, Ecclesiam Thessalonicensem a tributis immunem facit. lib 8. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis.

Diocletianus Curino devicto, Maximianum collegam assumit anno Imperii tertio.

Decima persecutio saevissima sub Diocletiano, et Maximiano qui nihilominus cum non possent praevalere, deposuerunt Imperium, tradentes illud Constantio, et Galerio. Galerius, Maximinum et Licinium Imperatores fecit: et Romae Maxentius, Maximiani filius. Imperium assumpsit, sed brevi omnibus extinctis, solus Constantinus feliciter totum orbem Romanum diu tenuit.

Concilium generale primum Nicenae habitum 318. Episcoporum, in quo Arius damnatus fuit.

Persecutio XI. sub Constantio Ariano.

Schisma secundum Felicis cum Liberio: sed uterque aliquo tempore legittimus fuit.

Persecutio XII. sub Iuliano atrox sed brevis.

Persecutio XIII. sub Valente Ariano.

Schisma III. Ursicini contra Damasum.

Secunda Synodus generalis, prima Constantinopolitana, contra Macedonium, et alios negantes divinitatem Spiritus sancti.

Circa haec tempora S. Augustinus instituit Ordinem Clericorum Regularium; qui simul cum scipso vitam communem agebant.

Ann. 410. Roma capta est ab Alarico Rege, anni 1102. ab eius conditione.

Schisma IV. Eulalij contra Bonifacium.

Hoc tempore conditur civitas Venetiarum anno Dom. 421.

Tertia Synodus generalis habetur Ephesi an. Domini 431. contra Nestorium.

Attila Rex Hunnorum, flagellat Italiam.

Quarta Synodus generalis habetur Chalcedone, anno 481, contra Eutychetem, et Dioscorum.

Vesuvius mons Campaniae, qui anno primo Titi Impingentem copiam minutissimi pulveris evomuerat, teste Svetonio et aliis: iterum hoc tempore, anno 471. ita immensam copiam evomuit, ut totam fere Europam obtenebraret. Marcellin. et alii. Et non diu postea tempore Theodorici Regis Italiae idem accidit, quam eruptionem pulchre describit Cassiodorus lib. 4. variarum, epistola quinquagesima.

In Augustulo defecit Imperium Occidentale, ut in Augusto coepit. Iulius enim Caesar Dictator perpetuus fuit, non proprie Imperator, quamvis re ipsa imperaret.
Odoacer etiam, et Theodoricus, non Imperatores, sed Reges Italiae dici voluerunt.

Hoc tempore persecutio Vandalica in Africa Catholicos crudeliter vexabat.

Hoc eodem tempore Imperator Anastasius Eutychianus haereticus erat. Reges Italiae, Hispaniae, et Africae, Ariani. Reges Francorum, Anglorum, Germanorum, Pagani, et tamen Christiana Ecclesia destrui non potuit, quia fundata est super petram, et portae inferi adversus eam non praevalebunt.

Schisma quintum Laurentii contra Symmachum.

Ordo Monachorum sancti Benedicti hoc tempore incipit.

Theodoricus Rex Arianus: sed alioqui prudens et Ecclesiae Romanae, et summa Pontifici multum honoris deferens, et ideo feliciter regnans, ubi Ioannem Pontificem in carcerem coniecit, et Symmachum ac Boetium interfecit, eodem anno miserrime cum Regno vitam amisit.

Bonifacius secundus successorem sibi elegit Vigilium, sed cassavit paulo post electionem illam quam sentiebat omnibus displicere.

Schisma VII. per Vigilium contra Sylverium.

Vigilius, qui corruptus ambitione schisma fecerat, et multa mala promiserat Augustae, mox ut legitimus Pontifex esse coepit, a Deo mutatus constantissime restitit Augustae, et pro fide Catholica fortissime dimicavit.

Quinta Synodus generalis Constantinopolitana secunda.

Post Theiam nullus amplius fuit Rex Gothorum in Italiae: sed Narses titulo Ducis eam rexit, sed paulo post irritatus ab uxore Iustiniani, Longobardos in Italiam vocavit.

Alboinius Rex Longobardorum, regnare coepit in Italia anno. 568. Sed brevi occisus fuit, ut etiam eius successor Clephis, deinde per annos decem Rege caruerunt Longobardi, et Duces multi Provincias sibi diviserunt, donec iterum Autaris Rex electus est: caeterum Longobardi numquam tota Italia potiti sunt: semper enim partem Italiae cum ipsa Urbe Imperatores Graeci per Exarchos tenuerunt.

Anno 589. inundatio Tyberis maxima quam sequuta est pestis gravissima.

S. Gregorius Papa missis in Angliam sanctis Monachis, Augustino, et Sociis, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis, magnam partem Angli Saxonum a Paganismo ad Fidem Christi convertit, merito a Beda vocatus Apostolus Anglorum.

Sub hoc Pontifice templum Agrippae, quod Pantheon dicebatur, consecratum fuit B. Mariae Virgini, et omnibus sanctis Martyribus, Romae Phoca Imperatore consentiente.

Heraclius dum Catholicus esset, a Deo protectus, Persas magnis cladibus affec t, et lignum santae Crucis recuperavit, sed postea haereticus Monothelita factus, imbellis, et inglorius infelicissimo exitu periit.

Mahometes pestis orbis terrarum hoc tempore sectam suam inchoavit, et anno Domini 629. Regnum Saracenorum occupavit.

Honorius Papa accusatur a Graecis, quod faverit Monothelitis: sed egregie defenditur a sancto Maximo Graeco, auctore illius temporis, et Martyre.

Ab hoc anno Regnum Francorum per magistros domus gubernari coepit, solo fere nomine Regibus relicto: quod genus regiminis continuatum est usque ad Pipinum, id est, usque ad annum Domini 750. Sigebertus, et alii.

Sub Adeodato Pontifice, ac de eius licentia Veneti Ducem eligere incipiunt. Petrus Iustinian. lib. 1. hist. Ven.

Hoc anno cometa tribus mensibus arsit, et tribus annis sequentibus non pluit.

Sexta Synodus Generalis Constantinopolitana tertia, contra Monothelitas.

Anno 608. Post ecclipsim Lunae, gravissima pestis grassari coepit in Urbe, quae non cessavit, nisi altari sancto Sebastiano Martyri erecto in Ecclesia sancti Petri ad Vingula. Paulus Diaconus.

S. Kilianus Monachus Hibernus per haec tempora Francis Orientalibus evangelizat fidem, et eorum appellatur Apostolus.

Anno 690. celebratur Synodus quinisexta, unde sunt Canones Trullani: quam Beda merito erraticam vocat, et a Sergio Papa reiectam fuisse testatur in lib. de sex aetatibus.

Hic Aripertus restituit Alpes Coctias Rom. Ecclesiae. Paulus Diaconus, et Leo Ostiensis.

Constantino Pontifici Constantinopolim proficiscenti, Nicomediae Imperator occurrens prostratus, publice pedes deosculatur. Anastasius in vita Costantini.

Per haec tempora regnat in Anglia Ina Rex, quianno Domini 740. Gregorii tertii, 10. fecit Regnum suum vectigale Apostolicae Sedi. Polydorus.

Hoc anno contigit inundatio Tiberis maxima. Item admiranda visio de poenis Purgatorii, et Inferni, cuiusdam qui a mortuis surrexit, et scripta est a S. Bonifacio Episcopo, et martyre, in Epistola quam integre ponit Card. Baronius in tomo Annalium 9.

Rachis cum ut hostis contra Ecclesiam Romanam armatus veniret: a Zacharia Pontifice non solum placatus est, sed etiam ita permotus, ut Monachus in monte Casino sanctus fuerit.

Hoc anno Pepinus auctoritate Pontificis Zachariae Rex Francorum efficitur.

Schisma octavum per Theophylactum Antipapam.

Constantinus Copronicus cum moreretur clamabat, Vivens adhuc igni sum inextinguibili traditus. Cedrenus et alii.
Notent, et horreant nostri temporis Iconomachi.

Primus Episcopus datus Venetiis ab Hadriano Papa, anno 772. Obeliatu nomine. Sabellicus Enn. 8. l. 8.

Anno 774. Carolus Rex Francorum singulos gradus scalarum Basilicae S. Petri deosculans ad Pontificem ascendit, qui eum in atrio super gradus expectabat. Anast.

Septima Synodus generalis, Nicena secunda.

Anno 791. mense Decembri inaudita contigit Romae inundatio Tyberis a Ponte Milvio usque ad Pontem S. Petri, ut etiam supra muros Urbis aqua elevaretur. Anastasius.

Leo Papa tertius transfert Imperium Occidentale a Graecis ad Francos anno 800. in die natalis Domini; qui annus ab aliis dicitur 801. quia a natali Domini annos numerant.

Anno 797. Constantinus Imperator ab Irene matre excaecatus est: et Sol mirabili prodigio, per dies septemdecim obscuratus mansit.

Schisma nonum per Zinzinum Antipapam.

Theophilus Balbi successor persecutionem in Catholicos continuit, ob cultum sacrarum imaginum.

Inter Leonem IV et Benedictum III. fingitur Ioannes, femina.

Schisma decimum per Anastasium Antipapam.

Anno 848. Leo IV. Urbem Leoninam condidit adversus irruptiones Saracenorum. Ita Basilica S. Petri, quae extra Urbem erat, intra Urbem esse coepit.

Nicolai primi tempore Tyberis ex alveo suo egressus, bis Urbem gravissime afflixit.

Octava Synodus generalis, Constantinopolitana quarta, contra Photium pro sancto Ignatio Patriarcha Constantinopolitano.

His temporibus agitur alia Synodus Constantinopolitana pro restitutione Photii, in qua vix credi potest quanta impudentia Photi falsaverit literas Romani Pontificis, et Legatos eius deceperit. Vide Concilia generalia Romae edita, anno 1611.

Post Carolum Crassum magna est orta pertubatio in Imperio. Alios enim creabant Germani, alios Itali. Vide tomum decimum Annal. Card. Baron.

Schisma undecimum Sergii Antipapae contra Formosum.

Formosus Papa doctrina et sanctitate insignis fuit, quicquid aliqui dicant. Id testatur Luitprandus, qui eo tempore vixit; et ex operibus eius id ipsum demonsrat Card. Baronius tomo 10. Annalium: quod autem in eius memoriam peccavit ex ignorantia successor eius Stephanus VII. reformavit postea Ioannes IX.

Ordo Cluniacensis.

Anno 925. apud Cordubam nobilissimus et formosissimus puer sanctus Pelagius, annorum tredecim, pro fide et castitate fortiter pugnans, crudelissimo supplicio interficitur a Rege Arabum, Habdarragman Vide appendicem ad Eulogium.

Anno 938. Sanctus Venceslaus Bohemiae Princeps optimus a proprio Fratre necatus inter sanctos Martyres numeratur.

Anno 950. Ramirus Rex Legionensis fortissimus Saracenos ad internecionem delevit, praelio ingenti apud Talavera commisso.

Hoc anno Otho primus coronatur: ideo ab hoc anno multi numerant annos imperii ipsius.

Schisma duodecimum inter Leonem, et Benedictum, et Ioannem duodecimum.

Leo octavus initio non fuit legitimus Pontifex: quia creatus fuit ab Imperatore, Ioanne 12. adhuc vivente. Sed mortuo Iohanne, et abdicante se Benedicto, coepit esse legitimus; sed non diu supervixit.

Vide seculum infelix, in quo nulli Scriptores Illustres, nulla Concilia, Pontifices parum solliciti de rep. Sed divina providentia fecit, ut nullae surgerent haereses novae.

Otho III. accusatus, quod innocentem Comitem occidisset, adductus precibus uxoris, quae se ab illo de pudicitia postulatam dixerat: cum contra illa Comitem castissimum sollicitasset: paratus erat et ipse occidi, nisi proceres impedivissent, et impudicam ac iniu-

stam uxorem comburi iussissent. Vide Gotifredum Viterbiensem.

Schisma XIII. per Antipapam Ioannem contra Gregorium quintum.

De hoc Sylvestro multa fabulantur aliqui. Sed vere fuit vir magnus, doctus et pius, ut ex inscriptione sepulchri eius, quae extat in Ecclesia Lateranensi, cognosci potest.
Sed quoniam Philosophiae et Geometriae peritus erat, indoctum vulgus existimavit necromanticum fuisse, et cum diabolo pactum habuisse.

Ordo Camaldulensium auctore S. Romualdo.

Anno 1009. Princeps Babylonis a perfidis Iudaeis excitatus Basilicam Hierosolymitanam, ubi Domini sepulchrum conservatur, funditus evertit. Sed paulo post mater Principis eiusdem, quae Christiana erat, eamdem Basilicam maiori nobilitate et splendore reaedificandam curavit: et Iudaei undique pelli coeperunt. Glabet.

His temporibus, quibus Pontifices Romani a pietate veterum degeneraverant, Principes seculi sanctitate florebant: talis Imperator Henricus cum uxore Chunegunda: Romanus. Imp. Graecus, Chnutus Rex Daniae, et Angliae: Stephanus Rex Hungariae cum filio sancto Emerico: Robertus sanctus Rex Francorum.

Schisma XIV. Sylvestri et Ioannis, Antipaparum quibus sublatis, et Benedicto nono renuntiante, creatus est Gregorius IV.

Gregorius VI. depositus fuit tamquam simoniacus a concilio quodam Sutrino, praesente Imperatore. Sed viri gravissimi sentiunt, Concilium illud egisse, quod non poterat: et Gregorium non fuisse simoniacum, sed virum optimum. Vide Card. Baronium tomo. 11.

Leo IX. miraculis claruit. Leo Ostiensis libro 2. cap. 88.

Schisma XV. per Benedictum Antipapam.

Schisma XVI. per Honorium Antipapam, qui Cadalous dicebatur, contra Alexandrum, qui etiam miraculis claruit.

Gregorius VII. miraculis multis claruit: teste Lamberto Scaphnaburgensi.

Schisma XVII per Guibertum, qui Clemens dici voluit.

Ordo vallis umbrosae, auctore S. Ioanne Gualberto

Petrus Igneius Cardinalis sic nominatus, quod cum esset monachus, iussu sancti Ioann. Gualberti, per ignem maximum illaesus transivit, ut probaret, Episcopum Florentinum per simoniam ascendisse ad Episcopatum.

Schisma XVIII. Alberti, et Theodorici contra Paschalem.

Ordo Cisterciensis auctore S. Roberto.

Ordo Canonicorum Regularium.

Ordo equitum S. Ioannis Hierosolymitani anno Domini 1113. sub Paschali.

Concilium Generale, Lateranense primum anno 1119. sub Callixto II. Pontifice.

Ordo Templariorum anno eodem 1119

Ordo Praemonstratensium.
Ordo militum Theutonicorum.

Schisma XIX Petri. Leonis contra Innocentium II.

Concilium Generale, Lateranense II. sub Innocentio II. anno 1139.

Hadrianus Papa quartus, natione Anglus, vir sapiens, et pius, Hiberniam Insulam Henrico secundo Regi Anglorum concessit, ea conditione, ut in ea Insula virtutes plantaret, et vitia eradicaret: ut a singulis domibus quotannis denarium S. Petro pendi curaret: ut iura Ecclesiastica illibata servaret. Extat diploma to. 12. an. Card. Baro.

Schisma 21. Victoris Callixti, et Paschalis contra Alexandrum.

Concilium generale, Lateranense tertium, sub Alexandro III. ann. 1180.

Ordo Carmelitarum confirmatur ab Alexandro III. anno 1180. Item ab Innocentio III. an. 1199. Item ab Honorio III. anno 1216 mitigatur ab Innocentio IV. anno 1248.

Ordo Cruciferorum dicitur confirmatus a Caelestino III. ann. 1197.

Ordo Minorum confirmatur ab Innocentio III. et postea ab Honorio III.

Concilium generale, Lateranense quartum, sub Innocentio III. an. 1215.

Ordo redemptionis captivorum confirmatur ab Innocent. III.

Ordo Praedicatorum confirmatur ab Honorio III.

Ordo Sanctimonialium sanctae Clarae, quae sequuntur regulam fratrum Minorum, confirmatur.

Ordo Eremitarum sancti Augusti ab Innocentio IV. hoc nomen accepit, cum antea Gugliemiti dicerentur.

Ordo Sylvestrinorum confirmatur ab Innocentio IV. anno 1248.

Concilium generale, Lugdunense primum, sub Innocentio IV. in quo deponitur Fridericus Imperator, et decernitur expeditio pro terra sancta recuperanda.

Ordo Eremitarum S. Augustini ab Alexandro IV. reducitur ad unum et eumdem habitum, qui hodie est in usu.

Albigensium ad centum millia vincuntur, divino miraculo, ab octo millibus Catholicorum, Duce Simone, Comite Montis fortis Aemilius libro 6. hist Francorum.

Concilium generale, Lugdunense secundum, sub Gregorio X. pro unione Graecorum cum Latinis.

Mirum, cur iste Ioannes Papa dici voluerit XXI. cum nullos praecesserit XX.

Caelestinus Papa, raro exemplo, dimissa sponte summa dignitate, ad monasterium rediit.

Ordo Caelestinorum.

Ordo Servorum B. Mariae.

Hoc anno incipit Iubilaeum, centesimo quoque anno celebrandum.

Hic Pontifex transtulit sedem Apostolicam in Galliam, ubi mansit annis circiter septuaginta.

Concilium generale Viennense, sub Clemente V. in quo deletus fuit Ordo templariorum.

Anno 1327. opera Ludovici imperat. schisma 22. factum est Nicolai Antipapae contra Ioannem.

Ordo equitum Christi in Lusitania incipit.

An. 1350. Clemens Papa revocat Iubilaeum, ad annum quinquagesimum.

Ordo Iesuatorum, auctore B. Ioanne Columbin. Senense.

Gregorius Papa reducit sedem ad Urbem.

Ordo Montis Oliveti.

Schism. 23. omnium gravissimum, et longissimum, Clementis Antipapae contra Urbanum VI Nam Clementi successit in schismate Bened. xiii. cui schismati volens Conc. Pisanum remedium adhibere, illud auxit, creato Alexandro V. inde enim tres Pontifices simul sedebant; Gregorius xii. Benedictus xiii et Alexander V. et paulo post, Ioann. xxiii.

Ordo S. Hieronymi.
Ordo Scoperum.
Ordo sancti Georgii de Alga.

Concil. generale Constantiense, pro schismate tollendo, in quo Gregorius xii. abdicavit se sponte; idem paulo post fecit Ioann. xxiii.
Benedictus fuit depositus, sed noluit dimittere prehensam dignitatem.

Schisma 25. Clementis Antipapae contra Martinum V. mortuo Benedicto xiii. ann. 1424.

Schisma 26. Felicis Antipapae contra Eugenium iv. an. 1439.

Concil. gene. Florentinum sub Eugenio iv. pro unione Graecorum cum Latinis.

Constantinopolis capitur a Turcis ann. 1452. in ipsis feriis Pentecostes ; sic Deo ulciscente perfidiam Graecorum circa processionem Spiritus sancti a Patre, et Filio.

Sixtus IV. revocavit Iubilaeum ad annos 25.

Hic Hermannus videtur fuisse omnium haereticorum pedidissimus, et stultissimus, quippe, qui cum doceret, animum mori cum corpore : tamen maluit vivus exuri, quam suam haeresim revocare.

Concilium generale Leteranense quintum inchoatur sub Iulio an. 1511. et absolvitur sub Leone anno 1518.

Equitibus Rhodiensibus fortissime resistentibus, Rhodus Insula capitur, non sine magna clade Turcarum.

Ordo Clericorum Regularium confirmatur a Clemente vii ann. 1524. Ordo Capucinorum ab eodem 1530.

Ordo Clericorum S. Pauli ab eodem ann. 1533.

Henricus viii. Rex Angliae anno 1535. ab Ecclesia Catholica deficiens caput Ecclesiae Anglicanae dici voluit: et repugnantes Ioannem Roffenses et Thomas Morum eum aliis multis occidit.

Anno 1540. Ordo Societatis, Iesu auctore B Ignatio Loyola, confirmatur a Paulo III.

Concilium Tridentinum generale inchoatur anno 1545.

Regnum Angliae sub Iulio Pontifice, et Catharina Regina Angliae, ad Ecclesiae unitatem redit : sed post paucos annos sub Elisabetha Regina haeretica iterum ad schisma et haeresim revertitur.

Calvinistae sub nomine Hugonottorum Regnum Galliae infestare incipiunt anno Domini 1560.

Concilium Tridentinum generale concluditur sub Pio iv. anno 1563. Melita insula summa vi a Turcis oppugnatur, sed maiore virtute a Christianis defenditur.

Calvinistae sub nomine Genseorum, id est, vilium personarum, Belgium tumultibus replere incipiunt, anno 1566.

Hoc ann. 1571. ingens victoria navalis de Turcarum classe a Christianis reportata est, cum sancto foedere iuncti essent Pius v. Papa, Philippus ii. Rex, et Resp. Venetorum.

An. 1572. mense Novembri apparuit nova stella mirae pulchritudinis in signo Cassiopea, et duravit ultra annum, et paulatim minui coepit, donec evanescere.

Ordo Clericorum Minorum a Sixto V. confirmatur anno 1588.

Clemens VIII. anno Iubilaei 1600. multa praebuit exempla pietatis, et humilitatis, non solum obiens frequenter septem Ecclesias : sed etiam peregrinis pedes lavans, et eorum victui largiter prospiciens.

INDEX

SCRIPTORUM ALPHABETICUS

A

Abdias propheta, *pag.* 10
Abdias Babylonius 22
Achaiae presbyteri, 22
Adam Goddamus 97
Adelmannus, 75
Addo Propheta, 9
Ado Viennensis, 72
Adrianus VI. 108
Aeneas Gazaeus, 59
Aeneas Sylvius, 102
Aegidius Romanus, 93
Aggaeus Propheta, 12
Ahias Propheta, 9
Aimoinus. 72
Albertus Krantzius, 107
Albertus Magnus, 90
Albinus Alcuinus, 69
Albericus Bergomensis, 97
Alexander de Hales, 88
Alexander de Imola, 105
Algerus Scholasticus 79
Alphonsus Vargas, 98
Alphonsus Tonstatus, 102
Amalarius Trevirensis, 70
Ambrosius Ansbertus, 72
Ambros. Camaldulensis, 105
Ambrosius Catharinus, 110
S. Ambros. Mediolanensis, 38
Amos Propheta 10
Ammonius Alexandrinus 26
Amphilochius, 41
Anastasius Bibliothecarius 72
Anastasius Nicenus, 65
Anastasius Sinaita, 62
Andreas Barbatius, 103
Andreas Caesariensis, 37
Angelomus, 71
Angelus de Clavasio, 105
S. Anselmus Canthuariensis, 75
Anselmus Laudunensis, 77
Anselmus Lucensis, 75
Anthelmus, 66
Antiochus, 64
S. Antonius Abbas, 31
Antonius Andreae, 95
Antonius Bonfinius, 106
S. Antonius de Padua, 87
Antonius de Butrio, 96
S. Antoninus Florentinus, 102
Antonius Melissa, 68
Apollinarius, 36
Apponius 69
Aratus, 62
Aristeas, 14
Arnobius Afer, 29
Arnobius alter, 58
Arnoldus Abbas, 85
Astesanus, 97
S. Athanasius, 31
Athenagoras, 23
S. Augustinus Hipponensis, 47
Augustinus de Ancona, 94
Augustinus de Roma, 100
Avitus Alcimus, 61
Aurelius Prudentius, 46
Aurelius Cassiodorus, 62
Ausonius, 52

B

Baldus, 99
Baptista Mantuanus, 107
Baptista Platina, 105
Baptista Trovamala, 105
Barlaamus, 94
Bartholomaeus Pisanus, 97
Baruch Propheta, 12
S. Basilius Magnus, 36
Beda Venerabilis, 66
Berengosius, 65
M. Accidia è parola greca, e vuol dir tedio, fastidio e rincrescimento; e allora è peccato capitale, quando ad alcuno rincresce il ben fare, e piglia fastidio e dispiacere di esser obbligato di osservare i comandamenti di Dio, e di camminare per la via della virtù. I peccati che produce, sono dispregio de' comandamenti, darsi in preda a' vizii, e disperazione di poter far bene, odio e rancore contra coloro, i quali lo sforzano a lasciar il peccato, e a pigliar la buona via. Il rimedio è non istar mai ozioso, legger buoni libri, considerare il premio grande che promette Dio a chi è diligente nell'osservanza de' suoi comandamenti, e la pena eterna e intollerabile, la qual'è apparecchiata ai negligenti.

(a) Psal. 4.
(b) Basil. in orat. de Ira.
(c) Dom. 12.

DE'PECCATI CONTRO LO SPIRITO SANTO

CAP. XX.

D. Quali sono, e quanti i peccati contro lo Spirito Santo?

M. Sono sei, cioè disperazione della salute, presunzione di salvarsi senza meriti, impugnare la verità conosciuta, invidia della grazia altrui, ostinazione ne' peccati, e impenitenza finale.

D. Perchè si dimandono peccati contro lo Spirito Santo?

M. Perchè si fanno per pura malizia, e massimamente il terzo, il quale più propriamente di tutti è peccato contra lo Spirito Santo, cioè quando la persona conosce la verità, e nondimeno ostinatamente vuol intendere e provare, che non è vero: il peccare per malizia si dice esser contra lo Spirito Santo: perchè allo Spirito Santo si attribuisce la bontà; la qual' è contraria alla malizia; siccome il peccare per ignoranza si dice esser contro il Figliuolo, al quale si attribuisce la sapienza; e il peccare per fragilità si dice esser contro il Padre, al quale si attribuisce la potenza.

D. Che hanno di proprio questi peccati?

M. Hanno questo, che non si perdonano nè in questo mondo, nè anche nell'altro, come ci ammonisce il Signore nell'(a). Evangelo. Il che però s'intende così che sono difficili a perdonarsi; perciocchè è cosa molto rara e difficile, che coloro, i quali cadono in questi peccati, vengano a vera penitenza; siccome quando diciamo, che una malattia è incurabile non vogliamo dire, che non si possa curare in modo veruno, ma che rare volte si cura, anzi che per ordinario non si cura.

DE'PECCATI CHE GRIDANO IN CIELO

CAP. XXI.

D. Quanti sono, e quali i peccati, che gridano in cielo?

M. Sono quattro, cioè, omicidio volontario; (b) peccato carnale contra natura; oppressione (c) dei poveri e massime orfani (d) e vedove; fraudare la mercede al mercenario (e).

D. Perchè si dice, che gridano in cielo?

M. Perchè è tanto manifesta l'ingiustizia di questi peccati, che non si può coprire nè nascondere in modo alcuno.

DE'QUATTRO NOVISSIMI

CAP. XXII.

D. Vorrei qualche documento generale per fuggire il peccato.

M. Il savio dice: ricordati delle cose ultime (a) e mai non peccherai. Le cose ultime sono quattro: morte, giudizio universale, Inferno, Paradiso.

D. Perchè si dimandano ultime queste quattro cose?

M. Perchè la morte è il fine della vita, e l'ultima cosa che ci ha da occorrere in questo mondo. Il giudizio finale è l'ultimo di tutti i giudizii, che si hanno da fare, e però da quello non ci è appellazione veruna. L'inferno è l'ultimo male, che hanno da avere i malfattori, e in quello stato hanno da star sempre senza poterlo mai mutare. Il Paradiso è l'ultimo bene, che hanno da avere i buoni, e non l'hanno mai da perdere.

D. Vorrei qualche considerazione per esercitarmi in questi novissimi, perchè io ricordandomi spesso di essi, non pecchi mai, come dice il Savio da voi allegato.

M. Quanto alla morte potrete considerare questi quattro punti. Il primo, che la morte è certissima, e niuno la può scampare. Il secondo, che l'ora sua è incerta, e molti muoiono quanto meno sel pensano. Il terzo, che nella morte finiscono tutti i disegni di questa vita, e allora si conosce la vanità del mondo. Il quarto, che alla morte ognuno si pente del male che ha fatto, e del bene che non ha fatto; e però è gran pazzia far quello, che siamo certi di dovercene pentire.

Quanto al giudizio potrete considerare questi punti. Primo, che il giudizio si farà di cosa importantissima, cioè del sommo bene o del sommo male. Secondo, si farà dal giudice supremo, che sa ogni cosa, al quale niuno può resistere. Terzo, si farà in presenza di tutto il mondo, onde niuno potrà nascondersi. Quarto, non vi sarà speranza alcuna di fuggir la sentenza, o l'esecuzione della divina giustizia.

Quanto all'Inferno considerate, ch'egli è largo, lungo, alto e profondo: largo, perchè contiene tutte le pene immaginabili: lungo, perchè tutte sono eterne: alto, perchè sono tutte acerbissime in sommo grado: profondo, perchè sono pure pene, senza mescolanza di sorte veruna di consolazione.

Quanto al Paradiso considerate, che similmente egli è largo, perchè contiene tutti i beni immaginabili, e ancor più di quelli, che noi sappiamo immaginare o desiderare; è lungo, perchè tutti quei beni sono eterni; è alto, perchè sono beni altissimi e nobilissimi; è profondo, perchè sono puri beni, senza mescolanza di sorte veruna di male. E qui potrete aggiungere, che i beni di questa vita non hanno niuna di queste quattro condizioni; perciocchè sono pochi, brevi, piccioli e sempre mescolati con affanni e angustie; e similmente i mali di questo mondo sono pochi, brevi piccioli e sempre mescolati con qualche consolazione: onde avete da conchiudere, che veramente hanno perduto il cervello tutti coloro, i quali per amore dei beni di questa vita, e per timore delle tribulazioni presenti, perdono i beni futuri, e cadono ne'mali futuri.

(a) Matth. 11.
(b) Gen. 5.
(c) Gen. 18.
(d) Eccles. 5.
(e) Exod. 22.

(a) Eccles. 5.

ISTRUZIONE

PER LA SANTA COMUNIONE

Punti, che si hanno a credere.

1. Che l'ostia dell'altare, prima che sia consacrata non è altro che un poco di pane, ma subito che il sacerdote ha proferite le parole della consecrazione, si trova in quell' ostia il vero corpo di Cristo nostro Signore, quel medesimo, che nacque della santissima Vergine, che morì in croce, risuscitò e siede alla destra di Dio Padre.

2. Perchè il vero corpo del Signore è vivo, ed unito alla divinità nella persona del Figliuolo di Dio, però insieme col corpo si trova ancora il sangue, l'anima e la divinità; e così tutto Cristo Dio ed uomo.

3. Che dopo le parole della consecrazione l'ostia non è più pane, benchè abbia gli accidenti, cioè il colore, il sapore e l'odore del pane; ma è il vero corpo del Signore, e ciò per virtù di Dio onnipotente, il quale siccome ha creato di niente il cielo e la terra; così fa che il pane ed il vino si converta nel corpo e nel sangue del suo santissimo Figliuolo, restando da sè stessi gli accidenti suddetti del colore, sapore ed odore.

4. Che sebbene questo gran mistero, come le altre meraviglie di Dio, non è necessario intenderlo, ma basta crederlo, essendo certi, che Dio non ci può ingannare: pure si può dare la similitudine del cibo che ogni giorno mangiamo, il quale siccome per virtù del calore ogni prodotto naturale si converte nella nostra carne e nel nostro sangue: così per virtù di Dio l'ostia dell'altare, ed il vino del calice si converte nel corpo, e sangue del Signore.

5. Che nell'ostia consacrata non solo vi è il corpo del Signore, ma insieme il sangue; siccome nel calice non solo vi è il sangue, ma anco il corpo per via di concomitanza, cioè compagnia inseparabile, e perciò sebbene i laici si comunicano solamente coll'ostia, ricevono in essa anco il sangue del Signore.

6. Che il corpo di Cristo signor nostro sta vivo, ed intero in ciascheduna ostia consecrata tanto grande, quanto picciola; anzi in qualsivoglia minima particella, e così non vi è differenza a comunicarsi con una particola grande, ovvero picciola, o altra particella di essa per minima che sia.

7. Che parimente il corpo del Signore è intiero in tutte le particole ed ostie consecrate, e ciò per virtù della sua onnipotenza; e si può dare l'esempio della voce di un predicatore (come insegna s. Agostino) la quale sebbene è una voce sola, è però tutta nello stesso tempo nelle orecchie di tutti gli ascoltanti.

8. Che quando si spezza o divide l'ostia, non si spezza, nè si divide il corpo del Signore, ma i soli accidenti del pane e del vino consegrato; e così Cristo non si parte, nè si divide, ma resta vivo ed intiero in ogni particella, come abbiamo detto di sopra.

9. Che tutte queste verità sono di fede, e bisogna crederle e venerarle senza volerle investigare curiosamente, perchè Dio può fare più di quello, che noi possiamo intendere; e non sarebbero grandi le cose di Dio, se il nostro intelletto e la ragione le potesse comprendere. E questo è il merito della santa nostra fede, credere quello, che non vediamo: *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides; praeter rerum ordinem.*

Punti della preparazione alla santa Comunione.

1. Che bisogna avanti la comunione confessarsi di tutt'i peccati mortali, e sarebbe un orrendo sacrilegio il ricevere la santa Comunione con la coscienza rea di uno, o più peccati mortali non confessati. Qui sarà bene insegnare al popolo la necessaria integrità della confessione sacramentale, tanto circa il numero de'peccati, quanto circa le circostanze aggravanti, e mutanti specie nei casi notati da'dottori.

2. Che si deve esser digiuni in tutto e per tutto, cioè che almeno da mezza notte in giù non si abbia preso niente, nè anco un poco d'acqua.

3. Che conviene accostarsi al sacro altare con divozione, con grandissima umiltà e riverenza, considerando la sovrana maestà e grandezza di Dio che veramente sta in quel santissimo Sacramento, alla cui presenza tremano gli angeli ed i più alti serafini del Cielo: *Columnae coeli contremiscunt et pavent ad nutum ejus. Is.* 26. E per questo nell' atto di comunicare, la santa Chiesa recita quelle umilissime parole del centurione: Signore non son degno, che entriate nella casa mia, ma dite solo la vostra parola, e sarà sana l'anima mia.

4. Che giova il rappresentarsi l' amore infinito del Signore, e la sua santissima Passione, di cui quella sacra mensa è memoriale, e così far conto di trovarsi fra i Discepoli alla cena di Cristo Signor nostro, ovvero a'piedi della croce sul monte calvario, per lavare l'anima sua nel sangue sacratissimo del Signore.

Punti del rendimento di grazie dopo la santa Comunione.

1. Ringraziare di tutto cuore sua divina Maestà per sì gran favore: ed offerirgli tutte quelle lodi e rendimenti di grazie, che le danno gli angeli e i Santi in cielo.

2. Offerire tutto se stesso al suo santo servizio, con proponimento di volersi emendare dalle proprie male inclinazioni, e di più tosto morire, che commettere volontariamente un peccato.

3. Dimandare al Signore il perdono delle colpe commesse, il suo santo ajuto per emendarsi, per vincere le proprie passioni, e chiedere quelle grazie, che sono giovevoli all'eterna salute.

Questi, ed altri simili divoti affetti insegnerà il parroco a quelli, che si avranno da comunicare, più o meno, conforme giudicherà espediente con la sua prudenza.

ATTI DI VIRTÙ

Che si debbono fare con tutto il cuore e che sono necessarii per salvarsi.

ATTO DI FEDE.

Io credo fermamente, perchè così ha rivelato Dio infallibile verità alla santa Chiesa cattolica, e per mezzo di essa lo rivela anche a noi, che ci è un solo Dio in tre persone divine eguali e distinte che si chiamano Padre, Figliuolo e Spirito Santo; che il Figliuolo si fece uomo, prendendo per opera dello Spirito Santo carne ed anima umana nel ventre della purissima vergine Maria, morì per noi in croce, risuscitò, salì al cielo, e di là ha da venire alla fine del mondo a giudicare tutti i vivi ed i morti, per dare per sempre a' buoni il Paradiso, ed ai cattivi l'Inferno. E di più per lo stesso motivo credo tutto quello che crede ed insegna la medesima santa Chiesa.

ATTO DI SPERANZA

Dio mio, perchè siete fedelissimo, onnipotente ed infinitamente buono e misericordioso, io spero che per i meriti della passione e morte di Gesù Cristo, nostro Salvatore, mi darete la vita eterna, la quale voi avete promessa a chi farà opere da buon cristiano, come propongo di fare col vostro santo ajuto.

ATTO DI CARITA'.

Dio mio, perchè siete sommo e perfettissimo bene, io vi amo con tutto il cuore, e sopra ogni altra cosa, e piuttosto che offendervi, son disposto a perdere ogni cosa, e per amor vostro voglio amare il mio prossimo come me medesimo.

ATTO DI CONTRIZIONE

Dio mio mi pento, e mi dolgo con tutto il cuore dei miei peccati non solo per l'inferno che ho meritato e pel Paradiso che ho perduto, ma molto più mi pento, perchè peccando ho disprezzato un Dio infinitamente buono: vorrei prima esser morto, che avervi offeso, e per l'avvenire voglio prima morire, che offendervi mai più, e voglio fuggir ogni occasione prossima di peccato.

FINE DELLA DOTTRINA

DE

ASCENSIONE MENTIS IN DEUM

PER SCALAS RERUM CREATARUM

OPUSCULUM

ROBERTI CARDINALIS BELLARMINI

E SOCIETATE JESU

AD ILLUSTR. ET REVEREND. D. CARD. ALDOBRANDINUM

S. R. E. Camerarium

PETRO ALDOBRANDINO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

ROBERTUS CARD. BELLARMINUS S. D.

Superiore mense Septembri, libellum de ascensione mentis in Deum per scalas rerum creatarum, ut potui, Domino adiuvante, confeci. Eum enim mensem ad vacandum Deo, remotis aliis curis, cum bona Sanctissimi Patris ac Domini nostri venia, mihi ipse delegeram. Et quamvis eum libellum in meum proprie usum conscripseram: tamen consilio et cohortatione amicorum admonitus, ut eum publicari paterer, in tuo potissimum nomine apparere volui. Si qua enim utilitas ex hac mea lucubratione peti potest, ea praecipue ad homines occupatos publicis negotiis, quales imprimis sunt Ecclesiae Principes, redundabit. Tu vero ex Principibus Ecclesiae negotiorum mole gravatis, unus imprimis es: quippe Cardinalis, Archiepiscopus, sanctae Romanae Ecclesiae Camerarius, ex Praepositis universalis inquisitionis officio, et mullarum gravissimarumque; protectionum sollicitudine distentus. Accessit et illa causa huius operis nuncupandi tibi, ut extaret ex me ad memoriam posterorum aliquod ingentium tuorum in me beneficiorum, et meae in te qualiscumque observantiae monumentum. Neque quod exiguum sit munus, ideo minus gratum benignitati tuae futurum esse confido. Libri enim non ex multitudine foliorum, sed ex fructibus atque utilitate pensantur. De hoc vero libello, quid alii iudicabunt, ignoro, mihi certe, praeter caetera mea opuscula, non parum utilem fuisse comperi. Itaque reliquos libros meos nisi necessitate cogente non lego: hunc sponte terque, quaterque iam legi, et deinceps frequenter in eius lectione versari mihi propositum est nisi forte chariorem illum mihi faciat, non meritum eius, sed amor, quod illum, ut alterum Beniaminum in extrema senectute genuerim. Accipe igitur, Cardinalis optime, munusculum a me, quod non solum debitae observantiae testimonium praebeat: sed etiam cuiusdam quasi monitoris fungatur officio. Ut si quando turbae negotiorum te nimium premant, et a consueto studio certis horis Deo per orationem vacandi, impedire conentur; is modeste suggerat, ut eiusmodi turbis ad modicum tempus exclusis, ad interiora et solita gaudia mentem revoces, et vel meditando, vel legendo vaces, et videas, quoniam Dominus ipse est Deus, id est, solum verum, et summum, et sempiternum bonum, cuius adeptio felicissimum, cuius amissio miserrimum hominem facit.

DE

ASCENSIONE MENTIS IN DEUM

PER SCALAS RERUM CREATARUM

PRAEFATIO

Scriptura divina frequenter nos admonet, ut sollicite quaeramus Deum, quamvis enim Deus non longe sit ab unoquoque nostrum, *cum in ipso vivamus, moveamur, et simus*, ut Apostolus loquitur: nos tamen longe sumus a Deo, et nisi assidue disponamus ascensiones in corde, et scalas nobis erigamus in coelum, et magno labore Deum quaeramus, cum filio prodigo in regione longinqua procul a patria et a Patre pascimus porcos.

Ac ut breviter explicemus, quomodo inter se ista cohaereant, ut Deus non longe sit a nobis, et nos tamen longissime absimus ab illo: dicimus Deum non longe a nobis abesse, quoniam ille nos assidue videt, cuius oculis omnia sunt praesentia, idem quoque de nobis assidue cogitat, quia *illi cura est de nobis*, et ipse idem nos assidue tangit, quia *portat omnia verbo virtutis suae*: nos autem longissime absumus a Deo, quia Deum non videmus, nec videre possumus, cum *lucem habitet inaccessibilem*: sed *nec sufficientes sumus cogitare aliquid de Deo ex nobis, tamquam ex nobis*, multo minus illum affectu pio tangere, illique inhaerere valemus, nisi nos suscipiat, et ad se trahat dextera eius. Ideo enim David cum dixisset: *Adhaesit anima mea post te.* continuo adiunxit: *me suscepit dextera tua.* Nec solum longe absumus a Deo, quia neque illum videre possumus, neque facile de illo cogitamus, neque illi per affectum inhaeremus: sed etiam quia occupati temporalibus bonis, quae nos undique circumstant, et obruunt, facillime Deum obliviscimur, et corde arido vix nomen Dei in Psalmis et sacris precibus per linguam sonamus. Haec igitur causa est, cur Spiritus sanctus in sacris literis, ut modo dicebamus, tam saepe nos hortetur, ut quaeramus Deum. *Quaerite Deum, et vivet anima vestra*, et *Quaerite faciem eius semper*, et, *Bonus Dominus sperantibus in eum, anima quaerenti illum*, et, *quaerite Dominum dum inveniri potest*, et, *in simplicitate cordis quaerite illum*, et, *cum quaesieris Dominum, invenies, si tamen toto corde quaesieris.*

Porro sollicitudo haec Deum quaerendi quamvis omnibus fidelibus communis esse debeat: tamen magis proprie ad Praelatos Ecclesiarum pertinet, quod sancti Patres, Augustinus, Gregorius, et Bernardus, praeter caeteros testantur ii siquidem disertis verbis scribunt, non posse Praelatum sibi et aliis prodesse, nisi in meditationem rerum divinarum, et propriae mentis refectionem diligenter incumbat S. Augustinus in libris de Civit. Dei, *Otium sanctum*, inquit, *quaerit charitas veritatis: negotium iustum suscipit necessitas charitatis, sed nec sic omnimodo veritatis delectatio deferenda est, ne subtrahatur ista suavitas, et opprimat illa necessitas.* Et idem S. Augustinus in confessionibus de se ipso loquens, et de frequenti sua meditatione Dei ex creaturis: *Saepe* inquit, *istud facio. Hoc me delectat, et ab omnibus actionibus necessitatis, quantum relaxari possum ad istam voluptatem refugio.* S. Gregorius in libro de cura pastorali ait: *Sit rector singulis compassione proximus, prae cunctis contemplatione suspensus*; *ut et per pietatis viscera in se infirmitatem caeterarum transferat, et per speculationis altitudinem semetipsum quoque invisibilia appetendo transcendat*, et addit eodem in loco sanctus Gregorius exemplum Mosis et Christi. Moses enim frequenter tabernaculum intrabat, et exibat; intrabat videlicet, ut arcana Dei consideraret: exibat, ut proximorum infirmitates portaret, et Christus ipse per dies contionando, et miracula patrando proximorum saluti vacabat, sed noctes insomnes orando et contemplando ducebat. *Erat enim*, inquit, s. Lucas, *pernoctans in oratione Dei.* Denique alia multa his similia in cap. ult. eiusdem libri legi possunt.

Porro s. Bernardus, ut Eugenium Papam, suum quondam discipulum serio admoneret, ut non totum se actioni daret, sed quotidie certo tempore se colligeret, ac sancto otio, et coelesti pabulo frueretur, scripsit libros quinque de consideratione, in quibus non solum exhortatur illum ad assiduam meditationem rerum coelestium, sed etiam rationem et modum meditandi, et meditando ascendendi, et ascendendo transformandi se in Deum, per intellectum, et affectum perspicue tradit. Neque admittit excusationem, quam ille obtendere poterat, et quam multi hoc tempore obtendunt, nimias videlicet occupationes, quae pontificale officium comitantur, non relinquere tantum otii, ut meditationi rerum divinarum Praelatus vacare possit, certe enim nemo tenetur externis negotiis ita totum se tradere, ut non relinquat sibi tempus

corpus reficiendi cibo, et potu, et captandae per somnum quietis. Et si corpus hanc refectionem, et quietem iuste petit, quanto magis spiritus cibum et somnum suum iure optimo petet: neque enim sine hac refectione recte fungi officio suo in tanta mole maximorum negotiorum ullo modo potest. Porro cibus animae oratio est, et somnus contemplatio, per quam disponuntur ascensiones in corde, ut videatur Deus Deorum in Sion; quomodo in valle lacrymarum videri potest. Scala vero ascensionis in Deum nulla videtur nobis mortalibus patere posse, quam per opera Dei: qui enim singulari Dei dono per aliam viam in Paradisum admissi audierunt arcana Dei, quae non licet homini loqui, ii non ascendisse, sed rapti fuisse dicendi sunt, quod de se b. Paulus aperte confitetur, cum ait: *Raptus sum in paradisum, et audivi arcana verba, quae non licet homini loqui.*

Posse autem hominem per opera Dei, id est, per creaturas ascendere ad notitiam et amorem Creatoris, docet liber Sapientiae, et Apostolus ad Romanos, et ratio ipsa satis confirmat, cum ex effectis causa efficiens, et ex imagine exemplar cognosci possit: et dubium esse nequeat, res omnes creatas esse opera Dei, et hominem, atque Angelum, non solum opera, sed etiam imagines Dei esse Scriptura sancta nos docet.

Ego igitur his rationibus excitatus, in aliquantula requie a publicis negotiis mihi concessa, et s. Bonaventurae exemplo admonitus, qui in simili recessu scripsit itinerarium mentis in Deum, tentavi scalam ex creaturarum consideratione confícere, per quam utcumque ad Deum possit ascendi, eam vero quindecim gradibus distinxi, ad similitudinem quindecim graduum, quibus ascendebatur ad templum Salomonis, et quindecim Psalmorum, qui graduales dicuntur.

SCALAE

ASCENSIONIS

IN DEUM

GRADUS PRIMUS.

Ex consideratione Hominis.

Si quis vere cupiat scalas in Deum erigere, a sui ipsius consideratione incipere debet. Unusquisque enim nostrum et creatura, et imago Dei est; et nihil nobis vicinius est, quam nos ipsi. Itaque non sine causa Moses ait: *Attende tibi*; in quae duo verba insignem sermonem scripsit magnus Basilius. Qui enim se totum circumspexerit, et quae intra se latent consideraverit, inveniet quasi compendium mundi totius, unde ad effectorem rerum omnium non difficulter ascendet.

Sed ego in praesenti nihil aliud investigare decrevi, nisi quatuor communes causas, quis sit auctor meus, ex qua materia me fecerit, quam formam mihi dederit, et ad quem finem me produxerit. Nam si quaeram auctorem meum, inveniam solum Deum, si quaeram materiam unde me fecerit, inveniam omnino nihil, unde collige quicquid in me est, a Deo factum esse, et totum Dei esse; si quaeram formam, inveniam, me esse imaginem Dei; si finem quaeram, inveniam ipsum eumdem Deum, esse summum et totum bonum meum. Itaque intelligam tantam esse mihi coniunctionem et necessitudinem cum Deo, ut ipse solus mihi sit conditor, ipse auctor, ipse Pater, ipse exemplar, ipse beatitudo, ipse omnia. Et si hoc intellexero, quomodo fieri poterit, ut non ardentissime illum quaeram? illum cogitem? illum suspirem? illum videre et complecti desiderem? vel, ut non exhorream tam densas tenebras cordis mei, quod tam longo tempore nihil minus cogitavit, aut desideravit, aut quaesivit, quam Deum, qui solus mihi est omnia?

Sed paulo diligentius singula consideremus. Rogo te, anima mea, quis tibi dedit, ut esses, cum ante non multum tempus nihil esses? certe non te parentes carnis tuae genuerunt, quia quod natum est ex carne caro est, tu autem spiritus es: neque te coelum, aut terra, aut Sol, vel sydera produxerunt: illa enim corpora sunt, tu incorporea es: neque vero Angeli, aut Archangeli, aut creatura alia spiritualis tibi, ut esses, auctores esse potuerunt, quia tu non ex materia aliqua, sed plane ex nihilo creata es: non potest autem nisi Deus omnipotens, ex nihilo aliquid facere. Ille ergo sol sine socio, sine administro, manibus propriis, quae sunt eius intelligentia et voluntas, te quando voluit procreavit. Sed fortasse corpus tuum non ipse Deus, sed res creatae produxerunt: ita ut anima Deum, corpus vero parentes auctores agnoscere debeat; non ita est: sed Deus ipse, quamvis parentes homines ad carnem gignendam, ut infimos administros ad domum fabricandam adhibeat, tamen ipse Architectus, ipse auctor, ipse verus Pater non solum animae, sed etiam corporis, atque adeo totius hominis esse et dici voluit. Nam si genitores carnis tuae, veri auctores et quasi architecti corporis tui essent, scirent utique quot sint in corpore humano musculi, quot venae, quot nervi, quot ossa maiora, quot minora, quot humores, quot sinus, et alia id genus multa, quae omnino ignorant, nisi forte ex anatomica arte didicerint. Praeterea cum corpus aegrotat, vel membrum arescit, aut praeciditur, certe possent illa ipsa arte, qua primum condiderunt, iterum instaurare, si veri auctores essent: quomodo qui horologia componunt, aut domos aedificant, norunt etiam temperare, vel instaurare. At parentes nihil horum valent, aut sciunt. Adde quod coniunctio animae cum corpore, quae praecipua pars est effectionis humanae naturae, a nullo fieri potuit, nisi ab artifice potentiae infinitae, qua enim arte coniungi potuit spiritus cum carne, tam arcto vinculo, ut una substantia efficerentur, nisi divina? corpus enim cum spiritu nullam similitudinem, vel proportionem habet. Ergo ille fecit, qui facit mirabilia magna solus.

Vere igitur Spiritus Domini per Mosem loquitur in Deuteronomio: *Nonne ipse est pater tuus, qui possedit, et fecit, et creavit te?* et per S. Iob: *Pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me*, et per Prophetam regium: *Manus tuae fecerunt me, et plasmaverunt me*, et rursus: *Tu formasti me, et posuisti super me manum tuam*, et per sapientissimam foeminam puerorum Machabaeorum matrem. *Nescio quomodo in utero meo apparuistis: neque enim spiritum et animam donavi vobis, et vitam: et singulorum membra non ego ipsa compegi: sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem quique omnium invenit originem.* Hinc videlicet Sapientia Dei, Christus Dominus dicebat: *Patrem nolite vo-*

care vobis super terram, unus est enim Pater vester, qui est in coelis, cuius admonitione S. Augustinus de filio suo Adeodato, quem ex fornicatione genuerat, dicebat Deo: *Tu bene feceras eum; nam ego in illo puero, praeter delictum, nihil habebam.*

Age nunc anima mea, si Deus auctor tibi corporis et animae est; si ille tibi Pater, si baiulus, si nutritius; si quicquid es, illius es: si quicquid habes, ab illo habes: et quicquid speras, ab illo speras, cur de tanto parente non gloriaris? cur illum non toto corde diligis? cur propter illum non omnia terrena contemnis? cur sinis tibi dominari cupiditates vanas? Leva oculos tuos ad eum; noli timere, quid faciat tibi hostis tuus super terram, cum Patrem habeas omnipotentem in coelis. Quanta, putas, fiducia, et quanto affectu dicebat David: *Tuus sum ego, salvum me fac?* O si cogitares anima, quid sit, quod omnipotens et sempiternus Deus, qui bonorum tuorum non eget, et si tu pereas nihil ipse perdit; tamen oculos suos non avertit a te, et sic amat, sic protegit, sic dirigit, sic fovet, ac si tu esses magnus thesaurus eius: certe fiduciam totam in illo poneres, timeres ut Dominum, amares ut Patrem, et neque ullum esset tam ingens temporale bonum, aut malum, quod te posset ab eius charitate divellere.

Veniamus ad materiam, ex qua homo formatus est. Illa quidem vilissima est: sed quo est vilior, eo nobis materiam aptiorem tribuit formandi in nobis virtutem humilitatis, qua virtute nulla est in hac vita magis utilis, et magis rara, ac per hoc magis pretiosa, et maiori desiderio appetenda.

Et sane de materia animae dubitari non potest, quin sit ipsum nihil; quo nihil vilius et inanius fingi, vel cogitari potest. Corporis materia proxima quid est, nisi sanguis menstruus? res adeo foeda, ut refugiant eum oculi cernere, et manus contingere, et horreat etiam animus cogitare. Materia ex qua primus homo formatus fuit, quid aliud, nisi terra rubra et sterilis, sive pulvis et lutum fuit? *Formavit*, inquit Scriptura, *Deus hominem de limo terrae*, et iterum dixit homini Deus: *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* Quare Patriarcha Abraham memor vilitatis suae dicebat ad Deum: *Quia semel coepi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis, et cinis.* Sed neque hic est finis vilitatis materiae humanae: ipse enim limus, sive pulvis, non ex alia materia, sed ex nihilo prodiit. In principio enim creavit Deus coelum, et terram; et certe non ex alio coelo et terra, sed ex nihilo fecit: ergo ad nihilum redigitur id, unde prodiit animal hoc superbum, quod dicitur homo, sive animam, sive corpus considerare velis. Nihil igitur est in homine, unde gloriari possit, quasi illud non acceperit a Deo. Opera quidem hominum, quaecumque illa sint, sive ex ingenio, sive ex labore prodeant, semper aliquid habent ex se, de quo si sensum haberent, contra factorem suum gloriari possent siquidem vas aureum, arca lignea, domus eburnea, vel marmorea, si loqui possent, dicerent utique opifici suo: Tibi debeo formam, sed non materiam, et pretiosius est, quod ex me habeo, quam quod a te accepi. Homo vero, qui nihil ex se habet, et ex se nihil omnino est, in nullo gloriari potest. Et verissime dicit Apostolus: *Qui existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit, et quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Cui consonat S. Cyprianus, cum ait: *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est.* At, inquies, multa praeclara opera faciunt homines, ob quae merito laudantur, ut virtus laudata crescat. Ita est, multa praeclara opera faciunt homines, ob quae laudari et gloriari possunt. sed in Domino, non in se, sicut scriptum est: *Qui gloriatur, in Domino glorietur, et, In Domino laudabitur anima mea.* Quaero enim, cum egregium opus homo facit, ex qua materia facit? qua virtute facit? quo dirigente et adiuvante facit? certe ex materia facit, quam Deus, non quam ipse homo creavit, ex ea virtute facit, quam Deus illi dedit, non quam ipse sibi peperit. Et dirigente et adiuvante Deo facit, sine cuius directione et adiutorio nihil boni faceret, multa enim bona facit in homine, sive homine Deus, sed nihil boni facit homo, quod non faciat Deus, ut faciat homo, ut habetur in Concilio II. Arausicano. Itaque dignatur Deus ministerium hominis adhibere in rebus bonis faciendis, quae per se facere posset, ut hinc magis debitorem Deo se fateatur homo, non ut superbiendo in se, non in Domino glorietur.

Ergo anima mea, si sapis, recumbe semper in novissimo loco, noli furari gloriam Dei, nec in mo, dico, nec in maximo, descende ad nihilum tuum quod solum est tuum, et totus mundus in superbiam erigere te non poterit. Sed quoniam haec pretiosa virtus humilitatis verae de mundo iam pene recesserat, et nec in libris Philosophorum, nec in moribus gentium inveniebatur, Magister humilitatis de coelo venit, et *cum in forma Dei esset aequalis Patri, exinanivit semetipsum formam servi accipiens, et humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem*, et humano generi dixit: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* Quare, anima mea, si forte erubescis imitari humilitatem hominum, non erubescas imitari humilitatem Dei, qui nec fallere, nec falli potest, et *qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Sequitur nunc, ut formam consideremus, quae est tertia causarum. Et quidem quanto materia ex qua factus est homo vilior est, tanto forma, quae homini data est, pretiosior et excellentior invenitur. Omitto formam corporis exteriorem, id est, figuram corporis humani, quae suam habet eminentiam super omnium animantium figuras haec enim forma non substantialis, sed accidentaria est. Forma igitur hominis substantialis, quae facit illum esse hominem, et ab animantibus caeteris distinguit, anima est immortalis ratione et libero arbitrio praedita, imago Dei, ad exemplar summae divinitatis expressa. Sic enim legimus dixisse Deum, cum hominem formare vellet: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et praesit piscibus maris, et volatilibus coeli, et bestiis, universaeque terrae, omnique reptili, quod movetur in terra.* Homo igitur imago Dei est, non

ratione corporis, sed ratione spiritus; Deus enim spiritus est, non corpus. *Et ibi est imago Dei*, inquit S. Basilius, *ubi est id, quod imperat animantibus caeteris*, imperat autem homo bestiis, non per corporis membra, quae valentiora sunt in multis bestiis, quam in homine, sed per mentem ratione et libero arbitrio praeditam. Praecst enim homo animantibus caeteris, non per id, quod habet commune cum illis, sed per id, quo distinguitur ab illis, et per quod similis factus est Deo.

Erige nunc, anima mea, mentem ad exemplar tuum, et cogita, omne bonum imaginis in similitudine ad exemplar suum positum esse. Nam si forte deforme sit exemplar, quale diaboli fingi solet, tum etiam bonum imaginis est exemplar suum deforme apte repraesentare. Itaque deformitas in exemplari, deformitas erit, deformitas in imagine pulchritudo erit. Sed si exemplar quoque sit formosum, pretiosissima erit imago, si pulchritudinem exemplaris pulchritudine sua, quam maxime fieri poterit imitetur: et si imago sensum haberet, nihil magis optaret, quam perpetuo exemplar suum aspicere, et ad illius imitationem se componere, et illi quam simillima fieri.

Exemplar tuum, o anima, Deus est, pulchritudo infinita, *lux, in qua tenebrae non sunt ullae*: cuius pulchritudinem Sol et Luna mirantur, ac ut facilius pulchritudinem tanti exemplaris imitari, illiusque similitudinem concupiscere, et modis omnibus procurare valeas, in qua re tota perfectio tua, tota utilitas, totus honor, totum gaudium, tota quies, totum denique bonum tuum positum est: cogita pulchritudinem Dei exemplaris tui, in sapientia et sanctitate consistere. Quomodo enim pulchritudo corporis ex proportione membrorum et coloris suavitate consurgit: sic in substantia spirituali, coloris suavitas lux sapientiae est, membrorum proportio iustitia est: sed per iustitiam non virtus aliqua particularis, sed illa universalis intelligitur, quae virtutes omnes continet. Ille igitur spiritus pulcherrimus est, cuius mens luce sapientiae fulget, et cuius voluntas perfectae iustitiae plenitudine pollet. Deus autem tuum, inquam, exemplar, o anima, ipsa sapientia, ipsa iustitia est, ac per hoc ipsa pulchritudo est. Et quoniam utrumque bonum nomine sanctitatis in Scripturis significatur, ideo apud Isaiam Angeli Deo acclamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus Deus Sabaoth*, et ipse Deus ad imagines suas clamat: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester*, et in Evangelio Dominus: *Estote perfecti, sicut Pater vester coelestis perfectus est.*

Ergo si cupis anima, ut vera imago Dei, exemplari tuo quam simillima fieri, oportet te sapientiam et iustitiam prae omnibus rebus amare. Sapientia vera est iudicare de rebus omnibus secundum altissimam causam, altissima causa est voluntas divina, sive lex, quae voluntatem Dei hominibus manifestat. Itaque si sapientiam amas, oportet te in rebus omnibus non audire quid lex carnis dictet, quid sensus iudicent esse bonum, quid mundus probet, quid cognati suadeant, ac multo minus, quid adulatores proponant: sed obsurdescas his omnibus, et solum attendas ad voluntatem Domini Dei tui; atque illud utile, gloriosum, appetibile, bonum denique omni ex parte tibi esse iudices, quod est conforme voluntati ac legi Dei. Haec est sapientia Sanctorum, de qua scripsit Sapiens: *Super salutem et speciem dilexi illam, et proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.*

Porro iustitia, quae altera pars est pulchritudinis spiritualis, omnes quidem virtutes complectitur, quae voluntatem ornant, et perficiunt, sed praecipue charitatem, quae mater et radix est omnium virtutum, et de qua S. Augustinus in libr. de nat. et gratia extremo ita loquitur: *Inchoata charitas, inchoata iustitia est: provecta charitas, provecta iustitia est: perfecta charitas, perfecta iustitia est*: nam *qui diligit, legem implevit*; quia *dilectio malum non operatur*: et ideo *plenitudo legis est dilectio*, ut docuit Apostolus, et contra, *qui servat verbum eius*, id est, mandata eius, *vere in hoc charitas Dei perfecta est*, ut loquitur S. Ioannes. Qui ergo volunt exemplari divino similes fieri, obedire debent dicenti: *Estote imitatores Dei sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione.* Filius enim imago est Patris, et imaginis totum bonum, ut supra diximus, est suo exemplari esse simillimam.

O si haec plane intelligeres, anima, et exemplari tuo per verae sapientiae, veraeque iustitiae pulchritudinem similis effecta, placeres oculis summi Regis, quanta pace fruereris? quo gaudio exultares? quam facile omnia mundi oblectamenta contemneres? contra vero, si cogitares, quam vehementer indignetur Deus, cum videt, imaginem suam destitutam luce sapientiae, et decore iustitiae, inquinari, foedari, obscurari, et hominem in tanto honore positum, ut similis esset Deo, *comparari nunc iumentis insipientibus, et similem illis factum esse*, certe horreres, et contremisceres, nec posses ullo modo quiescere, donec fluminibus lacrymarum ex amarissima contritione manantibus maculas omnes abstergeres, et ad similitudinem pulcherrimi exemplaris tui redires. Sed quia interim dum peregrinaris a Domino, *et per fidem ambulas, et non per speciem*, indiges continuo ipsius Domini adiutorio, tum ut in similitudine iam acquisita permaneas, tum ut quotidie similior, id est, formosior, lucidiorque reddaris, ingemisce ex toto corde ad Deum, eique dicito: O Domine sancte, et misericordissime, cui placuit, hanc animam meam, imaginem tuam facere, perfice, quaeso te, imaguncula tuam, adauge sapientiam, adauge iustitiam, absconde eam in abscondito tabernaculi tui, ut neque luto carnalis concupiscentiae, neque fumo saecularis honoris, neque pulvere terrenarum cogitationum foedari valeat, atque hactenus de forma.

Restat ultima causa, quae finis dicitur. Porro finis, ad quem creatus est homo, non alius est, quam ipse idem Deus. Sed quia duplex est finis, alter intrinsecus, alter extrinsecus, utrumque seor-

sim breviter consideremus. Finis intrinsecus uniuscuiusque rei est status perfectus, ad quem res illa pervenire potest. Finis intrinsecus palatii est ipsum complementum, et perfectio ipsa palatii : tunc enim finitum esse dicitur, cum nihil ei deest eorum, quae palatii structura requirit. Finis intrinsecus arboris est status perfectus, quem eius natura requirit : tunc enim finem suum attigisse dici potest arbor, cum ramos extendit, et folia produxit, et floribus ornata est, ac paulo post pomis, iisque maturis onerata cernitur. Homo igitur, qui ad finem celsissimum creatus est, tunc finem suum consecutus dici poterit, cum meum eius Deum videbit, sicuti est, quam visionem scientia rerum omnium consequetur, et voluntas ipso summo bono ardentissime amato et desiderato fruetur, et corpus immortalitate, et impassibilitate, aliisque dotibus gloriosis praeditum perpetua pace et laetitia potietur. Et quoniam essentia huius finalis beatitudinis est visio Dei, per quam imagines Dei nos, inquam, ipsi ad perfectum statum, perfectamque similitudinem cum exemplari nostro divino perveniemus ; ideo scribit B. Ioannes : *Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus enim, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.*

O si posses, anima, cogitare quid hoc sit. *similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est* ; quam cito nebulae omnes terrenarum cupiditatum dissiparentur. Deus beatissimus est, et ideo beatissimus, quia semper videt seipsum, sicuti est, seque ipso summo bono clarissime viso, et ardentissime amato sine ulla cessatione ab ipsa aeternitate fruitur. Hoc inaestimabili bono, te quoque cum Angelis sanctis participem esse voluit. Ad hunc finem sublimissimum et celsissimum te creavit. Hoc significat illud: *Intra in gaudium Domini tui*, id est, sis particeps gaudii, quo Deus ipse gaudet, et illud : *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo*, id est, participes vos faciam regni mei, et regiae mensae meae, ut fruamini illo honore, illa potestate, et illa voluptate, qua fruor ego, et qua fruitur Pater meus Deus. Et quis cogitare potest, quantus sit honor, quanta potestas, quanta voluptas, quanta felicitas Regis omnium regum, et Domini omnium dominorum, Domini Dei nostri? Certe qui ad hanc tantam finis nostri altitudinem cogitatione speque conscenderet, erubesceret omnino de terrae possessione litigare, vel ob quamcumque iacturam temporalium rerum affligi, vel de lucris temporalibus gaudere, erubesceret, inquam, inhiare voluptatibus, quibus inhiant pecora, qui factus est comes Angelorum, et particeps amicitiae Dei, et inaestimabilium bonorum eius : quoniam amicorum omnia sunt communia.

Iam vero finis extrinsecus uniuscuiusque rei est ille, cuius gratia res facta est. Finis palatii, habitator eius : finis arboris, possessor eius : finis hominis, solus Dominus Deus eius. ipse enim hominem fecit, de suo fecit, pro se fecit, ipse conservat, ipse pascit, ipse stipendium solvit. Itaque merito iubet, ac dicit : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Sed attende anima diligenter, res caeterae, quae propter hominem factae sunt, ipsi homini utiles sunt, non sibi; homini laborant iumenta, non sibi; hominis cellam, et horreum, et marsupium implent agri, vineae, horti, non suum : denique servorum est labor, et sudor, et fatigatio ; domini autem lucrum, et quies, et voluptas. At Dominus Deus tuus, qui nulla re indiget, servire quidem sibi vult hominem, sed utilitatem, et lucrum, et praemium servientis hominis esse vult, non suum.

O *Domine suavis, et mitis, et multae misericordiae*, quis non toto corde serviat tibi, si dulcedinem paterni dominii tui, vel modicum degustare incipiat? quid iubes Domine servis tuis? *Tollite*, inquis, *iugum meum super vos*, et quale est iugum tuum? *iugum*, inquit, *meum suave est, et onus meum leve.* Quis non libentissime ferat iugum quod non premit, sed fovet, et onus quod non gravat, sed reficit? merito igitur addidisti, *et invenietis requiem animabus vestris.* Et quod est iugum tuum, quod non fatigat, sed requiem adfert? nempe mandatum illud primum, et maximum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Quid enim facilius, suavius, dulcius, quam diligere bonitatem, et pulchritudinem, et amorem, quod totum es tu Domine Deus meus? Recte iudicavit servus tuum David, qui mandata tua esse censuit, *desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum*, et addidit : *Et in custodiendis illis retributio multa.* Quid est hoc, Domine? etiam ne praemium polliceris custodientibus mandata desiderabilia super aurum multum, et dulciora super mellis favum? Ita omnino praemium, et praemium amplissimum polliceris, dicente Apostolo tuo Iacobo : *Coronam vitae praeparavit Dominus diligentibus se.* Et quid est corona vitae? nempe maius bonum, quam vel cogitare, vel desiderare possimus. Sic enim loquitur b. Paulus ex Isaia : *Oculus non vidit, auris non audivit, in cor hominis non ascendit, quae praeparavit Deus his, qui diligunt illum.* Vere igitur in custodiendis mandatis tuis est retributio multa. Nec solum mandatum illud primum et maximum utile est homini obedienti, non Deo iubentis : sed etiam caetera mandata Dei, obedientem perficiunt, ornant, erudiunt, illustrant, bonum denique ac beatum reddunt. Quare si sapis intellige te ad gloriam Dei, et salutem tuam aeternam esse creatum, hunc esse finem tuum, hoc centrum animae tuae, hunc thesaurum cordis tui. Ad hunc finem si perveneris, beatus eris; si ab illo excideris, miser eris. Proinde illud tibi vere bonum existimes, quod ad finem tuum perducit : illud vere malum, quod a fine te facit excidere. Prospera et adversa, opes et inopia, sanitas et aegrotatio, honores et ignominiae, vita et mors apud sapientem, nec per se expetenda, nec per se fugienda sunt. Sed si conferunt ad gloriam Dei, et sempiternam felicitatem tuam, bona sunt, et expetenda : si eamdem impediunt, mala sunt, et fugienda.

GRADUS SECUNDUS

Ex consideratione maioris Mundi.

Scalae ascensionis in Deum gradum primum construximus ex consideratione hominis, qui dicitur Mundus minor: nunc secundum gradum superstruere consilium est ex consideratione molis huius maximae, quae maior Mundus dici solet. Scribit quidem s. Gregorius Nazianzenus in secunda oratione de Pascha, Deum constituisse hominem, quasi Mundum magnum in parvo, quod est verum, si a Mundo segregemus Angelos, est enim homo maior toto Mundo corporato, non mole, sed virtute: sed si in Mundo comprehendantur Angeli, ut nos hoc loco comprehendimus, parvus Mundus est homo in Mundo maiore constitutus. In hoc igitur magno Mundo, qui rerum universitatem complectitur, multa sunt plane admirabilia, sed haec potissimum magnitudo, multitudo, varietas efficacitas, et venustas. Quae omnia, si Deo illuminante, attentissime cogitentur, non parvam vim habent, ad animam sic elevandam, ut in admiratione immensae cuiusdam magnitudinis, et multitudinis, et varietatis, et efficacitatis, et pulchritudinis quasi deficiat: et ad se reversa quicquid extra Deum videt, quasi nihilum et inane despiciat.

Magnus certe est orbis terrarum, et adeo magnus, et Ecclesiasticus dicat: *Latitudinem terrae, et profundum abyssi quis dimensus est?* et hoc ipsum etiam ex eo potest intelligi, quod in tot millibus annorum, qui fluxerunt ab orbe condito, nondum tota superficies terrae (hanc enim latitudinem terrae vocat Ecclesiasticus) nostris hominibus, eam assidue inquirentibus, innotuerit. Et quanta quaeso est moles terrae, si ad coeli supremi ambitum comparetur? Instar puncti dicitur ab Astrologis, nec immerito. Videmus enim solares radios, per interpositam terram, ita pertingere ad stellas firmamenti oppositas, ac si terra nihil omnino esset. Et si stella quaelibet firmamenti, maior est toto orbe terrarum, ut Sapientum communis opinio est, et tamen nobis, ob infinitam prope distantiam stellae illae minutissimae videntur quis cogitando assequi poterit amplitudinem coeli, ubi tot millia stellarum lucent? lucent? ergo si de superficie et profunditate terrae Ecclesiasticus dixit: *Latitudinem terrae, et profundum abyssi quis dimensus est?* quid quaeso de superficie exteriore coeli, et de profundo Mundi totius a summo coelo usque ad inferos diceret? Omnino tanta est moles corporalis Mundi huius, ut nulla mens, nulla cogitatio eam assequi possit. Age nunc anima mea, interrogo te, si tantus est Mundus, quantus est, qui fecit Mundum? Magnus Dominus, et magnitudinis eius non est finis. Audi Isaiam: *Quis mensus est pugillo aquas, et coelos palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terrae?* Ubi s. Hieronymus, ex versione Aquilae, per pugillum dicit, intelligi minimum digitum, ut sit haec sententia: Aquam totam, quae minor est, quam terra, uno digitulo Dei mensurari, molem terrae, tribus digitis, coelum, quod maius est terra et aqua simul iunctis, palmo ponderari. Atque haec quidem metaphorica sunt, cum spiritus sit Deus, et nec digitos, nec palmos proprie habeat: sed Scriptura tamen his comparationibus satis ostendit, multo maiorem esse Deum, quam sit creatura eius, quod magis expresso significavit Salomon, cum ait: *Coelum et coeli coelorum non te capiunt.* Quod ideo verum est, quia si Mundus alius crearetur, illum quoque repleret Deus, et si plures Mundi, vel etiam infiniti fierent Mundi, illos omnes Deus impleret. Neque existimes, anima mea, Deum tuum sic implere Mundum, ut pars Dei sit in parte Mundi, et totus in toto Mundo. Deus enim partes non habet, sed totus est in toto Mundo, et totus in qualibet parte Mundi. Proinde ubique praesens est cum omnipotentia et sapientia sua. Ideoque si fidelis illi fueris, etiamsi consistant adversus te castra, non timebit cor tuum, quid enim timeat, qui apud se habet Patrem, amicum, sponsum omnipotentem, et omnia videntem, et ardentissime amantem? Sed si merito culpae tuae iratum habeas Deum iudicem, et inimicum omnipotentem, et omnia videntem, et peccata implacabili odio detestantem, tum vero iure timere debes timore horribili, et nullam requiem dare oculis tuis, nec pedibus tuis, nisi Deo placato per veram poenitentiam respiraveris in luce miserationum eius.

Iam vero multitudinem rerum creatarum ab uno Deo conditore coeli et terrae quis enumerabit? *arenas maris, et pluviae guttas*, inquit Ecclesiasticus, *qui dinumeravit?* Sed omissis rebus istis minutissimis, quot sunt intra terram et maria metalla auri et argenti, aeris et plumbi, et lapides pretiosi, ac gemmae, et margaritae? Quot supra terram genera, et species, et individua herbarum, fruticum, plantarum? et quot in singulis partes? quot etiam genera, species, et individua animantium perfectorum, imperfectorum, quadrupedum reptilium, volatilium? quot in mari genera, species individua piscium? quis enumeret? quid de multitudine generis humani, de quo scriptum est: *Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum?* quot denique sunt in coelo sydera? quot supra coelum Angeli? nam de stellis in veracissima Scriptura legimus: *Numera stellas, si potes.* Et alibi comparat multitudinem stellarum cum multitudine arenae maris, quam satis constat esse innumerabilem. De Angelis vero scribit Daniel: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Et s. Thomas cum s. Dionysio affirmat, Angelorum multitudinem tantam esse, ut rerum omnium materialium multitudinem superet. Haec igitur prope infinita rerum multitudo ab uno Deo omnipotente condita, demonstrat in ipsa divina essentia esse perfectiones omnino infinitas. Voluit enim Deus ab homine per creaturas suas utcumque cognosci, et quia non poterat ulla creatura, infinitam creatoris perfectionem apte repraesentare, creaturas multiplicavit, et singulis bonitatem et perfectionem aliquam tribuit, ut inde iudicium fieret de bonitate et perfectione creatoris, qui infinitas perfectiones sub unius simplicissimae essentiae perfectione complectitur ad eum fere modum quo nummus aureus continet valorem multorum nummorum aureorum. Ergo, anima mea, quicquid oculis, aut cogitationi occur-

rit, quod admirabile videatur, scala tibi sit ad perfectionem conditoris agnoscendam, quae sine ulla comparatione maior et mirabilior est ; ita fiet, ut res creatae, *quae factae sunt in muscipulam pedibus insipientium*, ut Sapientia docet, non te decipiant, sed erudiant, nec te deliciant, sed gradum tibi ad meliora faciant. Itaque si aurum, vel argentum, vel lapides pretiosi occurrant; dicas in corde tuo: Pretiosior est Deus meus, qui se mihi daturum promisit. si ista contempsero, si regna,si imperia terrena miraris; dicas in corde tuo: Quanto praestantius est Regnum coelorum, quod in aeternum manet, et quod promisit diligentibus se, qui non mentitur Deus ? si voluptates et deliciae carnalem sensum titillare incipiant;dicas in corde tuo: Multo iucundior est voluptas spiritus, quam voluptas carnis, et deliciae mentis, quam ventris istas enim praebet creatura mortalis, illas Deus totius consolationis, quas qui gustat dicere potest cum Apostolo : *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Denique si quid pulchrum, novum, insolitum,magnum, mirabile offeratur, modo discedas a Domino Deo tuo; responde secure, quidquid est in illis boni, et multo plura, et meliora in Domino tuo sine dubitatione reperiri : ideo non esse tibi utile nummum aereum pro aureo, vitrum pro gemma pretiosa, parva pro magnis, certa pro dubiis, et sempiterna pro temporalibus commutare.

Sed quamquam admirabilis sit multitudo rerum creatarum, et multiplicem unius Dei perfectionem arguat: multo tamen admirabilior est varietas rerum, quae in illa multiplicatione cernitur, et facilius ad Dei cognitionem ducit, non enim difficile est, uno sigillo multas figuras omnino similes exprimere: nec iisdem typis innumerabiles literas excludere, sed variare formas infinitis prope modis, quod Deus fecit in creatione rerum,hoc plane divinum est opus, et admiratione dignissimum. Omitto genera et species rerum, quas constat esse maxime varias atque diversas. In ipsis individuis herbarum, plantarum,florum fructuum quanta varietas inest? figurae, colores, odores, sapores nonne infinitis modis propemodum variantur ? nonne idem omnino in animantibus cernitur? sed quid de hominibus dicam, cum in exercitu numerosissimo vix inveniantur duo homines omnino similes? quod ipsum etiam in stellis et Angelis invenitur: nam et *stella a stella differt in claritatem* ut Apostolus testatur, et s. Thom. affirmat Angelos, quamvis sint in maiore numero,quam res corporales, tamen omnes inter se, non solum individuali numero, sed etiam specifica forma differre.

Erige nunc, anima mea, oculos mentis ad Deum in quo sunt rationes omnium rerum, et unde tamquam ex fonte infinitae ubertatis manavit illa pene infinita varietas, neque enim Deus innumerabiles istas rerum formas in rebus creatis potuisset imprimere, nisi in sinu essentiae suae rationes earum modo eminentissimo et altissimo contineret. Merito igitur exclamat Apostolus: *O altitudo divitiarum, sapientiae et scientiae Dei.* Vere enim puteus est infinitae profunditatis, in quo latent thesauri divitiarum, sapientiae, et scientiae, quae tantam rerum varietatem parere potuit.Merito quoque s. Franciscus divino lumine illustratus dicebat Domino: *Deus meus, et omnia*, quoniam varia bona, quae in rebus creatis inveniuntur sparsa atque divisa,in uno Deo inveniuntur modo quodam meliore et altiore collecta. Sed dices, anima: Ista quidem vera esse videntur ; sed bona creata videmus oculis, manibus tangimus, ore gustamus, re ipsa possidemus, illisque fruimur : Deum non videmus, non tangimus, non gustamus, non possidemus, et vix cogitatione, quasi rem longissime positam apprehendimus. Itaque non esse mirum, si res creatae nos magis afficiant, quam Deus.Sed si fides in te viget, et vigilat, anima mea, negare non potes, quin post hanc vitam, quae fugit velut umbra, si in fide, et spe, et dilectione permanseris, Deum ipsum vere clareque visura sis, ut est in se, et illum possessura, illoque ; fruitura longe melius et intimius, quam rebus creatis nunc fruaris. Audi Dominum ipsum: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Audi Apostolum Paulum: *Nunc videmus per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem.* Audi b. Ioannem: *Similes ei erimus.quia videbimus eum sicuti est.* Deinde quanta, rogo te, pars Mundi huius ad te pertinet? certe nec totus Mundus, nec pars media, aut tertia, aut quarta, sed vix particula quaedam te contingit,eamque post breve tempus velis nolis dimittere cogeris. At Deum, in quo sunt omnia, totum possidebis,et in aeternum possidebis: erit enim *Deus omnia in omnibus* Sanctis et beatis sine ullo fine. Ille erit tibi vita, cibum, vestis, domus, honor, divitiae, delectatio,et omnia. Adde quod Deus tuus suavis et mitis, non iubet, ut dum in terris peregrinaris, solatio creaturarum penitus careas, imo ut tibi serviant,omnia condidit. Sed hoc iubet, ut illis utaris moderate, sobrie, temperanter : et cum egentibus hilariter communices, et non tibi dominentur, sed tu eis domineris,illisque utaris ad promerendum Deum. Ergo attentissime cogita, an non sit tibi utilius et in hac vita rebus creatis non carere,qua parte necessariae sunt, et in altera Creatore ipso, in quo (ut saepe dixi) omnia sunt, in sempiternum frui: an vero in hac vita in acquisitione temporalium rerum vehementissime laborare, et numquam earum copia satiari, et in altera temporalibus omnibus bonis repente destitui, et ad aeterna bona numquam pervenire. Adde denique, Deum non ita longe abesse a dilectoribus suis, ut non etiam in hac vita delectationes magnas illis tribuat, et maiores; quam dilectores Mundi in rebus creatis inveniant. Non enim falso scriptum est: *memor fui et dilectatus sum*, et *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui* et, *Ego vero delectabor in Domino*, et. *Laetifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.* Ac ut omittam caetera, cum Apostolus ait: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Certe non significat ex tribulatione nasci consolationem, et ex dolore gaudium, non enim producunt spinae uvas, aut tribuli ficus: sed significat, ad leniendas tribulationes a Deo superinfundi amicis suis tam puras,

et liquidas, et solidas consolationes, ut cum eis temporalia gaudia comparari nullo modo possint. Illa igitur, anima, sit apud te firma conclusio: qui invenit Deum, invenit omnia: qui perdit Deum, perdit omnia.

Sequitur nunc, ut ex virtute, quam Deus rebus creatis attribuit, ad infinitam Creatoris virtutem intelligendam ascendamus. Nulla omnino res est, quae admirabilem virtutem, sive potentiam, sive efficacitatem non habeat. Terra, sive lapis terreus, si ab alto descendat, quo impetu ruit? quid non frangit? quid ei resistit? cum vellet Spiritus sanctus in Apocalypsi describere impetum maximum, quo Babylon magna, id est, universitas impiorum, in die iudicij in profundum abyssi praecipitabitur, sic ait: *Et sustulit unus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, et ultra iam non invenietur.* Aqua vero, quae mollis et blanda leniter fluit super faciem terrae, quando irascitur et intumescit in fluminibus, vel torrentibus, obvia quaeque prosternit, et destruit; nec solum casas rusticorum, sed etiam portas et moenia civitatum, et pontes marmoreos diruisse vidimus. Porro venti, qui aliquando suavissime spirant, naves maximas ad scopulos allidunt, et annosas quercus eradicant, et evertunt. Vidi ego, quod nisi vidissem non crederem, a vehementissimo vento effossam ingentem terrae molem, eamque delatam super pagum quemdam: ut fovea altissima conspiceretur, unde terra eruta fuerat, et pagus totus coopertus et quasi sepultus manserit, ad quem terra illa devenerat. Quid de igne dicemus? qua velocitate modicus ignis crescit in flammam tantam, ut domos et sylvas quasi momento temporis devoret, et consumat? *Ecce*, inquit S. Iacobus, *quantum ignis quam magnam sylvam incendit.* In herbis quam multiplices latent virtutes? In lapidibus, ac praesertim magnete et succino, quam admirabilis virtus cernitur? Porro in animalibus alia robustissima esse videmus, ut leones, ursos, tauros, elephantes; alia ingeniosissima, quamvis minutissima, ut formicas, aranеas, apes, mirmicaleonem. Omitto potentiam Angelorum, virtutem Solis, et stellarum, quae procul a nobis absunt, quale tandem est ingenium hominum, quo tot artes inventae sunt, ut saepe dubitemus, utrum arti natura, an potius ars naturae palmam concedat?

Attolle nunc, anima, oculos mentis ad Deum, et cogita quanta virtus, quanta efficacitas, quanta potentia in Domino Deo tuo sit, cui a veracissima Scriptura dicitur: *Quis similis tui in fortibus, Domine?* et, *Qui facit mirabilia magna solus*, et, *Beatus, et solus potens, Rex regum, et Dominus dominantium.* Quicquid enim virium res creatae habent, a Deo habent: et tamdiu habent, quamdiu placet Deo, ut habeant. Quis enim fecit, ut lonae in ventre Ceti concluso neque maris aquae, neque dentes Ceti nocerent, nisi Deus? Quis conclusis ora Leonum famelicorum, ut Danielem non attingerent, nisi Deus? Quis tres pueros in camino ignis ardentis illaesos servavit, nisi Deus? quis dixit vento furenti, et mari insanienti: *Tace, obmutesce, et subito facta est tranquillitas magna*, nisi Christus verus Deus? Ipse autem Deus, qui non habet ab alio virtutem et potentiam, sed eius voluntas potentia est, et potentia cui nihil resistere potest; ipse infinitam potentiam habet, et semper habet, et ubique habet. Et omnis hominum potestas, cum Dei potestate comparata, non parva et exigua, sed nulla omnino est, sic enim loquitur Isaias: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei.* Nonne igitur stulti sunt, qui timent res creatas et Deum omnipotentem non timent? Et qui confidunt in virtute sua, aut amicorum suorum, et in Deo omnipotente non fidunt? *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Et si Deus contra nos, quis erit pro nobis?

Ergo, anima mea, si sapis, *humiliare sub potenti manu Dei*, inhaere illi per veram pietatem, et non timebis quid faciat tibi homo, vel daemon, vel creatura alia. Sed si forte a pietate excidisti, et Deum tuum ad iracundiam provocasti, non des requiem temporibus tuis, donec invenias pacem a Domino tuo: nimis enim *horrendum est incidere in manus Dei viventis.*

Restat ut pulchritudinem rerum creatarum inspiciamus, de qua dixit Propheta: *Delectasti me Domine in factura tua.* Et certe, quae fecit Deus, ut bona sunt omnia, sic etiam pulchra sunt omnia, si recte considerentur. Sed omissis aliis, consideremus ea, quae omnium iudicio et approbatione sunt pulchra. Certe magna est pulchritudo virentis prati, horti bene culti, amoenissimae sylvae, maris tranquilli, sereni aeris, fontium, fluviorum, urbium, coeli micantis, atque innumerabilibus stellis, quasi gemmis distincti. Deinde quam delectat pulchritudo arboris floribus vestitae, vel pomis onustae? quadrupedum variorum formae, avium volatus, piscium lusus? quid dicam de pulchritudine stellarum, et Lunae, ac potissimum de iubare illo Solis maximo et clarissimo, quod ex ortu suo mundum exhilarat universum? Sed homines, ad quos potissimum loquimur, nihil magis quam sua ipsorum venustas speciesque delectat. *Propter speciem mulierum multi perierunt*, inquit Ecclesiasticus. Vidimus saepe, et doluimus, viros alioqui sapientissimos, foeminarum venustate tanto amore captos, et contra etiam foeminas graves et honoratas ad eam insaniam redactas ob virorum pulchritudinem, ut rem familiarem, et dignitatem, ac filios, ac parentes, et etiam vitam ipsam, addo etiam aeternam salutem amori hominum formosorum posthabuerint? Nota sunt quae de Davide, Salomone, Sampsone in Scripturis sanctis leguntur, plenae sunt historiae similium exemplorum.

Ergo, anima mea, si tanta est pulchritudo in res creatas a conditore Deo effusa, quanta putas, et quam admirabilis est pulchritudo pulcherrimi conditoris? nemo enim dare potest, quod non habet, et si Solis ac stellarum specie delectati homines luminosa illa corpora *Deos putaverunt*, inquit Sapiens, *sciant quanto dominator eorum speciosior est, speciei enim generator haec omnia constituit.* Quanta autem sit pulchritudo Dei, non

solum certo cognoscitur ex eo, quod omnium creaturarum pulchritudo eminentiore modo in ipso collecta reperitur : sed etiam ex eo, quod cum invisibilis sit nobis, dum ab ipso peregrinamur, et solum per fidem Scripturarum, et in speculo creaturarum, utcumque cognoscatur, multi tamen Sanctorum ita exarserunt in amorem eius, ut alii in deserta loca se abdiderint, et soli contemplationi ipsius vacare voluerint, ut S. Maria Magdalena, Paulus primus Eremita, magnus Antonius et alii sine numero, de quibus Theodoretus in historia religiosa consuli potest. Alii coniuges, et liberos, et quicquid in terris possidebant deserentes, in monasteriis ad aliorum nutum vivere voluerunt, ut Dei amicitia fruerentur. Alii vitam ipsam cum acerbissimo dolore libenter exponere desideraverunt, ut ad visionem infinitae illius pulchritudinis pertingere mererentur. Audi unum ex illis, sanctum videlicet Ignatium Martyrem in epist. ad Rom. Ignis, crux, bestiae, confractio ossium, membrorum divisio, et totius corporis contritio, et tota tormenta diaboli in me veniant, tantum Christo fruar. si ergo pulchritudo divina, nondum visa, sed solum credita et sperata, tantum ignem desiderii excitat, quid faciet, cum remoto velo, ut est in se, conspicietur? Omnino id faciet, ut *torrente voluptatis illius inebriati*, neque velimus, neque possimus, vel ad punctum temporis oculos ab ea divertere. Et quid mirum si Angeli et animae beatae semper videant faciem Patris, qui est in coelo, nec visio illa taedium, vel satietatem ullam pariat, cum ipse Deus ab aeternitate pulchritudinem suam semper aspiciens in ea penitus acquiescat, et ex ea visione beatus, nihil aliud velit, et quasi in cellam vinariam, et in hortum omnium deliciarum ingressus, numquam inde exierit, neque in aeternum sit exiturus. Hanc pulchritudinem quaere, anima mea, ad eam suspira die ac nocte, dicas cum Propheta : *Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam, et apparebo ante faciem Dei* ? dicas cum Apostolo : *Audemus, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum.* Neque timeas ex vehementi amore pulchritudinis illius inquinari ; amor enim divinae pulchritudinis perficit corda, non inficit ; sanctificat, non inquinat : Vere dicebat sanctissima Virgo et martyr Agnes : Amo Christum, cuius Mater Virgo est, cuius Pater foeminam nescit, quem cum amavero casta sum, cum tetigero munda sum, cum accepero virgo sum. Sed si vere Domini tui increatam speciem concupiscis, oportet te implere quod Apostolus eo loco subiungit. *Ideo*, inquit. *contendimus sive absentes, sive praesentes placere illi.* Si placet tibi Deus, debes et tu placere Deo. Et quidem in regione vivorum, cum praesentes erimus, illuminati fulgore eius, sine dubitatione Deo placebimus, sicut Propheta canit : *Placebo Domino in regione vivorum.* Sed in hac peregrinatione tam facile sordescimus, et inquinamur luto peccati, ut Apostolus Iacobus dixerit : *In multis offendimus omnes*, et Propheta David, ut ostenderet, quam rari sint immaculati in via, ad beatitudinem hoc pertinere pronunciaverit, dicens : *Beati immaculati in via.* Ergo si cupis, anima, etiam in absentia et peregrinatione placere dilecto, non satis est velle placere, sed oportet, ut Apostolus loquitur, contendere placere, id est, assiduo magnoque labore cavere maculas, quae foedam reddunt faciem animae ; et si quae inhaeserint, non minori studio et labore contendere illas abstergere. Nonne vides mulierculas, quae cupiunt placere viris suis, quot horas consumunt in componendis capillis, et poliendo vultu, et maculis vestium abstergendis : ut placeant oculis veri mortalis, qui paulo post in lutum et cineres converti debet, quid igitur te facere oportet, ut placeas oculis sponsi immortalis, et qui semper te videt, qui sine macula et ruga te invenire desiderat? certe totis viribus contendere te necesse est : *ut in sanctitate et iustitia coram ipso ambules*, et omnia, quae veram sanctitatem veramque iustitiam impediunt, strenue removeas, vel amputes ; neque respicias carnem et sanguinem, neque attendas ad sermones et iudicia hominem, non enim simul placere potes Deo, et mundo, dicente Apostolo : *Si hominibus placerem, Christi servus non essem, etc.*

GRADUS TERTIUS.

Ex consideratione orbis terrae.

Consideravimus Mundum corporalem in universum : nunc partes eius principales considerare aggredimur, ut ex iis scalam nobis ad contemplandum opificem, qualem possumus, erigamus.

Prima se offert terra, quae quamvis infimum locum teneat, et minor caeteris elementis esse videatur : tamen re vera non est minor, quam aqua, et dignitate ac pretio superat elementa omnia. Hinc enim in Scripturis sanctis passim legimus, Deum fecisse coelum et terram, quasi partes mundi praec puas, quibus caeterae serviant ; coelum enim fecit, quasi palatium Dei, et Angelorum : terram, quasi palatium hominum. *Coelum coeli Domino*, inquit Propheta, *terram autem dedit filiis hominum.* Atque : ea causa est, cur coelum plenum sit stellis fulgentibus, et terra abundet immensis divitiis metallorum, lapidum pretiosorum, herbarum, arborum, animalium multorum generum ; cum aqua solis piscibus abundet : aer et ignis egena ac pene vacua sint elementa. Sed his omissis, orbis terrae tria quaedam habet consideratione dignissima, per quae ad Deum, si mens vigilet, non difficulter ascendere possumus.

Primum terra fundamentum est firmissimum mundi totius, quod nisi haberemus, non posset homo, neque ambulare, neque quiescere, neque operari, nec vitam ullo modo ducere. *Firmavit*, inquit David, *orbem terrae, qui non commovebitur*, et *Fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in saeculum saeculi.* Deinde terra quasi bona nutrix hominum, et animantium caeterorum, assidue producit herbas, fruges, fructus, gramina, poma, et alia id genus innumerabilia. Sic enim Deus loquitur : *Ecce dedi vobis*

omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna, quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam, et cunctis animantibus terrae. Tertio producit terra lapides et ligna ad aedificandas domos, et metalla aeris et ferri in varios usus.et aurum atque argentum,quibus cuduntur pecuniae,instrumenta v delicet ad vitae humanae omnia necessaria facillime comparanda.

Ac prima quidem illa terrae proprietas, quod videlicet sit locus,in quo corpora nostra quiescant, cum in aqua, vel aere, vel igne quiescere nequeant; symbolum conditoris est, in quo solo anima humana locum quietis invenire potest. *Fecisti*, inquit S. Augustinus, *nos Domine ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Salomon Rex, si quis alius quaesivit requiem in imperio, in divitiis, in voluptatibus; obtinuit regnum amplissimum, et pacatissimum; ita ut Scriptura teste, *haberet in ditione sua omnia regna a flumine terrae Philisthiim usque ad terminos Aegypti, offerentium sibi munera, et servientium ei omnibus diebus vitae eius.* Habuit praeterea divitias incomparabiles, ita ut alceret quadraginta millia praesepia equorum currilium, et duodecim millia equestrium, et, ut legimus eodem libro, classis Salomonis ex Ophir adferebat aurum et gemmas pretiosas in tanta copia,ut argentum nihili fieret; et tanta esset argenti copia in Hierusalem, quanta lapidum platearum. Voluptates autem tantas sibi ipse paravit, ut incredibile videatur, nam cum mulieres deperiret, accepit sibi uxores,quasi Reginas septingentas, et concubinas trecentas: ut legimus in eodem libro. Sed ipsum de se loquentem audiamus. *Magnificavi*, inquit, *opera mea, aedificavi mihi domos, et plantavi vineas, feci hortos, et pomaria, et consevi ea cuncti generis arboribus, et extruxi mihi piscinas aquarum, et irrigarem sylvam lignorum germinantium, possedi servos, et ancillas, multamque familiam habui, armenta quoque.et magnos ovium greges ultra omnes, qui fuerunt ante me in Hierusalem, coacervavi mihi argentum, et aurum, et substantias Regum, ac Provinciarum, feci mihi cantores, et cantatrices, et delicias filiorum hominum, scyphos, et urceos in ministerio ad vina fundenda, et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Hierusalem. Et sapientia quoque perseveravit mecum, et omnia quae desideraverunt oculi mei, non negavi eis; nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, et oblectaret se in his, quae praeparaveram, et hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo*, haec ille, qui certe quietem maximam habuit, si ulla in rebus creatis haberi potest. Nihil enim illi defuit, non regnum, non divitiae, non deliciae, non ipsa quae maximi fieri videtur humana sapientia, non denique pax, et tranquillitas in tantis bonis longo tempore possidendis et retinendis.

Interrogemus nunc, an in tantis rebus quietem invenerit, et an ista capacitatem animae implere potuerint. *Cum*, inquit, *me convertissem ad universa opera quae fecerant manus meae, et ad labores, quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, et afflictionem animi, et nihil permanere sub Sole.* Non ergo quietem invenit Salomon in tantis divitiis, et deliciis, et sapientia, et honoribus: nec invenire potuisset, etiamsi multo plura et maiora fuissent; quoniam animus humanus immortalis est, ista vero mortalia sunt, nec possunt diu permanere sub Sole; nec fieri potest, ut animus capax infiniti boni, satietur bonis finitis. Quemadmodum igitur non potest corpus humanum in aere, quantumvis latissimo, nec in aquis, quamvis profundissimis requiescere, quia centrum eius terra est, non aer, vel aqua: sic animus humanus numquam requiescet in aereis dignitatibus, vel luteis divitiis, vel aqueis, id est, mollibus et sordidis voluptatibus, nec in humanae scientiae falso splendore, sed in solo Deo, qui centrum animorum, et verus ac solus locus, requietis eorum est. O quam vere, et quam sapienter exclamavit pater Salomonis, cum ait: *Quid est mihi in coelo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum*, ac si dicere voluisset: Nihil invenio nec in coelo, nec in terra: nec in alia re creata ulla, quae sub coelo, aut super terram sit, quod mihi veram quietem possit adferre. Tu solus Deus cordis mei, id est, tu solus petra solida es cordi meo, vox enim, Deus, in Haebraico textu petram significat hoc loco: tu ergo solus petra firmissima es cordi meo, in te uno quiescam, tu solus pars mea, haereditas mea, omne bonum meum, caetera nihil sunt, et nihil ad me replendum et satiandum valent, atque hoc, non per unum, vel alterum diem, vel annum, sed in aeternum, tu unus mihi sufficis in aeternum, caetera nec ad unum diem sufficerent universa.

Agnoscis ne adhuc, anima mea, solum Deum esse petram tuam, in qua requiescat, caetera vanitatem, et afflictionem spiritus, quae non existentia, sed apparentia sint, et non solentur, sed affligant, quoniam acquiruntur cum labore,possidentur cum timore, et amittuntur cum dolore? Despice ergo, si sapis, omnia quae transeunt, ne te secum abripiant, et in uno permane, illique inhaere vinculo charitatis, qui manet in aeternum: leva cor tuum ad Deum in coelum, ne putrescat in terra: disce veram sapientiam, a multorum stultitia, quorum nomine loquitur Sapiens, et dicit: *Ergo erravimus a via veritatis, et iustitiae lumen non luxit nobis, ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus, lassati sumus in via iniquitatis, et perditionis.quid nobis profuit superbia? aut divitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt illa omnia tamquam umbra, et nos in malignitate nostra consumpti sumus.*

Sed est etiam alia ratione petra firmissima symbolum Domini Dei nostri, quod symbolum explicavit nobis sapientia Dei in Evangelio suo, ubi dixit, domum aedificatam super firmam petram immobilem permanere, si desuper descendant pluviae, et a latere irruant venti, et a parte inferiori perculiant flumina: domum vero aedificatam super arenam, nihil horum sustinere posse, sed ad primum impetum pluviae, aut venti, aut flu-

minis prosterni, et fieri ruinam domus illius magnam.

Domicilium tuum, o anima, quod ex variis potentiis, et virtutibus quasi cubiculis, et aulis constat, si in Deo, tamquam in petra fundetur, id est, si firmissime credas Deo, si tota fiducia tua sit in Deo, si sit in charitate Dei radicata, et fundata, ut cum Apostolo dicere possis: *Quis nos separabit a charitate Christi?* secura esto, quia neque spirituales nequitiae, quae supra nos sunt, neque carnales concupiscentiae, quae sunt infra nos, neque domestici hostes nostri, qui a latere nos oppugnant, cognati videlicet, et amici, contra te umquam suis machinis praevalebunt. Magnae quidem sunt vires, et magna callidas spiritualium potestatum, sed maior est potestas, et maior sapientia Spiritus sancti, qui praesidet illi domui, quae in Deo fundata est. Vehementer omnino contra spiritum pugnat caro, et carnales concupiscentiae fortissimos quosque debellare solent: sed amor Dei amorem carnis facile superat, et timor Dei timorem Mundi facile prosternit. Denique inimici hominis, domestici eius, et ipsi quoque perversis consiliis ad consortium peccatorum animas trahunt: sed anima, quae Dominum et Patrem, et fratrem, et sponsum in coelo se habere confidit, non magno labore carnales amicos, et consanguineos non solum contemnere, se etiam odisse novit, et potest dicere cum Apostolo: *Certus sum, quod neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit me separare a charitate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro.* Sed illa vere misera anima est, cuius domus in arena fundata non potest diu subsistere, et fiet brevi ruina illius magna, quippe cum credat mendacio, et confidat in baculo arundineo, et eius Deus, aut venter, aut pecunia, aut fumus honoris sit, quae omnia velocissime transeunt, et pereunt, et animam illius inhaerentem in exitium sempiternum trahunt.

Iam vero altera terrae proprietas in eo posita est, quod terra tamquam bona nutrix herbas et fructus caeteros large profundat in escam hominum, et animantium caeterorum. Atqui haec ipsa proprietas ad conditorem, ut verum nutritium, nos deducit, non enim terra, sed Deus in terra omnia bona producit, sic enim loquitur Spiritus sanctus per os David: *Qui producit in montibus foenum, et herbam servituti hominum*, et rursus: *Omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore. Dante te illis colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Et Dominus in Evangelio: *Respicite volatilia coeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester coelestis pascit illa.* Et Apostolus: *Et quidem non sine testimonio semetipsum Deus reliquit benefaciens de coelo, dans pluvias, et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra.* Nec tamen falsum est, quod initio libri Genesis dicitur: *Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum.* Vere enim terra germinat herbas et ligna pomifera: sed ex virtute quam ei Deus attribuit, et ipso Deo per ipsam producente, et conservante, et incrementum dante. Itaque David ubi res omnes creatas invitat ad laudem conditoris, addit cum caeteris, ligna fructifera, et omnes cedros, et tres pueri apud Danielem, exhortantur cum caeteris creaturis, omnia germinantia in terra, ut benedicant Dominum, et laudent, et superexaltent eum in saecula.

Et cum omnia suo modo Deum laudent, quanto affectu deberes tu anima, Deum pro his omnibus beneficiis, quibus assidue frueris, benedicere, et laudare? agnoscens in eis occultam Dei manum omnia largientem, et non occultum, sed clarissime patentem, et sese ostendentem paternum et purissimum Dei tui amorem, qui numquam cessat tibi de coelo benefacere, et in rebus omnibus providere. Sed parum est hoc in oculis Domini Dei tui. Ipse est enim, qui in te ut in spirituali agro suo, producit germen nobilissimum charitatis, charitas enim non ex Mundo, sed ex Deo est, ut dilectissimus discipulus loquitur in epistola sua. Ex charitate autem, ut ex arbore divina, atque coelesti prodeunt flores candidissimi, et odorati cogitationum sanctarum, folia virentia verborum utilium ad salutem gentium, et fructus operum bonorum, quibus Deus glorificatur, et proximi adiuvantur, et merita colliguntur, et servantur in vitam aeternam.

Vae autem illis, qui more iumentorum insipientium fructibus terrae satiari desiderant, eosque avidissime colligunt, et recondunt, et de auctore non cogitant, neque illi gratias agunt: et quorum animae similes sunt terrae, cui maledixit Deus, quae spinas et tribulos germinat, quid enim cogitant illi, in quibus Deus non seminat casta consilia, nisi fornicationes, adulteria, homicidia, sacrilegia, furta, proditiones, et alia id genus? et quid isti loquuntur nisi blasphemias, periuria, maledicta, haereses, convicia, contumelias, falsa testimonia, mendacia, et alia id genus, quae a patre suo diabolo didicerunt? Et quos postremo fructus producunt, nisi venenatos illos fructus, quos ab ipsis cogitari assidue diximus, et qui ab Apostolo opera carnis nominantur? Istae nimirum spinae sunt, quae primo pungunt animos germinantium cas, punctionibus amarissimis timorum, et sollicitudinum: deinde pungunt famam, et corpora, et animos proximorum laesione gravissima, et saepe irreparabili, ex qua postea plurima et gravissima ad alios detrimenta perveniunt.

Sed his omissis, tu anima mea, si hortulus es coelestis agricolae, cave ne spinae, vel tribuli umquam inveniantur in te, sed omni sollicitudine fove arborem charitatis, et lilia castitatis, et nardum humilitatis, cave ne umquam tibi subrepat, ut a te esse existimes coelestia ista germina virtutum, et non a Domino Deo tuo, qui est Dominus virtutum, seminatos casti consilii sed et conservationem, et incrementum, et maturitatem fructuum bonorum operum, non tibi attribuas, sed illi commenda, et ad illum sit semper fortitudo tua.

Restat ultima terrae laus, quod videlicet aurum, et argentum, et lapides pretiosos intra sinum suum contineat. Sed certe non virtute sua producit terra tam pretiosas rerum species, sed ille, qui per Ag-

gaeum dicit: *Meum est aurum, et meum est argentum.* O amator hominum, itane hoc etiam placuit dulcedini tuae, ut non solum produceres humano generi lapides, et ligna, et ferrum, et aes, et plumbum, et alia id genus necessaria ad domos et naves aedificandas, et instrumenta varia construenda: sed etiam aurum, et argentum, et lapides pretiosos ad ornatum, et decorem? Et si haec tribuis peregrinantibus in terra, et saepe etiam inimicis tuis blasphemantibus nomen tuum, quid dabis dilectis tuis, te benedicentibus, et tecum regnantibus in coelo? Dabis utique non frustula auri, vel argenti, nec pauculas gemmas pretiosas, sed civitatem illam de qua loquitur Ioannes Apostolus in Apocalypsi, cum ait: *Et erat structura muri eius ex lapide Iaspide, ipsa vero civitas aurum mundum, et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata, et duodecim portae duodecim margaritae sunt.* Nec vero existimamus, civitatem illam supernam Hierusalem coelestem, ex auro, et gemmis, et margaritis, quales hic sunt, constructam esse, vel ornatam, scimus enim Spiritum sanctum his vocibus uti, quoniam ad nos loquitur, qui meliora, vel maiora non vidimus, sed sine dubitatione ulla multo excellentior erit civitas illa, quae est patria electorum Dei, omnibus civitatibus peregrinationis huius, quanto civitas aurea et gemmata praestaret omnibus rusticorum pagis, qui ex luto et paleis constant.

Erige ergo anima mea, oculos mentis ad coelum, et cogita quanti sint facienda bona, quae illic sunt, cum species auri, et argenti, et lapidum pretiosorum, quae hic tanti fiunt, illis bonis comparatae, vix luti et palearum nomine censeantur. Adde, quod aurum, et argentum, et margaritae, quae hic habentur in pretio, corruptibilia sunt, quae autem et sempiterna sunt. Sed si per manus pauperum hoc ipsum corruptibile aurum et argentum, quod hic habes, ad coelestem civitatem transferre volueris, quod utique, si sapis, omnino facies, et ipsum incorruptibile fiet, et tibi manebit in aeternum. Non enim mentiri potest Veritas, quae dicit: *Vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo*, et alio loco: *Vendite quae possidetis, et date eleemosynam; facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in coelo, quo fur non appropriat, neque tinea corrumpit.* O inrudelitas filiorum hominum! promittit homo mendax decem pro centum, et sortem integram mutuanti se repraesentaturum, et creditur ei, promittit, qui mentiri non potest Deus, danti eleemosynam thesaurum in coelo, imo etiam centum pro uno, et vitam aeternam se redditurum, et trepidat avarus homo, nec facile adduci potest, ut credat, et mavult thesaurum suum abscondere, ubi aerugo consumit, et fures effodiunt, et furantur, quam in coelo reponere, quo fur non appropriat, neque aerugo consumit. Sed etiam si aliquando neque fures auferant, neque tinea, vel aerugo corrumpat, quae tanto labore parasti, et conservasti, o homo infelix, cuius erunt? tua certe non erunt, cuius tamen esse poterant, si per manus pauperum in coelestes thesauros transtulisses. Usus quidem docet, ea quae avari divites collegerunt, ad haeredes prodigos pervenire, qui multo breviore tempore profundunt, quam avari parentes collegerant, atque interim peccatum avaritiae manet, aeternumque manebit, et vermis conscientiae non morietur, et ignis inferni non extinguetur.

Ergo, anima mea, aliorum insipientia te erudiat, et audi Dominum et Magistrum tuum concionantem: *Videte, et cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his, quae possidet.* Avarus congregat, et conservat, ut habeat, unde diu vivat, sed contra accidit: nam quando minus cogitat moritur, et substantia avare congregata et conservata generat vermem, qui non morietur, et excitat ignem, qui non extinguetur. O avare infelix, ergone tam sollecite aggregasti pecunias, ut fomentum parares igni gehennae, quo numquam extinguatur? Audi B. Iacobum in extrema epistola sua. *Agite*, inquit, *nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quae advenient vobis, divitiae vestrae putrefactae sunt; et vestimenta vestra a tineis comesta sunt, aurum et argentum vestrum aeruginavit, et aerugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras, sicut ignis.* Vos quidem, inquit b. Iacobus, quia divites estis, beati existimamini, et dicimini, sed re vera miseri estis, et egenis omnibus miseriores, et materiam magnam habetis lugendi, et ululandi propter ingentes miserias, quae certe advenient vobis, divitiae enim supervacaneae, quas conservastis, et quas putrefieri sinistis, cum eas pauperibus erogare deberetis, et vestimenta vestra, quae superflua possidetis, et potius a tineis comedi, quam pauperes inde vestiri patimini, et aurum et argentum, quod ab aerugine consumi vultis potius, quam illud in cibos pauperum erogetis; haec, inquam, omnia contra vos in die iudicii testimonium dicent, et tineae ac aerugo divitiarum vestrarum in ignem urentem convertentur, qui aeterno tempore carnes vestras devorabit, et numquam consumet, ut ignis non extinguatur, et dolor non finiatur. Ergo cum Propheta regio concludamus: *Beatum dixerunt* (stulti) *populum cui haec sunt*, divitiae videlicet exuberantes: re autem vera, *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius.*

GRADUS QUARTUS.

Ex consideratione Aquarum, ac praecipue fontium.

Secundum locum inter elementa Mundi tenet aqua. Ex ea quoque si recte inspiciatur, gradus ascensionis in Deum construi poterit. Ac primum aquam universo se considerabimus: deinde specialem ascensionem in Deum e fontibus hauriemus.

Aqua humida est, et frigida, ac per hoc quinque veluti proprietates habet, nam lavat et abstergit maculas: extinguit ignem: refrigerat ac temperat ardorem sitis: coniungit res multas ac diversas in unum: denique quam profunde descendit, tam alte ascendit. Haec omnia manifesta sunt symbola, sive

vestigia conditoris rerum omnium Dei. Lavat aqua maculas corporales ; lavat Deus maculas spirituales. *Lavabis me*, inquit David, *et super nivem dealbabor*. Quamvis enim maculas cordis, id est, peccata, lavet contritio, lavent sacramenta, lavent sacerdotes, lavent eleemosynae, atque alia opera pietatis : tamen haec omnia vel instrumenta sunt, vel dispositiones, qui lotionis huius auctor est, solus Deus est. *Ego sum*, inquit Deus per Isaiam, *ego ipse sum, qui deleo iniquitates tuas propter me*. Et ideo Pharisaei, qui murmurantes adversus Christum dicebant: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus* ? non fallebantur in eo, quod soli Deo tribuebant potestatem supremam dimittendi peccata: sed in eo, quod Christum Deum non esse credebant, proinde simul et blasphemabant, et vera dicebant.

Nec solum Deus lavat maculas cordis ad similitudinem aquae, sed etiam aqua nominari voluit, sic enim scribit s. Ioannes: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*, ergo Spiritus sanctus, qui utique Deus est, aqua viva est, et de hac aqua dicit Ezechiel : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. Et quoniam aqua ista coelestis, et increata longe superat virtutem aquae terrestris et creatae: ideo tres differentias annotare placet inter lotionem aquae creatae, et increatae.

Aqua creata lavat maculas corporum, sed non omnes : multas enim lavare nequit, nisi iuvetur sapore, vel aliis instrumentis. Aqua increata omnes omnino maculas lavat, sic enim in loco paulo ante notato legimus. *Et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*.

Aqua creata raro ita maculas omnes tergit, ut vestigium aliquod, vel quasi umbra maculae non relinquatur. Aqua increata sic lavat, ut res lota candidior pulchriorque reddatur, quam esset antequam inquinaretur. *Lavabis me*, inquit David, *et super nivem dealbabor*. Et per Isaiam Dominus dicit : *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt*. Denique aqua creata lavat maculas naturales, quae non resistunt abstergenti : aqua increata lavat maculas voluntarias, quae lavari nequeunt, nisi anima ipsa velit, et abstergenti sponte consentiat. Sed tanta et tam admirabilis est virtus huius aquae, ut suavissime etiam in lapidea corda penetret, et ideo a nullo duro corde respuitur, quia ipsa facit, ut non respuatur, ut recte monet s. Augustinus : Quis capiat, Domine, quam admirabili ratione in corda infidelium inspires fidem, et in corda superborum infundas humilitatem, et in corda hostium tuorum insinues charitatem, ut qui paulo ante spirans minarum et caedis te in discipulis tuis persequebatur, repente mutatus pro te et pro Ecclesia tua minas et caedes persequentium libentissime perferat? multum est a me, ut in haec secreta tua penetrem, et malo experiri, quam scrutari efficaciam gratiae tuae. Et quoniam novi aquam istam tuam, esse *pluviam voluntariam, segregatam haereditati tuae*, ut cecinit Propheta tuus. Ideo humiliter et suppliciter peto, ut inveniat in haereditate tua, et placeat gratiae tuae in terram cordis mei descendere, ne maneat sicut terra sine aqua tibi, aridum, et sterile, quale ex se est, ut ne cogitare quidem boni aliquid ex se sufficiat. Sed pergamus ad reliqua.

Aqua extinguit ignem; et aqua illa coelestis, gratia videlicet Spiritus sancti, admirabili ratione et modo extinguit ignem carnalium concupiscentiarum, multum quidem valent ad hoc incendium restinguendum ieiunia, et corporis afflictationes : sed si addantur, ut instrumenta gratiae Spiritus sancti, alioqui per se sola non multum valent. Amor enim princeps est affectionum, et perturbationum animi : ille regit omnes, et omnes illi uni obtemperant. Amor cogi non vult, et si ab una parte via illi obstruatur, erumpit ab altera. Amor nihil timet, omnia audet, omnia vincit, nihil sibi difficile, aut impossibile arbitratur, denique nulli cedit amor minor, nisi amori maiori, et valentiori, sic omnino carnalis amor, sive divitias, sive delicias mundi sequatur, uni cedit amori Dei, cum primum incipit aqua Spiritus sancti in cor hominis instillari, continuo frigescere incipit amor carnalis. Testis nobis sit b. Augustinus, qui cum assuetus esset indulgere libidini, et impossibile sibi duceret consortio foeminae posse carere : tamen ubi gustare coepit Spiritus sancti gratiam, exclamavit in principio libri noni confessionum: *Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum, ei quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium eras, eiiciebas enim a me vera tu et summa suavitas : eiiciebos, et intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni, et sanguini : omni luce clarior, sed omni secreto interior : omni honore sublimior, sed non sublimibus in se*.

Aqua praeterea sitim sedat; et aqua illa coelestis sola potest desideriis cordis humani variis, et molestissimis, ac prope infinitis finem imponere. Sic Veritas ad Samaritanam loquens manifestissime docuit. *Qui biberit*, inquit, *ex aqua hac, sitiet iterum: qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum*. Omnino sic res habet : *non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu*, quicquid homini offeratur, non potest eius desiderium satiare, cum ille capax sit infiniti boni, et res omnes creatae certis terminis circumscribantur. Sed qui bibere incipit aquam coelestem, in qua sunt omnia nihil expetit, nihil requirit amplius. Sed de hac re diximus supra cum de quiete animi in solo Deo, ut in proprio centro loqueremur.

Aqua simul coniungit, et in unum redigit, quae vix uniri posse videbantur. sic multa grana farinae per aquae admixtionem unus panis efficiuntur, et ex multis partibus terrae, per aquae adiunctionem lateres fiunt. Sed multo facilius et insolubilius aqua Spiritus sancti facit, ut multi homines *sint cor unum, et anima una*. Id quod in Actis Apostolorum dicitur de primis Christianis, in quos proxime descenderat Spiritus sanctus. Sed et Dominus

hanc unitatem, quam efficit aqua Spiritus sancti, iturus ad Patrem commendat, et praedicit, cum ait: *Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me; ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* Et paulo post: *Vi sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum.* Ad quam unitatem hortatur etiam Apostolus in epistola ad Ephes. *Solliciti*, inquit, *servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae.* O foelix unio, quae multos homines facit esse unum Christi corpus, quod ab uno capite regitur, et de uno pane comedit, et de uno calice bibit, et de uno spiritu vivit, et adhaerens Deo unus spiritus fit cum eo. Quid amplius desiderare potest servus, quam ut non solum particeps fiat omnium bonorum Domini sui, sed etiam vinculo amoris indissolubilis unum fiat cum ipso omnipotenti, et sapientissimo, et pulcherrimo Domino suo? Atqui hoc totum facit Spiritus sancti gratia, ut aqua vivens, et vivificans, quando in corde recipitur devote, et tota diligentia ac sollicitudine custoditur.

Aqua denique tam alte ascendit, quam ex alto descendit. Et quoniam Spiritus sanctus de summo coelo venit in terras, ideo in homine, in cuius corde recipitur, *fit fons aquae salientis in vitam aeternam*, ut Dominus ait ad mulierem Samaritanam, id est, homo renatus ex aqua et Spiritu sancto, et qui eumdem inhabitantem Spiritum in corde suo gerit, illuc erigit merita, unde descendit gratia.

Ergo, anima mea, his vocibus Scripturarum edocta, et excitata, iterum atque iterum, gemitibus inenarrabilibus dicas Patri tuo: Da mihi hanc aquam, quae maculas omnes detergat, quae concupiscentiae calorem extinguat, quae sitim omnem et omnia desideria sedet, quae unum spiritum cum Deo tuo te faciat, quae fiat in te fons aquae salientis in vitam aeternam, ut illuc merita praemittas, ubi te speras sine fine mansuram. Non sine causa filius Dei dixit: *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de coelo dabit spiritum bonum petentibus se?* et non dixit, dabit panem, aut vestem, aut sapientiam, aut charitatem, aut Regnum coelorum, aut vitam aeternam: sed dixit, dabit spiritum bonum, quia in illo continetur omnia. Tu igitur non cesses quotidie Patrem admonere promissionis filii sui, atque dicere cum ingenti affectu, et certa spe obtinendi? Pater sancte, non in iustificationibus meis fundo preces ad te, sed in promissione unigeniti Filii tui. Ille nobis dixit: Quanto magis Pater vester dabit spiritum bonum petentibus se, certe filius tuus veritas est, non nos decipit; ideo adimple promissionem filii tui, qui te clarificavit super terram, tibique obediens fuit usque ad mortem, mortem autem crucis, da spiritum bonum petenti te, da spiritum timoris et amoris tui, ut servus tuus nihil timeat nisi offendere te, et nihil diligat praeter te, et proximum suum in te: *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne proiicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi laetitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.*

Venio nunc ad similitudinem, quam habent fontes aquae cum Deo, hinc enim erigi potest animus ad contemplanda plane mirabilia, de excellentia conditoris. Non enim sine causa in Scripturis sanctis dicitur, Deus: *Fons vitae, et fons sapientiae*, et *fons aquae vivae*. Et quod sit fons essendi colligitur ex verbis ipsius Dei ad Mosem: *Ego sum, qui sum, qui est misit me ad vos.* Quae omnia simul comprehendisse videtur Apostolus, cum ait: *In ipso vivimus, movemur, et sumus.* In ipso enim sumus tamquam in fonte essendi, et in ipso vivimus tamquam in fonte vitae, et in ipso movemur tamquam in fonte sapientiae, quia *omnibus mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem ubique propter suam munditiam*, ut dicitur in libro Sapientiae.

Fons aquae hic apud nos, id habet proprii, ut ab eo nascantur flumina, et si desinant a fonte fluere, continuo exarescant: fons autem ipse non pendet a fluminibus, quia non accepit ab illis aquas, sed ipse in se habet, et cum aliis communicat. Hoc est verum symbolum, et vestigium divinitatis, est enim Deus verissimus fons essendi: siquidem ipse a nulla re accipit esse, et omnia ab ipso accipiunt, a nulla re Deus accipit esse, quia de Dei essentia est esse, et ipsa essentia est eius existentia, ut nec fieri, nec cogitari possit, Deum non semper extitisse, aut non semper existere. Res caeterae possunt ad tempus esse, et ad tempus non esse, quoniam ad earum essentiam non necessario pertinet esse, ut exempli causa, de essentia hominis est, ut sit animal rationale, atque ideo non potest homo esse, et non esse animal rationale: et si de essentia hominis esset etiam existere, non posset non semper existere. Sed quia de essentia eius non est existere, ideo potest existere, et non existere. Deus ergo est fons essendi, quia in sua essentia includit actu semper existere. Atque hoc significant illa verba: *Ego sum, qui sum*, id est, ego sum ipsum esse, et non aliunde accipio esse, sed in me habeo, mihi soli convenit, ut essentia mihi sit esse, atque hinc etiam propria Deo est aeternitas, et immortalitas, ut Apostolus dicit: *Regi saeculorum immortali, soli Deo*, ect. *Qui solus habet immortalitatem.* Ita vero caeterae res omnes a Deo accipiunt esse, ut nisi semper ab ipso dependeant, et eius quodam influxu conserventur, continuo desinant esse, hinc idem Apostolus dicit: *Qui portat omnia verbo virtutis suae.* Quia nisi a Deo sustentarentur res creatae, utique non subsisterent.

Ergo, anima mea, suspice et mirare bonitatem infinitam conditoris, qui res omnes tam amanter portat, et conservat, cum earum opera non indigeat: nec minus admirare, et imitare patientiam eiusdem conditoris tui, qui tam *benignus est super ingratos et malos*, ut sustentet qui eum blasphemant, et conservet qui ad nihilum redigi digni essent: nec tibi grave videatur, si quando infirmitates fratrum portare, et iis, qui te oderunt, benefacere iubearis.

Sed non in hoc solum posita est eminentia fon-

tis essendi, quod a nullo alio fonte accipit esse, et rebus caeteris ipse communicat esse. Nam aquae fontium, et aquae fluminum apud nos eiusdem generis sunt, et quamvis aquae fontium, non ab aliis fontibus aquas accipiant, habent tamen causam sui esse, vapores videlicet, et illi alias et alias causas, donec ad primam causam, quae Deus est, perveniatur. Deus autem conditor tuus, o anima, non est eiusdem generis cum rebus creatis, sed infinito intervallo dignitatis, et nobilitatis, et excellentiae ab eis distat; et vere ac proprie fons est essendi, quia non solum non accepit esse suum ab alio fonte essendi, sed omnem omnino causam nescit, fons aquae creatae, ut dictum est, non ab alia aqua, sed ab alia causa derivatur: fons essendi increatus nihil ante se habet, a nulla re dependet, nulla re indiget, nihil ei nocere potest, sed omnia pendent ab illo, et ille potest *res omnes creatas uno nutu delere*, ut fortissimus loquitur Machabaeus. Hanc eminentiam admirare, anima, hoc principium sine principio, causam sine causa, esse infinitum, illimitatum, immensum, absolute necessarium, cum reliqua omnia huius comparatione, contingentia sint. Ac fortasse de hoc Veritas dixit: *Porro unum est necessarium*, proinde huic uni adhaereas, illi soli servias, in illius solius amore et desiderio delecteris, caetera omnia illius comparatione despicias: aut certe non nimia sollicitudine turberis circa multa, quando unum est necessarium, et solum tibi et hominibus sufficit, sed una tibi sollicitudo sit, ut ab illius gratia numquam excidas, et illi uni semper et ubique studeas complacere.

Iam vero Deus fons etiam vitae rectissime dicitur, quia vivit, et vitam in semetipso habet, imo ipse vita aeterna est. *Hoc est verus Deus, et vita aeterna*, inquit s. Ioannes, et res omnes, quae vivunt, ab illo fonte accipiunt vitam, et illo cessante vitam subministrare, *deficiunt. et in pulverem suum revertuntur*, ut canit s. Propheta David. Gignere sibi simile est viventium proprium. Gignit autem Deus filium sibi simillimum, Deus Deum, et vivens viventem. *Et sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et filio habere vitam in semetipso*, ut testatur s. Ioannes in Evangelio, habet autem Pater vitam in semetipso, quia est fons vitae, et non aliunde accipit vitam: et dedit filio habere vitam in semetipso, quia dedit eandem vitam, quam ipse habet, ac per hoc etiam filius est fons vitae, sed fons vitae de fonte vitae, sicut Deus de Deo, et lumen de lumine. Quis explicet, imo quis capiat, qualis sit vita Dei, et qualis iste fons vitae, unde guttulas hauriunt omnia quae vivunt, sive in terra, sive in coelis? Vita nobis in hoc exilio nota nihil est aliud, nisi principium motus internum, illa enim dicuntur a nobis vivere, quae aliquo modo seipsa movent, unde etiam per similitudinem dicuntur vulgo, aquae vivae, quae sunt in fluminibus, et mortuae, quae ruunt in stagnis, quod illae videantur per se moveri, istae moveri nequeant, nisi a ventis, aut externa vi alia impellantur.

Deus tuus, o anima, verissime vivit, et auctor ac fons est vitae. Ipse enim in Scripturis sanctis passim illud inculcat. *Vivo ego, dicit Dominus.* Et Prophetae, Vivit Dominus saepe repetunt, et apud Ieremiam conqueritur de populo Deus dicens: *Me dereliquerunt fontem aquae vivae*, et tamen neque a se, neque ab alio movetur. *Ego Deus*, inquit, *et non mutor*, et alibi, *Non est Deus ut filius hominis, ut mutetur.* In hymno quoque Ecclesiastico canimus quotidie: Rerum Deus tenax vigor, immotus in te permanens, lucis divinae tempora successibus determinans. Et si Deus gignit filium sine mutatione gignit: et si videt, audit, loquitur, amat, miseretur, iudicat, sive mutatione haec omnia facit; et si res creat, et conservat, vel contra destruit, et dissipat, et rursum renovat, et mutat, ipse tamen quiescens operatur, et immotus mutat, quomodo ergo vivit, si non se movet? et quomodo non vivit, si fons est, et auctor vitae? Hic nodus facile dissolvitur. Ad vitam enim illud absolute satis est, si res viva ex se agat, et non ab alio mota, sed vita ut plurimum in rebus creatis est principium internum motus; quia res creatae imperfectae sunt, et multis indigent. ut actiones vitae possint implere: Deus autem infinita perfectio est, et nulla re indiget extra se, propterea ex se quidem agit, et non motus ab alio, sed motu, vel mutatione opus non habet. Indigent res creatae mutatione, ut generent, et generentur, quia generant extra se, et res quae generatur mutari debet a non esse ad esse: Deus autem intra se gignit Filium et intra se producit Spiritum sanctum, neque mutari debet Filius, aut Spiritus sanctus de non esse ad esse, quia illud esse recipiunt, quod semper fuit, et illud non in tempore, sed in aeternitate recipiunt. Indigent res creatae motu augmentationis, quoniam imperfectae nascuntur: Deus autem Filius perfectissimus nascitur, et Deus Spiritus imperfectissimus spiratur, atque producitur. Indigent res creatae motu alterationis, ut qualitates varias quibus opus habent, adipiscantur: Deus autem nulla re indiget, cum infinitae perfectionis essentiam habeat. Indigent res creatae motu ad locum, quia non sunt ubique; Deus autem ubique totus est, praeterea res creatae, ut videant, ut audiant, ut loquantur, ut operentur, multis rebus indigent, quia vitam quidem habent, sed imperfectam, et egenam: Deus autem nulla re indiget extra se, ut omnia videat, omnia exaudiat, omnibus loquatur, omnia et in omnibus operetur, quia non solum vitam habet, sed vitam opulentissimam, et felicissimam habet, et ipse vita est, et fons vitae Ac ut in actione videndi ponamus exemplum. Homo ut videat, eget potentia visa, quae distincta est ab anima, quae proprie vivit: eget obiecto, id est, corpore colorato extra se posito: eget lumine Solis, aut alicuius alterius corporis luminosi: eget medio, id est, corpore perspicuo: eget specie sensibili, quae ab obiecto ad oculos deferatur: eget organo corporali, id est, oculo variis humoribus, et tunicis carneis instructo: eget spiritibus sensitivis et nervis opticis, per quos spiritus illi transeant: eget distantia proportionata: eget applicatione potentiae. Ecce quantis adminiculis indigent homines, et animantia caetera, ut actionem unam vitae possint implere. Deus autem, qui vere vitam to-

tam habet in semetipso, nulla re indiget. Ipsa essentia infinita est illi potentia, obiectum, species, lumen, et caetera omnia. Ex se, et per se, et in se Deum videt omnia quae sunt, quae fuerunt, quae erunt;et quae possent esse aperte cognoscit. Et antequam Mundus fieret videbat Deus res omnes, neque aliud novi ex rerum creatione scientiae, aut visioni illius accessit. Quid ergo eris, anima, quando illius vitae particeps eris? quid magni imperat tibi Deus, cum vitam istam corporalem et animalem, imperfectam utique et egenam, imperat exponi pro fratribus, et pro ipso Deo, ut vitae aeternae ditissimae et felicissimae particeps fias? Et si nihil magni iubet,cum vitam iubet contemni: quam leve et modicum videri debet, cum imperat divitias mortuas liberaliter pauperibus erogare et a carnalibus concupiscentiis abstinere, et diabolo ac pompis eius vere renunciare, et ad vitam illam, quae sola vera vita est, toto cordis affectu suspirare?

Sed iam tempus est, ut ad fontem sapientiae, quomodo possumus ascendamus. *Fons sapientiae verbum Dei in excelsis*, inquit Ecclesiasticus et recte dixit, *in excelsis*; quoniam fons sapientiae in Angelos sanctos, et animas Beatorum, qui in coelestibus habitant,abundanter et copiose defluit, nobis autem, qui in deserta et peregrinatione versamur, non tam sapientia, quam sapientiae quidam vapor, vel odor contingit.

Quare, anima mea, noli nunc altiora, quam te deceat, quaerere. Noli scrutari maiestatem,ne opprimaris a gloria, admirare sapientiam illius, de qua dicit Apostolus: *Soli sapienti Deo*, gratulare beatis illis mentibus, quae de fonte sapientiae bibunt, et quamvis Deum non comprehendant,quod ipsi fonti sapientiae proprium est; tamen faciem Dei, id est, primae causae,sine ullo velamine speculantur, et fulgoribus eius irradiatae de omnibus rectissime iudicant, neque in illa meridiana luce sapientiae timent errorum tenebras, neque ignorantiae obscuritatem neque opinionum caliginem. Aspira ad illam felicitatem, et ut ad eam secure pervenias, ama ex toto corde Dominum Iesum Christum,*in quo sunt omnes thesauri scientiae et sapientiae Dei*. Ipse enim dixit in Evangelio suo: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum*. Et quid est, manifestabo ei meipsum, nisi manifestabo omnes thesauros scientiae et sapientiae Dei, quae in me latent? Certe omnis homo naturaliter scire desiderat et quamvis carnales concupiscentiae nunc in multis hoc desiderium quodammodo sapiant: tamen cum corpus, quod corrumpitur, et quod nunc aggravat animam, deposuerimus, tunc ignis desiderii huius super omnia desideria efferuescet. Quanta ergo felicitas tua erit, o anima, cum amatus et amator tuus Christus ostendet tibi omnes thesauros scientiae et sapientiae Dei? Sed ut spe tanta non frustreris, Christi praecepta custodire stude. Ipse enim dixit: *Qui diligit me, sermones meos servabit et qui non diligit me, sermones meos non servat*. Atque, interim sapientia tua sit illa, quam describit s. Iob, cum dicit: *Timor Domini ipsa est sapientia, et recedere a malo, intelligentia*. Et quicquid boni in creaturis videris, scito illud a Deo fonte totius bonitatis defluere, ut sic cum b. Francisco discas fontalem bonitatem in singulis creaturis, tamquam in rivulis degustare. De qua re lege s.Bonaventuram in vita s.Francisci.

GRADUS QUINTUS

Ex consideratione Aeris.

Aeris elementum insignis Magister morum esse potest hominibus, si eius natura consideretur.Nec solum ad moralem Philosophiam docendam, sed etiam ad sacrae Theologiae aperienda mysteria, animosque ad Deum levandos aptissimus invenitur si quis attendere voluerit ad varia commoda, quae aer humano generi, ex divina ordinatione, praestare non cessat.

Aer imprimis, dum respirationi deservit, terrestrium animantium et ipsius hominis vitam conservat. Deinde oculorum, aurium, et linguae usui usque adeo necessarius est, ut si is forte subtrahatur, etiamsi caetera adsint omnia, continuo caeci, surdi, ac muti omnes efficiamur. Denique tanta est necessitas aeris ad motum hominum,et animalium caeterorum, ut eo remoto, motus omnis impediri, atque omnes artes et omnia fere hominum opera cessare necesse sit.Incipiamus a primo.

Si intelligerent homines, non minus egere animas respiratione sua, quam egeant corpora sua, multi salvarentur, qui nunc pereunt. Eget corpus continua respiratione, quoniam calor naturalis, quo cor exaestuat ministerio pulmonis aerem frigidum attrahentis, et calidum eiicientis, ita temperatur, ut vitam conservet; sine qua respiratione conservari non potest, ex quo usu receptum est, ut pro eodem accipiantur vivere,et spirare. Omnis enim, qui spirat, vivit, et qui spirare desinit, vivere etiam desinit. Et tu anima, ut vivas vita spirituali, quae est gratia Dei, indiges continua respiratione,quae fit emittendo ad Deum per orationem calida suspiria, et recipiendo a Deo novam Spiritus sancti gratiam. Et quid aliud significant verba illa Domini tui: *Oportet semper orare, et numquam deficere*? nisi oportet semper suspirare, et spiritum novum recipere, ut spiritualis vita in te non extinguatur, quod idem repetit, cum ait: *Vigilate itaque, omni tempore orantes*. Et Apostolus idem confirmat, dicens:*Sine intermissione orate*, cui consonat Apostolus Petrus cum scribit: *Estote ergo prudentes*,et *vigilate in orationibus*. Siquidem haec est vera prudentia, ut qui omni tempore egemus adiutorio Dei, omni tempore illud petamus. Scit quidem Pater noster, quibus rebus indigemus, et paratus est liberaliter ea suppeditare, ac praesertim,quae ad salutem aeternam pertinent: sed vult per orationis instrumentum ea largiri, quoniam hoc est illi honorificentius,et nobis utilius, quam si dormientibus, et nihil agentibus cuncta donaret.Itaque liberalissimus Dominus ad petendum nos hortatur et urget, cum dicit:*Ego dico vobis petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis,pulsate et aperietur vobis, omnis enim*

qui quaerit, invenit et qui petit accipit, et pulsanti aperietur. Et quid sit illud, quod petendum est praecipue, et quod sine dubitatione donabitur, explicat paulo post dicens: *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris quanto magis Pater vester de coelo dabit spiritum bonum petentibus se?* Hoc igitur est imprimis assidueque petendum et hoc nobis sine dubitatione donabitur si bene petatur,spiritus bonus videlicet, per quem respiremus in Deo, et spiritualem vitam respirando servemus: quod s. David faciebat, qui in Psalmo dicit: *Os meum aperui et attraxi spiritum*, id est, os meum aperui desiderando, suspirando,postulando gemitibus inenarrabilibus, et attraxi auram suavissimam spiritus Dei,quae aestum concupiscentiae refrigeravit,meque in omni bono opere confirmavit. Quae cum ita sint, quis dicet, eos vivere secundum Deum qui dies integros, vel etiam menses et annos non suspirant ad Deum, nec respirant in Deum? signum enim mortis evidens est non spirare et si spirare est orare, signum mortis erit, non orare. Vita spiritualis, per quam filii Dei sumus, in charitate sita est.*Videte*, inquit s. Ioannes in epistola sua *qualem charitatem dederit nobis Pater,ut filii Dei nominemur et simus.*At quis amat et non desiderat videre quem amat? quis desiderat, et non petit quod cupit ab eo , quem scit daturum, si petatur? Ergo qui non orat assidue, ut videat faciem Dei sui , non desiderat eum videre, qui non desiderat , non amat: qui non amat , non vivit; quid ergo sequitur , nisi ut iudicemus mortuos esse Deo, quavis mundo vivat, qui serio in studium orationis non incumbunt ? Neque vero orare, ac per hoc spirare et vivere dicendus est,qui sola voce corporis preces fundit, oratio enim definitur a sapientibus, non elevatio vocis in aerem , sed elevatio mentis in Deum.

Ergo, anima mea, noli te fallere, ut putes te vivere Deo, si non serio Deum ex toto corde quaeris eique suspiras diebus , ac noctibus , noli dicere , per alias occupationes tibi non licere , colloquiis divinis et orationi vacare.Sancti enim Apostoli occupatissimi erant, et quidem in opere Dei, et salute animarum, ita ut unus eorum diceret: *Praeterea,quae extrinsecus sum, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum, quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* Et tamen hic ipse,praeter frequentissimam orationum suarum commemorationem, scribit ad Philippenses: *Conversatio nostra in coelis est,* quia videlicet , in mediis etiam occupationibus. in coelo per desiderium versabatur, neque umquam dilecti sui obliviscebatur , alioqui non diceret: *Christo confixus sum cruci. Vivo autem iam non ego: vivit vero in me Christus.*

Altera proprietas aeris est , ut sit medium, per quod ad oculos nostros perveniant species colorum, et ad aures species sonituum , sine quibus nec videre, nec audire,nec etiam loqui possemus. In qua re primum Deo gratias agere debemus , quod tam insigni beneficio naturam nostram ornare voluerit. Deinde admirari nos decet conditoris nostri sapientiam in opere tantae subtilitatis, et tenuitatis, ut cum sit aer verum corpus, et tantum ut repleat spatium pene immensum , tamen nec videatur,nec sentiatur ob incredibilem tenuitatem. Mirata est antiquitas subtilitatem unius lineae, quam pennicillo duxerat Appelles , sed ea linea et videbatur, et tangebatur, ac per hoc nullo modo comparari poterat cum tenuitate huius subtilissimi veli, quod omnes ambit, et contingit et a nullo cernitur propter subtilitatem eximiam. Sed admirationem auget , quod cum sit aer subtilissimum et tenuissimum corpus, tamen cum scinditur summa facilitate iterum coniungitur, et continuatur ac si scissum numquam fuisset. Certe disruptam telam aranearum, vel scissum subtilissimum velum nullus artifex ita resarcire potest , ut prior scissura non appareat. Adde,quod est omni admiratione dignissimum, et solius Dei sapientiae proprium , quod per eamdem partem aeris impermixtae et simul transeunt innumerabiles colorum species. Qui sub noctem lucente luna , in loco aperto et edito positus , stellas in coelo, et campos in terris, floribus plenos, et simul domos arbores animantia, et alia id genus multa conspiciat , negare non poterit . rerum illarum omnium species in aerem illo sibi propinquo simul contineri , et impermixtas contineri. At quis hoc intelligat?quis capiat? quomodo enim fieri potest , ut res tenuissima tantam formarum varietatem simul contineat? Et quid si eodem tempore et loco resonent cantus avium ab una parte,et ab alia varia musica instrumenta et ab alia quoque murmur cadentium aquarum , nonne simul in eodem aere necesse erit recipi cum tot formis colorum, etiam illos omnes sonos, aut omnes eorum sonorum species , quis haec facit, anima mea, nisi conditor tuus, qui facit mirabilia magna solus?Et si tam mirabilia sunt opera eius, quanto admirabilior erit ipse? Sed est et alia utilitas huius admirandae tenuitatis in aere, quod non impedit , sed iuvat motum omnium rerum, quae de loco ad locum transeunt. Novimus omnes quanto labore trahuntur naves per aquas , quamvis et ipsae liquidae sint, et facile scindantur, nam nec venti, nec remi aliquando sufficiunt, sed oportet vires equorum et bubalorum saepenumero adhibere. Et si forte per montes, aut colles aperienda via sit, quantis sudoribus, et quam longo tempore via, quamvis brevissima, aperitur ? At per aerem nullo labore, summa facilitate et maxima celeritate currunt equi , volant aves , tela et missilia iacluntur: homines vero ad varia exercenda ministeria, ascendunt, descendunt,deambulant discurrunt, movent pedes. brachia , manus , sursum, deorsum, a dextris, et sinistris ; nec magis impedit eos aer ubique diffusus, quam si non corporalis, sed spiritualis naturae , aut penitus nihil esset.

Accedit postremo, quod aeris natura ita cedit omnibus, et in omnem formam se mutat, et scindi ac disrumpi se patitur,ut hominum utilitati deserviat , ut videatur datus hominibus in magistrum humilitatis, et patientiae , et charitatis. Sed quod in te, anima mea , amorem creatoris tui excitare et accendere vehementer deberet, illud est, quod hic idem ipse aer suavitatem incredibilem, et be-

nignitatem maximam conditoris sui hominibus repraesentat. Colligo quaeso te, anima, et attentissime cogita. Dominum tuum omnibus creaturis suis semper adesse, cum omnibus semper operari, et quod est infinitae suavitatis ad singularem naturam cooperationem suam accomodare ; quasi cum Apostolo suo dicat: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes adiuvem, et perficiam*, cum agentibus necessariis cooperatur, ut necessario agant; cum voluntariis, ut voluntarie; cum liberis, ut libere. Ignem ita movet, et iuvat, ut ascendat sursum ; terram ut tendat deorsum ; aquam ut labatur per loca declivia; aerem, ut transeat quocumque pellitur ; stellas ut in circulum versentur perpetuo ; herbas, frutices, plantas, ut fructus secundum naturam suam proferant; animantia terrestria, aquatilia, volatilia, ut ea faciant, quae natura eorum postulat. Et si suavitas Dei sic eminet in cooperatione cum creaturis suis in operibus naturae, quid fieri putamus in operibus gratiae ? Attribuit quidem Deus homini liberum voluntatis arbitrium, sic tamen ut eum regeret imperio, terreret exitio, alliceret beneficio. Vult Deus omnes homines salvos fieri, sed ita vult, ut velit etiam eos velle, et ideo ita suaviter eos praevenit, et excitat et ducit. et perducit, ut prorsus admirabile sit. Istae sunt adinventiones sapientiae Dei, de quibus dicit Isaias : *Notas facite in populis adinventiones eius.* Et quidem homines impios nunc vehementer exterret, nunc amanter exhortatur, nunc clementer admonet, nunc misericorditer corripit, prout eorum ingenio et moribus iudicat expedire. Audi quam mansuete cum primo peccatore Dominus egerit. *Adam* inquit, *ubi es ?* et respondenti illi : *Vocem tuam audivi in Paradiso, et timui, et quod nudus essem, et abscondi me* ; adiecit Dominus pari mansuetudine : *Quis enim indicavit tibi quod nudus esset, nisi quod ex ligno, de quo praeceperam tibi, ne comederes, comedisti ?* et hac pia correptione admonitus Adam sine dubitatione resipuit, dicente Scriptura : *Haec* (sapientia Dei videlicet) *illum, qui primus formatus est a Deo Pater orbis terrarum, custodivit, et eduxit illum a delicto suo.* Audi rursus, quam mansuete et suaviter per Angelum suum corripuerit, atque ad poenitentiam provocaverit omnes filios Israel. *Ascendit*, inquit Scriptura, *Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, et ait: Eduxi vos de Aegypto, et introduxi in terram, pro qua iuravi patribus vestris, et pollicitus sum, ut non facerem irritum pactum meum vobiscum, in sempiternum : ita dumtaxat ut non feriretis foedus cum habitatoribus terrae huius, sed aras eorum subverteretis, et noluistis audire vocem meam, cur hoc fecistis ? cumque loqueretur Angelus Domini haec verba ad omnes filios Israel, elevaverunt ipsi vocem suam, et fleverunt. Et vocatum est nomen loci illius, Locus flentium, sive lacrymarum, immolaveruntque ibi hostias Domino.* Fuisse autem illum fletum maximum, et universalem, ac verae poenitentiae signum, testatur novum nomen ei loco impositum, ad memoriam posteritatis aeternam, ut videlicet diceretur locus ille, Locus flentium, sive lacrymarum. Quid iam de Prophetis dicam? illi certe in omnibus sermonibus suis hoc docent, hoc clamant, Deum non velle mortem peccatorum, sed ut convertantur, et vivant. *Vulgo dicitur*, ait Dominus per Ieremiam, *si dimiserit vir uxorem suam et recedens ab eo duxerit virum alterum, numquid reverteretur ad eam ultra ? tu autem fornicata es cum amatoribus multis ; tamen revertere ad me, dicit Dominus, et, ego recipiam te.* Et per Ezechielem : *Sic loquuti estis, dicentes: Iniquitates nostrae et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis nos tabescimus: quomodo ergo vivere poterimus? dic ad eos : Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis: et quare moriemini domus Israel?* Sed omissis impiis, quanta sit benignitas et suavitas plusquam paterna et materna Domini Dei nostri in eos, qui timent eum, et sperant in eo, explicari nullo modo potest. David in Psalmis : *Secundum altitudinem*, inquit, *coeli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se*, et infra: *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentis se*, et infra : *Misericordia Domini ab aeterno, et usque in aeternum super timentes se ?* Et alibi : *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus, beatus vir qui sperat in eo*, et rursum : *Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde?* id est, quis explicet, quanta sit bonitas, suavitas dulcedo Domini erga animas pias, et iustas ? Per Isaiam quoque ait Dominus : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui*: Et Ieremias in Threnis : *Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum. Bonus est Dominus, sperantibus in eum, animae quaerenti illum. Bonum est praestolari cum silentio salutare Dei.*

Quod si iam addere vellem, quae praedicant Apostoli in Epistolis suis de paternis visceribus Domini Dei nostri in homines pios, nullus finis inveniretur. Sit omnium loco, quod scripsit Apostolus Paulus initio posterioris epistolae ad Corinthios : *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.* Non dicit, Deum esse consolatorem, sed totius consolationis plenissimum, nec dicit, qui consolatur nos in aliqua tribulatione, sed in omni : nec, ut possimus consolari eos, qui in aliqua, sed qui in omni tribulatione sunt. Itaque non potuit magis amplificare, quam suavis et dulcis sit Deus erga eos, quos diligit, et a quibus diligitur.

Sed praestat ad finem adscribere verba sancti Prosperi, quibus explicat benignitatem Dei, non solum erga bonos, sed etiam erga malos, ut eos efficiat bonos. *Gratia*, inquit, *omnibus iustificationibus principaliter praeeminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminan-*

do, et fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam voluntas humana subiungitur ei, atque coniungitur, quae ad hoc praedictis est excitata praesidiis, ut divino in se cooperetur operi, et incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium, de sua habens mutabilitate, si deficit, de gratiae opitulatione si proficit. Quae opitulatio per innumeros modos, sive occultos, sive manifestos omnibus adhibetur: et quod a multis refutatur, ipsorum est nequitiae: quod autem a multi suscipitur, et gratiae est divinae, et voluntatis humanae. Haec ille.

Eia nunc, anima mea, si conditor tuus erga servos suos tam est suavis, et mitis, tam incredibili benignitate peccatores tolerat, ut convertat; et iustos consolatur, ut magis in iustitia et sanctitate proficiant: an non deberes et tu proximos tuos benigne tolerare, et omnibus omnia fieri, ut omnes Deo ac Domino tuo lucrifaceres? cogita tecum ad quam sublimem excellentiam Apostolus te hortatur, cum dicit: *Estote imitatores Dei sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Imitare Deum Patrem, *qui Solem suum oriri facit super bonos, et malos, et pluit super iustos, et iniustos.* Imitare Deum Filium, qui natura humana pro nobis assumpta vitae propriae non pepercit, ut nos eriperet de potestate tenebrarum, et de interitu sempiterno. Imitare Deum Spiritum sanctum, qui dona illa sua pretiosissima copiose diffundit, ut spirituales nos de carnalibus efficiat.

GRADUS SEXTUS.

Ex consideratione Ignis.

Ignis elementum est usque adeo purum, et nobile, ut Deus ipse ignis appellari voluerit, dicente Mose, et Paulo: *Deus noster ignis consumens est.* Et cum primum apparuit Mosi Deus, in igne rubum occupante, et non consumente conspici voluit. *Apparuit Dominus*, inquit Moses, *in flamma ignis de medio rubi, et videbat, quod rubus arderet, et non combureretur.* Et cum legem populo daturus idem Deus advenit, in ignis forma advenit, sic enim loquitur idem Moses: *Totus mons Synai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne.* Ad cuius mysterii similitudinem, cum lex nova promulganda esset, apparuit Spiritus sanctus Apostolis in linguis igneis. Denique qui Deo proximi sunt in coelo, Seraphim, hoc est, igniti, dicuntur, quoniam ab igne illo divino, et ardentissimo, praeter caeteros Angelos, fervorem ardoremque concipiunt. Quae cum ita sint, non est difficile, ex elemento ignis, sive natura, et proprietatibus gradum nobis conficere, per quem ad Deum meditando et orando conscendamus, minus certe difficile erit cum Elia in curru igneo sursum ascendere, quam ex terra, vel aqua, vel aere scalam conficere.

Accedamus ergo ad proprietates ignis considerandas. Ignis eius est naturae, ut in rebus diversis diverso ac saepe contrario modo operetur, ligna, foenum, stipulas continuo absumit: aurum, argentum, lapides pretiosos, puriora et pulchriora reddit. Ferrum, quod natura sua nigrum, frigidum durum, et grave est, ignis in contrarias qualitates ita transmutat, ut continuo lucidum, calidum, molle, et leve reddatur; imo ut stella fulgeat, ut ignis comburat, ut aqua liquescat, ut res levis a fabro ferrario moveri attollique facillime possit.

Haec omnia satis aperte in Deum conveniunt, ac primum ligna, foenum, stipulae ex Apostolo opera mala, significant, quae ignem divini iudicii ferre non possunt, et sane incredibile est, quam vehementer Deo, qui ignis purissimus est, omnia peccata displiceant; et quanto zelo illa consumat, et destruat, si per poenitentiam destrui possunt, id est, si is, qui peccavit, in eo statu est, ut poenitentiam agere possit, per poenitentiam enim omnia peccata solvuntur: sed si peccator poenitentiae capax non sit, ut sunt daemones, et homines post hanc vitam, in ipsos impios divina ira convertitur. *Odio est enim Deo impius, et impietas eius*, ait Sapiens. Quantum vero, et quam vehemens hoc odium sit, testis est diabolus, qui semel peccavit, et cum esset Angelus nobilissimus, et (teste s. Gregorio) princeps primi ordinis Angelorum, ac praestantissima creaturarum Dei, tamen continuo fuit de coelo deiectus, atque omni decore et gratia supernaturali spoliatus, et in monstrum deformissimum commutatus, et sempiterno exitio mancipatus. Testis est Christus, qui de coelo descendit, ut dissolveret opera diaboli, id est, peccata, et ideo Agnus Dei dictus est, qui tollit peccata Mundi. Christus autem, ut opera diaboli destrueret, et iustitiae Dei perfecte satisfaceret, quis explicare, vel quis cogitare sufficiat, quanta pertulerit? *cum in forma Dei esset, formam servi suscepit: egenus propter nos factus est, cum esset dives*, non habuit ubi caput reclinaret, cum coelum et terram ipse fecisset, *in propria venit, et sui eum non receperunt, cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniuste, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; cuius livore sanati sumus.* Denique illusus, conspulus, flagellatus spinis coronatus, crucifixus cum ignominia maxima, et dolore gravissimo, sanguinem totum vitamque profudit, atque haec omnia pertulit, ut dissolveret opera diaboli, et peccata nostra deleret. Testis lex Dei, quae omne peccatum prohibet, et punit. Et ipsum etiam verbum ociosum impunitum non relinquit. Et quantum odit flagitia, et facinora, qui verbum ociosum ferre non potest? Lex Domini immaculata, et praeceptum Domini lucidum, maculas et tenebras aversantur, neque esse potest communio lucis ad tenebras, neque iustitiae ad iniquitatem. Testis est denique ipsa gehenna, quam Deus paravit impiis, et peccatoribus, qui sanguine Agni immaculati, cum potuerunt lavari, noluerunt, aut neglexerunt, iustum est enim, ut in quibus peccatum aeternum

erit, sit etiam supplicium sempiternum, qualis autem, et quanta sit poena gehennae, horror est vel cogitare, de qua re plura dicemus in ultimo gradu.

Ergo, anima mea, cum tam ingens odium Dei sit contra peccatum, si amas Deum super omnia, debes, etiam super omnia odisse peccatum, cave ne te fallant, qui peccata extenuant, vel excusant. Vide ne te ipse rationibus falsis decipias: si peccatum tibi in te, vel in aliis non displicet, Deum non amas, si Deum non amas, periisti. Iterum, si Christo non es ingrata, quantum debere te putas charitati eius? laboribus eius? sanguini et morti eius? qui a peccato te lavit, et Patri reconciliavit, et grave tibi erit deinceps pro Christo aliquid pati, vel in eius gratiam, et cum eius gratia usque ad sanguinem peccato resistere? Denique si gehennam ignis aeterni patienter ferre non potes, certe debes omnino, nec patienter ferre peccatum: sed sicut a facie colubri, sic ab illo, et eius occursu, ac suspicione, etiam levissima declinare, sit igitur apud te firmum, et ratum, peccati odium maximum cum maximo Dei amore coniungere.

Iam vero idem ignis non destruit, sed perficit, et magis rutilare facit aurum, argentum, lapides pretiosos: quoniam (ut idem Apostolus *ibidem* explicat) ista metalla significant opera bona et perfecta, quae igne divini iudicii approbantur, et mercedem magnam accipient. Ista opera Deus probat, quia sunt munera sua, et *cum coronat merita nostra*, inquit s. Agustinus, *coronat munera sua*. Facta sunt enim ipso mandante, ipso iuvante, ipso virtutem faciendi largiente, et ipso per legem quam dedit, et per regulas quas constituit, dirigente. Et quidem aurum opera charitatis designat: quo modo autem possunt charitatis opera Deo non valde placere, cum ipse Deus charitas sit? Argentum designat opera sapientiae, eorum videlicet, qui ad iustitiam erudiunt multos; et ipsa quoque Deo valde probantur, et placent, dicente Sapientia Dei: *Qui fecerit, et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum* Lapides pretiosi, sunt opera continentis animae, de quibus dicit Ecclesiasticus: *Omnis ponderatio, non est digna continentis animae*, atque ea causa est, cur in officio ecclesiastico in laudem sanctarum Virginum legatur Evangelium de inventa una pretiosa margarita. Quam autem placeat Deo puritas virginalis, intelligi potest ex Isaia Propheta, qui nomine Dei praedicit Eunuchis, illis videlicet, qui se castraverunt propter regnum coelorum, *Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis, et filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit*. Quem locum s. Augustinus in libro de sancta Virginitate, de sanctis virginibus, tam masculis, quam foeminis intelligendum esse magnifica oratione demonstrat. Atque ista tria sunt opera, quibus ex consensu Doctorum debentur aureolae in regno coelorum, dantur enim aureolae, id est, certa praemia praeter vitam aeternam, Martyribus, Doctoribus, et Virginibus. Martyribus quidem ob excellentiam charitatis, quia *maiorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Doctoribus ob eminentiam sapientiae, de quibus dicit Daniel: *Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates*. Virginibus, ob pretium incomparabile puritatis, cuius gratia visae sunt Virgines in Apocalypsi cantare canticum novum, quod nemo alius dicere poterat. *Hi sunt*, inquit Ioannes, *qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, et sequuntur Agnum quocumque ierit*.

Neque tamen sola charitas Martyrum, vel sapientia Doctorum, vel puritas Virginum probabitur igne divini iudicii, et mercedem plenam accipiet: sed etiam alia quaecumque opera bona, modo in charitate sint facta, inter aurea vasa computabuntur, et ignem illum divinum sustinebuntur. et praemium suum accipient. Illis enim in iudicio extremo Dominus dicet; *Venite benedicti Patris mei, possidere regnum, quod vobis paratum est a constitutione Mundi*, qui panem esurienti, et potum sitienti, et hospitium peregrino, et vestem nudo, et consolationem aegroto, vel in carcere constituto praebuerunt. Et idem etiam Dominus promisit, non privandum esse mercede sua, qui calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli ex charitate donaverit.

Intelligisne, anima, quantum intersit inter opera, et opera? et quid stultius et miserius, quam in eo loco et tempore, in quo potes, si sapis, facili negotio aurum, et argentum, et lapides pretiosos comparare; tu malis non parvo labore ligna arida. et foenum, stipulasque colligere? Utinam saperes, et intelligeres, ac novissima provideres, cum in novissimo tempore, omnia haec divini iudicii igne examinanda et probanda sint, et illa priora laudanda, et coronanda, haec posteriora cremanda, et in favillas et fumum redigenda. Cur nunc eligis, quod te elegisse certissime poenitebit? Et cur non damnas nunc, quando utiliter potest, id quod paulo post sine ulla utilitate damnabis? Et si forte nunc ista non vides, et velamen rerum praesentium oculos tuos impedit, ne puram et liquidam aspiciant veritatem, ora Deum, et non parvo affectu, cum coeco illo de Evangelio dicas Domino: *Domine, da ut videam*, vel cum Propheta: *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua*, nam certe mirabile omnino est, quod opera, quae in charitate fiunt, aurum, argentum, et lapides pretiosi efficiantur; quae vero in charitate non fiunt. in ligna arida, et foenum, et stipulas convertantur.

Veniamus nunc ad considerandam alteram ignis proprietatem. Hactenus enim ab igne didicimus, quid operetur Deus, in iis, qui cum operibus malis de hac vita decedunt, vel cum operibus bonis ad finem vitae perveniunt. Nunc per aliam similitudinem ab eodem igne petitam, intelligere nobis licebit, quid operetur Deus cum iis, quos a peccatis ad poenitentiam vocat.

Homo peccator similis est ferro, quod dum procul abest ab igne, nigrum, frigidum, durum. et grave est: sed si forte in ignem mittatur, efficitur lucidum, calidum, molle, et leve. Omnis peccator lumine interiore caret, et in tenebris ambulat, ac

per hoc ferri nigredinem imitatur, quamvis enim in scientiis, et commerciis humanis non solum ingenio, sed etiam iudicio pollere videatur: tamen in vero bono, et malo diiudicando coecus est, et omni coeco miserior. Coecus enim nihil videt, et ideo sine duce non movetur: at peccator putat se videre, quod non videt, vel unum pro altero videt, et iudicat bonum malum, et malum bonum, magnum parvum, et parvum magnum, longum breve, et breve longum: et ea de causa in eligendo perpetuo fallitur. Hoc est, quod Apostolus dicit de Gentilibus Idololatris: *Tenebris obscuratum habentes intellectum per ignorantiam, quae est in illis; propter coecitatem cordis ipsorum.* Hoc est, quod ipse Dominus in Evangelio tam saepe Scribis et Pharisaeis exprobrat, quod coeci essent, et duces coecorum. Hoc est quod Propheta Isaias Iudaeis sui temporis dicit: *Surdi audite, et coeci intuemini ad videndum.* Et quibus praedicit Christum venturum, qui aperiret oculos coecorum, et loquens de Testamento novo in persona Dei adiungit: *Et ducam coecos in viam, quam nesciunt, et in semitas, quas ignoraverunt, ponam tenebras eorum in lucem, et prava in recta.* Denique nonne hoc fatebuntur impii post hanc vitam, quando coeperit poena oculos mentis aperire, quos culpa clauserat. *Ergo*, inquient, *erravimus a via veritatis, et iustitiae lumen non luxit nobis, et sol intelligentiae non est ortus nobis.* Neque mirum est, quod coeci sint, qui a Deo voluntate et animo sunt aversi. *Deus enim lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae.* Ex quo concludit idem Apostolus: *Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc*, et paulo post: *Qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat et nescit, quo eat, quia tenebrae obcoecaverunt oculos eius.*

Neque sola causa coecitatis in peccatoribus est, quod a Deo, qui lux est, aversi sunt, sed etiam, quia *excaecavit eos malitia eorum*, ut Sapiens loquitur: passiones enim animi, amor, et odium, ira, invidentia, et alia, quae sub nomine malitiae comprehenduntur, ita excoecant animam, ut verum cerni non patiantur, sed sunt veluti perspicilla colorata, quae alba repraesentant, ut rubra, vel perspicilla ita composita, ut ex rebus parvis res magnas efficiant, vel contra ex magnis parvas: aut ex valde distantibus, propinquas, vel distantes ex propinquis. Qui vehementer amat, rem quam amat, pulcherrimam, utilissimam, optimam, imo etiam necessariam sibi esse iudicat, ac per hoc, omnibus aliis neglectis, et perditis comparandam. Contra qui rem eamdem vehementer odit, deformem, inutilem, malam, imo etiam perniciosam sibi rem illam esse censet, ac per hoc etiam cum iactura omnium rerum penitus repellendam. Sed si ferrum istud nigrum et tetrum admoveatur ad ignem, id est si peccator a peccato averti, et ad Deum converti incipiat, iuxta illud Prophetae: *Accedite ad eum et illuminamini*, paulatim incipit illustrari et rei veritatem perspicuam, in lumine illo videre, iuxta illud eiusdem Prophetae: *In lumine tuo videbimus lumen.* Et tunc demum fracto perspicillo colorato passionum, et assumpto crystallino, quod est charitas pura, res aeternas iudicat magnas, et temporales exiguas, ac pene nullas, ut re vera sunt, et omnem speciem ac pulchritudinem creatam cum luce sapientiae, et veritatis, quae in Deo, et Deus est, nullo modo comparandam esse clarissime perspicit. Itaque cum s. Augustino exclamat: *Sero te amavi pulchritudo tam antiqua, et tam nova, sero te amavi.* Et quoniam Christus dicit: *Cognoscetis veritatem et veritas liberabit vos*, iste illuminatus, et lumine veritatis liberatus a compedibus concupiscentiae, avaritiae, ambitionis et passionum reliquarum, exultat cum Propheta, et dicit *Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis et nomen Domini invocabo.*

Iam vero ignis, ferrum non solum efficit lucidum ex obscuro, sed etiam calidum ex frigido, nec tantum calidum, sed ita fervens et ardens, ut ignis ipse esse videatur. Magnus Dominus et magna virtus eius, qui hominem natura frigidum, atque omnia timentem et paventem, qui nec loqui, nec se prodere nec rem ullam paulo difficiliorem tentare audet: statim ac igne charitatis accendit, efficit audaciorem leone, qui et rugitu omnes terreat, et bellando omnes vincat, cui nihil difficile, nihil arduum videatur; et cum Apostolo Paulo isto igne vehementer accenso dicat: *Omnia possum in eo, qui me confortat.*

Sed per partes de ista efficacitate ignis dicamus ac primum de efficacia verborum, deinde de efficacia factorum breviter disseramus. Multi sunt hodie, ac semper fuerunt in Ecclesia verbi Dei praedicatores, quae causa est cur ad tot virorum exhortationes, et clamores tam pauci convertantur? certe in magnis urbibus quotidie per Quadragesimam viginti, aut triginta, aut etiam quadraginta oratores declamant: et tamen exacta Quadragesima, nulla fere mutatio in moribus civitatis appareret, eadem vitia, eadem peccata, eadem frigiditas, eadem dissolutio cernitur. Ego nullam invenio causam, nisi quia ut plurimum conciones eruditae, et elegantes et floridae funduntur, sed deest anima, deest vita, deest ignis, breviter magna illa charitas deest, quae sola potest verba dicentium animare, et accendere, et corda audientium inflammare et commutare. Neque hoc dico quasi desit multis praedicatoribus contentio vocis, et motus totius corporis: nam etiam bombardae sine pila ferrea, vel lapidea magnum sonitum edunt, sed absque fructu: quod desideratur hoc est, ut praeseferant magnum affectum erga Deum, et animarum salutem, eumque non simulatum, sed verum non extortum, sed quasi naturaliter ex fonte cordis manantem. Sanctus Petrus artem dicendi non noverat, solius naviculae regendae, retiumque reficiendorum et iaciendorum, peritus erat: sed ubi Spiritus sanctus in linguis ignis super eum descendit, et charitate ardentissima illum replevit, coepit continuo in media urbe Hierosolyma, ita potenter, ita ardenter, ita efficaciter loqui ut uno sermone multa hominum millia ad poenitentiam fidemque converteret. Neque tamen legitur in concionibus suis magna vociferatione usus, aut totius corporis commotione fatigatus. De s. Franci-

sco refert s. Bonaventura, eum nec valde eruditum fuisse, neque Rethoricae operam dedisse, et tamen cum ad populum conciones haberet, audiri solitum ut Angelum de coelo. Erat enim inquit, verbum eius velut ignis ardens, penetrans intima cordis, et ut narratur in chronicis Ord. Minorum, cum aliquando post prandium ex improviso paucis verbis ad populum loquutus esset, tanta facta est in toto populo commotio ad poenitentiam, ut videretur illa dies ipsa feria sexta Parasceves Domini fuisse. Unde ex paucis verbis tanta commotio? tantus fructus? ex eo videlicet, quod sanctus ille concionator esset quasi carbo ignitus, et verbum eius ut facula ardens, ut de Elia scriptum reliquit Ecclesiasticus. Habemus scriptos sermones s. Vincentii, s. Bernardini, et aliorum quorumdam Sanctorum, quos vix dignantur aliqui legere, ob nimiam, quae in ipsis cernitur, verborum simplicitatem: et scimus tamen ab illorum concionibus multa hominum millia ad Deum fuisse conversa, et ipsos incredibili concursu et attentione fuisse semper auditos, quia videlicet verba illa simplicia a pectoribus ignitis et scintillantibus prodibant. Porro ignis iste divinus efficacitatem suam, non minus in factis, quam in verbis ostendit. Decrevit Deus per Apostolum Petrum Romanam urbem caput Imperii, et dominam gentium sibi subiicere: decrevit quoque Apostolos caeteros alios ad Aethiopas, alios ad Indos, alios ad Scythas, alios ad ultimos Britannos mittere, ac per eos Idola Mundi destruere, trophaeum Crucis erigere, leges et ritus mutare, diaboli tyrannidem evertere. Si quis ista praedixisset Apostolis quando piscabantur in lacu Genesareth, aut quando in passione Domini latibula quaeritabant, visa fuissent veluti somnia, vel aniles fabulae: et tamen paulo post facta sunt omnia, et non aliis viribus, quam viribus ardentissimae charitatis, quam in eorum cordibus Spiritus sanctus accendit. *Charitas enim foras mittit timorem; omnia suffert, omnia sperat.* Omnia sibi possibilia ducit, et cum Apostolo clamat: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Ita videmus horum hominum, sola charitate armatorum, opera et labore brevi eversam fuisse in toto orbe terrarum Idololatriam, fundatas ubique Christi Ecclesias, et erectum Crucis trophaeum in universis regnis, idque sine exercitu militum, et sine ullo bellico apparatu.

Porro ignis etiam illum proprium habet, ut ferrum ex duro efficiat molle, ut facile attenuari atque extendi in laminas, et ad omnes figuras ab artifice accommodari possit. Magna est efficacitas ignis in ferrum, sed longe maior est virtus Dei nostri in pectora obstinata, et obdurata mortalium. Audi s. Bernardum in libro de consideratione. *Solum*, inquit, *est cor durum, quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit, quid ergo cor durum? ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur: ingratum est ad beneficia, ad consilia infidum*, et infra, *Ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur.* Quae omnia esse verissima, testis est Pharao, qui quo magis a Deo flagellabatur, tanto magis indurabatur, et quo maior elucebat Dei clementia in admovendo flagello, eo magis ipse ad Deum spernendum et contemnendum animabatur. Sed si quando placuerit Domino scintillam ignis veri sui amoris in corde quamtumvis duro succendere, continuo mollescet, et instar cerae liquescet, neque illius virtuti ulla obstinatio diuturna, vel dura resistet, sed fiet continuo cor carneum, quod fuerat lapideum, et ex congelatis nivibus flante spiritu Domini, fluent aquae. Exemplum habemus in Evangelio de muliere illa, quae erat in civitate peccatrix, quam nec mollita fratris, nec sororis obiurgatio, nec honor familiae, nec proprium decus movere potuerant, ut a peccando desisteret, et unus tamen Christi radius in cor eius penetrans, ibique scintillam divini amoris accendens, ita subito eam transformavit in aliam, ut non erubuerit foemina nobilis in loco publici convivii ad Christi pedes accedere, et tota versa in lacrymas, ex ipsis lacrymis balneum Christi pedibus facere, et propriis capillis, vice lintei pedes eosdem abstergere, et illos pedes ex amoris vehementia identidem osculari, et unguento pretiossimo et odorato perungere, ut se et sua omnia Christi obsequio dedicare velle deinceps significaret. Itaque meruit vocem illam Domini audire: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Sed libet aliud quoque exemplum multo recentius in medium adferre. Gulielmus Dux Aquitaniae temporibus s. Bernardi, fuit, si quis aliud in tuendo Anacleto schismatico Pontifice, et Innocentio legitimo oppugnando obstinatus, et pertinax, exturbaverat ex ditione sua Episcopos Catholicos omnes, et iureiurando sese obstrinxerat, numquam pacem cum illis se habiturum, et quia noverant omnes obduratum cor eius ad malum, et ferociam ac superbiam hominis verebantur, nemo erat, qui eum admonere auderet. Placuit Domino per servum suum Bernardum, cor huius obdurati hominis visitare, et scintillam non parvam divini amoris in pectore ipsius accendere, continuo ex leone agnus, ex superbo humilis, ex pertinace obedientissimus factus est, ad unum s. Bernardi verbum, Episcopum Pictaviensem amice complexus in sedem suam manu sua reposuit, et quod omnem admirationem superare videtur, cum quaesivisset a quodam Eremita remedium animae suae ob admissa peccata, et ille iussisset ut loricam aeream super nudam carnem indueret, et clavis ita claudi sineret, ut numquam illam exuere posset, continuo paruit, et missus ab Eremita ad summum Pontificem pro absolutione recipienda dicto obedivit, et cum summus Pontifex suspicaretur, eum non ex corde poenitnisse, vel patientiam eius experiri vellet, iussit eum usque ad Hierosolymam peregrinari, et a Patriarcha eius civitatis absolutionem petere. Gulielmus mox iter arripuit, et mandatum Pontificis adimplevit, denique cum ex potentissimo Principe humilis Monachus esset effectus, vix ullus fuit eius aetatis, qui eum demissione, patientia, paupertate devotione, et pietate superaret. *Haec*, videlicet, *est mutatio dexterae Excelsi*, haec est vis ignis divini, cui nulla cordis obstinatione resistitur.

Restat ultima proprietas ignis, quod res graves

extenuet, et facili negotio sursum attollat. Quae causa est, cur homines, qui non ardent amore divino, graves corde sint, et dicat illis Propheta. *Usquequo gravi corde, ut qui diligitis vanitatem et quaeritis mendacium?* Ea nimirum est causa, quia *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*, ut dicit Sapiens, *et iugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae in matrem omnium*, inqui Ecclesiasticus. Quod sit autem hoc iugum grave, quod in corpore mortali aggravat animam, explicat idem auctor paulo post, cum addit, *furor zelus, fluctuatio, timor, iracundia*, et caetera, quae passiones animi dici solent. Haec hominem ita gravant, ut nihil aspiciat, nisi terram, cui prostratus inhaeret; et nec ad Deum quaerendum assurgere, nec viam mandatorum Dei expedite currere possit. Sed cum incipit ignis divinus ex alto corda humana succendere, continuo passiones illae diminui, et mortificari, et onus grave levius fieri incipit, et si ardor crescat, non difficile est cor humanum ita exonerari, ut accipiat pennas sicut columbae, et cum Apostolo dicere possit: *Conversatio nostra in coelis est*, et quasi corde dilatato per ignem dicat cum Davide: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Certe posteaquam Salvator dixit: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat?* vidimus plurimos ita leves effectos, ut omnem honorum, et carnis, et divitiarum affectum deposuerint et Christo in coelos abeunti dixerint: *Trahe nos post te*, hinc tot monasteria erecta, tot deserta habitari coepta, tot chori Virginum inventi, quibus non solum facile fuit, viam mandatorum currere, sed etiam per viam consiliorum ascendere, et sequi agnum quocumque ierit. O beatus ignis, qui non consumis, sed illuminas, et si consumis. humorem noxium consumis, ne vitam extinguat. Quis mihi dabit, ut isto igne corripiar? qui nigredinem ignorantiae, et erroneae conscientiae obscuritatem luce verae sapientiae purget, et tollat? qui frigus pigritiae, indevotionis, et negligentiae cum amoris ardore commutet: qui cor meum indurari numquam sinat, sed calore suo semper emolliat, et obediens atque devotum efficiat: qui denique iugum grave terrenarum curarum, et terrenorum desideriorum auferat, et pennis sanctae contemplationis, quae charitatem nutrit, et auget, cor meum sursum attollat, ut cum Propheta dicere possim: *Laetifica Domine animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.*

GRADUS SEPTIMUS

Ex consideratione coeli, id est, Solis, Luna, et Stellarum.

Non laborabimus hoc loco, ut ex consideratione coeli gradum nobis ad Deum considerandum erigamus, habemus enim praeuntem Prophetam regium, qui in Psalmis canit: *Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius enuncial firmamentum*, et quoniam duo tempora sunt, quibus e coelo ad Deum pennis contemplationis ascendimus, diurnum videlicet, et nocturnum; de priore scribit in illo Psalmo: *In Sole posuit tabernaculum suum, et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut Gigas ad currendam viam, a summo coelo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius, nec est qui se abscondat a calore eius.* De posteriore scribit in alio Psalmo: *Videbo coelos tuos, opera digitorum tuorum, lunam, et stellas, quae tu fundasti.*

Incipiamus a priore tempore. De Sole, quem interdiu videmus, quatuor laudes canit Spiritus sanctus per os David; primam quod sit tabernaculum Dei; secundam, quod sit pulcherrimus; tertiam, quod velocissime et sine fatigatione semper currat; quartam, quod illuminando et calefaciendo virtutem suam maxime manifestet. Propter haec omnia scripsit Ecclesiasticus: *vas admirabile, opus Excelsi, magnus Dominus, qui fecit illum.*

Primum igitur, conditor omnium rerum Deus in Sole, tamquam in re nobilissima, posuit tabernaculum suum, id est, inter omnes res corporales elegit Deus Solem, ut in ipso, tamquam in palatio regio, vel divino sanctuario habitaret. Coelum quidem et terram Deus implet, et coelum, ac coeli coelorum eum non capiunt, tamen ibi magis habitare dicitur, ubi maiora signa praesentiae suae, mirabilia operando manifestat. Sed quoniam in textu Hebraico dicitur, Soli tabernaculum posuit in eis id est, in coelis: colligimus ex hoc loco Psalmi, alteram Solis excellentiam, quae cum priore non pugnat. Magna res est Sol, cui palatium amplissimum, pulcherrimum, et nobilissimum Deus paravit, voluit enim ut coelum ipsum esset palatium Solis, in quo libere perambularet, et operaretur: et ipse Sol esset palatium summi Principis Dei. Quemadmodum igitur cognoscimus magnitudinem et eminentiam Solis ex eo, quod tabernaculum eius est coelum, ita cognoscimus magnitudinem et eminentiam Dei ex eo, quod tabernaculum eius est Sol, vas videlicet admirabile, et quo nihil mirabilius in rebus corporalibus invenitur.

Deinde David, ut pulchritudinem eximiam Solis ex rebus notis ostenderet, comparavit eum cum sponso egrediente ex thalamo suo numquam enim se magis ornant homines, neque umquam magis speciem et pulchritudinem ostentare cupiunt quam cum sponsi sunt, tunc enim sponsae oculis, quam vehementissime diligunt, placere supra modum cupiunt. Sed si possemus in Solem aciem oculorum figere, etsi propinquiores illi essemus, et totum, quantus est, et qualis est, videremus, non indigeremus similitudine sponsi ad eius incredibilem pulchritudinem capiendam, certe omnis venustas colorum a luce pendet, et absente luce omnis colorum pulchritudo evanescit, proinde nihil est pulchrius luce, et Deus ipse, qui est ipsa pulchritudo, lux appellari voluit, *Deus*, inquit s. Ioannes, *lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae*, porro in rebus corporalibus, nihil est Sole lucidius ac per hoc, nihil est Sole formosius. Adde pulchritudinem rerum inferiorum, atque hominum praecipue, brevi marcescere, Solis pulchritudinem numquam extingui, numquam minui semper omnia aequali splendore laetificare. An non sentimus, in

exortu Solis, quam videantur res omnes quodammodo exhilarari? nec solum homines laetari, sed etiam suaves venti spirare, flores aperiri, herbas exurgere, aviculas aerem cantu mulcere? Hinc ille coecus senex Tobias dicenti sibi Angelo: *Gaudium tibi sit semper*, respondit: *quale gaudium mihi erit qui in tenebris sedeo, et lumen coeli non video?*

Age igitur, anima mea, et tecum reputa, si Sol creaturus exortu suo ita laetificat omnia, quid faciet Sol increatus, sine ulla comparatione pulchrior, et lucidior, quando puris cordibus,non ad breve tempus, sed in aeternum videndus et contemplandus orietur? Et quam infelix et tristis hora succedet perditis hominibus, quando in tenebras sempiternas sepeliendi amandabuntur, ubi nec Solis increati,neque creati radii,ullo umquam tempore penetrabunt? et quale gaudium erit animae illi, cui a Patre luminum dicetur: *intra in gaudium Domini tui.*

Postea idem Propheta celebrat Solis cursum prorsus admirabilem. *Exultavit*, inquit, *ut Gigas ad currendam viam.* Gigas certe robustus, si pro magnitudine corporis passus extendat, et pro virium robore velociter currat, ingens omnino spatium brevi tempore conficiet.Et quidem Propheta, quoniam Solem comparaverat homini sponso, ut explicaret, eo modo, quo poterat pulchritudinem Solis, sic postea comparavit homini giganti, ut eo modo, quo poterat, eadem similitudine utens. Solis cursum velocissimum explicaret. Sed etiamsi non homini, quantumvis magno, et robusto, sed avibus volantibus, sagittis,ventis, fulminibus comparasset, adhuc longissime a veritate abesset,nam si verum est, quod oculis cernimus, Solem viginti quatuor horis percurrere totum ambitum sui orbis, et si ambitus orbis Solis, infinitis fere partibus orbis terrae ambitum superat: et si ambitus orbis terrae circiter viginti millia milliariorum complectitur; quae sunt omnino verissima: sine dubio sequitur, ut singulis horis multa milliariorum millia Sol currendo conficiat. Et quid dico, singulis horis, imo singulis quadrantibus, ac fere singulis horarum particulis. Nam si quis velit ortum, vel occasum Solis observare, praesertim in horizonte aperto, quale est in mari, vel in planitie campestri, intelliget totum corpus solare ascendere supra horizontem,minori spatio temporis,quam sit octava pars horae, et tamen diameter corporis solaris multo maior est, quam diameter orbis terrae, qui tamen septem millia milliariorum continet. Ego ipse volens curiose aliquando cognoscere, quanto temporis spatio Sol totus occumberet in mari: coepi ad initium occasus eius, legere Psalmum, *Miserere mei Deus*: et vix totum bis legeram, cum iam Sol totus occubuisset. Ergo necesse est, Solem eo brevissimo tempore, quo bis legitur Psalmus, *Miserere*, cursu suo percurrere spatium multo maius, quam sint septem millia milliariorum. Quis hoc crederet, nisi certa ratio demonstraret? Et si quis nunc addat,corpus,quod tam velociter movetur esse molem toto orbe terrarum longe maiorem: et motum tanti corporis et tam velocem sine ulla intermissione, vel fatigatione peragi, et, si Deus iubeat,aeterno tempore posse durare: certe nisi stipes, aut truncus fuerit,non poterit infinitam conditoris potentiam non admirari. Vere igitur scribit Ecclesiasticus, hoc esse vas admirabile, opus Excelsi,et vere magnum Dominum, qui fecit illud.

Restat efficacitas luminis, et caloris, de qua dicit David, *Nec est qui se abscondat a calore eius.* Hoc unum corpus lucidum in medio Mundi positum omnia sydera, omnem aerem, omnia maria, omnem terram collustrat, et calore suo vivifico ubique terrarum omnia germina, omnes segetes, omnes arbores virere et frondere facit, omnes fructus ad maturitatem perducit; et infra terram etiam virtutem suam diffundit, ac metalla omnis generis producit. Quare sanctus Iacobus initio epistolae suae Deum ipsum cum Sole comparavit. *Omne datum optimum*, inquit, *et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Sol quidem est pater luminum corporalium,Deus autem est Pater luminum spiritualium: sed in tribus rebus dissimilitudo magna est inter Deum et Solem, primum enim Sol, ut totum orbem terrarum lumine et calore compleat necesse habet transmutatione perpetua: Deus autem, quia ubique totus est, transmutatione non indiget. Idcirco sanctus Iacobus dicit: *Apud quem non est transmutatio.* Deinde, Sol propterea quod semper mutat loca,ideo per vices aliis diem facit, aliis noctem relinquit, aliis lucet, aliis obumbratur: Deus autem numquam movetur, et semper omnibus praesens est; ideo et sanctus Iacobus addit: *Nulla est apud eum vicissitudinis obumbratio.*Denique, quod est omnium maximum a Sole patre luminum corporalium, sunt omnia data, et dona, quae nascuntur in terris: sed haec bona sunt sed neque optima, neque perfecta, quin potius exigua, temporalia, caduca, et quae nec hominem bonum faciunt, et quibus male uti possunt qui volunt, quaeque in suam perniciem plurimi convertunt. At a Deo Patre luminum spiritualium descendunt omnia data optima, et dona perfecta, quae habentem optimum perfectumque efficiunt, et quibus nemo male uti potest, et quae in iis perseverantem perducunt ad statum verae felicitatis, qui est omnium bonorum aggregatione perfectus.

Quaere igitur, anima mea, quae sint ista data optima, et dona perfecta, quae desursum sunt, atque a luminum Patre descendunt, ut cum inveneris, de illis sollicita sis, atque illa totis viribus obtinere nitaris. Sed non est quod longe discedas, satis hoc tibi ipsa Solis natura monstrabit. Sol enim lumine et calore omnia peragit, atque haec sunt data et dona patris luminum corporalium,lumen et calor, sic igitur data optima et dona perfecta, quae desursum sunt, descendunteque a vero Patre luminum Deo, sunt lux sapientiae, et ordinatio charitatis. Lux sapientiae,quae vere sapientem facit, et qua nemo potest uti male, et quae ad fontem sapientiae in coelesti patria situm perducit, est illa, quae docet contemnere temporalia, et

magnificere sempiterna ; docet , *non sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo* , docet non facere de exilio patriam, nec amare peregrinationem, sed tolerare; denique docet , habere vitam hanc praesentem in patientia, cum sit plena periculis, et tentationibus; et mortem in desiderio , quia: *Beati mortui , qui in Domino moriuntur.* Ordinatio verae charitatis quid est, nisi Deum,qui finis est omnium desideriorum , sine fine et sine mensura diligere: res caeteras , quae sunt media ad finem diligere cum mensura , et modo , quantum videlicet necesse est ad finem, id est,ad beatitudinem consequendam. Certe nemo est inter filios hominum, qui circa corporis curam ita ordinem invertat, ut sanitatem amet cum mensura, et amaram potionem sine mensura, cum sciat illam esse finem hanc medium. Unde igitur fit , ut tam multi, qui sapientes videri volunt, in coacervandis divitiis, in quaerendis voluptatibus carnis , et in adipiscendis bonorum gradibus nullum modum inveniant, quasi haec bona finis sint cordis humani,et in amando Deo,et felicitate sempiterna quaerenda, iis angustiis contenti sint, quasi haec media sint ad finem , non finis omnium mediorum? Illa omnino causa est,quia sapientiam huius Mundi habent, non sapientiam , quae desursum est, descendens a Patre luminum, et quia ordinatam charitatem non habent, ac per hoc charitatem veram non habent, quae nisi ordinata esse non potest, sed pleni sunt cupiditate, quae ex patre non est, sed ex mundo. Tu igitur , anima mea , dum peregrinaris a patria, et inter hostes versaris, qui veae sapientiae, veraeque charitati insidiantur,et astutiam pro sapientia, et cupiditatem pro charitate supponunt , ingemisce toto corde ad Patrem luminum, ut data optima, et dona perfecta, verae scilicet sapientiae lucem , et ordinatae charitatis ardorem ad cor tuum descendere faciat, ut iis repletus, per viam mandatorum Dei inoffenso pede decurras et ad patriam illam pervenias , ubi de ipso fonte sapientiae bibitur,et de puro lacte charitatis vivitur.

Venio nunc ad tempus nocturnum, in quo coelum nobis per Lunam et stellas gradum facit ad ascendendum in Deum, sic enim loquitur David : *Quoniam videbo coelos tuos opera digitorum tuorum, lunam et stellas, quae tu fundasti.* Si coelum ipsum videre possemus, non diceret Propheta, quasi explicando, quod ante posuerat , *lunam et stellas, qua tu fundasti*, et sane si ad coelum ipsum sensus nostri pertingerent , aut eius naturam et qualitates certa ratione investigare possemus,sine dubitatione egregiam scalam haberemus ad Deum. Non ignoramus quidem non defuisse , qui ex motu syderum , naturam coeli definierint quintam essentiam, simplicem, incorruptibilem,et quae perpetuo moveatur in orbem: sed scimus etiam non defuisse alios, qui coelum esse voluerint elementum ignis, quod non moveatur in orbem , nec sit incorruptibile secundum partes,nos autem non opiniones sed scientiam certam , aut doctrinam fidei quaerimus, ut ex ea nobis ad Deum cognoscendum scalam solidam construamus. Ergo contenti erimus ex Luna et stellis, quas videmus , scalam erigere cum Propheta , ut paulo ante fecimus ex Sole, qui est Dux,et princeps luminum reliquorum.

Luna duas habet proprietates, quae nobis utiles esse possunt ad ascendendum , et promerendum Deum, prior est , quod quo magis propinquat ad Solem, eo magis illustratur in parte superiore,qua respicit coelum, et obscuratur in parte inferiore , qua respicit terram: et quando est omnino subiecta Soli, et cum eo omnino coniuncta, tum tota est lucida versus coelum, et obscura versus terram : et contra, cum est opposita Soli, tota illustris cernitur ab iis, qui terram incolunt, et nihil lucis habet in parte superiore, quam intuentur, qui incolunt coelum. Haec Lunae proprietas magnum esse potest documentum, vel exemplum mortalibus, ut intelligant. quam solliciti esse debeant propinquitatis, et subiectionis , et coniunctionis ad verum Patrem luminum , Deum Lunam significat hominem; Sol Deum, quando Luna est opposita Soli , tunc lumine mutuato a Sole , respicit solam terram, et terga quodammodo vertit coelo: unde etiam tunc pulcherrima apparet habitantibus in terra, sed deformissima habitantibus in coelo. Sic omnino mortales homines, quando longissime recesserunt a Deo, ut filius ille prodigus, quando recessit a patre, et abiit in regionem longinquam , tunc abutuntur lumine rationis , quod a Patre luminum acceperunt, ad solam terram inspiciendam et obliti Deum solam terram cogitant,solam terram amant, et in eius bonis adipiscendis toti occupantur, et tunc a filiis huius saeculi sapientes et beati praedicantur. Sed ab iis,qui degunt in coelo pauperes, et nudi, et coeci, et deformes, et miseri et miserabiles iudicantur.Contra vero Luna cum Sole coniuncta , illi perfecte subiicitur , tota lucet ex parte superiore, et coelum solum respicit , terrae vero terga quodammodo vertit , et ab humanis oculis penitus evanescit. Sic omnino cum impius incipit ad pietatem reverti , et per conversionem perfectam Deo, vero animarum Soli, subiicitur per humilitatem, et coniungitur per charitatem, tunc adimplet, quod Apostolus monet, ut quae sursum sunt quaerat, ubi Christus est in dextera Dei , et quae sursum sunt sapiat, non quae super terram, et tunc ab insipientibus contemnatur , et quasi mortuus reputetur, vere enim qui talis est,mundo mortuus est,et vita eius abscondita est cum Christo in Deo sed cum apparuerit Christus vita eius ,tunc et ipse apparebit cum Christo in gloria , ut idem Apostolus eodem loco subiungit.

Atque haec est causa (ut s. Augustinus in Epistola ad Ianuarium annotavit) cur Pascha Domini, tam in lege veteri, quam in nova, non possit rite celebrari, nisi plenilunio peracto, id est, cum Luna, quae in plenilunio est opposita , incipit per conversionem redire ad coniunctionem cum Sole voluit enim Deus hoc coelesti signo demonstrare, per Passionem et Resurrectionem Domini factum esse,ut homo contrarius Deo per iniquitatem suam inciperet converti ad Deum, atque ad eius gratiam et unionem properare per meritum Iesu Christi.

Sed tu, anima mea, si adspirante gratia Dei, invenias te forte subiectam Patri luminum per veram humilitatem, eique feliciter coniunctam per ardentem charitatem, noli stultos imitari, qui sicut Luna mutantur, sed sapientes aemulare, qui ut Sol permanent, Ecclesiastico teste. Luna enim quam velociter ad coniunctionem accedit, tam velociter a coniunctione recedit tu vero si sapis adeptam semel gratiam noli deserere, noli abire, noli recedere, nihil enim melius ullo in loco reperies: neque scis an alias reverti dabitur, si sponte recesseris, qui enim promisit veniam poenitentibus et gratiam revertentibus,nec vitam longiorem,nec donum poenitentiae tibi promisit.Ergo secure terga vertas terrae, et Solem tuum intuere, in illo conquiesce, in illo delectare, in illo permane, dicas cum Apostolo Petro: *Bonum esse; nos hic esse*; et cum Martyre Ignatio, *Bonum mihi est cum Christo vivere, quam regnare in finibus terrae.* Et parum tibi sit, quid de te iudicent, qui terram sapiunt. Non enim ille probatus est, quem Mundus commendat, sed quem Deus commendat.

Est alia Lunae consuetudo, quam Deus quoque cum electis suis servare solet.Luna siquidem praeest nocti, sicut Sol diei, ut dicit Moses in Genesi et David in Psalmis, sed Sol diem totum continuo splendore collustrat. Luna vero nunc magno lumine, nunc exiguo noctem illuminat, aliquando etiam nullo lumine noctis tenebras consolatur,sic Deus, ut Sol, Angelos sanctos, et animas Beatorum, quibus perpetuus dies est (*nox enim non erit illic*, ait s. Ioannes in Apoc.) perpetua claritate illustrat, nostrae autem huius peregrinationis et exilii noctem, in qua *per fidem ambulamus, et non per speciem*, et Scripturae sanctae intendimus lamquam *lucernae lucenti in caliginoso loco*, ut ait s. Petrus in epistola posteriore, Deus,ut Luna, per vices corda nostra illuminando visitat: et aliquando in tenebris desolationis relinquit.Nec tamen debes, anima, nimium contristari, si nullo consolationis lumine frueris: neque nimium exhilarari, si paulo post in luce consolationis et devotionis respiras. Deus enim non solem,sed Lunam se gerit in huius saeculi nocte, et non solum nobis pusillis et imperfectis Deus nunc apparet, ut Luna plena lumine consolationis, nunc ut vacua omni lumine horrorem et tenebras noctis densissimas nobis relinquit,nam et Apostolus Paulus vas electionis, et qui ad tertium coelum raptus *audivit arcana verba, quae non licet homini loqui*, aliquando dicit: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*, aliquando vero ingemiscit, et lamentatur, dicens: *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo,quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et in posteriore ad Corinth. *Non volumus vos ignorare fratres de tribulatione nostra, quae facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus, supra virtutem, ut taederet nos etiam vivere.* Atque hoc est, quod monet s.Ioannes Chrysostomus, Deum in Sanctis omnibus hoc facere, ut neque tribulationes, neque iucunditates eos sinat habere continuas: sed tum ex adversis, tum ex prosperis iustorum vitam, quasi admirabili varietate contexere, atque haec de Luna.

Reliquae sunt stellae inter ornamenta coelorum de quibus Ecclesiasticus dicit: *Species coeli, gloria stellarum*, sed addit continuo: *Mundum illuminans in excelsis Dominus*, quicquid enim decoris habent stellae, ut etiam Sol, et Luna, totum a Patre luminum est, et non Sol per diem, nec Luna ac stellae per noctem mundum illuminant, sed Dominus est, qui in excelsis habitans, per Solem, et Lunam et stellas mundum illuminat. Ipse est enim, qui ut loquitur Propheta Baruch, *emittit lumen, et vadit, et vocavit illud. et obedit illi cum tremore, stellae autem dederunt lumen in custodiis suis, et laetatae sunt, vocatae sunt et dixerunt, Adsumus, et luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.*Quibus verbis significatur infinita potentia Dei, quae incredibili facilitate corpora tam vasta et tam formosa momento producit, et ornat et operari facit. Quod nobis est vocare, Deo est verbo creare. vocat enim ea, quae non sunt, et vocando facit, ut sint, et stellis dicere, Adsumus, nihil est aliud nisi continuo ad vocem imperantis existere, et operari.Lucere autem cum iucunditate ei, qui fecit illas, est ita propter et facile obedire factori, ac si in obediendo, magna iucunditate et gaudio afficerentur. Sed illud est omnino admirabile in stellis, quod cum velocissime moveantur, et numquam a cursu illo incitatissimo cessent, et aliae tardius, aliae celerius currant in orbem, tamen semper modum suum et proportionem cum aliis ita servent, ut inde concentus harmonicus, isque suavissimus oriatur.De hoc concentu loquitur Deus in libro Iob, cum dicit:*Quis enarrabit coelorum rationem et concentum coeli quis dormire faciet?* non est iste concentus vocum, aut sonorum, qui auribus corporis percipiatur, sed concentus proportionum in moribus syderum, qui cordis aure sentitur. Si quidem stellae firmamenti, omnes simul eadem velocitate vigintiquatuor horis totum coeli ambitum percurrunt; septem vero sydera, quae planetae. sive errantia sydera dicuntur, variis motibus, alia velocius, alia tardius incitantur: ut videantur stellae firmamenti Bassum imitari (ut vulgaribus nominibus utamur) et planetae quasi contra punctum perpetuum et suavissimum facere.Sed haec supra nos sunt, et illis tantum iste concentus sonat qui in coelo positi rationem motuum istorum intelligunt. Et quoniam stellae servata proportione,semper in orbem se convertendo non fatigantur,videntur instar virginum honestarum, et saltandi peritarum, in coelo semper choreas iucundissimas agere.

Sed tu, anima mea, paulo altius ascende si potes, et a splendore maximo Solis. a pulchritudine Lunae, a multitudine et varietate luminum reliquorum, ab admirabili concentu coelorum, et a choreis iucundissimis stellarum, cogita quid erit supra coelum videre Deum, Solem videlicet, qui lucem habitat inaccessibilem intueri Virginem illam, coeli Reginam, quae pulchra ut Luna, totam laetificat civitatem Dei; aspicere choros,et ordines

multorum millium Angelorum,qui stellis omnibus plures et lucidiores coelum coeli exornant.cernere animas sanctorum hominum,choris Angelorum insertas,quasi planetas stellis firmamenti admixtas et quid erit cantica laudum audire,et illud perenne Alleluia consonis vocibus in plateis civitatis illius dulcissime resonare,sic enim fiet, ut nec ipsa coeli pulchritudo tibi magna videatur, et quae infra coelum sunt omnino perexigua, ac pene nulla ac per hoc contemnenda et despicabilia iudicentur.

GRADUS OCTAVUS

Ex consideratione animae rationalis.

Pertransivimus hucusque res omnes corporales dum mentis consideratione , ex rebus creatis ad creatorem ascendere nitimur. Iam vero supra omnium corporum dignitatem , invenimus animas humanas,quae ad infimum genus spiritualium substantiarum pertinere noscuntur,inter quas,et Deum nihil medium nobis occurrit, praeter Hierarchias et ordines Angelorum.

Porro humana anima , tantam habet cum Deo conditore similitudinem, ut plane ignorem, an alia via quis possit facilius ad Deum cognoscendum ascendere, quam ex consideratione propriae animae. Itaque voluit Deus hominem esse inexcusabilem, si notitiam Dei non habeat,cum eam ipsius Dei auxilio comitante ex animae suae cognitione non difficulter haurire possit.

Primum igitur, anima hominis spiritus est; sic enim exponunt sancti Patres illa verba Genesis: *Formavit Dominus Deus hominem ex limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae*: et illud Tobiae: *Praecipe recipi spiritum meum*, et illud Ecclesiastae: *Revertatur pulvis in terram suam et spiritus redeat ad Deum , qui dedit illum*. Quamvis autem vocabulum spiritus conveniat etiam vento, de quo dicitur in Psalmis:*Spiritus procellarum* , et in Evangelio : *Spiritus ubi vult spirat, et vocem eius audit* , tamen non dubium est,spiritum procellarum esse corpus tenuissimum, quod ob summam suam subtilitatem, magis imitatur spiritualem naturam,quam aliud quodcumque corpus, anima vero humana proprie spiritus est, non corpus, neque ex materia producitur, sed a Deo creatur, de qua re apud Catholicos nulla controversia est.

Hic igitur incipit excellentia animae , et similitudo ad Deum, Deus enim spiritus est,ut Salvator aperte pronunciat: *Spiritus est Deus, et qui eum adorant , in spiritu et veritate oportet adorare*. Sed quamquam et Deus spiritus est, et anima humana spiritus est, tamen Deus est spiritus increatus, et creator, anima spiritus creatus: ex quo sequitur infinita distantia inter spiritum,qui est anima, et spiritum, qui est Deus , proinde quantum laetari potest anima , quod sit in genere substantiae spiritualis, ac per hoc coelo et syderibus altior nobilitate naturae, tantum humiliari debet, ac Deo conditori subici , quod ex nihilo facta sit , et ex se nihil sit.

Deinde anima humana , quia spiritus simplex est, immortalis etiam est, non enim habet in se aliquid, unde distrahi vel interire possit.Sed in hac re quoque quantum gloriari potest super animas brutorum animantium,quae cum corpore intereunt tantum conditoris sui excellentiam suspicere et admirari debet, qui non solum immortalis , sed sempiternus etiam est. Anima enim humana aliquando non fuit, et solius Dei voluntate ad esse pervenit, et eiusdem voluntate Dei, posset ad nihilum redigi, quamvis in se corruptionis principium non habeat. Itaque recte dixit Apostolus de Deo: *Qui solus habet immortalitatem*, solus enim nulla vi, nullo casu, nulla ratione dissolvi potest, cum sit ipsum esse, ipsa vita, et fons essendi , et vitae.

Tertio anima humana lumine intelligentiae praedita est, cognoscit enim non solum colores, et sapores, et odores, et sonos, et calorem, et frigus, et durum, et molle, et alia id genus, quae sensibus corporis patent, sed etiam de substantia iudicat, et de rebus non solum singulis, sed etiam universis , et non solum praesentia novit , sed etiam futura coniectat , et discurrendo transcendit coelos, penetrat abyssos, ex causis scrutatur effecta, et ex effectis recurrit ad causas. Denique Deum ipsum , qui lucem habitat inaccessibilem , acie mentis attingit, atque hoc est lumen, de quo dicit s. Ioannes in Evangelio : *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. et David in Psalmis: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, et: *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus*. Magna est haec animae dignitas , per quam homo similis est Deo, et dissimilis bestiis , atque hinc coniectare potest ac debet homo , quanta sit eminentia et sublimitas Domini conditoris sui. Anima enim lumine intelligendi praedita est, sed Deus est lux, et intelligentia. Anima discurrit a causis ad effecta, et ab effectis ad causas, atque eo discursu non sine magno labore scientiam venatur: Deus intuitu uno ac simplici simul omnia perfecte cognoscit. Anima intelligit ea, quae sunt, ac per hoc scientia eius pendet a rebus: Deus intelligendo facit , ut res sint , ac per hoc rerum existentia a Dei scientia pendet. Anima de rebus futuris ut cumque coniectat : Deus omnia futura non minus perspicue, quam praeterita et praesentia semper intuetur. Anima multis indiget ut intelligentiae munus exerceat, obiecto, specie, phantasmate, et aliis : Deus nulla re eget, ipsa enim essentia sua est, illi omnia, imo etiam ipsa sua essentia est illi intelligentia. Denique anima, dum est in corpore non solum Deum non videt , sed neque Angelos videt , neque seipsam videt , neque substantiam ullam, quamvis corporalem, proprie videt, et in multis fallitur, plurima ignorat, de pluribus opinionem, de paucissimis veram scientiam habet. Deus autem nihil ignorat, nihil opinatur, numquam fallitur, numquam errat, *omnia nuda sunt et aperta oculis eius*, ut Apostolus loquitur in epistola ad Hebraeos. Ergo si tanti facit homo scientiam suam, ut Apostolus dicat : *Scientia inflat*, quantum admirari debet scientiam conditoris, cui com-

parata omnis scientia nostra, non scientia, sed ignorantia est?

Quarto viget in anima humana genus aliud scientiae, quod non in speculatione, sed in actione versatur. Unde sunt tot libri Philosophorum, de vitiis, et virtutibus; tot leges Principum, et consilia Iureconsultorum: tot institutiones et exercitationes ad artem bene vivendi comparandam. In quibus admirabile cernitur in homine lumen rationis, quo uno longe ac longe bestiis praestamus. Sed nihil haec omnia sunt ad legem aeternam, quae in mente conditoris viget, ex qua tamquam ex fonte uberrimo manarunt omnes leges, et omnia iura. *Unus est enim legislator, et Iudex Deus*, inquit s. Iacobus in epistola sua. Ipse est veritas, et iustitia, et sapientia, *per quem Reges regnant, et legum conditores iusta decernunt*, proinde nunquam artem bene beateque vivendi reperies, donec ad scholam Christi; qui unus est Magister verus admissus, eius verbo et exemplo didiceris iustitiam illam, quae abundat super iustitiam Scribarum, et Pharisaeorum, addo etiam Philosophorum, cuius finis est *charitas ex corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta*.

Quinto possidet anima hominis tertium genus scientiae, quod in rebus ingeniose fabricandis positum est. Et quidem norunt etiam araneae telas texere, et aviculae nidos aedificare, et apes mella conficere, et vulpes foveas, quasi domos quaerere: sed ista animantia naturae quodam instinctu rem unam et eamdem et modo eodem faciunt: anima vero humana ratione et iudicio praedita artes innumerabiles adinvenit, per quas omnibus animantibus, velint nolint, imperat, et dominatur, nec prosunt avibus alae, nec piscibus profunditas aquarum, nec leonibus, aut ursis robur eximium, nec equis et mulis ferocitas, nec cervis et capreis pernicitas. Siquidem ipsi etiam pueri, laqueis, et visco, et retibus aves capiunt, et hamo ac retibus piscatores pisces apprehendunt: viri autem ingenio et arte leones et ursos caveis ferreis includere, et circumducere: apros et cervos vel funibus irretire, vel ferro confodere: equos et mulos fraeno domare, et imperio suo subdere didicerunt. Quid dicam de arte navigandi? quanta lux ingenii in anima humana fulsit, quando per liquidum mare naves maximas, et ponderibus gravissimis onustas, non solum remis, quasi pedibus, currere, sed etiam velis, quasi alis volare docuit? Quid de agricultura? quis non obstupescat ingenium hominis, si segetes, si vineas, si pomaria, si hortos, si piscinas, si varios aquarum rivulos ad hortos irrigandos, et arva humectanda ductos inspiciat? Quid de architectura? quis non miretur palatia, templa, urbes, arces, turres, amphitheatra, pirámides, obeliscos? Omitto pingendi et sculpendi artes, quibus sic interdum ad vivum exprimuntur, vel coloribus in tabula, vel scalpello in marmore vultus hominum, vel res caeterae, ut verae, non pictae, vel sculptae credantur. Omitto reliquas artes humano ingenio, sive ad necessitatem vitae, sive ad commoditatem, sive ad voluptatem excogitatas, quae tot sunt, ut numerari vix possint.

Age igitur, anima mea, gratias Deo, quod tanto intervallo distare voluerit naturam tuam a natura animantium caeterorum: sed simul attolle oculos mentis ad ipsum eumdem conditorem tuum, in quo est verus fons ingenii, et sapientiae effectricis rerum, ab illo fonte defluit quicquid ingenii ad naturam tuam derivatum est, et si miraris ingenium hominis, quod animantibus ratione carentibus industria et arte dominari didicerit; admirare potius Deum, cui omnia serviunt, et obediunt, non solum animantia, sed etiam inanima. Et si magnum tibi videtur, quod homo tot artes invenit navigandi maria, colendi agros, fabricandi domos; cur non maius videri debet, quod Deus sapientia sua fabricavit coelum, et terram, et maria, et omnia, quae in eis sunt, et omnia moderatur, et regit? et si denique obstupescis artem pingendi in tabulis, et quasi vivos ducendi de marmore vultus: cur non obstupescis artem conditoris tui, qui de luto formavit verum ac vivum hominem, et de costa viri veram ac vivam mulierem aedificavit? praesertim si addas, quae faciunt homines, sine Deo cooperante non fieri; quae autem facit Deus, ab ipso solo nullo alio cooperante fieri.

Sexto donata est hominis anima libero voluntatis arbitrio, quod est illi commune cum ipso Deo, et Angelis, et quo a rebus caeteris creatis maxime distat. Magna est haec nobilitas, et admirabilis excellentia. Sed tanto maior est libertas in conditore rerum omnium Deo, ut animae libertas cum illa comparata, vix umbra illius esse videatur. Primum libertas voluntatis humanae infirma est, et ad mala ac noxia sibi eligenda facilis et prona; libertas voluntatis divinae robustissima est, ut deficere, vel inclinari ad malum nullo modo possit, quomodo enim posse mori infirmitas est corporis mortalis, non posse mori sanitas est corporis glorificati: sic etiam posse peccare, infirmitas est liberi arbitrii, non posse peccare sanitas erit eiusdem arbitrii, quando Deus in coelesti patria hoc nobis conferet per gratiam, quod ipse semper possidet per naturam. Deinde liberum arbitrium nostrum, liberum quidem est, ut possit velle, et non velle, vel etiam velle, et nolle; sed non est potens efficere quod vult, vel ut non fiat, quod non vult etiam in seipso, quanto magis in caeteris? Audi Apostolum lamentantem in epistola ad Romanos: *Non quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago*. Et quis nostrum hoc non experitur? volo attente orare Deum, et iubeo imaginationi meae, dum ad orandum assisto, ut nusquam evagetur, nec me trahat ad alia cogitanda: et eam retinere non possum in officio, ac dum minus de hac re sollicitus sum, invenio me ab imaginatione delusum, oratione intermissa ad alia cogitanda delapsum. Volo non concupiscere, et non irasci praeter ordinem rationis, et impero per liberum arbitrium irascibili, et concupiscibili facultati, quae in me sunt, ac rationi iure subditae esse debent, ut rationis imperio omnino subiaceant, nec se sinant a sensibus corporis ullo modo seduci, et saepe non obeditur, nec fit quod volo, sed quod nolo. Sed quod prorsus admirabile et miserabile est,

imperat animus corpori, et paretur statim, imperat animus sibi, et resistitur. *Unde hoc monstrum?* inquit s. Augustinus. *Imperat animus ut moveatur manus, et tanta est facilitas, ut vix a servitio discernatur imperium, et animus, animus est, et manus corpus est. Imperat animus, ut velit animus, nec alter est, nec facit tamen, sed non ex toto vult; non ergo ex toto imperat. Non igitur monstrum, sed aegritudo animi est, quia non totus assurgit veritate sublevatus, consuetudine praegravatus.* At libertas arbitrii Domini Dei, cum plena et absoluta potestate ita coniuncta est, ut de ea scriptum sit: *Omnia quaecumque voluit, fecit. Et nemo est, qui tuae possit resistere voluntati.* Quare, anima mea, si sapis, noli de viribus liberi arbitrii gloriari, donec pervenias ad libertatem gloriae filiorum Dei, quando coelestis medicus sanaverit omnes languores tuos, et repleverit in bonis desiderium tuum. Interim vero ingemisce assidue, ac dicito Deo cum Propheta: *Adiutor meus esto, ne derelinquas me.* Et non cum torpore, et ex sola consuetudine, sed vigilanter, et ex toto corde repete, quod plusquam septies in die repetis: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvandum me festina.*

Septimo habet hominis anima voluntatem rationalem, quae non solum appetere potest bona praesentia, et particularia, et corporalia, qualia appetunt etiam bestiae, sed etiam bona absentia, generalia, et spiritualia, quae per fidem, aut rationem ostenduntur, atque adeo ipsum summum et infinitum bonum, quod est Deus. Atque hoc est, quod facit hominem magnarum virtutum capacem, ac praecipue Reginae omnium virtutum charitatis. Amant animantia bruta, sed amore concupiscentiae, amorem vero amicitiae omnino ignorant. Tu vero, anima, capax a Deo facta es illius doni, quod est fons omnium donorum, et quod cum Deo summo bono ita coniungit, ut ille in te maneat, et tu in eo, luminosae videlicet, et speciosissimae charitatis. *Deus enim charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Sed si hoc tantum est bonum voluntatis creatae, quantum erit illud bonum, quo plena est voluntas increata? Sola voluntas Dei capax est infiniti amoris, quo digna est amari infinita bonitas Dei. Neque indiget virtutibus ista voluntas, neque opus habet ab intellectu dirigi, ipsa enim et intellectus idem sunt, sicut sapientia et charitas in Deo una res sunt.

Octavo, anima humana est in corpore humano, sed longe aliter quam animae brutorum in corporibus eorum. Animae brutorum materiales sunt, et extensae ad corporis extensionem, ut pars sit in parte, et tota in toto. Anima vero humana, quia spiritus indivisibilis est, admirabili modo tota in toto, et tota in singulis partibus est, et cum totum corpus repleat, nullum tamen in corpore locum occupat; et quando corpus crescit anima non crescit, sed incipit esse, ubi antea non erat; et si membrum abscinditur, vel arescit, anima non minuitur, neque siccatur, sed desinit in eo membro esse, ubi antea erat, absque omni laesione, vel mutilatione sua. Hoc est verum speculum existentiae Dei in rebus creatis. Deus enim spiritus indivisibilis est, et tamen mundum totum, et partes eius omnes replet, nec locum ullum occupat, et totus est in toto mundo, et totus in qualibet parte mundi; et cum nova creatura producitur, Deus in ea incipit esse, nec movetur tamen: et cum creatura aliqua forte destruitur, aut moritur, Deus non destruitur, nec moritur, sed desinit ibi esse, nec tamen locum mutat. Itaque in his conveniunt Deus, et anima, sed in multis tamen, ut par est, longe eminet Deus. Anima siquidem, ut in corpore sit, et corpus regat, ac moveat, necesse habet formam corporis fieri, atque ita cum eo coniungi, ut ex anima et corpore unus homo fiat. Deus non eget, ut fiat forma, vel anima mundi, neque ut ex ipso et mundo una substantia composita fiat. Sed ex immensitate sua hoc habet, ut ubique sit; ex indivisibili unitate, ut totus ubique sit; ex omnipotentia, ut omnia regat, omnia portet, omnia moveat. Deinde anima, quamvis in toto corpore esse dicatur, tamen proprie non est, nisi in partibus viventibus, sive animatis, proinde non est in humoribus, in capillis, in unguibus, in membris aridis, vel emortuis: Deus absolute in rebus omnibus est, nec solum in corporalibus, sed etiam in spiritualibus, neque fieri potest, ut aliquid sit, in quo Deus non sit. Praeterea non est anima nisi in corpore suo, eoque satis angusto, et brevi, et in quo partes omnes simul colligatae sint, si qua enim pars separaretur ab aliis, in illa esse non posset anima: Deus autem in hac rerum universitate totus est, quamvis et ipsa universitas maxima sit, et partes eius colligatae non sint, quamvis contiguae sint; et si mundus alius, et alius conderetur, in omnibus Deus esset. Ideo enim scriptum est: *Coelum et coeli coelorum non te capiunt.* Quoniam si alii coeli, et alia terra fieret, in illis quoque esset, et si rursus novi coeli, et novae terrae sine fine multiplicarentur, omnia repleret, et ubi non esset, nihil omnino esset.

Nono anima hominis, praeter ea, quae dicta sunt, habet etiam imaginem in se, quamvis obscuram divinissimae Trinitatis; tum quia habet memoriam foecundam, vim intelligendi, et vim amandi: tum etiam quoniam mens eius intelligendo format verbum quoddam suum, et a mente et a verbo procedit amor, quia id quod cognoscitur a mente, et repraesentatur a verbo, ut bonum, continuo a voluntate diligitur, et desideratur. Sed tamen longe altiore et diviniore modo Pater Deus generat Verbum Deum, et Pater et Verbum spirant Spiritum sanctum Deum, qui est amor vivens, et fons vivus omnis amoris casti. Et ea de causa mysterium Trinitatis superat naturalem sciendi modum, nec potest sine supernaturali lumine ad ipsius notitiam, quantumvis doctus Philosophus pervenire. Siquidem anima hominis producit verbum, et amorem, quae non substantiae, sed accidentia sunt, ac per hoc personae non sunt: Deus autem Pater Verbum gignit sibi consubstantiale, et Pater ac Verbum spirant Spiritum sanctum utrique similiter consubstantialem, unde tres personae merito dicuntur Pater, et Filius, et Spiritus

sanctus. Deinde anima hominis producit verbum, quod non diu permanet, et voluntas producit amorem, qui non diu durat : Deus autem Pater generat Verbum aeternum, et Pater et Verbum spirant Spiritum sanctum aeternum, neque enim Deus esse potest sine Verbo, et sine Spiritu suo. Denique anima hominis, per unum verbum rem unam repraesentat, ideo multiplicat verba, non solum mentis, sed etiam oris ; et voluntas humana multos actus amoris producere debet, si multas res velit amare : Deus autem unico verbo omnia vera dicit, et unico actu amoris omnia bona diligit.

Denique hoc habet anima humana, ut dum est in corpore, quamvis non videatur, nec audiatur, nec moveatur, ac vix in eo esse intelligatur, et ea recedente nihil corpori deesse videatur : tamen ipsa omnia bona corpori tribuat, sensum, motum, loquelam, subsistentiam, pulchritudinem, robur : cur enim homo dum vivit, videt, audit, loquitur, ambulat, subsistit, robustus, formosus, et amabilis est, nisi quoniam anima in eo est? et cur post mortem, nec videt, nec audit, nec loquitur, nec movetur, sed iacet deformis, inutilis, et invisus, nisi quoniam anima recessit, unde bona illa derivabantur ? Sic Deus tuus, o anima, dum per gratiam suam in te vivit, ipse facit, ut videas quae tibi fides ostendit, et audias quid loquatur in te Dominus, et ambules per viam mandatorum ad coelestem Hierusalem, et loquaris in oratione ad Deum, et in sancta exhortatione ad proximum, et subsistas perseverando in operibus bonis, et robustus sis in acie adversus hostes invisibiles, et formosus in oculis invisibilis Dei, et Angelorum eius. Cave autem ne recedente gratia Dei, quae est vita animae tuae, experiaris damna, quae secum adfert mors prima, unde rapiaris ad mortem secundam, ex qua resurrectio nulla conceditur. O si mentis oculos tibi Dominus aperiret, et speciem eximiam, ac splendorem nimium intueri posses, quo praedita est anima grata Deo, et per veram charitatem ei coniuncta, et quibus oculis eam Deus aspicit, quem locum illi praeparat, quae gaudia illi promittit, et quanto ipsa desiderio expectatur ab Angelis, et aliis spiritibus beati : certe ferre non posses, ut tanta pulchritudo, vel aliqua levi macula foedaretur, et si id forte contingeret, enitereris saltem, ut maculas illas, quantumvis parvas, lacrymarum fluminibus dilueres. Hoc certe de s. Francisco refert s. Bonaventura, quoniam videbat se Agnum immaculatum sine macula aliqua sequi non posse, dedisse saltem operam, ut quotidianis et copiosis imbribus lacrymarum animam purgaret, et maculas omnes, quantumvis levissimas, tergeret. Sed si per eamdem gratiam Dei aperirentur oculi interiores, et intueri posses, quanta sit foeditas animae peccatricis, quam tetrum odorem spiret, quasi putrefactum cadaver, et quam refugiant Deus et Angeli sancti eam respicere ; quamvis fortasse in corpore habitet speciosо, et ornato, et oculis hominum valde amabili : sine dubitatione ulla ita horreres, ut nulla ratione patereris, te talem fieri, aut in eo statu diutius permanere.

GRADUS NONUS.

Ex consideratione Angelorum.

Pervenimus ad supremum gradum ascensionis in Deum, ex iis, qui sumi possunt a substantiis creatis, nulla enim est creata substantia, sublimior angelica, si de naturali tantum perfectione loquamur. Angelos igitur considerabimus primum, quoad excellentiam naturae ; deinde quoad sublimitatem gratiae; postremo quoad officia, quibus funguntur, neque propositum nobis est, integram disputationem de Angelis instituere, sed ea solum attingere, quae nos iuvare possunt ad elevandam mentem in Deum. Angelus igitur si cum anima rationali et humana comparetur, satis apte dici potest anima perfecta, quemadmodum et anima dici potest Angelus imperfectus. Sic enim de homine ratione animae loquitur Propheta, cum dicit : *Minuisti eum paulominus ab Angelis*. Angelus enim est integra perfectaque substantia spiritualis ; anima humana dimidiata, et imperfecta, quia est forma corporis, ac per hoc est pars hominis. Itaque Angelus totus est spiritus, homo partim spiritus, partim caro, vel partim Angelus, partim bestia, quo modo si quis diceret, Angelum esse totum aureum hominem partim aureum, partim luteum. Quare verum est quod Propheta dicit, hominem esse paulo minoratum ab Angelis, et verum etiam est, animam humanam, quia est pars hominis, esse paulo minorem Angelo. Ex quo sequitur, ut Angelus similior Deo sit, quam homo, vel anima eius, quia Deus spiritus est, non corpus, neque corporis forma. Nec tamen haec maior similitudo Angeli ad Deum facit, ut Deus non sit spiritus infinito intervallo dignitatis elevatus super angelicam sublimitatem, est enim Deus spiritus increatus, aeternus, immensus, solus potens, solus sapiens, bonus, solus altissimus. Quare si confiteris, anima mea, suspiciendam merito a te esse naturam angelicam, quam magis suspicere debes et admirari naturam divinam, quae supra modum et supra omnem mensuram supereminet angelicae dignitati ?

Sed neque solum in natura, sive substantia dici potest Angelus, homo perfectus, et homo Angelus imperfectus, sed etiam in intelligentia, et scientia. Siquidem homo, sive anima humana multum laborat in rebus intelligendis, cum oporteat eam uti ministerio sensuum, et discurrendo ab effectis ad causas, et a causis ad effecta, paulatim scientiam sibi comparare : unde etiam saepe dubius haeret, saepe misere fallitur, et raro ad certam intelligentiam pervenit : Angelus vero unico intuitu res intuetur, et simul causas et effecta ipsius cernit, nec solum ad accidentia, sed ad ipsam etiam rei substantiam penetrat. Neque res tantum corporales, sed etiam spirituales videt. Itaque homo, dum in hac terra peregrinatur, quod ad intelligentiam pertinet, non paulominus est minoratus ab Angelis, sed tam multum est minoratus, ut homo quantumvis ingenio polleat, et studio sapientiae operam dederit, si cum Angelo comparetur, puer, aut infans et lacteus merito dici possit. Non enim falso

de nobis mortalibus Propheta cecinit: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem.* Audi sapientissimum Salomonem quid de nostra scientia, qua sic inflamur iudicet: *Cunctae res difficiles, non potest eas homo explicare sermone,*et rursus: *Mundum tradidit* (Deus) *disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem.* Si cuncta sunt difficilia, et inexplicabilia ab homine, et si de Mundo hoc visibili nihil intelligit homo a prima re creata usque ad ultimam, nihil, inquam, perfecte intelligit, ut naturam eius, proprietates, accidentia, vires et caetera, quae in ea latent, explicare queat: quantis erroribus se implicabit, si ea, quae supra coelum sunt, investigare tentaverit: Quare si sapis, anima, sectare scientiam salutis,et sapientiam Sanctorum, quae in eo posita est, ut Deum timeas, et mandata eius observes, delectet te magis oratio, quam disputatio; et charitas aedificans, quam scientia inflans, haec enim est via, quae ducit ad vitam, et Regnum coelorum, ubi dabitur nobis parvulis aequalitas Angelorum, qui semper vident faciem Patris, qui in coelis est.

Est vero etiam tertium quiddam, in quo humana anima, non paulominus sed multum valde minoratur ab Angelo. Est autem potentia et imperium super corpora, anima enim humana corpus suum tantum voluntatis imperio movere potest, alia corpora hoc modo non potest: et corpus suum movet motu progressivo super terram, non autem potest illud super aquam suspendere, vel super aerem evehere, et quo voluerit asportare: Angeli vero solo impetu spiritus, id est, imperio voluntatis, corpora gravia sursum evehunt, et ferunt quocumque libuerit, sic Angelus unus rapuit Habacuc, et brevissimo tempore tulit in Babylonem,ut prandium ferret Danieli, et reportavit in Palestinam. Deinde non potest homo solo spiritu pugnare cum hostibus, sed manibus et armis indiget: sed Angelus sine manibus, sine armis contra integrum exercitum armatorum hominum, solo impetu spiritus sui praeliari potest, et vincere. Sic Angelus unus occidit aliquando centum octoginta quinque millia Assyriorum. Et si haec potest Angelus, quid poterit Conditor et Dominus Angelorum? Utique poterit, qui ex nihilo fecit omnia, in nihilum omnia redigere. Potest quoque animus humanus, per artem pingendi, et sculpendi, non sine industria et labore conficere imagines hominum, quae viventes homines repraesentent, et spirare ac vivere videantur, possunt Angeli sine labore, et sine manibus, et instrumentis, ac fere momento temporis corpus ex elementis ita sibi aptare, ut corpus humanum ab hominibus prudentibus iudicetur,quod videlicet ambulet, loquatur, comedat, bibat, et tangi, palpari, atque etiam lavari queat, sic Abraham Angelis cibum praeparavit, et pedes lavit: quoniam, ut explicat Apostolus, Angelos hospitio recepit, homines se recepisse credens,quod idem accidit nepoti eius Loth, dum Angelos duos, tamquam homines peregrinos in domum suam admisit. Sed et Raphael Angelus per multos dies versatus est cum Tobia iuniore, ambulans, loquens, comedens, bibens, ac si vere ac proprie homo esset, et tamen ipse postea discessurus, ait: *Videbar vobiscum manducare,et bibere, sed ego cibo et potu invisibili utor*, ac repente ab oculis eorum evanuit. Magna profecto et admirabilis potentia, corpus repente formare, quod nulla in re ab humano et vivo corpore differre videatur, et illud ipsum, quando libuerit, repente dissolvere, ut vestigium eius nullum appareat. Quod si tanta et tam admiranda Angelorum potentia est, quanta erit potentia Conditoris Angelorum, qui et illos creavit, et potentiam, quantam voluit, attribuit? Omnino sicut scientia Angelorum,et nostra cum scientia Dei comparata, ignorantia est: et sicut iustitia Angelorum et nostra iustitiae Dei comparata,iniustitia est: sic omnis potentia Angelorum et nostra potentiae Dei comparata, infirmitas est, ideo vere dicitur Deus noster solus sapiens, solus bonus, et solus potens.

Denique si locum Angelorum et hominum consideremus, inveniemus ex hac etiam parte, hominem, sive eius animam, non paulominus,sed multum omnino ab Angelo minoratam (utor enim libenter verbo, quo utitur Apostolus.) Nam animae humanae locum Deus attribuit in terra, Angelis in coelo, id est, in palatio suo. *Coelum enim coeli Domino,terram autem dedit filiis hominum.*Hinc Dominus apud Matthaeum vocat Angelos coelorum, et apud Lucam dicit: *Gaudium erit in coelo super uno peccatore poenitentiam agente,* et paulo post: *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente.* Et praeterea, sic alligavit Deus animam corpori, ut sine illo locum mutare non possit: Angelos autem Deus nulli corpori alligavit, atque eis potestatem attribuit, ut de coelo ad terram, et de terra ad coelum, vel quocumque voluerint velocissime transeant. Sic Angelus naturae dignitate proximus Deo, etiam subtilitate utcumque imitatur omnipraesentiam Dei Deus enim semper ubique est per naturae immensitatem, neque eget loci mutatione, cum sit ubique Angelus per motus velocitatem, tam facile de loco ad locum transit, et praesentiam suam locis omnibus exhibet, ut ubique quodammodo esse videatur.

Tu vero, anima mea, si Dominum Angelorum audire volueris, non erit cur Angelis, vel locum illum sublimem, vel motum sine fatigatione velocissimum invideas, nam non solum, tu anima,corpore soluta aequalis Angelis eris, sed cum ad corpus redieris, quod Christus *conformabit corpori claritatis suae.*cum ipso corpore coelum,tamquam domum propriam possidebis, et ipsum corpus spirituale effectum, sine labore, vel fatigatione, illic erit continuo, ubi tu eius anima volueris, atque iusseris. Non te fallit Dominus tuus, qui ait in Evangelio: *In domo Patris mei mansiones multae sunt,* et: *Vado parare vobis locum*, et: *Si abiero, et praeparavero vobis locum, iterum venio, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis. Volo Pater, ut ubi sum ego, et illi sint mecum, et videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Ubi sit autem Christus, et quale corpus habeat, non ignoras, confiteris enim quotidie, ac dicis: Tertia die resurrexit a mortuis,

ascendit ad coelos ; et scis corpus eius potest Resurrectionem intrare solitum ad discipulos ianuis clausis, et cum recederet non ambulando,sed evanescendo recedere consuevisse, id est, tam celeri motu corpus suum transferre solitum de loco ad locum, ac si spiritus, non corpus fuisset. Sed si ad gloriam istam aspiras, oportet hîc primum ut conformes corpus tuum corpori humilitatis Christi: sic enim fiet ut Christus corpus tuum conformet corpori claritatis suae. Deinde oportet ut vestigia eius sequaris. *Christus enim passus est pro nobis. nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia eius*, inquit Apostolus Petrus , et quae sunt vestigia eius ? *Qui peccatum*, inquit, *non fecit , nec inventus est dolus in ore eius: qui cum maledicerelur,non maledicebat: cum paterelur,non comminabatur*. Duo sunt Christi vestigia , a quibus si aberras, viam perdidisti,et ad patriam numquam pervenies oportet mala non facere, sed pati; et quod inde sequitur,bona facere,et bona hîc non expectare et , quae horum omnium summa est , oportet diligere proximum propter Deum , dilectione vera, et pura, amicitiae, non concupiscentiae , gratis . non propter retributionem hominis , contentum retributione Dei, quae omnem mensuram superat.

Veniamus nunc ad dignitatem Angelorum , secundum gratiam. Vere in hoc etiam minoratus est homo plusquam paulominus ab Angelis. Siquidem initio Deus Angelos singulos ita creavit, ut simul in eis conderet naturam , et infunderet gratiam , ut S. Augustinus testatur in libris de civit. Dei. Deinde mox ut prima conversione mentis in Deum illi per charitatem adhaeserunt , cadentibus reprobis, beatitudine et gloria coronati sunt. Itaque peregrinatio ipsorum brevissima, et mansio in patria sempiterna fuit ; si tamen peregrinatio dici debet brevissima illa mora, quae inter creationem et beatitudinem intercessit. Nos autem homines gratiam quidem cum natura in creatione accepimus, sed in parente primo, non in nobis, et ideo illo cadente omnes cecidimus; in quo, ut Apostolus loquitur, omnes peccaverunt, quamvis autem per mediatorem Dei et hominum Christum Iesum reconciliati simus Deo: tamen exilio diuturno damnati sumus, et dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, per fidem enim ambulamus,et non per speciem, et quod pios homines et patriam desiderantes multum contristat, illud est, quod inter hostes saevissimos interim versamur. et periculum est , ne ab illis circumventi et capti a dulcissimae patriae possessione tandem excidamus. Hinc sunt illae voces : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est : habitavi cum habitantibus Cedar : multum incola fuit anima mea.* Sed quamvis in hac re minores Angelis simus : Dei tamen benignitas mirifice nos homines consolatur, tum quod ex genere nostro unum, et unam, Christum, et Mariam in Regno coelorum omnibus Angelis anteposuit , tum quod non paucos ex hominibus , quamvis Angelis omnibus naturae muneribus inferiores , dono gratiae, superiores multis Angelis esse voluerit , et aliquos etiam summis aequaverit. Certe s. Ioannes Chrysostomus expo nens epistolam ad Romanos, Apostolorum Principes Petrum et Paulum in eo loco collocare non dubitavit , ubi Seraphim volant , ac Deum glorificant,quod idem de s. Ioanne Baptista,et aliis nonnullis pium est credere. Adde quod Angeli boni post primum meritum ad gloriam pervenerunt , quoniam etiam Angeli mali post primum peccatum fuerunt aeterno supplicio mancipati , proinde homines queri non debent de longiore via , cum in ea possint saepe ac saepius lapsus suos corrigere , et per poenitentiam ad veniam pervenire.

Restat nunc, ut de officiis Angelorum pauca dicamus. Quinque sunt Angelorum officia. Primum est laudes et hymnos perpetuo canere conditori. Ac ut intelligamus quanti faciat Deus hoc ministerium, considerandum est , supremos Angelos ad hoc officium esse destinatos , quos quasi praecinentes, omnes Angelorum chori consonis vocibus cum incredibili iubilo prosequuntur. Audi Isaiam : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum , et elevatum, et ea quae sub ipso erant replebant templum. Seraphim stabant super illud : sex alae uni, et sex,alae alteri, duabus velabant faciem eius, et duabus velabant pedes eius,et duabus volabant , et clamabant alter ad alterum, et dicebant : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum , plena est omnis terra gloria eius.* Hic audis nomen Seraphim, qui sunt Principes supremi ordinis, vides illos velare faciem, et pedes , quod est signum reverentiae , quasi non auderent intueri faciem, vel tangere nudos pedes, vides eosdem assidue volare dum canunt , quod significat affectum et desiderium semper magis ac magis propinquandi Deo, quae duo sunt necessaria iis, qui placere Deo volunt , dum laudes eius decantant, ut videlicet amorem cum reverentia, et reverentiam cum amore coniungant. quod etiam David Propheta expressit, cum ait: *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.*

Hinc discas, anima mea, quanta veneratione dignus sit Deus, cum supremi illi Principes coeli , qui semper assistunt ei, et semper faciem eius vident, neque ex tam excelso gradu suo, neque ex tam longa familiaritate timorem ac reverentiam negligere umquam audeant, dum laudes eius dicunt. Et quid respondebis tu pulvis, et cinis cum in iudicio argueris de somnolentia, vel evagationibus in tam divino opere , ad quod digna non eras ut assumereris ? disce saltem deinceps, tam magno exemplo edocta, cum timore et tremore, cum attentione et vigilantia,cum amore et desiderio Deo tuo debitas laudes hymnosque persolvere. Alterum officium Angelorum est orationes mortalium offerre Deo , easque suo etiam suffragio commendare, sic enim loquitur Angelus Raphael in libro Tobiae: *Quando orabas cum lacrymis , et sepeliebas mortuos.et derelinquebas prandium tuum, ego obtuli orationem tuam Domino*. et in Apocalypsi vidit Ioannes Angelum stantem ante altare cum aureo thuribulo. *Et data sunt*, inquit, *ei incensa multa , ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum ante thronum Dei.* Hic vero incredibilis prorsus cernitur clementia , et misericordia Dei nostri , non enim contentus

fuit per Prophetas suos primum, deinde per filium suum, et eius Apostolos hortari nos ad orandum, et petendum : sed etiam addidit promissionem dandi, quicquid petierimus. *Petite* inquit, *et accipietis*.et alibi: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Neque hac promissione contentus, adiecit etiam praemium se daturum petentibus. *Tu autem*, inquit, *cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi*, mercedem videlicet, praeter ea, quae petivisti. Sic enim de eleemosyna et ieiunio eodem in loco Dominus dicit : *Pater qui videt in abscondito, reddet tibi.* Sed neque hoc argumento pietatis paternae contentus Deus, constituit Angelos, quasi cubicularios suos intimos, qui orationem, quasi memorialium pauperum curam haberent, eaque in conspectu suo offerrent, ac legerent, ne ulla omnino pauperum petitio oblivioni mandetur. Quis umquam Principum terrenorum praemium promisit venientibus ad se, gratiam, vel iustitiam petituris? et tamen, qui veniunt ad Principes terrae, homines sunt, ut ipsi etiam principes homines sunt, ex eodem luto formati, et eidem summo Principi Deo subiecti Sed si grave est praemium dare petentibus : certe tamen grave esse non deberet libenter eos admittere, et fidelem cubicularium deputare, qui supplices libellos subditorum diligenter custodiret, et offerret, et pro celeri expeditione sollicitus esset. Tertium officium Angelorum in eo positum est, ut Legati mittantur ad ea significanda, quae Deus significari voluerit, ac praesertim ad negotia redemptionis, et salutis aeternae,sic enim loquitur Apostolus ad Hebraeos: *Nonne omnes* (Angeli) *sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos,qui haereditatem capiunt salutis* ? sic videmus in vetere Testamento passim Angelos apparuisse Patriarchis, et Prophetis, eisque patefecisse quae Deus patefacienda mandaverat, sic etiam in Testamento novo legimus, Archangelum Gabrielem missum fuisse nuncium ad Zachariam, et ad Virginem Deiparam : deinde Angelos quoque missos ad pastores, ad S. Ioseph, et post Resurrectionem Domini ad mulieres sepulchro inhaerentes, et post Ascensionem ad discipulos omnes. Cur autem Deus, qui ubique est, et facile potest per se in cordibus hominum loqui, velit tamen Angelos mittere, illa ratio esse videtur, ut homines intelligant. Deo curae esse res humanas, et ab illo regi et dirigi universa, possent enim homines facile sibi persuadere inspirationes divinas esse ratiocinationes suas, vel consilia sua, sed cum videant, vel audiant Angelos a Deo mitti, et quae ab Angelis praedicantur, ita fieri, ut illi praemonuerunt, dubitare non possunt, quin Deus providentiam gerat rerum humanarum, atque ea praesertim ab illo dirigi, et disponi, quae ad salutem aeternam electorum pertinent.Quartum officium Angelorum est protectio hominum, sive singulorum, sive multitudinis placuit enim pietati Patris nostri Dei commendare potentissimis servis suis infirmitates mortalium, eosque praeficere, vel quasi paedagogos pueris, vel quasi tutores parvulis, vel quasi patronos clientibus, vel quasi pastores ovibus, vel quasi medicos aegrotis, vel quasi defensores pupillis,vel quasi protectores iis, qui se defendere nequeunt, nisi sub alas confugiant potentiorum.De protectione et custodia singulorum hominum testis est David : *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, testis etiam et quidem fidelissimus Christus ipse : *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis ; dico enim vobis, quia Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est.* De protectoribus vero provinciarum, et regnorum,testis est Daniel, qui Angelum protectorem regni Persarum, vocat Regem Persarum, et protectorem regni Graecorum, nominat regem Graecorum, et protectorem filiorum Israel suo nomine Michaelem vocat. Denique de protectoribus Ecclesiarum scribit Ioannes in Apocalypsi, ubi mentionem facit Angeli Ecclesiae Ephesi, et Angeli Ecclesiae Smyrnae, et sic de aliis. Itaque in regnis singulis duo sunt Reges, unus visibilis, homo, et unus invisibilis, Angelus ; et in Ecclesiis singulis duo sunt Episcopi, unus visibilis, homo, et unus invisibilis, Angelus ; et in Ecclesia Catholica universa, duo sunt Pontifices maximi,sub Christo Domino constituti, unus visibilis, homo, et unus invisibilis, Angelus, quem Michaelem Archangelum esse credimus, eum enim ut olim synagoga Iudaeorum, ita nunc Patronum veneratur Ecclesia Christianorum.

Videsne, anima, quam sit sollicita illa Maiestas, quae bonorum nostrorum non eget, de nobis servulis suis? quid potuit facere ut charitatem suam magnam ostenderet, et non fecit? obruit nos beneficiis: ut apud eum libenter maneremus ; vallavit custodiis, ne aufugeremus; circumdedit protectoribus, ne abriperemur; quid faceret si thesaurus illius essemus,ut re vera ille magnus et solus thesaurus noster est ?

Ergo anima mea, tandem aliquando cede charitati, et charitate tanti amatoris superata, totam te, nulla tui parte relicta, eius obsequio et voluntati mancipa, trade dona irrevocabili iuramento et voto; nihil te moveat eorum, quae videntur, sed invisibilia cogita,et ad illa suspira.*Quae enim videntur temporalia sunt, quae non videntur aeterna.*

Postremum officium Angelorum est, ut sint etiam milites, vel duces armati, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Angeli sunt, qui civitates infames igne et sulphure concremarunt; qui primogenita totius Aegypti occiderunt qui multa millia Assyriorum uno impetu prostraverunt; Angeli erunt, qui in die novissimo *segregabunt malos de medio iustorum,et mittent illos in caminum ignis.*

Ergo diligant viri pii cives suos, Angelos sanctos: horreant impii potentiam Angelorum, ministrorum irae Dei omnipotentis, a quorum manibus nullus eos eripere poterit.

GRADUS DECIMUS

Ex consideratione essentiae Dei, per similitudinem magnitudinis corporalis.

Ascendimus per substantias creatas quantum potuimus; nec tamen ad eam notitiam Dei perve-

nimus, ad quam speculando in hac etiam lacrymarum valle perveniri potest. Superest igitur ut videamus, an per dimensiones quantitatis corporalis, quas novimus, ascendere possimus ad latitudinem, et longitudinem, altitudinem, et profundum invisibilis essentiae Dei illa enim in creaturis dicuntur magna, quae magnas habent quatuor dimensiones. Deus autem in Psalmis, et alibi passim dicitur magnus, et quod eius magnitudinis nullus sit finis. Certe s. Bernardus eximius contemplator ex his dimensionibus gradus sibi fecit ad cognoscendum Deum, in libris quos scripsit de consideratione ad Eugenium Papam. Neque ille primus inventor fuit scalarum huius generis : sed ab Apostolo, qui in tertium coelum ac Paradisum penetravit, hunc modum ascensionis didicit, sic enim loquitur Apostolus in epistola ad Ephesios: *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit latitudo, et longitudo, et sublimitas et profundum.* Si quis enim attente consideret, inveniet profecto, nihil esse plenum, et solidum extra Deum sed omnia angusta, brevia, humilia, et inania, vel superficialia: in Deo autem esse veram latitudinem, immensitatem; veram longitudinem, aeternitatem; veram altitudinem, naturae sublimitatem ; verum profundum, sine fundo, incomprehensibilitatem, et rursus veram altitudinem, omnipotentiam ; verum profundum, infinitam sapientiam: veram latitudinem, plenissima viscera misericordiae; veram longitudinem, districtionem iudicii, id est, plenam perfectamque iustitiam. Sed non satis est, has considerationes leviter attingere, si quis ascendere velit, et invenire quod quaerit; sed plane comprehendere oportet, *ut possitis*, inquit Apostolus, *comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum.* Is vero comprehendit, qui attentissime cogitans omnino persuadetur, rem ita se habere, et ita persuadetur, ut thesaurum inventum venditis omnibus comparare festinet, ideo enim adiunxit Apostolus, *cum omnibus Sanctis.* Soli siquidem Sancti ista plane comprehendunt, vel nemo ista comprehendit, ut oportet, quin efficiatur Sanctus. Neque repugnat iis, quae diximus, s. Augustinus in epistola ad Honoratum, qui scribit, ab Apostolo depingi crucem Christi, cum describitur latitudo, longitudo, sublimitas, et profundum, pertinet enim (ut ipse docet) ad latitudinem lignum transversum in quo figebantur manus crucifixi, ad longitudinem lignum oblongum, cui adhaerebat corpus crucifixi, ad sublimitatem lignum supra crucem positum, in quo erat titulus, ad profundum ea pars ligni, quae humi fixa latebat, non inquam repugnat intentioni nostrae s. Augustinus, quin potius eam mirifice adiuvat: nam et crux Christi via est ad veram latitudinem, longitudinem, sublimitatem, et profundum obtinendam, quamvis enim oculis hominum angusta, et brevis, et demissa, et parum profunda crux videatur : re vera tamen extendit brachia sua ab ortu usque ad occasum, et ab Aquilone usque ad Austrum, id est, longe lateque gloriam suam diffudit per Apostolicam praedicationem: et erexit verticem suum usque ad summum coelum, quod instar clavis aperuit electis, et penetravit usque ad profundum inferni, quod eisdem electis in sempiternum clausit.

Incipiamus ab essentia, deinde ad attributa progrediemur. Essentia Dei latissima merito dici potest multis modis. Primo, latissima est in se, et prorsus immensa, quoniam complectitur omnes perfectiones rerum creatarum, et etiam earum, quae creari possent. et adhuc sine ullo numero plures quicquid enim factum est, et fiet, vel fieri posset, sine ulla dubitatione eminentiore ratione et modo continetur in Deo. Itaque res caeterae sunt bonae cum additamento, id est, bonus homo, bonus equus, bona domus, bona vestis, et sic de caeteris omnibus: Deus autem est omne bonum, nam dicenti Moysi: *Ostende mihi gloriam tuam*, respondit Deus: *Ego ostendam omne bonum tibi.* Si quis haberet rem unam apud se, quae complecteretur omnia obiecta sensuum summa perfectione, ita ut non liberet umquam egredi domum ad aliquid videndum, vel audiendum, vel olfaciendum vel gustandum vel tangendum, cum haberet domi tantas delicias in una illa re, quantas optare potest homo maxime voluptarius : nonne esset res illa valde pretiosa? quod si res illa praeterea contineret in se tantam divitiarum omnis generis copiam, quantam desiderare potest homo supra modum avarus, ita ut non vellet egredi domum ad aliquid amplius acquirendum: nonne esset res illa pretiosior, et charior? Et si rursum illa res praebere posset possidentibus se honores et dignitates, quantas animo concipere posset homo ambitiosissimus nonne iam omne pretium superare videretur? Et si res illa non solum hominis, sed etiam Angeli desiderium explere posset, quod tanto est maius et capacius, quanto Angeli plura et meliora norunt quam homines. quid dicturus esses? Et tamen bonitas eius rei adhuc longe esset inferior bonitate Dei, quae tanta est, ut infinitum desiderium, sive potius capacitatem infinitam Dei satiare et explere queat. O admirabilis latitudo perfectionis essentiae Dei, quae talem immensitatem bonorum complectitur, ut infinitae capacitati, quae in Deo est, omnino sufficiat. Ipse enim Deus numquam egreditur extra se, quoniam omnia bona habet in se, et antequam mundus fieret, ita dives et beatus erat, ac postea fuerit, quia nihil factum est a Deo, quod non semper altiore modo esset in Deo. Intelligisne, anima, quali bono frueris in patria, si dilexeris Deum in via? et quali bono privaberis si id non feceris? Deus enim seipsum, id est, omne bonum fruendum exhibebit diligentibus se cum dicet servo bono, et fideli, *intra in gaudium Domini tui.*

Deinde alio modo est immensus Deus, quia replet omnia omnino, quae sunt in rebus creatis. *Coelum et terram ego impleo, dicit Dominus.* Et si essent plures mundi omnes impleret. *Si ascendero in coelum*, inquit David, *tu illic es, si descendero in infernum, ades.* Addo etiam si supra coelum, vel infra coelum, vel extra coelum iero, solus non ero, quoniam et tu illic eris, neque enim esse possum nisi in te sim, et tu portes me, qui portas omnia verbo virtutis tuae, nec solum corpora omnia Deus immensitate sua replet, sed et-

iam spiritus, corda, mentes, quomodo enim scrutaretur corda, nisi esset in cordibus, et quomodo audiret preces cordium, nisi ad corda nostra aures suas haberet et quomodo diceret Propheta : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Si ad aures cordis nostri os suum Deus non admoveret felix anima quae Deum diligit, quoniam dilectum suum semper apud se habet, et in sinu suo fovet, et in sinu eius fovetur. *Qui enim manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.*

Nec solum Deus replet omnia praesentia sua, sed etiam gloria sua. Nam et Seraphim clamant, *plena est omnis terra gloria eius*, et David addit: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra, quoniam elevata est magnificentia tua super coelos.* Ac si diceret, non solum nomen tuum, fama et gloria tua terram universam admiratione replevit, sed etiam ad coelum ascendit, et super coelos elevata est. Denique Ecclesiasticus adiungit: *Gloria Domini plenum est opus eius.* Nulla enim creatura est in coelo, vel in terra, quae non assidue laudet Deum. Atque haec est causa, cur et David in Psalmis, et tres pueri apud Danielem omnes creaturas hortentur ad benedicendum et laudibus celebrandum Creatorem. Non enim ignorabant, creaturas plurimas non eius esse naturae, ut vocem exhortantis exaudire possent; sed quia intelligebant, omnia opera Dei bona esse, ac per hoc ipsa sua specie laudare opificem, congratulabantur eis et hortabantur, ut agerent quod agebant.

Et certe si quis oculos interiores haberet, videret omnia opera Domini esse quasi thuribula sursum emittentia odorem suavitatis gloriae Dei; et si aures interiores haberet, audiret quasi concentum varium omnis generis musicorum instrumentorum laudantium Deum, et dicentium: *Ipse fecit nos, et non ipsi nos.* Quamvis enim non desint impii, qui Deo maledicant, et nomen eius blasphement: tamen ipsi quoque vel inviti coguntur, eo modo quo opus laudat opificem, laudare Dominum, nam in ipsis etiam mirabiliter lucet potentia Dei, qua eos fecit, et sapientia, qua eos gubernat, et bonitas, qua ipsis licet ingratis, et malis, vitam conservat, et misericordia, ac iustitia, qua eos vel ordinat iuste ad poenam, vel expectat misericorditer ad poenitentiam.

Multi quidem in terris surdi sunt ad has voces creaturarum exaudiendas, sed tamen ipsae clamare non cessant: nec desunt innumerabiles Angelorum et sanctorum hominum aures, qui eas laudes attendunt, iisque delectantur, et ipsi quoque Deum conditorem hymnis et canticis assidue celebrant.

Iam vero longitudo essentiae divinae est aeternitas eius, quae non habet initium durationis, nec finem umquam habebit, et semper eadem sine ulla mutatione consistet. *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient*, inquit David et Tobias, et post cum Apostolus Deum Regem saeculorum appellant, quia solus ipse non subiacet saeculis, sed praeest saeculis et regit saecula, quippe qui omnia saecula solus praecessit. Res caeterae vel habent initium, et finem et numquam in eodem statu permanent: vel habent initium sine fine et sine mutatione substantiae, sed possent, si Creatori placeret, etiam esse desinere. Itaque soli Deo aeternitas ita est propria, ut nulli rei creatae conveniat, neque ullus Princeps umquam tam fuit arrogans, ut inter titulos, quos plurimos usurparunt, aeternitatis titulum sibi arrogare praesumpserit, nisi forte in alio sensu, quomodo Constantius dictus est Imperator aeternus, quoniam non erat Imperator ad tempus certum, sed ad vitam. Tu vero anima mea, in utroque genere creaturarum numerari potes, nam corpus habes, quod incepit esse cum conciperetur, et nasceretur; et paulatim crevit usque ad mensuram sibi a Deo praefixam inde vero minui coepit, et paulo post per mortem esse desinet, ac per hoc numquam in eodem statu permanet ab omni parte, et omni hora mutationi subiectum de corpore tuo sententiam protulit Propheta per similitudinem foeni. *Mane sicut herba transeat, mane floreat, et transeat: vespere decidat, induret, et arescat.* Siquidem mane, id est, in pueritia sicut herba viret corpus humanum, sed mox transit ad iuventutem in meridie iuventutis floret, et statim transit ad senectutem, in vespera senectutis decidit, in morte duratur, in sepulchro arescit et in pulverem suum revertitur. Ecce igitur, anima, quam longe distat ab aeternitate corpus tuum tu autem creata es in tempore, cum antea nihil esses: et in hoc multum es dissimilis aeterno Creatori. Sed creata finem durationis non videbis, quod tibi cum Creatore commune est. Sed quia mutabilis es, dum in corpore vivis, de vitio ad virtutem, et de virtute ad vitium; et in quo statu invenieris in exitu de corpore, in eo iudicaberis; vel ad regnandum semper cum Deo, vel ad tormenta patienda semper cum diabolo; ideo nihil magis tibi providendum est, quam ut vitium fugias et virtutem sectaris. Cave igitur, ne a carnis illecebris seducaris in detrimentum perpetuum illius et tuum: sed crucifige carnem tuam cum vitiis et concupiscentiis, ut paulo post non solum tu vivas in aeternum beata, sed et caro tua resurgat in gloria; et ipsa quoque sine fine aeternitati Dei tui tecum sociata permaneat. Caeterum quamvis animae Beatorum, ut etiam Angeli sancti aeternitatis Dei participes erunt in sublimissima et felicissima illa unione cum Deo per beatificam visionem, et amorem, quae unio non solum finem non habebit, sed etiam eadem semper erit stabilis et immota: tamen multis aliis modis mutare et variare potuerunt cogitationes, et affectiones et loca: ideo semper admirabuntur, et suspicient supra se aeternitatem Dei, in qua nulla mutatio mentis, aut voluntatis, aut loci esse poterit, et tamen nihil ei deerit, quin etiam omnia semper habebit, quae variis mutationibus aeterno tempore sibi comparare potuisset. Quare longitudo aeternitatis res est infinita et propria Deo non minus, quam latitudo immensitatis.

Sequitur consideranda sublimitas Dei, secundum quam dicitur Deo: *Tu solus altissimo.* Est autem solus Deus altissimus nobilitate naturae, res enim tanto sunt nobiliores, et altiores quanto sunt puriores, et a materia magis abstractae. Id cernimus primum in rebus corporalibus; aqua enim est altior, quam terra, quia purior, et eadem ratione

aer altior est, quam aqua et ignis quam aer, et coelum, quam ignis, deinde idem videmus in rebus spiritualibus, altior enim est intellectus quam sensus, quia sensus habet organum corporale, quo non indiget intellectus et intellectus angelicus altior est, quam humanus, quoniam iste eget ministerio imaginationis, et phantasmatum, quo ille non indiget, et inter Angelos illi sunt altiores, qui per species pauciores intelligunt plura. Deus igitur qui solus est purus actus, et nulla re indiget extra se, neque organo, neque imaginatione, neque specie, ac ne praesentia quidem obiecti alicuius extra se: sed ipsa sua essentia illi est omnia. et nihil potest habere, quod non semper habet actu, et ipsum habere actu, est esse semper actum purum, et simplicem; ideo natura eius altissima et sublimissima est neque potest ullo modo habere parem; propterea ille qui dixit, *Similis ero Altissimo*, repente deturbatus e coelo descendit in profundissimam gehennam ut Isaias describit, et Christus Dominus de eodem: *videbam*, inquit, *Satanam sicut fulgur de coelo cadentem*.

Est etiam alio modo Deus altissimus, quia est prima et altissima causa omnium rerum efficiens, exemplaris, et finalis, est altissima causa efficiens quia nulla res est creata quoquomodo vim habens efficiendi, quae vim illam non habeat a Deo, Deus autem a nullo habet, rursus nulla causa est, quae vim suam exercere possit, nisi moveatur a Deo: Deus autem a nullo movetur, denique causae caeterae altiores in rebus creatis dicuntur illae, quae sunt universales, a quibus particulares dependent ut coeli, et Angeli, qui coelos movent: Deus autem et coelos, et Angelos fecit. Ipse igitur solus est prima et altissima causa efficiens. Est item prima causa exemplaris, quoniam res omnes Deus fecit secundum formas, sive ideas, quas in se habet. est denique prima causa finalis, quia propter se, id est, ad patefaciendam gloriam suam omnia creavit, ut dicit Sapiens in Proverbiis. Sed valde proprie dicitur, et est altissimus Deus, quia sedet in altissimo throno, *vidi Deum*, inquit Isaias, *super solium excelsum et elevatum*. Et quoniam sedes duos habet usus, unum ad iudicandum, alterum ad quiescendum, utrumque seorsim consideremus.

Primum igitur Deus habet altissimam sedem, quia est summus Iudex, dicit enim Abraham Deo: *Tu Iudices omnem terram* et David: *Inter Deos diudicat*, id est, Deus iudicat ipsos Iudices, qui Dii in Scripturis dicuntur; sed apertissime s. Iacobus ait: *unus est legislator, et Iudex*, id est. Deus solus est proprie legislator, et Iudex, quia ipse solus dat leges omnibus et a nullo accipit, iudicat omnes, et a nemine iudicatur. Deinde Deus non solum est iudex, sed est etiam Rex, ac per hoc non iudicat, ut Iudex constitutus a Rege, sed ut Rex et Princeps supremus: unde dicitur Rex regum, et *Rex magnus super omnes Deos, et terribilis apud omnes Reges terrae*, quia videlicet, quando vult transfert regna et imperia de gente in gentem, et quando vult aufert spiritum Principum. Denique non solum Deus supremus est Iudex, et Rex, sed etiam Dominus absolutus, qui est titulus omnium maximus. Reges enim non ita sunt domini subditorum, ut possint pro arbitrio eos bonis, vel vita spoliare, cuius rei testis esse potest Rex Achab, qui vineam Naboth habere voluit, nec potuit, nisi per dolum et calumniam uxoris, unde uterque miserrime periit. Deus autem vere et proprie Dominus est, et omnia serviunt illi et ipse nemini servit, et posset si vellet omnia ad nihilum redigere, cum ex nihilo omnia fecerit. Cogita igitur anima, quantus timor et tremor debeatur a nobis vermiculis terrae, illi qui sedet super tam altam sedem ut nihil omnino supra se habeat. *Si ego Dominus*, ait per Malachiam, *ubi est timor meus*? et si supremi illi Principes coeli cum timore et tremore illi assistunt, quid nos facere par est, qui mortales et fragiles cum bestiis terram incolimus? sed illud mirabile videtur, quod altissimus Deus non amet sibi similes creaturas, id est, altas, et sublimes, sed humiles et pauperculas, sic enim loquitur Deus per Isaiam: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu et trementem sermones meos*? et David: *Excelsus Dominus et humilia respicit*. Imo vero diligit Deus res altas, et sublimes, ac per hoc sibi similes: sed vere sublimes, non quae videntur, et non sunt. Itaque non amat Deus superbos, qui elati et inflati, non alti et sublimes dici debent, amat vero humiles et trementes sermones suos, quoniam illi, quo magis se deiiciunt, eo magis ab ipso Domino exaltantur. Et qui a Domino exaltantur, illi vere sunt alti. Itaque iidem sunt humiles et sublimes, humiles, in oculis suis, sublimes in oculis Dei. Si quis vidisset non solum oculis corporis, sed etiam oculis cordis, iisque a Deo illuminatis, divitem Epulonem ornatum bysso et purpura, accumbentem mensae omnibus generibus ciborum pretiosorum instructae, circumstantibus ministris multis, et sollicite officio suo fungentibus, et simul vidisset pauperem Lazarum seminudum et ulceribus plenum, ad ianuam divitis sedentem, et cupientem satiari de micis, quae de mensa divitis cadebant, is profecto vidisset, divitem quem mundus beatissimum esse credebat, in oculis Dei et Angelorum omnino abominabilem, et vilissimum, plane ut lutum, vel stercus terrae. *Quod enim altum est apud homines, abominatio est apud Deum*, ait Dominus in eodem loco, ubi Epulonem describit, contra vero vidisset, pauperem et humilem Lazarum, in oculis Dei et Angelorum nobilem, et honoratum, ut pretiosam margaritam, quod exitus demonstravit. Lazarum enim ut Deo charam, angelicae manus in sinum Abrahae portaverunt: divitem, ut exosum Deo, ad gehennam ignis daemones rapuerunt. Sed quid ego de Lazaro loquor? nemo altior apud Deum, Domino Iesu Christo, etiam secundum humanitatem est, et ipso tamen nemo humilior in coelo, vel in terra reperitur, ut verissime dixerit: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde*, quanto enim anima illa sanctissima clarius prae caeteris omnibus cognoscit infinitam altitudinem divinitatis, tanto magis cognoscit vilitatem creaturae, quae ex nihilo facta est, et ideo cum et ipsa creatura sit, prae caeteris omnibus subiicit se Deo, sequo humiliat, et Deum exaltat: et vicissim a Deo super omnes creaturas etiam angelicas exaltatur.

quod idem de Angelis beatis,et sanctis hominibus dicere possumus,nulli sunt enim humiliores,quam qui in coelo altius sedent : quoniam ii , qui sunt Deo proprinquiores, eo clarius intuentur, quanto intervallo distet magnitudo Creatoris a parvitate creaturae.

Quare, anima mea, dilige humilitatem, si veram cupis exaltationem, imitare Agnum sine macula , imitare Virginem matrem, imitare Cherubim , et Seraphim , qui omnes quo sunt altiores , eo sunt etiam humiliores.

Nec solum Deus sedem altissimam habet, quia iudicat omnes, sed etiam quia prae omnibus quiescit, et quiescere facit eos, in quibus sedet. Altissima sedes Dei, est altissima eius requies, quamvis enim mundum universum regat , in quo sunt assidua bella, et conflictationes elementorum, bestiarum, hominum ; ipse tamen cum tranquillitate iudicat, ut dicitur in libro Sapientiae, et altissima pace semper gaudet. neque est aliquid, quod eius ocium, et contemplationem sui ipsius, in qua sunt eius deliciae sempiternae, perturbare possit. Ideo enim et Rex Hierusalem, quae est visio pacis, appellatur. Sedes autem eius propria sunt spiritus beati, unde dicitur , *Qui sedet super Cherubim* , dicitur autem Deus super Cherubim potius, quam super Seraphim sedere quoniam Cherubim scientiae multitudinem significat, Seraphim vero ardorem charitatis , quies vero sapientiam sequitur, sollicitudo et anxietas charitatem,nisi cum sapientia coniuncta sit. Ideo et anima iusti sedes dicitur sapientiae, denique cum Isaias dicit : *Coelum sedes mea*, et cum David dicit: *Coelum coeli Domino* per coelum coeli intelliguntur coeli spirituales, qui habitant super coelos corporales , id est, spiritus beati,ut explicavit S. Augustinus. Hos autem coelos Deus quiescere facit quiete tam admirabili, ut haec sit pax illa,quae exuperat omnem sensum. Scribit s. Bernardus in sermonibus super Cantica similitudinem aptissimam ad hanc explicandam quietem, his verbis : *Tranquillus Deus tranquillat omnia,et quietum aspicere.quiescere est.Cernere est Regem post diurnas forensium quasi lites causarum, dimissis a se turbis, curarum molestias declinantem , petentem de nocte diversorium, cubiculum introeuntem cum paucis, quos hoc secreto et hac familiaritate dignatur,eo certe securius, quo secretim quiescentem, eo serenius se habentem, quo placidiu solos intuentem, quos diligit.* Haec ille , qui satis aperte demonstrat , Deum spiritibus Beatorum non se Iudicem , aut Dominum praebere, sed amicum et familiarem, et sane incredibilis est familiaritas, quam etiam in hac vita puris mentibus exhibet Deus : ut illud omnino impleri videatur, *Deliciae meae esse cum filiis hominum*, et illud, *et cum simplicibus sermocinatio eius.*

Hinc videlicet omnes Sancti, quamvis pressuras paterentur in mundo , tamen in corde , ubi Deus erat, pacem habebant, et ideo semper laeti, semper sereni videbantur, et erant,illis enim Veritas dixit: *Gaudebit cor vestrum,et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.*

Restat pars quarta magnitudinis , quae dicitur profunditas.porro profunditas in essentia Dei multiplex invenitur, primum ipsa in se divinitas profundissima est, quia non superficialis et tenuis,sed plenissima et solidissima est, non est Deitas quasi massa deaurata , quae solum in exteriore superficie aurum habet , intus vero aerea , vel lignea est: sed quasi massa aurea tota, et massa ingens, et immensa ; vel potius quasi fodina auri usque adeo profunda , ut numquam fodiendo exhauriri possit ; sic omnino incomprehensibilis Deus est. quoniam sicut fodina auri , cuius fundum non invenitur, numquam fodiendo exhauritur : sic etiam Deus cuius magnitudinis non est finis,numquam sic perfecte a creata mente cognoscitur, quin semper magis ac magis cognosci queat, et solus Deus profundum illud infinitum comprehendit , qui solus vim intelligendi infinitam habet. Deinde profundus est Deus ratione loci : sicut enim altissimus est , quia rebus omnibus praesidet. et est super omnia; sic idem Deus profundissimus est, quia rebus omnibus subiicitur, ut eas sustentet; et est infra omnia, ut omnia portet, ipse enim, ut Apostolus ait, *portat omnia verbo virtutis suae.* Itaque Deus est quasi fundamentum et tectum aedificii , *in quo nos omnes vivimus, movemur, et sumus.* proinde rectissime dixit Salomon : *Coelum, et coeli coelorum non te capiunt*, quia Deus potius capit coelos, et quae sub coelo sunt, quippe qui supra coelos, et infra terram est. Denique profunditas Dei, est invisibilitas eius. Deus enim lux est, sed inaccessibilis : veritas est, sed intima valde, et omni interiore interior. *Posuit tenebras latibulum suum*, inquit David, *et vere est Deus absconditus*, ut loquitur Isaias. S. Augustinus quaerens aliquando Deum, misit nuncios,oculos suos a terra usque ad coelos, et responderunt omnia : Non sumus quod quaeris , sed ipse fecit nos. Itaque non inveniens Deum ascendendo per exteriora; coepit iter facere per interiora.et intellexit vere per illa facilius propinquari ad Deum , cognovit enim animam esse corpore meliorem ; et sensum internum esse meliorem sensu externo ; et intellectum , qui adhuc est interior, esse meliorem sensu interno. Inde effecit Deum. qui interior est, quam intellectus,esse meliorem intellectu ; ac per hoc quicquid intelligimus, vel cogitamus, non esse Deum. sed aliquid minus Deo. cum Deus sit melior, quam nos intelligere.vel cogitare possimus. Age ergo anima mea, si tu es melior corpore tuo , cui das vitam , quia illud corpus est, tu spiritus es : et oculus corporis tui non videt te , quia ille foris est , tu intus ; sic omnino cogita , Deum tuum meliorem esse , quam tu sis, quia dat tibi intellectum, et est quasi anima tua : et ideo tu eum videre non potes, quia spiritus altior et interior est , quam tu sis , et tu quodammodo foris manes, ille intus in suo secretissimo profundissimoque recessu. Sed numquamne ad secretum illud admitteris ? absit. non mentitur Dominus tuus qui dixit : *Beati mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt.* neque Apostolus eius , qui ait : *Videmus nunc per speculum in aenigmate,tunc autem facie ad faciem* Neque s. Evangelista Ioannes, qui scripsit: *Scimus, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbi-*

mus cum, sicut est. Et quod erit gaudium illud, cum admissa ad secretum sacrarium illud, videbis et possidebis ipsam lucem, ipsam speciem, ipsam pulchritudinem, ipsam bonitatem? tunc plane apparebit, quam inania, et fugacia, et quasi nulla fuerint huius terrae temporalia bona, quibus inebriati homines, obliviscuntur vera, et sempiterna. Sed si vere sitis ad Deum vivum, et si lacrymae tuae sunt panes tibi die ac nocte, dum dicitur: Ubi est Deus tuus? non sis pigra ad mundandum cor, quo Deus videndus est: neque fatigeris ascensiones disponere in corde, donec videatur Deus Deorum in Sion: neque fregescas in dilectione Dei, et proximi, nec diligas verbo et lingua, sed opere et veritate, ista est enim via, quae ducit ad vitam.

GRADUS UNDECIMUS.

Ex consideratione magnitudinis potentiae Dei per similitudinem magnitudinis corporalis.

Magnus est Dominus, et magnitudinis eius non est mensura, nec finis, nec solum est magnus, quoniam altitudo eius omnipotentia est, profundum sapientia investigabilis, latitudo misericordia ubique diffusa, longitudo iustitia instar virgae ferreae, sed etiam quoniam singula haec attributa magna sunt magnitudine infinitae latitudinis, longitudinis, altitudinis, et profundi.

Ac ut a potentia, sive potius omnipotentia ordiamur: potentia Dei suam habet latitudinem, quae in eo posita est, ut se extendat ad res plane infinitas. Primum enim extendit se ad omnia quae facta sunt, nihil enim est in tota hac rerum universitate a primo Angelo usque ad ultimum vermiculum, et a summo coelo usque ad profundissimam abyssum, quod non sit factum a potentia Dei. *Omnia*, inquit s. Ioannes, *per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*, et infra, *et mundus per ipsum factus est.* Deinde extendit se ad omnia quae fient usque in aeternum. Sicut enim nisi per ipsum fieri nihil potuit, sic etiam nisi per ipsum fieri nihil poterit. Nam sic loquitur Apostolus: *Ex ipso, per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Tertio extendit se ad omnia, quae fieri possunt, quamvis numquam futura sint. Sic enim loquitur Angelus: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Et ipse Dominus: *Apud Deum omnia possibilia sunt.* Quarto extendit se ad omnem destructionem rerum factarum. Sicut enim potuit Deus per aquas diluvii simul interficere omnes homines, et omnia animantia, quae erant in terra, exceptis paucis, quae ipse in arca Noe servari voluit: sic poterit per diluvium ignis uno tempore destruere non solum homines omnes, et animantia omnia, quae viva invenientur in novissimo die, sed etiam omnes arbores, et omnes urbes, et caetera quae sunt in terra. *Adveniet*, inquit Apostolus Petrus in epistola posteriore, *dies Domini, ut fur, in quo coeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem, et quae in ipsa sunt opera, exurentur.* Magna profecto est haec latitudo potentiae Dei, quam nemo satis admirari poterit, nisi multitudinem rerum, quas Deus partim fecit, partim faciet, partim facere potest, in numerato habeat, quis autem tantam multitudinem numeret, nisi ille, cuius scientia infinita est? et rursum eiusdem potentiae magnitudo valde crescit, si quis cogitet quam magnum sit res effectas tam ingenti potentia, et tot saeculis uno pene momento summa facilitate dissolvere, vel, ut loquitur Iudas Machabaeus, *uno nutu delere.* Dicamus ergo cum Mose: *Quis similes tui in fortibus Domine?*

Iam vero longitudo potentiae divinae cernitur in eo, quod cum omnibus, quae Deus fecit, ipse assidue cooperatur, nec fatigatur cooperando, nec fatigabitur in aeternum; siquidem potentia ista Dei minui, nec debilitari, nec frangi ullo modo potest, cum sit cum vera aeternitate coniuncta, vel potius ipsa sit verae divinitatis aeternitas, mirantur multi, quomodo possint Sol, et Luna, et stellae tanto tempore, et tanta celeritate moveri ab ortu ad occasum, et in circulos suos sine ulla intermissione reverti, et sane res esset omni admiratione dignissima, nisi sciremus, ea deferri ab omnipotente Deo, qui *portat omnia verbo virtutis suae.* Mirantur alii, quomodo fieri possit, ut in gehenna, vel ignis non consumatur aeterno tempore comburendo, vel corpora infelicium illorum aeterno tempore ardentia non dissolvantur. Sed et hoc non mirabile solum, sed etiam impossibile iudicari posset, nisi qui ignem illum sic ardere semper facit, ut numquam extinguatur, et qui corpora miserorum in igne illo ita conservat, ut semper crucientur, et numquam consumantur, Deus esset omnipotens, et aeternus. Mirantur alii denique, quod Deus omnia portet, ac sustentet, nec fatigetur portando, et sustentando tam ingentem molem ponderis propemodum infiniti, potest enim robustus homo, aut equus, aut bos, aut elephantus magnum pondus ad modicum tempus gerere, vel ad tempus breve onus gravissimum ferre: sed pondus maximum aeterno tempore sine fatigatione portare superat vires omnium rerum creatarum. Sed ii iure mirarentur, si Deus vires haberet in pondere, et mensura, ut omnes creatae res habent, sed cum vires Dei plane mensuram omnem excedant, et sit ipse omni ex parte infinitus, mirum non est, si robur infinitum, molem quantumvis gravem, infinito tempore sine fatigatione perferat. Dicamus ergo cum s. Propheta Mose: *Quis similis tui in fortibus, Domine?*

Sequitur altitudo potentiae Dei, quae in duabus rebus praecipue locum habet, primum enim altissima dici potest omnipotentia, quia solus ipse res altissimas fecit. Ea quae sub Lunam sunt, solus Deus in prima rerum creatione fecit, sed possunt per actionem creaturarum generari, transmutari, corrumpi: nam et elementa invicem transmutantur secundum partes, et ex terra gignuntur herbae, et arbores: et ex animantibus animantia propagantur: in aqua nascuntur pisces, in aere nubes et pluviae, in igni cometae. At coelum, et sydera, quae sunt altissima corpora, solus Deus creavit, solus conservat, neque ad ea vel efficienda, vel transmutanda, vel dissolvenda, vel etiam

conservanda ullam actionem creatura potest habere. *Videbo*, inquit Propheta, *coelos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas,quae tu fundasti*. Opera enim altissima sibi soli servavit Altissimus, ipse a fundamentis fabricare coepit, ipse ad fastigium usque perduxit, res quoque spirituales, Angelos, et animas hominum, quae sunt opera omnium nobilissima, et sublimissima, solus Altissimus virtute sua infinita condidit,et conservat, et in aeternum usque sine interitu conservabit, neque in his rebus faciendis ullam partem habent creaturae : et quamvis omnes in unum convenirent, numquam possent Angelum unum, vel animam unam producere, vel destruere. Deinde altitudo potentiae divinae clarissime perspicitur in miraculis, quae, ut s. Augustinus docet, sunt opera, praeter usitatum cursum ordinemque naturae, quae toti naturae, ipsis etiam Angelis admiranda et stupenda contingunt quis Angelorum non obstupuit, cum ad imperium Josue Sol et Luna, quae cursu incitatissimo ferebantur, steterunt immobiles? ac ne putaremus id casu aliquo accidisse ; neque enim ullus suspicari poterat, rem tam inusitatam ab homine mortali, et in terris posito fieri potuisse, loquitur Spiritus sanctus, et dicit : *Obediente Deo voci hominis*. Neque enim Iosue ipsi Soli et Lunae proprie loquutus est, quos sciebat audire non posse mandatum, sed precatus est Dominum, quasi diceret, ex mandato Domini Sol contra Gabaon ne movearis, et Luna contra vallem Aialon. Obedivit autem Dominus voci hominis, id est, fecit, ut obedirent luminaria illa voci hominis, saepe enim in sacro eloquio dicitur Dominus facere ea, quorum causa est, ut fiant, quomodo cum in Genesi Dominus dicit ad Abraham : *Nunc cognovi quod timeas Dominum*. Sententia eorum verborum est, nunc feci, ut cognosceretur a te, et ab aliis, quod vere timeas Deum. Tale etiam fuit opus altitudinem potentiae divinae significans,cum in passione Domini Luna, quae erat a Sole maxime distans, rapidissimo cursu accessit ad Solem, eique subiecta tribus horis tenebras fecit in terra, et post illas tres horas, eiusdem cursus incredibili velocitate rediit ad locum, unde discesserat, quae omnia se vidisse atque observasse testatur s. Dionysius Areopagita in Epistola ad s. Policarpum, atque hoc quidem contrarium signum est priori, sed non minus admirandum, cum aeque novum et insolitum sit, ac totius naturae vires exuperet Lunam sistere, vel eam praeter solitum incitare. Omitto illuminationes coecorum, excitationes mortuorum, et alia id genus plurima, quae Deus per Prophetas, et Apostolos, et alios servos suos fideles miracula fecit, et facit, quae omnia clamant : *Quis similis tui in fortibus, Domine*? sed omittere non possum supremum et maximum illud miraculum, quod Deus ostendet in die novissimo,quando omnes mortui simul resurgent, cum plurimorum corpora in cineres redacta, et dispersa, vel a bestiis absumpta, et in alia atque alia corpora conversa fuerint,vel etiam in hortis campisque sepulta in herbas varias transformata transierint, quis Angelorum non obstupescet,cum viderit in ictu oculi ad omnipotentis imperium tot millia millium hominum corpora sua resumere, etiamsi per multa saecula, et modis diversissimis dispersa, vel consumpta latuerint? Haec est igitur altitudo potentiae Dei, ob quam pariter dici potest : *Quis similis tui in fortibus, Domine*?

Restat profunditas, quae in modo, quo Deus utitur in rebus efficiendis, posita mihi esse videtur, quis enim penetret modum faciendi aliquid ex nihilo? ad hoc profundum oculos intendere non potuerunt, qui tamquam principium exploratum et certum statuerunt,ex nihilo nihil fieri. Ac nos quoque in hac re credimus, quod non videmus ; sed credimus secuti Deo, qui mentiri non potest, credimus, inquam, coelum, et terram, et ea quae in eis sunt, ab ipso Deo creata fuisse, cum antea nihil omnino praecessisset unde fierent, neque vere Deus fecisset omnia, quae facta sunt, si aliquid unde fierent, praecessisset. Sed quomodo fieri potuerit, cuius nihil ante praecessit, abyssus profundissima est, quam scrutari et investigare non possumus. Deinde non solum ex nihilo fecit Deus omnia: sed fecit in nihilo, id est, sine spatio praecedente, sive loco, in quo locaretur quod fiebat, quod praesertim in rebus corporalibus intelligi vix potest, proinde est etiam haec abyssus impenetrabilis. Spatia locorum, inquit s. Augustinus in epistola ad Dardanum,tolle a corporibus ,et nusquam erunt, et quia nusquam erunt, nec erunt. Iam igitur si nihil erat, antequam Deus crearet coelum, et terram, ubi posuit Deus coelum, et terram? in nihilo certe poni non potuerunt et tamen creata sunt, et ipsa sibi sunt locus, quia sic voluit,et potuit, qui omnia potest, etiam si nos quomodo ista fiant, intelligere nequeamus.

Huc Deus ipse respexit, cum s. Iob omnipotentiam suam indicare volens, ait: *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terrae? indica mihi,si habes intelligentiam, quis posuit mensuras eius, si nosti? vel quis tetendit super eam lineam? super quo bases illius solidatae sunt? aut quis demisit lapidem angularem eius*? Ac ut intelligamus,haec opera omnipotentiae Dei omni laude esse dignissima, subiungit statim idem Dominus, *cum me laudarent astra matutina, et iubilarent omnes filii Dei*, nimirum Angeli sancti, qui simul creati sunt cum coelo, et terra,et sunt quasi quaedam astra spiritualia, et lucidissima, ut etiam filii Dei nominari possint, ubi viderunt coelum et terram ex nihilo prodiisse, et in nihilo posita, et tamen firmissime fundata super stabilitate sua, cum ingenti stupore et iubilo laudaverunt opificis omnipotentiam. Nec minus profundum est ad intelligendum, quod Deus solo voluntatis imperio tam immensas moles erexerit, novimus enim in aedificiis sine comparatione minoribus, quot instrumentis, quot machinis, quot administris architecti indigeant, quis igitur cogitando assequatur, quomodo fieri possit, ut sola interna voluntate, quae extra volentem non egreditur, opera tam immensa et tam varia fiant? Dixit Deus, utique apud seipsum,nam Verbum Dei est in Deo,et est ipse Deus, dixit, inquam, iubendo, et exprimendo imperium voluntatis fiat coelum, et factum est coelum, fiat terra, et facta est terra ; fiat lux Sol, fiant stellae

fiant arbores, fiant animantia, fiant homines, fiant Angeli, et facta sunt omnia. Adde, quod idem Deus posset, si vellet, ista omnia, et mundum universum uno nuto delere, ut legimus in libris Machabaeorum. Sed et illud accedit profundum, quod ista omnia tam multa, et tam magna, et ex tantis membris, vel partibus composita Deus momento fecerit. Apud nos ars et natura longo temporis spatio egent, ut opera sua perficiant, videmus herbas multo ante seminari, quam nasci, arbores multis saepe annis egere, ut radices figant, ut ramos extendant, ut fructus producant: animantia foetus longo tempore in utero gerere, ac postea longo etiam tempore alere, antequam adolescant de arte nihil dicere quoniam notissimum est, opifices nostros nihil nisi in tempore, eoque satis longo perficere.

Quanta ergo in Deo potentia est, quae dicto citius res maximas perficit? Nec disputo, an Deus uno momento coelum et terram, et omnia quae in eis sunt absolverit: an integros sex dies in rerum prima creatione consumpserit, non enim quaestiones explicandas, sed ascensiones in Deum ex rerum consideratione fabricandas suscepi. Illud igitur est, quod astruo, et admiror, res singulas ab omnipotente Creatore momento fuisse perfectas ac de terra, et aqua, et aere, et igne nemo ambigit, quin simul, et in momento, ut etiam omnes Angeli eodem momento condita sint. De firmamento, et divisione aquarum: notum est omnia illa facta esse per solam Verbi virtutem, dicentis: *Fiat firmamentum in medio aquarum*, et quidem in momento, sequitur enim, *et factum est ita*, quo loco s. Ioannes Chrysostomus: *Dixit*, inquit, *solum, et opus sequutum est*, sic etiam idem auctor ad illa verba. *Germinet terra herbam virentem*; *et factum est ita*; *Quis*, inquit, *non obstupescat cogitans, quomodo verbum Domini germinet terra, quasi admirabili peplo terrae faciem variis floribus adornet? vidisses subito terram, quae antea deformis et inculta erat, decore suo et ornatu, quasi cum coelo contendere*, et post, ad illa verba, *Fiant luminaria*, sic loquitur: *Dixit solum, et productum est hoc admirabile elementum, Solem dico, quid si addas, quod eodem momento, et eodem verbo, Lunam et stellas omnes idem conditor fecit*? et ad illa verba. *Producant aquae, etc.* sic ait: *Quae lingua ad opificis praeconia sufficiet? nam sicut de terra dixit solum: Germinet, et varia mox ac multiplex florum herbarumque apparuit copia; sic et hic dixit: Educant aquae, et continuo tot reptilium volatiliumque genera condita sunt, quot neque sermone recenseri possunt. Quis igitur similis tui in fortibus, Domine.*

Tu vero, anima mea, quanta sit potentia conditoris tui, iam plane intelligis, quae per latitudinem ad omnia se extendit, per longitudinem semper durat, et sine fatigatione omnia portat, et regit, per altitudinem attingit etiam ad ea facienda, quae impossibilia videntur et re vera sunt impossibilia omnibus aliis, ipso solo excepto; per profunditatem ita res facit, ut modus faciendi omnem intelligentiam creatam superet, cum ex nihilo, et in nihilo, et sine instrumentis, et sine tempore, solo verbo et imperio faciat. *Ipse dixit*, inquit Propheta, *et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.* Ex quibus, si quid sapis, colliges, quanti referat, utrum cum iratum, vel placatum, hostem, vel amicum habeas. nam si hostem et iratum habeas, potest te subito omnibus bonis spoliare, et omnibus replere miseriis, neque ullus est, qui de manibus eius te liberare possit, quis enim cum Omnipotente contendere audeat? si solus, et nudus occurreres inimico tuo implacabili, ferro acutissimo te petendi, quid ageres? quam sudares, et palleres, et tremeres, et in genua provolutus misericordiam implorares? et tamen ille homo est, et forte posses vel fugiendo, vel repugnando, et ferrum de manibus extorquendo te ipse ab interitu liberare. Sed cum irato Deo quid ages? a quo nec fugere potes, cum sit ubique, nec illi resistere, cum sit omnipotens, nec moras nectere, cum momento et solo imperio agat? non sine causa dicit Apostolus: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Contra vero si placatum et amicum habeas Deum, quis te felicior? potest enim, si vult, et vult, si amicus est, bonis omnibus te replere, et a malis omnibus liberare. Utrum autem iratum et hostem, an placatum et amicum habeas Deum, in manu tua est, dum vitam hanc ducis. Deus enim, et per Prophetas, et deinde per Filium suum, ac per Apostolos eius in Scripturis sanctis perpetuo clamat invitans peccatores ad poenitentiam, et iustos ad observantiam mandatorum, ut sic utrosque; habeat amicos, vel potius filios charissimos, et haeredes aeterni regni sui. Audi Ezechielem: *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur, et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis, et quare moriemini domus Israel?* et infra: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua*, atque hoc quod Ezechiel clamat, Isaias quoque, et Ieremias, et Prophetae caeteri clamant, unus enim erat spiritus in omnibus, et idem per omnes clamabat. Audi filium Dei exordientem praedicationem suam. *Coepit Jesus*, inquit Matthaeus, *praedicare, et dicere: Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.* Audi Apostolum Paulum de se et de coapostolis suis loquentem in posteriore ad Corinthios. *Pro Christo*, inquit, *legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos; obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo*, quid clarius? quid dulcius? Apostolus nomine Christi nos obsecrat, ut velimus reconciliari cum Deo, et placatum habere, non iratum, quis ambigere potest de misericordia Dei, si serio revertatur ad eum? excipiet omnino revertentes, quomodo excepit filium prodigum amantissimus pater. Ubi vero reversi fuerimus, et indulgentiam perceperimus, quid a nobis postulat, ut amici et filii esse perseveremus, nisi ut mandata eius custodiamus? *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, inquit Dominus, ac ne forte dicas: Sine auxilio Dei non possunt mandata servari, audi s. Augustinum in explicatione Psalmorum, qui loquens de praecepto omnium difficillimo, id est, de vita ponenda pro fratribus, sic loquitur: *Non imperaret hoc Deus,*

ut faceremus, si impossibile iudicaret, ut hoc ab homine fieret, et si considerans infirmitatem tuam delicis sub praecepto, confortare in exemplo. Sed etiam exemplum multum est ad te: adest ille, qui praebuit exemplum, ut praebeat et auxilium; ac ut in ore duorum stet omne verbum. Audi s. Leonem. *Iuste*, inquit, *Deus instat praecepto, quia praecurrit auxilio*, quid ergo times, anima, viam mandatorum secure ingredi, cum ille praecurrat, qui potenti auxilio gratiae suae *facit prava in directa, et aspera in vias planas*? Hoc videlicet auxilio praecurrente, iugum Domini efficitur suave, et onus leve; et Apostolus Ioannes clamat: *Et mandata eius gravia non sunt*, sed etsi gravia tibi videantur, cogita quanto graviora erunt tormenta gehennae: nec audeas, nisi insanis, ista velle experiri. Sed illud cogita, et recogita, et numquam obliviscaris, nunc tempus esse misericordiae, postea iustitiae: nunc liberum esse peccare, postea necessarium poenas gravissimas luere: nunc posse hominem cum Deo facile transigere, et exiguo labore poenitentiae magnam indulgentiam obtinere, et brevi luctu sempiternum fletum redimere, et contra, nunc quolibet opere bono ex charitatis virtute prodeunte posse regnum coelorum comparari, postea non posse totius mundi opibus unam guttam aquae frigidae impetrari.

GRADUS DUODECIMUS

Ex consideratione magnitudinis sapientiae Dei per similitudinem magnitudinis corporalis.

Quam vere scripserit Apostolus in estrema epistola ad Romanos, solum Deum esse sapientem, facile intelliget, qui attente considerare voluerit latitudinem, longitudinem, altitudinem, et profundum sapientiae Dei. Ac ut incipiamus a latitudine, latissima esse dignoscitur sapientia Dei, quoniam Deus omnia, quae sunt in rerum natura, a primo Angelo usque ad ultimum vermiculum, distincte perfecteque cognoscit, nec solum novit integras substantias, sed etiam partes, proprietates, virtutes, accidentia, actiones, hinc sunt illa: *Tu quidem gressus meos dinumerasti*, et, *respicit Dominus vias hominis*, et, *omnes gressus eius considerat*. Quod si numerat et considerat gressus singulos, quanto magis actiones mentis, sive bonas, sive malas? et si Deus in numerato habet capillos nostros, iusta verbum Domini: *Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt*, quanto magis novit omnia membra corporis, et omnes virtutes animorum? et si numerum novit arenarum maris, et guttarum pluviae, ut colligitur ex Ecclesiastico, quanto magis nosse credendus est numerum stellarum, et Angelorum? et si omnia verba ociosa omnium hominum adducet in iudicium, ut Dominus ipse testatur, certe aures eius omnes voces omnium hominum simul exaudiunt, nec solum voces corporum, sed etiam animorum, id est, cogitationes, et desideria. Quanta igitur et quam immensa est haec latitudo sapientiae, quae simul omnia, quae sunt, et quae fuerunt, et quae erunt, et quae esse possunt, comprehendit? nec tamen divina mens ex tanta rerum singularum et inferiorum varietate vilescit, ut stulta sapientia quorumdam Philosophorum censuit. Id enim forte suspicari possemus, si Deus a rebus scientiam mendicaret, ut nos facimus: sed cum omnia in essentia sua videat, nullum est periculum vilitatis, quamquam longe nobilius est mendicando scientiam assequi, quod est hominum, quam scientia omnino carere, quod est brutorum: quemadmodum praestantius est, coecum esse, quod est animantium, quam sine coecitate aptum non esse ad videndum, quod est lapidum: nec caetera membra corporis nobiliora sunt oculis, quia coeca esse non possunt, sed nobiliores sunt oculi, cum videndi facultatem habeant, quamvis et coeci possint esse, ut recte disputat s. Augustinus in libris de civit. Dei. Hinc vero, anima mea, sollicita esse debes, in omni loco, et tempore, quid agas, quid loquaris, quid cogites, cum nihil umquam agas, loquaris, cogites, nisi vidente, audiente, attendente Deo etenim si mala nulla facere, vel loqui auderes, quavis, etiam gravissima stimulante cupiditate, si te videri, vel audiri ab homine crederes quomodo audes ea cogitare, inspectante et indignante Deo? *Esto*, inquit s. Augustinus in regula Sanctimonialium, *a nemine hominum videatur, quid faciet de illo superno inspectore, quem latere nihil potest*? Et s. Basilius in libro de virginitate, alloquens virginem in cubiculo clausam, et solam, admonet eam, ut revereatur sponsum ubique praesentem, et huius Patrem et Spiritum sanctum, et Angelorum innumerabilem multitudinem, et cum his Patrum sanctus spiritus. *Nullus enim horum*, inquit, *est, qui non ubique omnia videat*. O te beatam animam meam, si semper in hoc theatro esse te sentires, etiam in mediis noctium tenebris, et silentio; quam perfectam vitam instituere, quam diligenter levitatem, et evagationem omnem vitares? Hoc nimirum est, quod Abrahamo Patriarchae dixit aliquando Dominus: *Ambula coram me, et esto perfectus*, id est, cogita te a me semper videri, et eris sine ulla dubitatione perfectus.

Longitudo sapientiae in cognitione futurorum se prodit, sic enim acute Deus videt, ut ab ipsa aeternitate viderit quae futura sunt in tempore novissimo, et ultra usque; in aeternum, qua certe longitudine nihil maius cogitari potest. *Intellexisti*, inquit David in Psalmis, *cogitationes meas de longe*, et paulo post, *Tu cognovisti omnia novissima et antiqua*, id est, omnia futura, et omnia praeterita. pleni sunt libri Prophetarum praedictionibus clarissimis, atque verissimis, quas non ipsi per se, sed, ut canit Zacharias, *Deus loquutus est per os Sanctorum, qui a saeculo sunt, Prophetarum eius*. Atque adeo haec praevisio et praedictio propria est Dei solius, ut ipse Deus per Isaiam dicat: *Annunciate quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia Dii estis vos*. Ac ut pauca de multis consideremus, Isaias sic loquitur: *Haec dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, ut subiiciam ante faciem eius gentes, et dorsa Regum vertam, etc.* Ubi praedicitur monarchia Persarum, et nominatur proprio

nomine Cyrus, Rex primus Persarum; et subiungitur ratio, cur Deus exaltare voluerit Cyrum, quia videlicet relaxaturus erat captivitatem Babylonicam, quae omnia post annos circiter ducentos impleta sunt. Daniel quoque per similitudinem statuae ingentis, cuius caput erat aureum, pectus argenteum, venter et femora aerea, pedes partim ferrei, partim fictiles, apertissime praedicit quatuor monarchias, Babyloniorum, Persarum, Graecorum, et Romanorum, et tempore ultimae Monarchiae Regnum Christi, id est, Christianam Ecclesiam, omnibus illis regnis maiorem, ac deinde tam aperte describit bella successorum Alexandri Magni, ut infideles aliqui suspicati sint, ea scripta fuisse post bella illa finita, ac ut omittam caetera, Christus ipse apud Lucam deplorans eversionem Hierosolymae, quae post annos multos futura erat, ita distincte et sigillatim omnia describit, ac si non futuram, sed praeteritam narrare voluisset. omitto praedictiones alias innumerabiles, quarum, ut dixi, Prophetarum libri plenissimi sunt. Porro Astrologi, et quicumque alii divinatores, qui quasi simiae Dei videri volunt, omnino deridendi sunt, nec enim fieri potest, ut de rebus futuris contingentibus, ac praesertim liberis, vera praedicant, nisi forte aliquando casu veritatem attingant: nam cum omnibus causis necessaris, contingentibus, liberis, voluntas Dei praesideat, et praecemineat, et possit causas inferiores, quando libuerit, impedire, nemo vera praedicere potest, nisi cui Deus voluntatem suam manifestare voluerit, ut saepe Prophetis suis manifestavit. Atque adeo hoc verum est, ut daemones per hoc potissimum Dii haberi voluerint, quod oracula funderent, et futura praedicerent, ut testatur s. Augustinus in libris de civitate Dei. Sed idem eximius Doctor Ecclesiae in lib. de divinatione daemon aperte demonstrat, tam falsam eorum divinationem esse, quam falsa ipsorum divinitas est, nihil enim aperte dicunt, nisi quod ipsi facturi sunt, vel quod alibi iam factum, ipsi velocitate naturae referunt quasi futurum us, qui longe absunt, vel quod ex diuturna experientia futurum esse coniectant, quomodo etiam multa, de ventis nautae, de pluviis agricolae, de morbis medici praedicere solent, quae vero daemones de futuris interrogati nesciunt, ea per ambages et aequivoca verba respondent, et cum falsa comperiuntur, interpretibus et coniectoribus culpam attribuunt. Solus ergo Dominus Deus noster, cuius sapientiae non est numerus, vera fundit oracula, ac de futuris quibusque etiam contingentibus et liberis vera praedicit.

Iam vero divinae sapientiae altitudo celsissima est, et omnem sublimitatem sapientiae hominum, vel Angelorum longissime superat. Altitudo sapientiae ex obiecti, potentiae, speciei, et actus nobilitate dignoscitur. Obiectum sapientiae Dei non solum naturale, sed etiam proportionatum est ipsa divina essentia, quae usque adeo sublimis est, ut neque humano, neque angelico intellectui proportionatum obiectum sit. Itaque ne supremi quidem Angeli ad Deum videndum conscendere possunt, nisi per lumen gloriae evehantur, atque haec est causa, cur Deus invisibilis in Scripturis sanctis esse dicatur. *Regi saeculorum immortali, invisibili soli Deo*, inquit Apostolus in priore ad Timotheum, qui etiam postea addit, Deum lucem habitare inaccessibilem. Deinde potentia, quae in nobis est accidens, in Deo divina substantia est, ac per hoc longe sublimior, et altior quam in nobis. Species autem tanto altior est, quanto plura repraesentat, ac per hoc Angeli quo species habent universaliores, et pauciores, eo altiorem scientiam habere dicuntur, quanta igitur est altitudo sapientiae Dei, qui non aliam speciem habet, quam essentiam suam, quae una est, et sola Deo sufficit ad ipsum Deum, et res omnes creatas, aut creandas, aut etiam quae possent creari, vel repraesentandas, vel cognoscendas?

Denique illa scientia, vel sapientia nobilior atque altior esse dicitur, quae per pauciores actus plura cognoscit: Deus autem unico solum intuitu, qui semper in eo viget, et immutabilis permanet, et se ipse et caetera omnia perfecte cognoscit. Sola igitur sapientia Dei nobilissima atque altissima dici debet. Erige nunc, anima mea, oculos tuos, et vide quantum distet scientia tua a sapientia conditoris tui: tu enim per multos actus, huc atque illuc discurrendo vix rem unam perfecte cognoscis, conditor autem tuus contra, per unum actum res omnes, et se ipse clarissime ac distinctissime intuetur, et tamen tu ipsa nunc in tenebris latens, potes si velis pennis fidei et charitatis tam alte conscendere, ut post corporis mortalis depositionem a claritate in claritatem transformata in lumine Dei lumen Deum videas, et similis effecta Deo tu quoque uno intuitu, eoque in aeternum manente Deum in se, et te, ac res omnes creatas in Deo simul videre queas. *Quid enim non videt*, inquit s. Gregorius in dialogis, *qui videntem omnia videt?* et *quae erit illa voluptas*, illa gloria, illa rerum omnium copia, *cum admissa ad inaccessibilem lucem, omnium bonorum Domini tui particeps eris*? Regina Saba cum Salomonis sapientiam audivisset, et ordinem ministrorum domus eius sapienter dispositum vidisset, ita obstupuit, ut non haberet ultra spiritum (sic loquitur Scriptura) *et exclamavit: Beati viri tui, et beati servi tui, qui sunt coram te semper, et audiunt sapientiam tuam*, et quid simile habet sapientia Salomonis cum sapientia Dei, qui solus sapiens et ipsa sapientia est? et quid est ordo ministrorum Salomonis comparatus cum novem ordinibus Angelorum Dei, quorum millia millium ministrant ei, et decies centena millia assistunt ei? certe si vel momentum ista gustares, nihil non moveres, nihil non faceres, nihil non libentissime patereris, ut Deum promereri posses, humiliare ergo interim sub potenti manu Dei, ut te exaltet in die visitationis, humilia intellectum ad fidem, ut exalteris ad visionem: humilia et voluntatem ad obedientiam mandatorum, ut exalteris ad libertatem gloriae filiorum Dei: humilia et carnem ad patientiam et labores, ut glorificatam Deus exaltet ad requiem sempiternam.

Restat ut profunditatem sapientiae Dei consideremus, quae praecipue in scrutatione renum, et cordium, id est, in cognitione cogitationum, et cu-

piditatum humanarum, praesertim futurarum posita esse videtur, hinc enim legimus: *Homo videt ea, quae parent, Dominus autem intuetur cor*, et, *Tu solus nosti corda filiorum hominum*, et, *Intellexisti cogitationes meas de longe*: *semitas meas investigasti, et omnes vias meas praevidisti*, et, *Ipse novit abscondita cordis*. et, *Pravum est cor hominis, et inscrutabile, et quis cognoscet illud? ego Dominus scrutans renes et corda*, quo loco septuaginta Interpretes verterunt: *Profundum est cor hominis, et inscrutabile*. Atque hunc locum exponens s. Hieronymus admonet, recte probari Christum esse Deum, quia videbat cogitationes hominum, quas solus Deus videre potest. *et cum vidisset Iesus cogitationes eorum. Ipse vero sciebat cogitationes eorum. Quid ista cogitatis in cordibus vestris*? Igitur omnis cogitatio et cupiditas humana, etiam praesens, et reipsa existens, profunda est valde, ut neque Angeli, neque daemones, neque homines ad eam investigandam penetrare valeant: sed longe profundior est cogitatio, vel cupiditas futura, hanc enim non solum nequeunt homines, vel Angeli penetrare: sed nec penetrare certe possunt, qua via Deus, qui eas solus novit, ad eas investigandas progrediatur. Atque hoc videtur significare voluisse David in Psalmo, cum ait: *Mirabilis facta est scientia tua ex me:* Illud enim, ex me, phrasi Hebraea significat prae me, vel super me, ut sensus sit, mirabilior est scientia tua, quam ut ego intelligere possim, quomodo illa se habeat. Ideo enim subiungit, *confortata est et non potero ad eam*, id est, elevata est super notitiam meam, et non potero ad eam capiendam ulla ratione conscendere. Loquitur autem de scientia cogitationum futurarum, dixerat enim, *Intellexisti cogitationes meas de longe, et omnes vias meas praevidisti*, de harum igitur cogitationum et viarum praenotione dicit, *Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, et non potero ad eam*, potest fortasse responderi, Deum videre cogitationes istas futuras in aeternitate sua, cui omnia sunt praesentia, vel in praedeterminatione voluntatis suae: sed si ita esset, non esset mirabilis scientia ista, nam et nos possumus facile scire, quae facturi sumus, vel quae nobis praesentia sunt. Scriptura vero dicit, Deum scrutari renes, et corda, atque ibi videre, quid homo cupiat, vel cogitet, aut quid postea cupiet, vel cogitabit. Hoc vero est prorsus admirabile, quomodo Deus scrutando renes et corda videat quod ibi nondum est, et quod ex libertate voluntatis pendet, an aliquando erit. Igitur sicut ad altitudinem potentiae Dei pertinet, ut ex nihilo faciat aliquid, et vocet ea, quae non sunt, ut ea quae sunt: sic ad profunditatem sapientiae Dei pertinet, ut scrutando renes et corda videat quod ibi nondum est, ac si iam esset, quod sine dubio erit.

Sed quia non quaestiones disputandas, sed animam excitandam, et in Deum elevandam suscepi, excitare anima mea, et leva te super te, ut Ieremias admonet, et cogita profundam illam abyssum sapientiae Dei, quae scrutatur intima cordis, et multa ibi videt, quae cor ipsum non videt. O beatissime Petre, cum dicebas Domino, *etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, certe non duplici corde loquebaris, sed sincero, ac recto: nec in corde tuo videbas fragilitatem illam quam in eo Dominus tuus videbat, cum diceret, *Antequam Gallus cantet bis, ter me negabis*, videbat enim medicus peritissimus in corde tuo infirmitatem, quam tu non videbas, et verum fuit, quod praedixit medicus non quod iactavit aegrotus. Sed gratias age medico, qui ut praevidit, et praedixit morbum futurum: sic potenti medicina poenitentiam animae tuae divinitus inspiravit, et morbum cito curavit. O bone, o pie, o sapientissime et potentissime medice, *ab occultis malis meis munda me*. Quanta ego non deploro, nec lacrymis lavo, quia non video? adsit mihi gratia tua, qui scrutaris renes, et corda: et quas ego cupiditates malas, et opera etiam mala non video, tu qui vides, ostende et pie respiciens produc fontem lacrymarum, ut dum tempus est laventur, et deleantur per gratiam tuam Amen.

GRADUS DECIMUSTERTIUS

Ex consideratione sapientiae practicae.

Consideravimus sapientiam Dei theoricam: nunc sapientia practica consideranda est, quam etiam effectricem dicere possumus, habet haec sapientia suam latitudinem, longitudinem, altitudinem, et profunditatem, latitudo ex creatione cognoscitur, longitudo ex conservatione rerum creatarum: altitudo ex opere redemptionis, profunditas ex providentia, et praedestinatione. Ac ut a creatione incipiamus. *Deus omnia in sapientia fecit*, ut dicitur in Psalmis, *et effudit illam super omnia opera sua*, ut scribit Ecclesiasticus. Itaque sicut ex creatione rerum omnium ex nihilo cognoscimus potentiam opificis, sic ex artificio admirabili, quod in singulis cernimus, admiramur sapientiam conditoris, disposuit enim omnia et singula *in mensura, et numero et pondere*, ut dicit Sapiens, atque hic est sapor, quo condivit omnia Deus, ut ex eo sapore, cognoscamus, quam sapida sit ipsa sapientia, et quam amabilis, ac desiderabilis, res igitur omnes creatae certam habent mensuram, certum numerum, et certum pondus, tum, ut distinguantur a Deo, qui non habet mensuram, quia est immensus, nec numerum, quia est summe unus, et simplex, quoad essentiam: nec pondus, quoniam eius aestimatio et pretium superat omnem aestimationem et pretium: tum, ut bonae et pulchrae sint, ac verissime dixerit Moses: *vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona*, habent igitur cunctae res eam mensuram, quae necessaria est ad finem consequendum, cuius gratia factae sunt, nec potest illi mensurae aliquid addi, vel detrahi, quin res deformis, vel inutilis ac per hoc minus bona reddatur. *Cuncta fecit Deus bona in tempore suo*, inquit Ecclesiastes, *nec possumus eis quicquam addere, vel detrahere quae fecit Deus, ut timeatur*. Igitur coelo dedit Deus mensuram amplissimam, quoniam omnia inferiora ambitu suo complecti debet: aeri multo minorem

quam coelo, sed maiorem quam terrae et aquis, quae unum globum efficiunt, et ab aere undique continentur. Elephanto mensuram corporis maximam attribuit, ut onera maxima, et ipsas turres hominibus refertas portaret. Equum paulo minorem, quod ad unum solum equitem gerendum factus esset avieulas minutas fecit,ut in ramis arborum nidum suspendere possent: apes et formicas minutissimas, ut in foraminibus, vel alveariorum, vel terrae delitescerent. Hoc idem de numero dicere possumus; unum creavit Deus Solem, quoniam ad illustrandam omnem terram, et diem suo splendore faciendum Sol unus satis erat: Lunam quoque fecit unam, quoniam ad noctem illuminandam una sufficiebat: stellas plurimas esse voluit, ut cum Sol et Luna abessent, quod in coniunctione Solis et Lunae contingit, tenebras noctis utcumque discuterent,nec solum rebus omnibus in communi numerum necessarium assignavit sed etiam rebus singulis numerum partium ita constituit, ut nihil addi, vel minui possit.Attribuit Deus homini duos oculos, duas aures,duas manus duos pedes, nasum unum, os unum,pectus unum caput unum, et res pulcherrima et ornatissima, et res pulcherrima et ornatissima apparuit, inverte ordinem, pone alicui homini unum oculum, duos nasos, unam auriculam, duo ora, unam manum, et unum pedem, duo pectora, et duo capita, nihil foedius, nihil inutilius fieri poterit. Denique pondus, id est, aestimationem unicuique rei Deus attribuit, quam eius natura requirebat. Porro nomine ponderis, sive pretii, qualitates intelligimus, quae bonas res et pretiosas reddunt,haec enim tria res omnes perficiunt, numerus partium, qui necessarius est,ut nulla omnino desit: commensuratio, sive apta proportio partium: denique qualitates internae, sive externae, ut suavitas coloris in externa superficie corporis, et virtus interna,quae ad actiones varias utilis, vel necessaria est. Sed est omnino admirandum,quantam vim Deus rebus quibusdam exiguis ac parvissimis attribuerit, ut videatur potentiam suam in rebus magnis, sapientiam in parvis ostendere voluisse,quis capiat quanta virtus insit in grano sinapis, quod minimum, est omnibus seminibus,ut vix oculis discerni possit, et tamen in eo latet arbor magna, ut etiam aves habitent in ramis eius, ut Veritas in Evangelio loquitur.Neque hoc est proprium sinapis,sed commune omnibus seminibus, in quorum virtute radices, trunci, rami, folia, flores, et fructus maximarum arborum delitescunt certe si hoc ipsum experimento manifesto non didicissemus, non facile persuaderi posset hominibus ex tantulo semine tantam molem rerum diversissimarum exoriri umquam potuisse, quis item capiat in formica, in culice, in pulice, in aliis minutissimis animalculis esse pedes, qui velocissime moveantur, esse caput, esse cor, esse sensus externos, et internos esse suo quodammodo, quamvis admodum imperfecto, prudentiam, atque iudicium? quis denique capiat in iisdem, et aliis id genus animalculis minutissimis, et tenuissimis esse tantam vim terebrandi et perforandi carnes vivas, ut non solum hominibus molestissima sint, sed etiam Elephanti et Leones a culicibus terreantur? Magnus igitur Dominus, et magna sapientia eius, ut in maximis, sic etiam in minimis. Admiratus est aliquando princeps ille medicorum quamvis Ethnicus artificium Dei, quod in manu humana cernitur, et exclamavit in laudem Conditoris, quid te, Christiane facere oporteret, qui non solum hominum et caeterorum animantium corpora, sed etiam coelum, et stellas, et Angelos, et mentes hominum immortales incredibili sapientia ab eodem sapientissimo conditore creata fuisse non dubitas?

Iam vero longitudo sapientiae practicae in conservatione rerum elucet, ut eius latitudinem in creatione lucere iam diximus. Igitur sapientia Dei magna, et admirabilis in rerum creatarum, ac potissimum corruptibilium conservatione, et duratione conspicitur.

Ac primum, si quis cogitet, quomodo Deus nutriat et augeat herbas, plantas, animantia, et ipsa hominum corpora, ut conservebtur quanto diutius possunt, omnino stupore quodam attonitus non poterit satis mirari sapientiam Dei: nam ex terra et aqua nutrit herbas,et plantas,et facit ut alimentum illud transeat a radicibus ad truncum, et a trunco ad ramos, et folia, et fructus a vi quadam rursum trahatur, et omnia penetret ratione, et modo prorsus admirabili, sic etiam ex herbis, et pomis, et ex ipsa carne animantium nutrit animantia nonnulla, et ipsos homines, et facit ut alimentum intret, et penetret ad omnes partes corporis, internas, et externas, tanta facilitate,et suavitate, ut incredibile videatur. Agit Deus instar medici doctissimi, et humanissimi, qui pharmaca sic novit condire, ut non solum facile, sed etiam libenter ab aegrotis sumantur, cibi enim sine dubio medicamenta sunt, quae nisi mortalibus saepius accipiantur, mortem vitare non possunt. Sed amantissimus et sapientissimus Medicus noster Deus, primo saporem indidit cibis, ut cum delectatione sumantur: deinde variavit infinitis modis ad tollendum fastidium: denique per varias alterationes in ore, et stomacho, in hepate, in corde convertit cibum in succum adeo tenuem,et subtilem, ut sine scissione, vel dolore transeat per omnes venas, et venulas, et poros corporis, atque ac omnes partes carnis, ossicum, nervorum penetret, nobis non sentientibus, vel etiam dormientibus, admirantur Philosophi naturae solertiam, et artem, cum ista speculantur.Sed quae esse potest in rebus inanimis, vel sensus, et rationis expertibus solertia? non igitur naturae solertia, sed conditoris sapientia admiranda est, quae et naturam fecit,et modum adinvenit quo ista mirabilia fierent. Audi sapientiam Dei loquentem in Evangelio: *considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent. et Deus sic vestit*,non igitur natura solertia, sed Deus facit ut lilia crescant, et tam decoris quasi vestibus induantur, quod idem de nutritione et incremento viventium omnium dici potest. Apostolo testante, qui ait: *Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*. Et si tam admirabili modo sapientia Dei pascit, et nutrit, et in vita mortali conservat plantas, et animalia, cogita, si potes, a-

nima,quomodo in aeterna vita pascit Deus mentes Angelorum, et hominum, in terris enim terrenis cibis, sed a divina sapientia conditis alimur ; in coelo vero sapientia ipsa est cibus et potus in aeternum viventibus. O te beatam si intime penetrares quid sit: *Erit Deus omnia in omnibus*. Quid, inquam, sit Deum summum et infinitum bonum, esse Sanctis omnibus victum, et amictum et vitam et omnia certe praesentia fastidires omnia, et sola quae sursum sunt, saperes, et quaereres.Sed pergamus ad caetera. Illud item simile miraculo est, quod in conservanda et propaganda vita mortalium Deus attribuit rebus tenuissimis motum continuum, ac sine fatigatione longissimum, multum omnino laboraverunt homines, ut horologium construerent, in quo rotae vi ponderum ad vigintiquatuor horas sine intermissione decurrerent. quanta igitur sapientia Deus facit, ut vis nutritiva perpetuo et sine ulla intermissione operetur toto tempore, quo plantae, vel animalia vivunt? atque etiam ut pulmones et arteriae sine intermissione moveantur ad annos septuaginta, vel plures ; necesse est enim vim nutritivam operari, et pulmones atque arterias moveri ab initio vitae usque ad finem. Itaque in iis qui ad annos octoginta,vel nonaginta vivendo perveniunt, per idem tempus necesse est pulmones et arterias in iisdem semper moveri, et ante diluvium cum homines ad annos nongentos pervenirent, oportuit pulmones et arterias, res videlicet fragiles et tenues,ad annos nongentos sine ulla intermissione, vel requie perpetuo agitari, certe,qui ista non mirantur, et ex istis sapientiam Dei non suspiciunt, et adorant,eos lumine sapientiae omnino carere necesse est. Accedit tertio, quod sapientia Dei, quamvis posset sine ullo labore hominum, et animantium caeterorum, atque etiam sine ministerio Solis, et aliarum secundarum causarum, herbas et arbores producere, et conservare, ut paratum haberent omnia viventia cibum suum : voluit tamen uti ministerio secundarum causarum, et labore atque industria hominum, et animantium caeterorum, ut non languerent ocio, sed vires suas exercerent omnia, ac voluit etiam ut inter homines alii divites essent, alii pauperes,ut haberent omnes occasionem colendae virtutis, et vinculo charitatis colligarentur, hinc enim fit, ut divites liberalitatem et misericordiam, pauperes patientiam et humilitatem exerceant: et divites egeant opera pauperum ad agros colendos, et pecora nutrienda, et variis artibus paranda, quae necessaria sunt omnibus : et pauperes contra divitum opera indigeant, qui eis pecunias et instrumenta praebeant, quibus ipsi victum sibi, et vestimenta, atque alia necessaria comparent, neque est cur pauperes de divina sapientia conquerantur. Deus enim, qui omnia novit, et omnes diligit unicuique dedit, quod ei ad vitam sempiternam obtinendam, utilius esse praevidit,quomodo in terris medici aegrotis quibusdam inediam imperant, et venam secant; aliis vinum et carnes indulgent, et ut recreentur, iubent.plurimi nunc certe pauperes salutem aeternam consequuntur, qui si divites fuissent, in aeternum periisent, et quamvis divites quoque salvi esse possint,si divites esse studeant in operibus bonis, et facile ac libenter tribuant, quod ad communicandum, non ad recondendum a communi Domino acceperunt: tamen negari non potest, quin via ad vitam aeternam tutior, et planior, et expeditior sit paupertas, quam divitiae, non decipit nos divinus Magister, qui ait: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in Regnum coelorum*. et iterum : *Beati pauperes, quia vestrum est Regnum Dei* et, *Vae vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram*, neque decipit nos Apostolus, cum ait in priore ad Timotheum : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quae mergunt homines in interitum, et perditionem*, et quod Dominus et Apostoli verbo docuerunt,idipsum confirmarunt exemplo, de se enim Dominus dicit: *Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet*. et Apostolus de se et coapostolis suis ait : *Usque in hanc horam, et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis caedimur, et instabiles sumus*. id est, propriam domum non habemus ; neque dubitari potest, quin sapientia Dei, et Filii, ac discipuli sapientiae viam ad vitam planissimam et tutissimam elegerint. Sed quia *stultorum infinitus est numerus*, pauci viam hanc sponte eligunt, plurimi autem ab ea toto affectu, viribusque declinant. Postremum illud est, in quo longitudo divinae sapientiae cernitur, quod quemadmodum ipsa aeterna est, sic rebus omnibus instinctum vivacissimum indidit conservandi sui, ac vitam, vel esse suum, quo possint diutius propagandi. Videmus homines cum in periculo vitae se constitutos cernunt, omnia movere, nec ullis opibus, aut laboribus parcere, videmus animantia omnia supra vires cum robustioribus pugnare, ne vitam amittant, videmus lucernam ardentem, cum proxima extinctioni est, bis terve seipsam excitare, et magnam flammam emittere, ut viribus totis cum extinctione colluctari videatur, videmus guttas aquae aliquando pendere de ligno, vel lapide, seque in orbem redigere, et quamdiu possunt seipsas sustinere, ne diffluant, et pereant, videmus gravia contra naturam ascendere, et levia item contra naturam descendere, ne detur vacuum, et ipsa disiuncta a rebus aliis conservari non possint. Sed mirabilius est, quod ad propagandam speciem tam vehementem affectum indiderit Deus parentibus erga proles, ut omnino incredibile videatur, videmus gallinam infirmari pro pullis, et quamvis infirmam ac debilem acerrime pugnare contra milvos, et carnes, et vulpes, quot vero dolores et labores tolerent libenter mulieres in pariendis et educandis infantibus, omnes norunt. Huius rei causa est consilium sapientiae Dei, qui ut hanc propagationem, veluti umbram aeternitatis aleret, amorem vehementissimum animantibus omnibus, etiam brutis, et feris erga proles impressit. Nam cum multa sint animantia, quorum destructioni omnes homines dant operam,vel utilitatis propriae causa, ut lepores, apri, cervi, turdi, coturnices, perdices, pisces fere omnes : vel ne noceant, ut lupi, vulpes, serpentes, et alia id genus innumera-

bilia, facile species animalium multae iamdudum periissent, nisi Dei sapientia per hunc affectum conservationi et propagationi eorum providisset, sed si tantus amor naturaliter inest in omnibus viventibus erga vitam istam brevem, et aerumnis plenam: quantus esse deberet amor in nobis erga vitam beatam, et sempiternam. O coecitas et stultitia generis humani, res omnes pro vita brevissima, pro umbra aeternitatis, laborant supra vires: et homo ratione praeditus pro vera aeternitate vitae felicissimae, non dignatur laborare, non dico supra vires, sed pro viribus, res omnes ex naturali instinctu mortem temporariam horrent, et fugiunt super omnia mala: et homo ratione instructus, et fide divina edoctus, mortem sempiternam neque horret, neque fugit, saltem, ut temporaria mala fugere et horrere consuevit. Vere igitur dixit Ecclesiastes: *Stultorum infinitus est numerus*, et vere dixit Veritas in Evangelio: *Quam angusta porta, et arcta via est, quae ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam.*

Iam vero altitudo practicae sapientiae Dei perspicitur in opere redemptionis. *Non satiabar*, inquit s. Augustinus, *dulcedine mirabili considerare altitudinem consilii tui super salutem generis humani.* Altissimum vere consilium fuit per ignominiam crucis resarcire omnia damna, quae astutia diaboli per peccatum primi hominis fecerat, et ita resarcire, ut pulchrius fuerit opus instauratum, quam fuisset antequam restauratione indigere coepisset. Quatuor mala nata sunt ex peccato primi hominis, iniuria Dei ex superbia et inobedientia Adami; poena primi hominis, et totius humani generis, id est, privatio gratiae Dei, et sempiternae beatitudinis; contristatio Angelorum, quibus vehementer displicuit iniuria Dei, et miseria hominum; gaudium diaboli, et omnium spirituum malignorum, qui laetabantur hominem a se devictum, atque prostratum. Haec omnia mala sustulit, et in maiora bona convertit sapientia Dei per mysterium crucis, ut non sine causa canat Ecclesia, *O felix culpa, quae talem ac tantum meruit redemptorem.* Certe enim si vestem novam et pretiosam casu aliquo scissam et laceram sartor industria sua et ornamento aliquo superaddito ita resarciret, ut elegantior et pretiosior fieret, iure dici posset, felix scissio, quae tantae venustati occasionem dedit. Primus igitur homo, per astutiam et invidentiam diaboli, in superbiam elatus, affectavit similitudinem Dei, et inobediens Deo praeceptum eius praevaricatus est. Ita Deo debitum honorem quodammodo rapuit. Sed secundus Adam Christus, qui sapientia Dei est, *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem*, et honorem Deo restituit multo maiorem, quam fuerit ille, quem primus Adam superbiendo et inobediendo abstulit. Adam enim purus homo erat, et si Deo paruisset, in re facillima paruisset. Quid enim magni erat primis hominibus abstinere a fructibus unius arboris vetitae, cum plurimis et optimis abundarent? itaque peccatum quidem eorum gravissimum fuit, et tanto gravius, quanto facilior obedientia fuisset; cum nihil laboris contineret. Christus vero Deus et homo erat, et humiliavit se ad obediendum Deo Patri in re omnium maxima, et laboriosissima, id est, in morte crucis plena doloris, et ignominiae. proinde si consideremur eminentia personae, et profundum humilitatis et obedientiae, nihil potest cogitari maius, vel magis meritorium, vel honorificentius Deo, quam humilis illa Christi obedientia. Itaque verissime dicebat Dominus in Evangelio: *Ego te clarificavi super terram.* Vere enim coram Angelis Dei, et coram omnibus sanctis mentibus Prophetarum, et aliorum, quibus ista innotuerunt, glorificavit Deum Patrem Iesus Christus, gloria plane inenarrabili et si Angeli in Christi nativitate ob humilitatem praesepis cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo*, multo magis hoc ipsum maiori iubilo cantaverunt ob humilitatem crucis. Iam vero ipse homo si non peccasset, obtinuisset, ad summum aequalitatem Angelorum: nunc autem per redemptionem, quae est in Christo Iesu, obtinuit genus humanum, ut unus homo super omnes Angelos exaltatus in dextera Dei sedeat, sitque caput et Dominus Angelorum, et hominum. Sic enim de Christo scribit Apost. Petrus in priore epistola: *Profectus in coelum subiectis sibi Angelis, et potestatibus, et virtutibus* et coapostolus eius Paulus ad Philippenses: *Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genuflectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum.* Itaque Filius clarificavit Patrem humilitate passionis modo inenarrabili, et Pater clarificavit Filium exaltatione ad dexteram suam modo item inenarrabili, quae clarificatio ita redundavit in totum humanum genus, ut plane sint ingratissimi, qui hoc immensum beneficium non agnoscunt, et pro eo gratias Deo non agunt. Quid? quod non solus Christus Deus, et homo, sed ipsa mater eius exaltata est super omnes choros Angelorum, quae tamen homo solum est non Deus, quare homines tanta accessione gloriae sibi facta, ad eam, quam habuissent, si primus homo non peccasset, iure possunt exclamare: O felix culpa, quae talem ac tantum meruit redemptorem. Porro Angeli sancti sicut contristati sunt de casu primi hominis, tamquam de gravissima aerumna fratris sui minoris: sic etiam maximo gaudio affecti sunt ex copiosa redemptione per Christum facta. Si enim *gaudium est in coelo coram Angelis de uno peccatore poenitentiam agente*, quanto magis gaudium maximum fuisse credendum est coram eisdem Angelis, quando viderunt, per Christum hominem iustitiae Dei plenissime satisfactum pro humano genere fuisse, et clave crucis eius aperta credentibus regna coelorum? Neque suspicandum est, Angelos sanctos moleste tulisse, quod hominem Christum, et beatissimam Virginem supra ipsorum Angelorum eminentiam Deus extulerit, abest enim omnis livor et invidentia ab Angelis, et iidem charitate verissima atque ardentissima pleni sunt charitas autem non aemulatur, non inflatur, non tristatur de bono alieno, sed collaetatur, et congaudet bonis omnibus, de bono ipsorum, non minus quam si proprium esset. Itaque vere canit Ecclesia. *Assumpta est Maria in coelum, gaudent Angeli*, non inquit, tristantur, sed gaudent Angeli, quod

Virginem Deiparam exaltatam videant super choros Angelorum ad coelestia regna. Intelligunt enim id iustissime factum a Deo, qui nihil nisi sapientissime et iustissime facit: et simul voluntatem habent cum Dei voluntate ita coniunctam inseparabili et insolubili amoris nexu, ut quod placet Deo, ipsis etiam placeat, neque ullo modo displicere possit.

Diabolus autem, qui ad tempus exultavit, ob devictum ac prostratum a se primum hominem, multo maiorem tristitiam habuit de victoria Christi hominis, quam fuerit prior exultatio. Ex victoria enim Christi factum est, ut iam non solum viri, qualis erat Adam, sed etiam parvuli, et foeminae diabolo insultent, ac de ipso triumphent. Non fuisset turpe diabolo vinci ab Adamo in Paradiso, quando carebat ignorantia, et infirmitate, et armatus erat iustitia originali, quae partem inferiorem rationi ita subiiciebat, ut rebellare non posset, nisi prius mens ipsa Deo rebellis existeret. At nunc vinci diabolum ab homine mortali, peregrino, ignorantiae et concupiscentiae obnoxio, summum dedecus est, et vincitur tamen per Christi gratiam, et ita vincitur, ut multi trophaea castitatis, patientiae, humilitatis, charitatis erigant, quamvis diabolus ignita iacula sua tentationum et persecutionum assidue iaciat. Atque in hac re admiranda est supra modum altitudo sapientiae Dei. Vidit enim Deus necessarium esse generi humano contra insidias diaboli, contemptum temporalium bonorum, voluptatum carnis, affluentiae divitiarum, gloriae mundanae, et similium, quae sunt laquei diaboli, et captivos demergunt in interitum, et perditionem. Quid igitur excogitavit, ut ista hominibus amarescerent, et contraria, id est, castitas, paupertas, humilitas, patientia, contemptus denique mundi dulcescerent? descendit ipse de coelo, et forma servi suscepta, medicamentum necessarium, homini aegroto, sed amarissimum, et horrendum, ita exemplo suo dulce et suave reddidit, ut multi iam homines magis ament ieiunium, quam crapulam; paupertatem quam divitias; virginitatem, quam coniugium; martyrium, quam delicias; obedire, quam imperare; cotemni quam honorari: subesse, quam praeesse; humiliari, quam exaltari quis enim videns Deum in forma humana, plenum sapientiae, et gratia, et qui falli, nec fallere potest, pauperem, humilem, patientem, continentem, et quod mirabilius est, pro redimendo humano genere, cruci affixum, et pretioso effuso sanguine voluntarie, et ex ardentissima charitate morientem, non animetur, et excitetur ad imitandum?

Haec fuit adinventio sapientiae Dei alta, et mirabilis, de qualibus adinventionibus canit Isaias: *Notas facite in populis adinventiones eius.* Sed adhuc tamen haec altissima sapientia Dei, stultitia videtur, non solum sapientibus huius mundi, ut dicit Apostolus in priore ad Corinthios, sed etiam carnalibus, et animalibus hominibus, qui in Christum credunt, sed Christi vestigia sequi recusant, quos idem Apostolus inimicos crucis Christi vocavit. Tu vero anima mea, satage sugere mel de petra, oleumque; de saxo durissimo, id est, sapientiam de stultitia, sapientiam Dei de stultitia crucis. Scrutare attente, et diligenter, quis ille sit, qui pendet in cruce, et cur ita pendeat; et cum inveneris illum ipsum esse, *qui sedet super Cherubim*, imo *qui sedet ad dexteram maiestatis in excelsis*, facile intelliges, eum non pendere in cruce ob sua delicta, neque ob suam infirmitatem, neque ob aliorum potentiam, sed voluntarie ob ardentissimum desiderium satisfaciendi iustitiae divinae pro peccatis totius mundi, ob honorem et gloriam Dei Patris, ob salutem aeternam omnium electorum, ac, ut loquitur Apostolus, *ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam*; denique ob amorem tuum, quia videlicet *dilexit te*, et *tradidit semetipsum pro te, hostiam et oblationem Deo in odorem suavitatis*, cum, inquam, ista inveneris, quae verissima sunt, assurge per amorem intimum in tantum benefactorem, et ad eius imitationem, incipe ardenter sitire gloriam Dei, salutem omnium gentium, sed praecipue, totius Ecclesiae pulchritudinem, et gloriam, et tuam ipsius aeternam salutem: incipe sitire perfectum odium iniquitatis, puritatem cordis, perfectionem iustitiae; ut aliquando etiam sitire incipias participationem crucis Domini tui, et gloriari in tribulationibus, et in angustiis, ut postea quoque particeps fias Resurrectionis cum iustis ad gloriam, non ad poenam cum impiis.

Restat profunditas sapientiae practicae, quae in providentia, et praedestinatione, et iudiciis Dei consistit. Scriptum est enim: *Iudicia tua abyssus multa.* Ac primum providentiam Dei admirabilem prorsus esse colligitur ex eo quod Deus res omnes creatas immediate regit, atque ad fines suos ducit. *Aequaliter*, inquit Sapiens, *est ei cura de omnibus*, id est, nulla re excepta, Deus omnia curat, ita ut nec passerculus cadat in terram sine providentia Dei, ut Salvator dicit, qui numerare poterit multitudinem rerum totius universitatis, is aliquo modo suspicari poterit magnitudinem sapientiae Dei omnia, et singula regentis, et dirigentis. Poterit quidem unus Pontifex Maximus totum orbem Christianum generali providentia regere, sed non particulari, quae se extendat ad singulos Christianos: ideo enim multos Episcopos vocat in partem sollicitudinis, et potest unus Rex multas Provincias generali providentia gubernare, sed non particulari: quae cives singulos complectatur, et ea de causa multos adhibet Proreges, vel praetores, vel praesides. Deus autem sic curat singulos, ut omnes, et omnes, ut singulos. *Passerculus non est in oblivione coram Deo. Capilli capitis nostri omnes ab eo numerati sunt*, ac ne unus quidem peribit, illius providentia super nos semper vigilante. Pulli ipsi corvorum a parentibus destituti, a Deo non destituuntur. Quam secure ergo quiescere potes, anima mea, in sinu tanti patris, etiam in mediis tenebris? inter ora Leonum, et Draconum, inter innumerabiles spirituum innumerabilium legiones? adhaere tantum illi amore sincero, timore sancto, spe non fluctuante, fide non dubia. Nec vero solum res singulas et praesentes Dei providentia curat, sed etiam attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Ideo enim Rex saeculorum Deus appellatur, quia

saeculorum ordinem ipse constituit, et regnorum successiones, et temporum vicissitudines, et varietates ab ipsa aeternitate disposuit, nihil novum, nihil non praevisum, nihil praeter opinionem Deo accidere potest. *Mortalium quidem cogitationes timidae sunt, et incertae providentiae nostrae*, ut inquit Sapiens. quoniam de rebus futuris nihil nisi fallaces coniecturas habemus : Deus autem non minus certo futuro omnia novit, quam praeterita,vel praesentia,atque in mente sua ante mundi constitutionem rerum omnium successiones ordinesque disposuit ; ac propterea Mater Ecclesia publice ac secure decantat, providentiam Dei in sua dispositione non falli, quia tamen ratio providentiae divinae occultissima est, et iudicia eius abyssus multa, inde fit, ut nonnulli videntes plurima mala inter homines fieri, eaque impunita dimitti, in praecipitium illud ruunt, ut credant res humanas Dei providentia non gubernari, aut certe mala omnia Dei voluntate committi,quorum utrumque impium est, sed magis posterius, ut scribit s. Augustinus. Illi autem in haec errorum praecipitia ruunt, qui vident partem providentiae divinae, partem non vident,et cum expectare deberent exitum rerum, qui in extremo iudicio manifestus omnibus erit, illi ante tempus temere iudicare audent, et in errores gravissimos incidunt. Ideo clamat Apostolus in priore ad Corinth. *Nolite ante tempus iudicare, quoad usque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum,et manifestabit consilia cordium.* Illustrat s. Augustinus rem hanc insigni similitudine. Si quis, inquit, in vermiculato pavimento, unius solius tessellae modum intueri posset,vituperaret artificem veluti ordinationis et compositionis ignarum : quia videlicet particulam operis illius videt, maximam partem non videt, qui si partes omnes, et connexionem eorum cerneret, sine dubio mirifice opus et opificem laudaret, sic igitur vident multi homines impios prospere agere, iustos contra premi, et affligi ; nec sciunt, quid in futurum servet Deus, vel impiorum iniquitati, vel iustorum patientiae, et ideo prorumpunt in verba blasphemiae, vel cum illis, qui dicebant apud Iob: *Circa cardines coeli Deus ambulat, nec nostra considerat*, vel cum aliis, qui apud Malachiam dicunt: *Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales placent ei?* Aliam similitudinem adferre solet s. Augustinus variis in locis, a carminibus desumptam. Si quis enim cum incipit audire carmen heroicum, in principio, vel in medio dicat, carmen non esse bonum, merito stultitiae arguetur : expectet, ut omnes syllabae sonent, et transeant, et tunc reprehendat, si carmen non placet, sic omnino stultissimi sunt, qui ordinatissimam providentiam Dei vituperare audent, antequam totus providentiae ordo decurrat.

Ergo, anima mea, si sapis, satage quantum potes, ut mala non fiant, hoc enim tibi imperat Deus : sed cur ipse mala permittat, iudici eius relinque,quod occultum esse potest,iniustum esse non potest.

Quamvis autem abyssus magna sit ratio providentiae Dei in rebus humanis gubernandis, tamen abyssus est sine ulla comparatione profundior ratio praedestinationis,et reprobationis aeternae,nam cur Deus multos impios temporalibus bonis repleat, et peccata eorum impunita in hac vita relinquat : et contra, cur multos innocentes egestate premi, et iniuste vexari, et flagellari, atque occidi permittat, non potest quidem a nobis investigari de singulis: possumus tamen in universum causam aliquam probabiliter assignare. Deus enim saepe facit, impios affluere temporalibus bonis, ut bona aliqua eorum opera moralia remuneret, cum vitam illis non sit daturus aeternam : vel ut eos temporalibus beneficiis alliciat ad conversionem a peccatis, atque ad beneficia aeterna speranda et desideranda perducat : eorum vero peccata aliquando in hac vita non punit, quoniam satis ea puniet in gehenna : iustos autem, inopia, ignominia, vexationibus variis affligi sinit, tum ut peccata eorum levia in hoc tempore purget ; tum, ut gloriosus et splendidius patientiam, et humilitatem, atque alia eorum merita in aeterna vita coronet. At cur Deus Iacob dilexerit, et Esau odio habuerit, antequam quidquam boni, vel mali egissent, quis investigabit? atque hoc est quod admiratur Apostolus ad Romanos, erant enim gemelli fratres, eiusdem patris et matris filii : et tamen unum Deus praedestinando dilexit,alterum reprobando odio habuit, et ne quis forte dicat, praevidisse Deum opera bona unius, et alterius mala futura : praevenit Apostolus hanc responsionem, dicens, hoc factum esse, ut secundum electionem propositum Dei maneret,et allegat verba Dei apud Mosem : *Miserebor, cuius misereor, et misericordiam praestabo, cuius miserebor.* Quis item non obstupesceret,unum longo tempore perseverasse in bonis operibus, et in fine vitae defecisse, et periisse, ut Iudam proditorem, et alterum longo tempore perseverasse in operibus malis,et in fine vitae mutatum, continuo in Paradisum evolasse,ut felicem latronem? dices, at Iudas Christum prodidit, et latro Christum confessus est. Vera sunt haec quidem, sed non poterat Christus Iudam respicere, ut respexit Petrum? et gratiam illam efficacem Iudae inspirare,quae a nullo duro corde respuitur? et numquid non poterat Christus utrique latroni secum pendenti fidem et poenitentiam donare, sicut donavit uni, vel utrumque sinere in peccatis suis vitam finire, ut permisit unum? et quis rationem reddere poterit, cur aliquos Deus rapiat, ne malitia mutet intellectum eorum, ut Sapiens loquitur de Henoch, et multos non rapiat, sed sinat de bonis fieri malos, et in malitia illa finire dies suos? Sed quid dicemus de integris regionibus, quarum aliquae citissime, aliae tardissime vocatae sunt ad fidem, sine qua salvari nemo potest? *Qui enim non credit, iam iudicatus est*, et, ut Apostolus loquitur, *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicante? quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur.*

Ista sunt secreta altissima, et profundissima,

quae Pater posuit in abysso sapientiae suae; quam Apostolus non aperit, sed miratur, cum dicit: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius? quis enim cognoscit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* Hoc solum scire nobis licet, apud Deum nullam esse iniquitatem; et in novissimo die neminem futurum, qui non possit iure dicere: Iustus es Domine, et rectum iudicium tuum, ac praeterea hoc secretum utile nobis omnibus esse, cum hinc fiat, ut nullus improbus de salute desperet, nullus probus de certa salute praesumat,atque etiam, ut viri probi de nullius improbi conversione diffidant, pro omnibus orent, ac de omnium salute solliciti sint: et contra nemo quantumvis bonus, et sanctus insolescat, cum nemo sciat, quid crastina sit allatura dies, sed omnes cum metu et tremore salutem suam operentur. Tu vero, anima mea, his omnibus consideratis, satage, ut certam facias per bona opera vocationem et electionem tuam.ut Apostolus Petrus te monet in epistola sua posteriore, quae autem sint opera bona, quae certam faciunt vocationem, et electionem, docet Apostolus Ioannes, cum ait: *Filioli mei. non diligamus verbo, neque lingua sed opere, et veritate.* Charitas enim est, cum qua nemo damnatur, et sine qua nemo salvatur, charitas autem per opera demonstratur, cum quis videlicet, non spe retributionis temporalis, vel ex affectu inordinato ad creaturam, sed ex intimo et puro amore Dei, et proximi, vel eleemosynas pauperibus elargitur, vel inimicis condonat iniurias et quoniam non satis est incipere, sed: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Ideo dicit Apostolus, satagite, quod est anxie et sollicite ac diligentissime incumbere in negotium salutis aeternae, et vere si quod est probabile argumentum electionis divinae, illud est, cum homo sollicitus de salute, magis quam de ulla re alia, non cessat orare Deum pro dono verae poenitentiae, et verae humilitatis, et perfectae charitatis, et perseverantiae usque in finem, neque sola oratione contentus Regnum Dei, et iustitiam eius,ut Salvator admonuit, totis viribus quaerere et invenire contendit.

GRADUS DECIMUS-QUARTUS.

Ex consideratione misericordiae Dei.

Spiritus sanctus in Scripturis suis misericordiam Dei miris laudibus effert; ita ut illam super omnia opera Dei praedicare non dubitet. Sic enim canit Propheta David: *Suavis Dominus universis, et miserationes eius super omnia opera eius.* Huius attributi divini magnitudinem facile perspiciemus, si eius latitudinem, longitudinem, altitudinem. et profundum paulo attentius considerabilimus.Latitudo misericordiae divinae in eo posita est, quod Deus,isque solus omnes miserias tollere possit, et ab omnibus rebus aliquas tollat, idque faciat ex amore, quo res creatas diligit, non ob aliquam utilitatem suam,possunt quidem res creatae aliquam miseriam tollere, ut panis famem, et potus sitim, et vestis nuditatem, et scientia ignorantiam, et sic de caeteris. at nulla creatura omnem miseriam tollere potest. Praeterea sunt miseriae quaedam tanto graviores, quanto occultiores, et interiores, quibus solus Deus remedium adhibere potest, tales sunt insidiae daemonum, qui plurimi, versutissimi potentissimi, et in nos pessime animati sunt, tales etiam sunt errores, et coecitates mentis,et conscientiae erroneae,quas nos ipsi in nobis non videmus, ut saepe nobis videamur optime valere in homine interiore, cum gravissime et periculosissime laboremus, quis nos ab eiusmodi miseriis eripere potest,nisi solus medicus omnipotens? et quoniam nobis inscientibus saepe Deus misericorditer nos ab eiusmodi miseriis liberat.omnes homines ingrati merito dici possunt erga Deum, ut ipse Dominus testatur cum dicit,Patrem coelestem *benignum esse super ingratos, et malos.* Vix enim minimam partem beneficiorum Dei cognoscimus, ac ne pro illa quidem parte gratias agimus ea devotione, et humilitate, qua deberemus. Deinde res creatae non solum non tollunt omnes miserias, sed paucas: at ne illas quidem tollunt ab omnibus, sed a paucis, solus Deus omnes miserias, et ab omnibus tollere potest: et quamvis non ab omnibus omnes tollat, tamen nemo est, qui alicuius misericordiae Dei non sit particeps, recte igitur Propheta canit: *Misericordia Domini plena est terra.* Ecclesia in oratione dicit, *Deus cui proprium est misereri*, quoniam ad illum pertinet, miseriam tollere, qui miseria caret; et ad illum solum pertinet omnes miserias ab omnibus rebus tollere, qui solus omni prorsus miseria caret, quis autem omni prorsus miseria caret, nisi solus Deus, qui est actus purus, et summum bonum, et de cuius essentia est beatitudo? O anima, si cogitatione attingeres, qualis sit vita Domini tui, et Patris tui, quae super omnem miseriam elevata, pura, et tota felicitas est: quam ex corde suspirares ad sinum eius, ut de te quoque dici posset: *Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*At inquies,si potest Deus omnes miserias ab omnibus rebus tollere, cur id non facit, cum sit Pater misericordiarum. id est, Pater misericordissimus? unde tot miseriae abundant in genere humano sub gubernatione Patris misericordiarum? et cur dicitur, *Misericordia Domini plena est terrae*, et non potius e contrario, omni miseria plena est terra? potest quidem Deus omnes miserias tollere. sed eas tantum tollit, quas sapientia ipsius iudicat esse tollendas sapientia vero divina iudicat,non expedire ipsis hominibus. ut omnes tollantur,et misericordiam aliquando esse miseriam aliquam non tollere,ut maiori misericordiae praeparetur locus. Apostolus ter rogavit Dominum, ut auferretur ab eo stimulus carnis. et non est auditus, quia *virtus in infirmitate perficitur*, non abstulit Deus a Lazaro miseriam paupertatis, et plagarum.ut maiori misericordia portaretur ab Angelis in sinum Abrahae, et ubi essent opera misericordiae tam necessaria ad meritum divitum,si non essent ulli pauperes esurientes, sitientes, nudi, aegroti, peregrini, carceribus mancipati? et si

deessent tentationes, et praelia cum daemonibus, ubi essent triumphi et coronae Virginum, et Confessorum? et si deessent labores, et dolores, ubi esset corona patientiae? et si nulli essent persecutores, ubi esset palma martyrii? Itaque in hoc exilio utrumque verum est, et terram plenam esse miseriis, quia vel ipsa sola peccata ingentes miseriae sunt; et terram plenam esse misericordia Domini, quoniam conversio peccatorum, et merita Sanctorum, et alia propemodum infinita, tum spiritualia, tum temporalia beneficia Dei, quid sunt aliud, nisi continuae et maximae miserationes conditoris nostri Dei? gratias igitur agamus bono Domino nostro, quia sicut abundant in hac peregrinatione tribulationes nostrae, sic etiam abundat per misericordiam eius consolatio nostra. *In coelo misericordia tua Domine*, inquit David quia ibi misericordia erit sine miseria, quoniam misericordia omnem omnino tollet miseriam.

Iam vero longitudo misericordiae est longanimitas, sive patientia, quam Scriptura cum misericordia coniungere solet, ut partem, vel speciem eius sic enim loquitur David: *Miserator, et misericors Dominus, longanimis, et multum misericors*, et rursus, *Miserator, et misericors Dominus, patiens, et multum misericors*. Admirabilis omnino est longanimitas, sive patientia misericordissimi Patris nostri Dei erga genus humanum, qualem non invenimus, neque in dominis erga servos, neque in parentibus erga filios, quamvis utrique sint homines. Ac primum longanimis est Deus erga peccatores, expectans illos incredibili patientia, aliquando ab initio pueritiae usque ad extremam senectutem, tolerans violationem legis suae, et lacerationem nominis sui, et interim, *benefaciens eis de coelo, dans pluvias, et tempora fructifera, replens cibo et laetitia corda ipsorum*, ut loquitur Apostolus, et quis est inter homines dominus, aut parens tam mitis, et facilis, qui si videat se contemni, et iniuriis affici a servo, vel a filio, et longo tempore in hac perversitate eos perseverare, qui tandem non eos expellat ex domo sua? At misericordia Dei non vincitur a malitia hominum: *sed patienter agit, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti*, ut s. Petrus affirmat in epistola sua, et Sapiens inquit: *Misereris omnium Domine, dissimulans peccata propter poenitentiam*. Deinde patientia maior adhuc cernitur, in eo, quod peccatores multi per gratiam Dei de lacu miseriae, et luto faecis educti, et ex filiis tenebrarum filii lucis effecti, et ex reatu mortis aeternae ad adoptionem filiorum Dei, et spem regni coelestis vocati, iterum atque iterum, et saepe ac saepius relabentes ad pristinam turpitudinem, et ingratitudinem, tamen a longanimitate Dei non deseruntur, sed benignissimo ad conversionem expectantur, et invitantur; et si ex corde poenitentiam agant, tamquam filii prodigi a misericordissimo Patre recipiuntur ad osculum pacis, et ad pristinos honores, et dignitates. Non sine causa Dominus quaerenti s. Petro, quoties peccanti in se fratri remittere iniuriam deberet, an usque septies? respondit: *Non dico tibi usque septies, sed usque, septuagies septies*, nimirum, quod ipse facit in indulgentia praestanda poenitentibus, idem nos facere voluit. Ipse autem nullum terminum reconciliationi posuit, nisi finem huius vitae, quamdiu vivit peccator, etiamsi ad annum centesimum, vel ultra labendo, et relabendo pervenerit, a benignissimo Patre ad veniam delictorum admittitur, nulla est apud misericordiam Patris poenitentia sera, modo sit seria, et ex corde vere contrito, et humiliato. Sed non ideo debet ullus abuti benignitate Dei, et de die in diem conversionem differre, cum nemo sciat qua hora, vel quo die de corpore sit exiturus, et ad tribunal iustissimi Iudicis comparaturus. Imo vero deberent omnes hac tanta et tam incredibili bonitate Dei invitari, et allici ad conversionem, si enim tam benignus est Dominus erga peccatores saepius relabentes: quanta erit dulcedo Patris erga eos, qui post semel gustatam gratiam Dei, numquam amplius adduci possunt, ut ab ea, quibuscumque pulsantibus tentationibus, separentur, ac divellantur? sed est etiam alia longanimitas Dei supra modum mirabilis, et amabilis; qua utitur in tolerandis offensionibus iustorum, fecit enim nos Deus per infinitam benignitatem suam amicos ex inimicis, filios ex servis, haeredes regni sui ex reis mortis aeternae: et tamen tanta est ingratitudo nostra, ut quotidie reddamus ei mala pro bonis, nam si Apostolus Iacobus dicit: *In multis offendimus omnes*, quid nos dicere oportet, qui tam longo intervallo ab Apostolorum perfectione distamus? Ecce loquimur in oratione cum Deo, et statim ab imaginatione ad alia cogitanda abrepti, quasi terga vertimus Deo, quis in terris Dominus pateretur servos suos coram se adstantes, et secum loquentes, continuo neglecto Domino converti ad fabulandum cum servis? quid dicam de verbis ociosis? de cogitationibus vanis? de operibus infructuosis? de excessibus in cibo, et potu, in somno, et ludis? de negligentia in rebus sacris? de omissione fraternae correptionis? de aliis innumerabilibus offensionibus, in quibus assidue offendimus omnes? Et tamen Deus noster *suavis, et mitis, et multae misericordiae, omnibus invocantibus eum*, tolerat hanc rusticitatem, et incivilitatem (ut sic loquar) et ineptias filiorum suorum; quas certe homines ab hominibus non tolerarent. Id s. Augustinus notat in tractatu super Psalmum 85. ad illa verba: *Tu Domine suavis et mitis es*. Ubi deplorat infirmitatem humanam in vitandis evagationibus mentis in oratione, et magnificat mansuetudinem Dei in tolerandis tot iniuriis servorum suorum. Nam ipse novit figmentum nostrum, et sic nobiscum agit, ut mater cum infantulo suo, quem fovet, et nutrit, etiamsi ab illo forte percutiatur. Sed quamquam Deus toleret tam multas offensiones nostras, quia non ideo disrumpit amicitiam, nec privat iure haereditatis: tamen non inultas dimittet in Iudicio, in quo de verbis ociosis rationem reddemus, nisi ante lacrymis, vel oratione, vel alio genere satisfactionis purgata reperit. Ac ne forte tu, anima mea, leves istas offensiones existimes, et ideo te ipsa seducens, negligas, audi s. Bonaventuram, quid de b. Francisco viro utique divino lumine illustrato,

scribat in eius vita. Graviter, inquit, se putabat offendere, si quando orationi deditus vanis phantasmatibus interius vagaretur, cum aliquid tale accideret, non parcebat confessioni, quin illud protinus expiaret, hoc studium sic in usum converterat, ut rarissime muscas huiusmodi pateretur. Fecerat in Quadragesima quadam vasculum, ut minutias temporis ne omnino exciderent, occuparet, quod cum dicenti Tertiam in memoriam veniens paululum ipsius animum distraxisset, motus fervore spiritus, vasculum igne consumpsit, dicens: Sacrificabo illud Domino, cuique sacrificium impedivit. Non ergo tam levis est culpa, evagatio mentis in oratione, aut in laudibus Dei, quam multi putant, sed magna est misericordia et longanimitas Patris nostri Dei, quod non gravius irascatur, aut non continuo propter eas nos puniat.

Sequitur altitudo misericordiae Dei, quae sumitur a causa movente Deum ad miserendum, quae quidem altissima est, et super omnes coelos exaltata, iusta illud Psalmi: *Domine in coelo misericordia tua.etc. In aeternum misericordia aedificabitur in coelis.* Nam aliqui homines miserentur aliorum hominum, quia indigent opera illorum, atque hic quidem infimus gradus misericordiae est, cum non transcendat utilitatem propriam; quomodo miseremur etiam equorum, et canum, et pecorum nostrorum. Alii miserentur ob consanguinitatem, vel amicitiam, quia videlicet filii sunt, vel fratres, vel familiares, et amici, et hic est gradus paulo altior, et incipit rationem habere virtutis. Alii denique miserentur, quia sunt proximi, id est, homines, ut ipsi sunt, ab eodem Deo, et ex eadem terra creati proinde non discernunt, an sint amici, vel inimici, boni, vel mali, nostri, an alieni, sed omnium miserentur, quos ad imaginem Dei creatos esse noverunt: atque hic est ultimus gradus, ad quem mortales ascendere possunt. Deus autem miseretur quidem rerum omnium, quia creaturae eius sunt: et speciatim miseretur hominum, quia imagines eius sunt, et magis adhuc speciatim miseretur iustorum, quia filii eius sunt, haeredes Regni, et cohaeredes unigeniti sui, sed si quaeras, cur Deus creavit mundum? cur hominem ad imaginem suam fecit? cur iustificavit impios? cur in filios adoptavit? cur regni sui haeredes constituit? nihil omnino responderi potest, nisi quia voluit, et quare voluit? nisi quia bonus est, bonitas enim diffundit sese, libenterque communicat. In coelo igitur aedificata est misericordia, et de altissimo habitaculo, ex corde videlicet summi Patris descendit in terram, eamque replevit, ut caneretur a Propheta. *Misericordia Domini plena est terra.* Itaque in se invenit Deus, unde misereatur nostri, in nobis invenit, unde nos puniat. Erige nunc anima mea, oculos mentis, ad fontem illum altissimum misericordiae, respice summam illam puritatem, nulla proprii commodi intentione permixtam, et cum audis Magistrum omnium exhortantem, et dicentem: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est*, enitere quantum potes, ut non solum misereris conservorum tuorum, sed illo puro affectu misereris, quo Pater coelestis miseretur nostri. Si dimittis iniuriam detrahenti, vel calumnianti, dimitte ex vero corde, oblivioni perpetuae mandans omnem offensam: nam et Pater noster obliviscitur peccata nostra, ut scribit Ezechiel Propheta, et quantum distat ortus ab occidente longe facit a nobis iniquitates nostras, ut loquitur David, ne videlicet nobis amplius nocere queant, si donas eleemosynam pauperi, intellige te magis accipere, quam dare: quoniam qui miseretur pauperis, foeneratur Domino, et ideo humiliter et reverenter dona, non tamquam eleemosynam pauperi, sed quasi munusculum Principi, si quid incommodi pateris, ut proximo egenti prosis: cogita quantum distes a Domino tuo, qui ut tibi prodesset, vitam et sanguinem dedit. Ita fiet ut sine spe mercedis terrenae, et sine ullo inanis gloriae stimulo, sed ex solo et puro amore Dei, et proximi in misericordiae virtute proficias.

Restat profunditas consideranda misericordiae Dei, ac quemadmodum altitudo misericordiae in causa maxime splendet, sic profunditas eiusdem in effectis quaerenda esse videtur. Illa igitur misericordia parum omnino profunda, et superficialis potius dicenda est, quae ad sola verba descendit. Illa profundior, quae non verbis tantum consolatoriis, sed etiam beneficiis miseros sublevat, et reficit. Illa profundissima, quae non solum loquendo et donando, sed etiam patiendo, et labores ac dolores subeundo miserabiles iuvat. Iam Deus noster, cuius misericordiae non est numerus, omnibus modis misertus est nobis. Ac primum literas consolatorias ad nos misit, quae sunt Scripturae divinae, de quibus dicunt Machabaei: *Habemus solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris.* Nec solis literis, sed etiam sermonibus praedicatorum, qui funguntur legatione pro Christo ad nostram peregrinationem, et inspirationibus internis ad nos loquitur Deus, auxilium protectionemque promittens. *Audiam*, inquid David, *quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, et in Sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor.* Deinde beneficia misericordiae Dei contra multiplices miserias nostras tum spirituales, tum temporales, tam multa sunt, ut numerari non possint, ubique enim *coronat nos in misericordia, et miserationibus*, id est, undique circumdat nos beneficiis misericordiae suae. Tertio descendit misericordia Dei per mysterium Incarnationis ad labores, et dolores, ad famem, et sitim, ad ignominiam, et opprobria, ad livores, et vulnera, ad crucem, et mortem, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et a sempiterna morte, quae iniquitati debebatur. Est ne abyssus aliqua profundior, ad quam descendere potuerit misericordia Dei; est omnino. Id enim fecit, non ex debito, sed ex gratia. *Oblatus enim est, quia ipse voluit.* Quis enim coegit Filium Dei, qui non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Patri, exinanire semetipsum, formam servi accipiendo? propter nos egenum fieri, ut nos sua inopia locupletaret? humiliari usque ad mortem, mortem autem crucis, ut nos vivificaret, et exaltaret? certe solus amor coegit, sola misericordia impulit. Sed est adhuc aliquid profundius, nam voluit in opere nostrae salutis nobiscum communicare glo-

riam, et honorem. Satis apta videbatur divisio illa angelica : *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax, etc.* honor Deo, utilitas hominibus, sed misericordia Dei voluit totam utilitatem esse nostram, et partem gloriae esse suam, partem nostram, voluit enim nobis conferre gratiam, per quam ipsi cooperaremur nostrae saluti, et vere mereremur vitam aeternam, quam nobis Christus meruit, non quod non sufficeret meritum Christi, sed ut communicaret nobis laudem et gloriam propriae salutis, unde dicitur in Evangelio, *Redde illis mercedem*, et Apostolus gloriatur, dicens : *Reposita est mihi corona iustitiae.* Denique profundissima est misericordia Dei erga homines, praesertim pios, et timentes Deum, quia superat affectum patris et matris, quo maiorem nos in terris nullum novimus. Audi Prophetam Isaiam: *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* Audi Davidem : *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* Ac ne diceres, inveniri etiam parentes, quorum amor in filios aliquando mutatur in odium; addit David de misericordia Dei in filios : *Ab aeterno, et usque in aeternum misericordia eius super timentes se*, cuius etiam durationis nos securos reddit Apostolus, cum in posteriore ad Corinthios vocat Deum, Patrem misericordiarum, et Deum totius consolationis. Itaque non solum Pater est Deus timentium se, sed Pater misericordissimus, et ad consolandum paratissimus, tollit enim miserias afflictionum et tribulationum a filiis suis, quas iudicat ipsi expedire, ut tollantur, et in hac re Patrem misericordiarum se ostendit : et ad facile tolerandas miserias, quas iudicat ipsis expedire, ut non tollantur, praebet ineffabilem consolationem, in qua re Deum se totius consolationis esse demonstrat. Dicit autem Apostolus, *totius consolationis*, propter duas causas primum, quoniam Deus novit suos consolari in omni genere tribulationis, quod certe mundus facere non potest, quia saepe non intelligit causam tribulationum : quomodo amici Iob erant onerosi consolatores, ut ipse dicit, qui a non noverant causam morbi, et applicabant medicinam, ubi non oportebat ; vel tam grandis est interdum tribulatio, ut nulla consolatio humana illam aequare possit. Deus autem, medicus sapientissimus, et omnipotentissimus, omnem omnino morbum curare potest, et ideo dicit Apostolus. *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Deinde dicitur Deus totius consolationis, quoniam tam plene et tam affluenter consolari novit, ut magis libeat pati tribulationem cum tali consolatione coniunctam, quam simul utroque carere, quod re ipsa accidit Theodoro adolescenti, et confessori in persecutione Iuliani apostatae, qui per integras decem horas tanta crudelitate, et tot mutatis carnificibus tortus est, ut nulla aetas simile factum meminerit : et ipse tamen toto illo tempore laetus cecinit Psalmos David ; et tunc primum moestus fieri coepit, cum deponi iussus est, ob maximam consolationem, quam dum torqueretur, ex Angeli praesentia percipiebat, ut scribit Ruffinus. Quare non mirum est, si Apostolus dicat : *Repletus sum consolatione nostra*, et initio epistolae : *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.* Quid tibi videtur, anima mea, de ista tam ampla, tam diuturna, tam pura, et tam immensa misericordia Domini, qui bonorum nostrorum non eget, et tamen ex affluentia charitatis suae, tam est sollicitus de servulis suis, ac si ab illis penderet omne bonum suum ? Quas igitur illi gratias ages ? quid umquam praestare poteris, ut tantae misericordiae non sis ingrata ? stude saltem quantum potes, ut illi placeas, et quod illi placet adimpleas. Et quoniam scriptum est : *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est*, et, *Miserere animae tuae placens Deo* ; incipe sollicite primum investigare miserias animae tuae : nam corporis quidem miseriae patent, neque opus est admonere hominem, ut corporis sui misereatur, si enim vel unum diem corpus cibo et potu careat, vel unam noctem insomnem ducat, aut ex casu, vel vulnere doleat, continuo lamentatur et rugit, et magna sollicitudine illi succurritur. Anima vero integras hebdomadas a cibo suo ieiunat, vel plagis impositis languet, aut etiam mortua iacet, et nemo illius curam gerit, nemo misereatur. Ergo saepe ac saepius visita animam tuam : examina singulas potentias, an recte valeant, an proficiant in cognitione et amore veri boni : an contra, laborent ignorantia, et langueant cupiditatibus variis, vel etiam excaecata sit malitia mens, et corrupta voluntas invidentiae, aut superbiae morbo, et si quid tale inveneris, clama ad Dominum, *Miserere mei, quoniam infirmus sum.* Quaere medicos spirituales, et adhibe remedia opportuna. Deinde misereare animarum caeterarum, quarum infinitus numerus perit, et pro iis tamen Christus mortuus est. O anima, si vere cognosceres pretium animarum, sanguinem videlicet pretiosum Filii Dei, et simul stragem maximam, quam patiuntur a lupis infernalibus, et quasi leonibus rugientibus daemoniis: certe non posses, non toto animo earum misereri: et tum oratione ad Deum, tum aliis quibuscumque modis posses, pro earum liberatione laborare. Denique misereare etiam corporalibus necessitatibus proximorum, non verbo et lingua, sed opere et veritate, memor verbi Domini : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

GRADUS DECIMUSQUINTUS

Ex consideratione magnitudinis Iustitiae Dei, per similitudinem magnitudinis corporalis.

Iustitia Dei in Scripturis sanctis quatuor modis accipitur. Primum pro iustitia universali, quae continet omnes virtutes, et idem est quod sanctitas, sive probitas, sic in Psalmis: *Iustus Dominus in omnibus viis suis, et Sanctus in omnibus operibus suis.* Deinde accipitur pro veritate, sive fidelitate, sic in alio Psalmo: *Ut iustificeris in sermonibus tuis.* Tertio pro iustitia distributiva praemiorum, sic in posteriore ad Timotheum: *Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi*

Dominus illa die iustus Iudex. Denique pro iustitia ulciscente peccata, sic in alio Psalmo: *Pluet super peccatores laqueos, ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum: quoniam justus Dominus, et iustitiam dilexit.* Magnitudo igitur iustitiae divinae nobis utcumque innotescet, si consideremus latitudinem iustitiae eius universalis: longitudinem iustitiae, id est, veritatis et fidelitatis ipsius: altitudinem iustitiae eius praemia distribuentis in coelo: et profunditatem iustitiae eiusdem, flagellantis aeternis suppliciis impios in inferno. Ac ut a latitudine incipiamus, Iustitia universalis dicitur illa in hominibus, quae disponit hominem, ut bene se habeat in omnibus actionibus iuxta omnes leges: ac per hoc omnes virtutes comprehendit, tum theologicas, tum morales, sed est quaedam virtus, quae virtutes omnes in sinu suo complectitur, et omnium virtutem actus imperat, et dirigit ad ultimum finem, quae dicitur charitas. Quae virtus, quamvis in se particularis, et una ex theologicis sit, tamen recte etiam iustitia universalis dici potest. Ipsa enim disponit hominem, ut bene se habeat erga Deum, et proximum, ac per hoc omnem legem adimplet. Sic loquitur Apostolus: *Dilectio malum non operatur et, qui diligit, legem implevit. et Plenitudo legis est dilectio.* Et s. Augustinus in libro de natura, et gratia, inquit, *Charitas inchoata, iustitia inchoata; charitas provecta, provecta iustitia; charitas magna, magna iustitia; charitas perfecta, perfecta iustitia est.* Porro in Deo sunt omnes virtutes, quae imperfectionem nullam praesupponunt: et loco earum, quae praesupponunt imperfectionem, est aliquid longe melius, et praestantius, ac per hoc nulla bonitas illi deest, quin potius tanta, et tam infinita est in eo bonitas, et sanctitas, ut optimo iure, solus bonus, et solus sanctus dici mereatur. Igitur non est in Deo fides, virtus theologica, quia fides est earum rerum, quae non videntur: Deus autem omnia videt, nec est in Deo spes, quia spes est expectatio futurorum: Deus autem nihil expectat, cum omnia ab aeternitate possideat, non est in Deo poenitentiam peccati, quia Deus peccare non potest, non est humilitas, quoniam humilitas retinet hominem, ne ascendat inaniter super se, sed in loco suo maneat, Deus autem nihil habet supra se, quo ascendere quaerat, cum sit altissimus. Est autem in Deo Regina virtutum omnium charitas amplissima, ac plane infinita, et immensa: diligit enim se dilectione infinita, quia solus ipse perfecte novit infinitum bonum, quod essentia sua est; diligit item res omnes quas fecit. Sic enim loquitur Sapiens: *Diligis omnia quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti*, novit enim Deus per sapientiam suam separare malum a bono, id est, defectum a natura, etiam in daemonibus et hominibus deterrimis: et naturam diligit, quam fecit; defectum, quem non fecit, odio habet. Denique adeo vera est in Deo charitas, ut ipse Deus charitas dici voluerit sicut loquitur s. Ioannes, cum ait: *Deus charitas est*, nostra autem dilectio cum divina comparata, angustissima est, plurima enim sunt, quae non diligimus, quoniam ea non novimus, multa quoque eorum, quae novimus, non diligimus, quia non facile discernimus in eis bonum a malo, multa quoque bona non bene diligimus, ac per hoc non vera charitate diligimus, quia mali sumus, et magis cupiditati, quam charitati servimus: Deum vero imperfecta charitate diligimus, non solum quia non tantum diligimus, quantum bonitas eius meretur, ad quam mensuram ne Angeli quidem pertingunt, sed etiam quoniam minus diligimus, quam debemus, et minus etiam quam possemus si vigilantius et diligentius orationi et meditationi operam daremus. Hanc Reginam virtutum comitantur in Domino virtutum magnificentia singularis, liberalitas effusissima, benignitas et humanitas incredibilis, patientia et longanimitas inaudita, pietas et suavitas plusquam paterna, veritas et fidelitas numquam deficiens, misericordia coelum et terram implens, iustitia rectissima et inflexibilis; denique sanctitas purissima, et lucidissima, ut in conspectu eius stellae non sint mundae, et Seraphim stupore attoniti clament: *Sanctus. Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* O si ista cogitares attente, anima mea, cum quanto timore et tremore assisteres Deo in laudibus et oratione, ac potissimum ad sanctum altare, qua reverentia, et humilitate in conspectu Angelorum offerres aeterno Patri Filium eius unigenitum pro salute vivorum, et mortuorum?

Sed pergamus ad reliqua. Longitudo iustitiae Dei in veritate et fidelitate se prodit. *Fidelis Deus in omnibus verbis suis*, inquit Propheta, id est, promissiones Domini, etiam ante multa saecula pronunciatae per ora Prophetarum, numquam erunt, vel fuerunt irritae: stabiles et firmae sunt, magis quam coelum, et terra, sic enim ait Dominus: *Facilius est coelum et terram praeterire, quam de lege unum apicem cadere.* Intelligit autem Dominus per legem non solum mandatorum sed etiam promissorum omnium veritatem, quae enim mandavit Dominus, omnino implenda sunt, aut poena subeunda; et quae promisit, aeterna firmitate stabilita sunt, unde etiam idem Dominus dicit: *Coelum et terra transibunt; verba autem mea non praeteribunt.* et Isaias: *verbum Domini nostri manet in aeternum.* et David, *fidelia omnia mandata eius, confirmata in saeculum saeculi*, et Apostolus: *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* et, *Impossibile est mentiri Deum*, cuius dicti ea ratio est, quia nec falli potest cum sit sapientia, nec fallere, cum sit bonitas, nec deficere, cum sit omnipotentia. Homines autem quamvis sapientes, quamvis boni, quamvis potentes, et falli et fallere possunt; quia nec omnia norunt, nec omnia possunt implere quae volunt, et possunt etiam qui boni sunt quando promittunt paulo post fieri mali, et non velle implere promissa. Quare si sapis, anima mea, in solo Deo confides, illi soli adhaerebis, et in eum solum iactabis omnem sollicitudinem tuam. Sollicite ambules tu cum Domino Deo tuo, et ille sollicitus erit tui: cave totis viribus, ne iustitiam illius offendas, et misericordia eius proteget te semper, nec timebis quid faciat tibi homo, vel diabolus.

Iam vero altitudo iustitiae Dei cernitur in retri

butione coelestis praemii, quod ipse Deus, ut supremus et iustissimus Iudex praeparavit iis, qui pie iusteque vixerunt. Ac primum quanta sit huius iustitiae magnitudo, cognoscemus, si conferamus Iudicem Deum cum hominibus item iudicibus deinde si conferamus praemium cum praemio, id est, praemium, quod dabit Deus, cum eo, quod homines dare solent. Iudices homines, sive etiam Principes, aut Praelati, qui subditos, vel famulos habent, multis de causis ut plurimum non reddunt iustum praemium iis, quibus debent. Nam vel non possunt, cum non habeant tantam rerum copiam, ut ad remuneranda merita omnium sufficiant: vel non cognoscunt omnia merita subditorum, aut certe non cognoscunt iustum pretium meritorum, cum ab animi sinceritate et devotione dependeant vel ex improbitate sua, et avaritia, aut alia perversa affectione nolunt iustis subditorum laboribus iustam mercedem reddere: vel denique, aut ipsi praeveniuntur morte antequam debita praemia reddant, vel ii, quibus debentur praemia, ante de hac vita decedunt, quam laborum suorum mercedem gustare incipiant. Deus autem omnibus iustis pro bonis operibus omnibus, praemia non solum iusta, sed etiam supra meritum reddit, quod enim vilius, et obscurius meritum lingi potest, quam sitienti praebere calicem aquae frigidae? et tamen pro hoc etiam opere promisit Dominus praemium, et de larga retributione a Domino promissa scribit Lucas: *Mensuram bonam et confertam, et coagitatam, et superefluentem dabunt in sinum vestrum*. Neque periculum est, ut Deus desit copia rerum, quibus omnibus iustis praemia reddi possint, cum sit ipse Dominus omnium rerum, et possit solo verbo omnia multiplicare, et augere in immensum. Neque timendum est, ne forte fallatur in numero, vel in pretio meritorum investigando, cum sit sapientissimus, et omnia pateant oculis eius, et ipse scrutet, renes et corda bene operantium servorum suorum, ut intelligat, qua mente, qua intentione, quo fervore, qua diligentia omnia fecerint. Neque suspicari ullus poterit, inesse Deo malam voluntatem fraudandi servulos suos, et filiolos suos iusta mercede, cum sit ipse fidelis in omnibus verbis suis, denique, neque ipse mori potest, cum sit prae omnibus immortalis, et omnia illi vivant, ut periculum nullum sit, ne morte praeveniente debita praemia ulla ratione impediantur. Maneat igitur fixum, et ratum, a Deo iusto iudice bona opera omnia, iustorum hominum omnium digna mercede remunerari, ac per hoc tutissimum esse cum Deo negotiari in ratione laboris, et mercedis, et periculosum ac stultum esse fiduciam in hominibus ponere, atque ab eis iusta praemia pro laboribus expectare, conferamus nunc praemia cum praemiis, divina cum humanis, coelestia cum terrenis, quid quaeso reddere possunt homines iis, qui totos dies pro eis laborant, vel totas noctes insomnes ducunt, vel vitam ipsam in praeliis ponunt? O caecitas humana, quid reddere possunt, nisi res exiguas, viles, et abiectas, et brevissimo tempore duraturas? Deus autem reddit res magnas, sublimes, aeternas: et tamen illae quaeruntur, istae supernuntur, S. Ioannes Chrysostomus in Matthaeum, comparat palatia, urbes, et regna huius Mundi, quae homines admirantur, cum illis luteis fabricis, quae pueruli ex creta fingunt; quae quidem casulae, et aedificiola magno labore a puerulis fiunt, sed a maioribus plane ridentur: et saepe etiam cum pater, aut magister videt puerulos omisso literarum studio, in nugis illis occupari, pede omnia destruit, et quae magno studio et tempore facta erant, multo facilius momento subvertit, sic omnino magna palatia, turres, arces oppida, Regna mortalium, casulae sunt luteae, si comparentur ad coelestia et sempiterna bona, et ab ipsis beatis Angelis de coelo spectantibus ridentur, et saepe a Patre coelesti nullo negotio subvertuntur, ut intelligamus, quam sint omnia plane inania. Quod quamvis nunc pauci advertunt tamen omnes in die Iudicii, quando intelligere parum proderit, intelligent. S. Hilarius in commentario ad cap. 10. Matth. *Dies*, inquit, *iudicii, nulla atque inania haec omnia fuisse revelabit* sed explicemus paulo accuratius qualia sint praemia coelestia, quae pro terrenis istis praemiolis, nunc a plurimis contemnuntur. Primum erunt in coelesti regno bona plurima, vel potius omnia, quae appeti possunt, erunt enim omnes, qui in eo regno degent, beati, est autem beatitudo cumulus omnium bonorum aggregatione perfectus. Itaque ibi erunt bona animi, sapientia, et virtutes: bona corporis, pulchritudo, sanitas, robur: bona externa, divitiae, voluptas, gloria. Deinde erunt haec omnia summa, perfecta, eminentissima. Deus enim, qui ostendit potentiam suam in creatione mundi ex nihilo; et sapientiam in gubernatione et providentia; et charitatem ac bonitatem in redemptione generis humani per mysterium Incarnationis, et passionis Filii sui: demonstrabit tunc magnificentiam gloriae suae, et munificentiam liberalitatis suae in distributione praemiorum, palmarum, et coronarum iis, qui de hoste diabolo triumphabunt. Et sapientia quidem erit non speculatio divinitatis in rebus creatis, sed ipsa visio aperta essentiae Dei, causae causarum omnium, et ipsius primae ac summae veritatis, ex qua fulgentissima visione fulgebunt animae Sanctorum luce tam splendida, ut s. Ioannes de futura illa gloria dicat: *Similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* Ex hac summa sapientia procedet charitas regina virtutum, tam ardens, ut summo bono semper inhaerens, nec velit, nec possit ab eo separari sic tota anima, et omnes eius potentiae in optimo statu constitutae permanebunt: corpus lucebit instar Solis, ut Dominus ipse testatur, cum ait: *Tunc iusti fulgebunt sicut Sol in Regno Patris eorum*, atque haec erit eius pulchritudo: sanitas erit immortalitas, robur impassibilitas, denique corpus, quod nunc animale est, tunc erit spirituale, id est spiritui ad nutum obediens, ut ventos agilitate superet, et muros subtilitate penetret. Porro divitiae erunt, tum nulla re indigere, tum cum Deo et in Deo omnia possidere: nam *super omnia bona sua constituet eos*, de voluptate quid dicam, cum scriptum sit: *inebriabuntur ab ubertate domus tuae et torrente voluptatis tuae potabis eos*? quae mens cogitare poterit, qualis delectatio sit frui summo

bono, videre ipsam pulchritudinem? gustare ipsam suavitatem, intrare in gaudium Domini, id est participem fieri eius voluptatis, quae facit beatum Deum? honor et gloria Sanctorum omnem eloquentiam superat, nam in theatro mundi totius, omnium hominum, et Angelorum, ab ipso Deo laudabuntur Sancti omnes, et tamquam victores coronabuntur, et quod omnem dignitatem vincit, in ipso Christi throno, tamquam Regni participes collocabuntur, sic enim legimus in Apocalypsi : *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut ego vici, et sedi in throno Patris mei.* Hanc sublimitatem honoris mirabatur Propheta, cum diceret: *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Quod si ad hanc multitudinem et excellentiam bonorum, addamus tamquam ineffabile condimentum aeternitatem, quis capere poterit magnitudinem supernae foelicitatis? et tamen quod vix capimus cogitando, experiemur possidendo, si pie, iuste, sobrieque vivendo ad beatam illam patriam aliquando veniemus, vere enim sine fine bona illa durabunt, quae momentaneis laboribus nunc per Dei gratiam a Christi famulis acquiruntur. Quid hic dices, anima mea? placebitne tibi ludos puerorum in aedificiolis ex luto construendis consectari, et Regni vere sempiterni possessione privari? placebitne, quod horret animus cogitare, voluptatibus pecorum delectari: qui ad ineffabilia gaudia cum Angelis invitaris? Avertat hoc ab anima servi tui misericordia tua Domine, quin potius *confige timore tuo carnes meas*, et dulcescat semper mihi super mel et favum obedientia legis tuae ut carnem cum vitiis et concupiscentiis crucifigens aspirare audeam ad spirituales et perennes delicias paradisi tui. Da Domine servo tuo sequi vestigia Christi tui, qui mitis, et humilis corde, *cum malediceretur, non maledicebat, et cum pateretur, non comminabatur*, da sobrie, iuste, et pie vivere in hoc saeculo, ut cum fiducia aliqua expectem beatam spem, et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi.

Reliquum est, ut iustitiam consideremus, quam Deus in profundissima gehennae abysso in peccatoribus puniendis exercet, quod si attente et serio faciemus, intelligemus profecto verissimum esse, quod Apostolus docet in epistola ad Hebraeos: *Horrendum esse incidere in manus Dei viventis.* Nam (ut ordinem sequamur, quem in iustitia remunerante Sanctorum merita tenuimus) animadvertet Deus iustus Iudex in omnia omnino peccata, etiam levissima, quale est verbum otiosum; sic enim legimus in Evangelio: *De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die Iudicii.* Et homines quidem multa peccata non puniunt, vel quia non possunt, resistentibus, aut fugientibus reis: vel quia nesciunt esse commissa, aut per legitimos testes probata non sunt: vel quia nolunt ea punire, aut corrupti muneribus aut oppressi favoribus, aut propria malitia depravati. Deus autem omnipotens est, ac per hoc eius potestati nullus resistit. Idem ubique est, ideo nullus ab eo se abscondere potest. *Quo ibo*, inquit David, *a spiritu tuo, aut quo a facie tua fugiam? si ascendero in coelum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.* Idem sapientissimus est, et novit omnia, etiam abscondita, et occulta in intimis latebris cordium: nec indiget testibus, ut crimina probentur, cum conscientiae hominum pro mille testibus Domino sint, denique nulla munera, nulli favores iustitiam Dei corrumpere poterunt, cum ipse bonorum nostrorum non egeat. Maneat igitur, nullum esse peccatum, neque maximum, neque minimum, neque gravissimum, neque levissimum, quod iustitiam Dei ultricem, et vindicem peccatorum effugere possit, nisi antea per poenitentiam purgatum fuerit, quanto enim nunc est misericordia copiosior in ignoscendo, tanto erit post hanc vitam iustitia rigidior et severior in ulciscendo, de hoc tempore dicit Isaias: *In tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatum sum tui.* Quod exponens Apostolus in posteriore ad Corinthios, *Ecce*, inquit, *nunc tempus accepiabile, ecce nunc dies salutis.* De tempore futuro post hanc vitam, Sophonias clamat: *Dies irae dies illa, dies tribulationis, et angustiae, dies calamitatis, et miseriae: dies tenebrarum, et caliginis, dies nebulae, et turbinis, dies tubae, et clangoris.* Neque vero solum peccata omnia punientur, sed punientur horrendis supplicii, quae tam ingentia erunt, ut vix ulli homines nunc ea suspicari valeant, quemadmodum enim oculos non vidit, auris non audivit, et in cor hominis non ascenderunt quae praeparavit Dominus diligentibus se: sic omnino non vidit oculus, nec audivit auris, nec ascenderunt in cor hominis quae praeparavit Dominus odio habentibus se. Erunt enim aerumnae peccatorum in gehenna plurimae, et purae, id est, nullis consolationibus admixtae, et quod in infinitum auget miseriam, sempiternae. Erunt, inquam, plurimae, quoniam singulae potentiae animae, et singuli sensus corporis suos habebunt tortores. Perpende verba sententiae Iudicis supremi, quae habentur in Evangelio. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, discedite*, inquit, id est, recedite a consortio beatorum privati in aeternum visione Dei, quae summa est, et essentialis beatitudo, ac finis ultimus ad quem facti eratis, *maledicti*, id est, nolite sperare deinceps ullum genus benedictionis: privabimini enim omni vigore gratiae, omni spe salutis; non pluet super vos amplius aqua sapientiae, nec ros bonae inspirationis, non lucebit amplius radius coelestis luminis, non germinabit in vobis gratia poenitentiae, non flos charitatis, non fructus operum bonorum, non visitabit vos ex hoc usque in aeternum oriens ex alto, nec solum bonis spiritualibus sed etiam corporalibus; nec solum aeternis, sed etiam temporalibus carebitis, nullae pro vobis erunt divitiae, nullae deliciae, nulla solatia, sed eritis similes ficulneae, quae maledicta a me, continuo tota a radicibus aruit, *in ignem*, id est, in caminum ignis ardentis, et inextinguibilis, qui non membrum unum, sed omnia membra simul comprehendet, et acutissima poena vexabit. *aeternum* id est, in ignem, qui non eget fomento lignorum, ut semper ardeat, sed flatu Dei omnipotentis succenditur, ut sicut culpa in vobis numquam dele-

bitur, sic et poena numquam finiatur. Itaque rectissime Propheta Isaias exclamat: *quis poterit stare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* ac si dicat, nemo omnino patienter ferre poterit, sed impatientes, et indignantes, et desperantes ferre cogentur, etiamsi nolint. Et addit, *vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur*, quae verba non semel repetit Dominus apud Marcum. Adiungetur enim vermis conscientiae, et recordationis huius temporis, quo potuissent impii si voluissent, parvo negotio poenas illas evadere, et gaudiis perfrui sempiternis. Ac ne quis existimet, posse damnatos aliquid refrigerii ex deambulatione et loci mutatione capere, audi, quid ipse Dominus dicat: *Ligatis manibus et pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium.* Itaque miseri illi alligati manus, et pedes vinculis aeternis in loco eodem semper iacebunt, lumine solis, et Lunae, et stellarum orbati, et ignis ardoribus aestuantes, flentes, et dolentes, et dentibus prae rabie et desperatione stridentes. Nec solum dolores gravissimos patientur in gehenna, qui in eum locum horroris plenissimum detrudentur, sed praeterea etiam extremam rerum omnium inopiam, et dedecus atque ignominiam summa erubescentia et confusione plenissimam, facient enim in puncto temporis iacturam palatiorum, agrorum, vinearum, pecorum iumentorum, vestium, auri denique, et argenti, et lapidum pretiosorum: atque ad eam egestatem redigentur, ut guttam aquae frigidae cum divite epulone desiderent, et expetant, et non audiantur. Porro superbi et gloriosi illi viri, qui in praesenti tempore iniuriae omnis impatientes, dignitatem rebus omnibus anteponunt in theatro illo totius humani generis, et omnium Angelorum, quo nullum umquam maius nec fuit, nec erit, revelari videbunt, et publice demonstrari omnia ipsorum crimina etiam in tenebris patrata, vel in cordis latebris recondita, quamvis turpissima, proditiones latrocinia, incestus, sacrilegia nam ut ait Apostolus in priore ad Corinthios, quando veniet Dominus ad iudicandum orbem terrarum, *illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium: et tunc laus erit unicuique a Deo*; et sine dubio, vituperatio quoque erit unicuique impio, et iniquo a Deo, tantum vero erit opprobrium et confusio sceleratorum hominum in theatro illo, ut s. Basilius in explicatione Psalmi trigesimi tertii non timeat dicere, hoc fore omnium suppliciorum gravissimum, praesertim hypocritis, et superbis, et omnibus gloriae cupidis, quibus honor pro Deo, vel idolo potius, in hoc mundo fuerat, sed si haec, quae diximus, de iactura bonorum omnium tam coelestium, quam terrestrium, et de doloribus acerbissimis, et ignominia, atque opprobrio, finem aliquem essent habitura, vel saltem aliquod genus consolationis, aut refrigerii admixtum haberent, ut in hac vita miseriae omnes habent: possent aliquo modo mala tolerabilia existimari, at cum certum omnino et extra omnem dubitationem sit, quemadmodum felicitas beatorum sine ullius admixtione miseriae perpetuo duratura est: sic etiam infelicitatem damnatorum sine ulla admixtione solatii perpetuo, id est, in omnia saeculorum saecula duraturam: oportet omnino ut caeci et stulti sint, qui non totis viribus laborant, per quascumque tribulationes, et pericula, et infamiam, et mortem, quae momentanea et levia vocat Apostolus, ad Regnum coelorum, et coelestem beatitudinem pervenire.

Ac si forte miratur aliquis, cur clementissimus Deus, tam atroces, et tam diuturnas poenas peccatis hominum, quae velocissime transeunt, et non usque adeo gravia videntur, constituerit: is audiat s. Augustinum in libro de civit. Dei. *Quisquis*, inquit, *huiusmodi damnationem, vel nimiam, vel iniustam putat metiri profecto nescit, quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas.* et infra, *Quisnam satis explicet quantum malum sit non obedire in re facili, et tantae potestatis imperio, et tanto terrenti supplicio?* loquitur sanctus Augustinus de peccato primi hominis, sed eadem ratio est de omnibus peccatis, nam si stateras non dolosas, sed veras adferamus, inveniemus omne peccatum lethale ex triplici capite esse gravissimum: nam et horrendum est, creaturam creatori suo non obedire, cum infinito intervallo a vilitate creaturae distet dignitas creatoris: et creatura naturaliter serva, et naturaliter Dominus sit creator: et creatura quicquid est, et quicquid habet, debeat creatori, creator autem nihil debeat creaturae. Deinde si mandata creatoris gravia essent, adhuc creatura parere deberet: sed *mandata eius gravia non sunt*, et iugum suave, et onus leve ab ipso Salvatore dicuntur: quanta igitur, et quam inexplicabilis culpa est, vermiculos terrae creatori suo in re tam facili non obedire? praeterea si Deus supplicium mortis aeternae peccantibus comminatus non esset, potuisset homo fortasse excusationem peccato suo praetexere: sed cum tam saepe et tam perspicue per Prophetas et Apostolus supplicium sempiternum fuerit comminatus, quis peccatorum contumaciam excusabit? Denique si culpa hominum damnatorum non esset aeterna, mirari possemus, cur poena peccati futura esset aeterna. Sed cum obstinatio damnatorum sit aeterna, quid miramur, si etiam supplicium sit aeternum? atque haec obstinata voluntas in malo, quae communis erit damnatis hominibus cum daemonibus: haec, inquam, perversa, atque a Deo summo bono aversa voluntas, quae semper immobilis et stabilis permanebit, facit, ut sancti homines magis horreant lethale peccatum, quam ignem gehennae. Audi enim quid de Anselmo scribat Edmerus Anglus in secundo libro vitae eius. *Conscientia*, inquit, *mea teste non mentior, quia saepe illum (Anselmum) sub veritatis testimonio profiteri audivimus, quoniam si hinc peccati horrorem, hinc inferni dolorem corporaliter cerneret, et necessario uni eorum immergi deberet, prius infernum, quam peccatum appeteret.* Aliud quoque non minus forsan aliquibus mirum, dicere solebat, videlicet malle se purum a peccato, et innocentem gehennam habere, quam peccati sorde pollutum coelorum regna tenere. Si haec homo ille sanctus dice-

bat, et sentiebat, quia illuminatus a Deo cognovit gravitatem peccati esse maiorem, quam sit poena gehennae: quanto magis Deus,qui penetrat usque ad fundum malitiam, et foeditatem, et perversitatem peccati, iustissime iudicabit, condignam esse poenam peccati, quam ipse usque ab aeternitate constituit. Ergo, anima mea, noli errare, noli seduci, noli similis illorum fieri,*qui dicunt se nosse Deum, factis autem negant*, multi enim fidem habent, sed in habitu, non in actu, quasi gladium in vagina reconditum, si enim actu crederent, et credendo serio cogitarent Deum esse fidelem, et iustum, et re vera poenas gravissimas,et numquam finiendas, et sine admixtione consolationis iniquis praeparasse : fieri non posset, ut opera facerent, quae faciunt ; et biberent, ut dicitur in libro Iob, quasi aquam iniquitatem, id est, tam facile, tam sine timore, tam laeto animo peccata tam multa, et tam magna patrarent, ac si praemium,non poena peccantibus deberetur? tu, inquam, crede firmissime, et credendo recogita, Deum in praesenti patrem esse misericordiarum, et paratum esse omnibus vere poenitentibus misericorditer indulgere peccata: sed eumdem Deum, post hanc vitam, fore omnino Deum ultionum, et eas poenas de peccatoribus sumpturum, quas praeparavit, et per Prophetas et Apostolos suos praedicari, et ad memoriam posterorum literis mandari praecipit. Sic enim fiet, ut timore intolerabilium poenarum, et spe praemiorum maximorum, quasi duabus alis sublevata, praesentis vitae pericula secura pertranseat, et ad vitam ac requiem pervenias sempiternam. Amen. Amen.

PRAEFATIO

Anno superiore ad meam praecipue spiritualem utilitatem conscripsi mihi ipse Libellum De ascensione mentis in Deum per scalas rerum creatarum. Nunc, quoniam placet Deo senilem aetatem meam adhuc longius aliquando protrahere, subit animum *de caelesti patria*, ad quam anhelamus omnes filii Adam, qui hanc vallem mortalitatis gementes et flentes incolimus, aliquid meditari, et meditationes stilo alligare, ne pereant. Igitur in Scripturis sanctis, quae sunt veluti epistolae consolatoriae de patria caelesti ad exilium nostrum a Patre transmissae, quatuor nomina reperio, ex quibus utcumque bona illius loci nobis innotescere possunt. Nomina sunt, Paradisus, Domus, Civitas, Regnum. De paradiso B. Paulus, *Scio*, inquit, *hominem in Christo ante annos quatuordecim, raptum in tertium caelum*; (2. *Cor.* 12.) et paulo post, *raptum in Paradisum;* ubi, ne putaremus eum de Paradiso terrestri loqui, praemisit, *raptum in tertium caelum*. De Domo sic ipse Filius Dei loquitur; *in domo Patris mei mansiones multae sunt.* (*Joan.* 14.) De Civitate Apostolus ad Hebraeos, *Accessistis*, inquit, *ad Civitatem Dei viventis, Jerusalem caelestem.* (*Hebr.* 12.) De Regno caelorum Dominus ipse apud Matthaeum Evangelistam, *Beati pauperes Spiritu*, inquit, *quoniam ipsorum est Regnum caelorum.* (*Matth.* 5.) atque hoc nomine in omni sacra Scriptura nullum est frequentius. Paradisus vocatur locus Sanctorum in caelo, quoniam locus est amoenissimus, et deliciis affluens. Sed quoniam potuissent homines existimare, Paradisum esse hortulum, in angulo domus positum, qui paucissimos homines caperet; addidit Spiritus in Scripturis nomen Domus: quia domus regia palatium ingens esse solet: ubi praeter hortum sint etiam aulae, triclinia, cubicula, et alia id genus multa. Sed quoniam domus, quantumvis magna, non multos homines capere potest: ne putaremus, paucissimos omnino fore qui ad vitam aeternam pertineant, addit Scriptura nomen Civitatis, quae multos hortos, et multa palatia capiet. Sed quoniam de Beatorum numero scripsit s. Joannes in Apocalypsi, *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*: (*Apoc.* 7.) et nulla est civitas, quae turbam innumerabilem complecti in sinu suo possit; Scriptura Sancta vocabulum Regni, et Regni caelorum adjunxit, quo loco nullus est in rerum universitate capacior.

Sed rursus, quoniam in amplissimo Regno multi sunt homines, qui plurimos ejusdem Regni incolas numquam vident, nec nomina eorum tenent, neque sciunt an umquam fuerint in rerum natura; et certum est, beatos homines omnes ab omnibus videri, et sciri, et inter se familiariter versari, ut amicos et proximos: ideo Scriptura non contenta nomine Regni, addit nomen Civitatis, ut intelligeremus, incolas eius Regni, quamvis spatiosissimi et maximi, esse vere cives Sanctorum, et inter se ita coniunctos et familiares, ut sunt cives unius exiguae civitatis. Ac ut praeterea sciremus, felices illos homines non solum esse cives Sanctorum, sed etiam domesticos Dei, imo etiam filios Dei; ideo Spiritus sanctus, quam appellaverat Civitatem, appellavit etiam domum. Denique quia Beati omnes iisdem in caelis deliciis fruuntur, ideo locum illum Paradisum nominavit.

Itaque quatuor illae voces, Regnum, Civitas, Domus, Paradisus, rem unam atque eamdem significant; et Paradisus ille tam est amplus, ut Domus, Civitas, et Regnum vere dici possit. Ergo de hoc felicissimo loco primum sub nomine Regni, deinde sub nomine Domus, denique sub nomine Paradisi, ipso Deo bene iuvante, meditari in cubiculo cordis, et quae Deus ipse suggerere dignabitur, litteris mandare proposui. Addam sub finem operis sex alia nomina, non locorum, sed rerum, ex parabolis Domini, videlicet. Thesaurum absconditum in agro, Margaritam pretiosam, Denarium diurnum, Gaudium Domini, Caenam magnam, Nuptias Regias, et alia duo ex Apostolo, Bravium, et Coronam. Sic erunt in universum Considerationes duodecim de nominibus duodecim, quibus in Scripturis sanctis felicitas Sanctorum aeterna describitur.

OPUSCULUM SECUNDUM

DE

AETERNA FELICITATE

SANCTORUM

SUB NOMINE REGNI DEI

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

De amplitudine Regni Dei.

Doctrina de Regno caelorum quanti momenti sit, vel ex eo cognosci potest, quod Magister caelestis, Christus conciones suas a verbis illis inchoavit: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim Regnum coelorum.* (*Matt.* 3.) Et omnes fere parabolas suas de Regno caelorum composuit, dicens: *Similem factum est Regnum caelorum.* (*Mat.* 13. 18. 20. 21. 22. 25.) et post resurrectionem suam, in illis ultimis quadraginta diebus ante Adscensionem, apparens discipulis, loquebatur de Regno Dei, ut sanctus Lucas in Actis Apostolorum testatur. Itaque initium, et progressio, et consummatio sermonum Christi, Regnum, caelorum fuit. (*Actor.* 1.) Nos tamen hoc loco non omnia, quae de Regno caelorum disputari possunt, explicare aggredimur; sed ea solum, quae ad locum et statum Beatorum pertinent; atque illud in primis, cur locus et status Beatorum, Regnum caelorum in sacris litteris nominetur.

Habitatio Sanctorum multis de causis Regnum caelorum dicitur. Primum, quia regio est amplissima, et multo amplior, quam humanae cogitationis angustiae capere possint. Orbis terrae, qui veluti punctum est, si comparetur ad supremum caelum, multa et magna Regna complectitur, ut vix numerari queant: quantum igitur erit Regnum illud, quod est unicum, et per totam caeli caelorum latitudinem spatiaque diffunditur? Neque solum continet Regnum Dei supercaelestem regionem; sed omnem rerum hanc universitatem. Est enim supercaelestis regio, quae proprie Regnum caelorum dicitur, prima quasi provincia Regni Dei, in qua primarii Principes resident, qui sunt omnes filii Dei. Secunda provincia dici potest aethera, in qua stellae morantur: quae stellae, quamvis in se animatae non sint, tamen sic ad nutum Creatoris obediunt, ut viventes et animatae dici possint, iuxta illud Ecclesiasticum: *Regem, cui omnia vivunt, venite adoremus.* Tertia provincia est aerea, in qua venti nubesque discurrunt, et procellas, pluvias, nives, grandines, tonitrua, fulgura efficiunt, et in qua etiam volucres generum diversorum spatiantur et volant. Quarta provincia est aquea, quae maria, fontes, flumina, lacusque complectitur, in quibus pisces procreantur, *qui perambulant semitas maris.* (*Ps.* 8.) Quinta est terrea, quae quasi acmula caeli, habitatores nobilissimos, sed non beatissimos, habet: homines videlicet ratione praeditos, sed mortales: qui tamen dominantur bestiis terrae, volucribus caeli, et piscibus maris. Postrema est provincia subterranea, quae quasi Arabia deserta nullos omnino fructus bonos producit, sed spinas solum et tribulos, in qua degunt spiritus reprobi, qui superbia sua hoc meruerunt, ut qui voluerunt esse primi, fierent novissimi; et qui super astra caeli exaltare sedem suam conati sunt, ad imos inferos detruderentur: atque hic locus exspectat omnes illos homines, qui tanquam socii daemoniorum in flagitiis et sceleribus voluntati sine vera paenitentia de hac vita discendunt. Has omnes provincias imperio suo Deus tenet, cui canit Psalmista: *Omnia serviunt tibi.* (*Ps.* 118.) Atque hoc totum vastissimum et maximum Regnum communicabit Deus cum diligentibus se, ut paulo infra dicemus.

Ergo, anima Christiana, dilata cor tuum, non tenearis angustiis rerum praesentium: quid tantum laboras et sudas, ut particulam mundi huius obtineat, quae totum possidere poteris, si volueris? Certe si ad hoc Regnum serio mortales aspirarent, vel de illo attenta cogitarent, erubescerent utique bella gerere pro angustissimis portiunculis terrae. Offert tibi Deus, o homo, societatem immensi atque aeterni Regni sui; et tu pro unius

oppiduli defensione vel acquisitione bellum geris, ubi multae committuntur rapinae et caedes, et alia peccata innumerabilia, quibus Rex Regum iustissime provocatur ad iram. Ubi est prudentia? ubi consilium tuum? Neque haec dico, quod existimem non licere Christianis pro defensione oppidorum suorum bella gerere: scio enim non solum a sanctis Patribus, Augustino praesertim, viro doctissimo et sanctissimo, (*Epist. 5. ad Marcellinum.*) et sancto Thoma Scholasticorum Theologorum principe, iusta bella defendi; (*a. 22. q. 40.*) sed etiam ab ipso Praecursore Domino, quo inter natos mulierum maior non surrexit, dictum esse militibus, non ut militiam tanquam illicitam deserant, sed ut stipendiis suis contenti neminem concutiant, (*Luc. 3.*) et nemini iniuriam faciant; et ego ipse in libris Controversiarum iusta bella defendi. (*Lib. 3. De Laicis. cap. 14.*) Non igitur bella simpliciter reprehendo, sed ad id, quod perfectius, et saepe utilius est, adhortor: ad eum plane modum, quo sanctus Paulus Corinthiis dicit: *Delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos: quare non magis fraudem patimini?* (*1. Cor. 6.*) et sanctus Iacobus in Epistola sua: *Unde bella et lites in vobis? nonne ex concupiscentiis vestris? concupiscitis, et non habetis: occiditis et zelatis, et non potestis adipisci: litigatis et belligeratis, et non habetis.* (*Jac. 4.*) Certe enim qui de Regno caelorum valde solicitus esset, non facile ad iacturam unius oppiduli moveretur, sed quaereret mediatores, qui sine dispendiis et periculis bellorum litem componerent. Sed pergamus ad caetera.

CAP. II.

De frequentia Regni Dei.

Dicitur secundo habitatio illa sublimis Regnum caelorum, quoniam multitudinem et diversitatem habitantium tantam continet, quantam nulla domus aut civitas, sed sola Regna maiora continere solent. Ibi est, ut Apostolus loquitur in Epistola ad Hebraeos, multorum millium Angelorum frequentia, ibi quoque spiritus iustorum perfectorum, ad quorum numerum pertinebunt, quotquot ab Abel iusto usque ad saeculi consummationem in Domino morientur. (*Hebr. 2.*) Nec solum spiritus iustorum hominum post mundi consummationem ibi erunt, sed erunt etiam corpora gloriosa, quae omnia et singula fulgebunt sicut sol in Regno Patris eorum, ut Dominus loquitur apud Matthaeum. Et quidem quod attinet ad Angelorum diversitatem, vix aliud nobis peregrinantibus in terra scire licet praeter nomina. (*Matt. 13*). Scimus enim alios vocari Seraphim, ex visione Isaiae prophetae; alios Cherubim, ex prophetia Ezechielis: (*Esa. 6.*) alios Thronos, alios Dominationes, alios Principatus; alios Potestates. (*Ezech 28.*) ex Apostolo ad Colossenses, item alios Virtutes. (*Coloss. 1.*) ex eodem Apostolo ad Ephesios: alios Archangelos; (*Eph. 1.*) ex eodem Apostolo et ex Epistola Apostoli Judae: alios denique Angelos quorum frequentissima mentio fit in omnibus libris Sacris. (*1. Tess. 4.*)

Ex his novem vocabulis constans est Doctorum sententia, colligi, novem esse Ordines Angelorum, quorum singuli Ordines multa mill a Angelorum contineant, dicente Daniele: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* (*Daniel. 7.*) et Iob concinente: *Numquid est numerus militum eius?* (*Job. 25*).

Et quamvis omnes Angeli sine dubio beatissimi et omnium virtutum ac donorum divinorum decore mirifice splendeant: tamen illi dicuntur Seraphim, qui charitatis ardore praeminent; illi Cherubim, qui scientiae splendore praelucent; illi Throni sive Sedes, qui tranquillitate contemplationis ineffabili gaudent; illi Dominationes, qui ut summi Imperatoris administri, mundo inferiori dominantur; illi Virtutes, qui omnipotentis Domini jussu signa et prodigia patrant; illi Potestates, qui super aereas potestates spirituum immundorum imperium obtinent; illi Principatus, qui Regibus ac Principibus mundi praesunt; illi Archangeli, qui Praelatis Ecclesiae adhibiti sunt adiutores; illi denique Angeli, qui singulorum hominum dum in terris vivunt, custodiam curamque suscipiunt. Nec solum ista significantur variis nominibus angelorum; sed praeterea nomina illa sunt quasi insignia, vel imagines, aut specula magnitudinis Dei: siquidem Seraphim ardore suo, quasi vexillo quodam, imagine, aut speculo, repraesentant infinitam charitatem Dei, solo amore impulsus, Angelos ipsos et homines et reliqua omnia condidit et conservat. Cherubim simili vexillo, imagine aut speculo, referunt infinitam Dei sapientiam, qua omnia in numero, pondere, et mensura constituit. Throni eodem modo, quasi in perfecta imagine demonstrant altissimam illam quietem, qua Deus sedens fruitur, cum immotus omnia movet, et tranquillus omnia disponit et regit. Dominationes similiter omnibus ostendunt, Deum esse qui vere ac proprie solus rebus omnibus dominatur, cum ei soli liceat res omnes conservare, vel ad nihilum redigere. Virtutes quoque demonstrant omnibus, Deum solum esse, qui facit mirabilia magna solus: quique sibi reservavit uni innovare signa, et multiplicare prodigia. Potestates vero nomine suo praeferunt, Deum esse solum potentem absolute et vere: cui nihil sit impossibile, quippe in quo solo vera potentia locum habet. Principatus vexillo suo significant, Deum esse Principem Regnum terrae, Regem Regum, et Dominum dominantium. Archangeli Deum esse demonstrant verum et summum Ecclesiarum omnium Praesidem. Angeli denique Deum esse indicant verum Patrem orphanorum; et qui licet Angelos custodes singulis hominibus dederit, tamen ipsum quoque singulis adesse, singulos custodire, singulos protegere. Nam ipse quoque Propheta, qui dixerat, *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis;* (*Ps. 90.*) idem introducit Deum dicentem: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum.* et Dominus, qui dixerat, *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est*: (*Mat. 18.*) idem dixit: *Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? vestri au-*

tem capilli capitis omnes numerati sunt: nolite ergo timere multis passeribus meliores estis vos. (*Matth.* 10.) Atque haec de Angelis pauca novimus: de quibus, si placet, vide sanctum Bernardum in lib. 5. De consideratione, unde haec pauca delibavimus.

His vero novem Angelorum Ordinibus, quasi ex altera parte, respondet turba tanta sanctorum hominum, ut eam numerare nemo possit, ut supra docuimus ex Apocalypsi: (*Apoc.* 7.) quae turba novem item Ordinibus continetur: nam alii sunt Patriarchae, alii Prophetae, alii Apostoli, alii Martyres, alii Confessores, alii Pastores et Doctores, alii Sacerdotes et Levitae, alii Monachi vel Eremitae; denique sanctae Faeminae, aut Virgines, aut Viduae, aut etiam Coniugatae.

Rogo te nunc, anima Christiana, quanta felicitas erit, cum tantis et talibus conversari? Scribit sanctus Hieronymus in Epistola ad Paulinum, multos lustrasse provincias, novos adiisse populos, Maria transmisisse, ut eos, quos ex libris celebres noverant, coram viderent et audirent. Ad unum Salomonem ob sapientiae opinionem veniebat Regina Saba de finibus terrae: (3. *Reg.* 10.) et ad unum Antonium Eremitam, propter famam sanctitatis, undique homines concurrebant; (*Luc.* 12. Athanasius in eius Vita.) ipsi etiam imperatores amicitiam eius ambiebant, quid igitur erit, tot Angelos, et tot praeclaros homines, utique sanctissimos, et simul amicissimos, et felicitatis eiusdem consortes videre et alloqui? Unus Angelus si in decore suo spectandum se praeberet in hoc exilio, quis non libenter accurreret? quid igitur erit, uno intuitu Angelos omnes cernere? Et si unus aliquis ex Prophetis, aut Apostolis, aut Ecclesiae Doctoribus, nunc de caelo descenderet, quanta simul aviditate, et attentione audiretur? At in regno illo non unum sed omnes et singulos Prophetas, et Apostolos, et Doctores videre et audire, cum eis assidue conversari licebit. Unus sol quantum laetificat universam terram? quid facient soles innumerabiles, et soles vivi, intelligentes, et iubilantes in Regno Dei? Mihi quidem ita dulciter sapit ista consuetudo cum Angelis et hominibus, quorum nullus est insipiens aut malus, sed omnes optimi et sapientissimi, ut hoc solum magnae felicitatis instar mihi esse videatur, et propter quod solum libenter carerem oblectamentis omnibus huius vitae.

CAP. III.

De forma vere monarchica Regni Dei.

Tertia ratio est, quoniam in eo solo loco invenitur perfecta forma regnandi. Siquidem hoc interest inter Regnum et Rempublicam, sive Optimatum sive popularis Respublica sit quod in Regno summa potestas apud unum, in Republica apud multos invenitur. In Regnis autem hominum numquam est summa potestas apud unum vere et proprie: poterit enim fortasse Rex sine consilio vel consensu aliorum iubere ut aliquid fiat, sed exsequi non poterit, nisi subditi velint. Et saepe etiam nec iubere poterit, aut certe non audebit, si multitudo subditorum illum terreat. Quam multi enim fuerunt magni Reges aut Imperatores, quos exercitus destituit, aut etiam interemit? plene sunt historiae exemplis. Inanis igitur est summa potestas in Regibus mortalibus, qui nisi subditi velint nihil umquam efficient. Potestas autem Dei, qui Rex magnus vere dicitur et est, a nullo dependet, nisi a sua ipsius voluntate; quae cum sit omnipotens, nullus ei resistere potest, neque eget militibus aut armis, aut re aliqua extra se. Quod si utitur administris Angelis vel hominibus, aut etiam rebus sensu carentibus et inanimis, id facit quia vult, non quia non potest sine illis omnia quaecumque voluerit facere. Nam qui sine ullo comite vel administro caelum et terram et omnia, quae in eis sunt, solo verbo condidit, et sola voluntate conservat certe posset etiam omnia solo imperio administrare. Nec solum Deus verissime regnat, quoniam summa potestas apud eum residet, sed etiam quoniam summa regendi ars illius solius est: neque eget Deus ullo senatu, aut consiliariis ullis. *Quis*, inquit beatus Paulus, *cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* (*Rom.* 11.) et ante eum Isaias Propheta: *quis adiuvabit*, inquit, *Spiritum Domini? aut quis consiliarius eius fuit, et ostendit illi? cum quo iniit consilium et instruxit, et erudivit eum scientiam, et viam prudentia ostendit illi?* (*Isai.* 40.) Itaque Monarchia, quae optima forma regiminis est non solum apud Deum invenitur, sed apud illum solum vera atque perfecta reperitur. Is enim non solum terribilis est super omnes Reges terrae, ut dicitur in Psalmis, sed etiam est Rex magnus super omnes Deos, (*Ps.* 75.) ut dicitur in alio Psalmo. Siquidem alii sunt dii falsi, qui potius daemonia dici deberent, (*Ps.* 94) juxta illud Prophetae: *De Gentium daemonia.* (*Psal.* 95.) Alii sunt dii per participationem, ut reges terrae, et Angeli caelorum, iuxta illud: *Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes.* (*Ps.* 81.) Sed istos omnes deos imperio suo subiectos habet Deus ille, qui regnat in coelis; proinde solus ille Rex est verus et magnus: quod Nabuchodonosor Rex Babylonis posteaquam superbiae suae gravissimas poenas dedit, agnovit, et verbis illis confessus est: *Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad caelum levavi, et Altissimo benedixi, et viventem in sempiternum laudavi et glorificavi; quia potestas ejus potestas sempiterna, et Regnum eius in generationem et generationem; et omnes habitatores terrae apud eum in nihilum reputati sunt: juxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus caeli, quam in habitatoribus terrae, et non est qui resistat manui eius, et dicat ei, quare fecisti? Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, et magnifico, et glorifico Regem caeli, quia omnia opera eius vera, et via eius iudicia, et gradientes in superbia potest humiliare.* Haec ille, qui omnibus exemplo esse potest, ut humilientur sub potenti manu Dei, ut sanctus Petrus admonet, et magis delectentur servire Regi Regum, ut eius beneficentiam mereantur quam eius voluntati super-

bo corde resistere, unde manum eius gravissimam experiri cogantur. (1. *Pet.* 5.)

CAP. IV.

Quod omnes Beati sint Reges.

Quarta ratio, cur locus et status Beatorum Regnum coelorum dicatur, eaque potissima est, quoniam omnes Beati in caelo Reges sunt et omnes regiae conditiones aptissime in illos conveniunt. Quamvis enim Sancti omnes in caelo serviant Deo ut dicitur in Apocalypsi, tamen simul etiam regnant: (*Apoc.* 22.) nam in eodem libro, et capite eodem, ubi dicitur: *Servi eius servient illi.* paulo post dicitur: *Et regnabunt in saecula saeculorum.* Nec solum Beati omnes simul servient et regnabunt, sed etiam simul servi et filii dici poterunt. Sic enim loquitur Deus in Apocalypsi: *Qui vicerit possidebit haec, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius.* (*Apoc.* 21.) Quare sicut possunt iidem servi esse et filii, sic possunt servi esse et Reges: servi enim sunt, quoniam a Deo creati sunt, et illi debent obedientiam, a quo accipiunt esse, et vivere et omnia: neque aliquid creatum excipit David, cum ait, *Omnia serviunt tibi.* (*Ps.* 117.) simul tamen possunt esse filii Dei, qui ex Deo renati sunt per aquam et Spiritum sanctum, et simul Reges esse possunt, quibus regia dignitas ab ipso Regum Rege communicatur: (*Joan.* 3.) qui propterea in eadem Apocalypsi dicitur. *Rex Regum, et Dominus dominantium.* (*Apoc.* 19.)

Dicet aliquis fortasse, non esse difficile ali quem simul esse Regem terrae, et servum Deum Dei: ad quem modum dicitur in Psalmo: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore* (*Ps.* 2.) At Regem esse Regni caelorum, et servum esse Regis caelorum, quis capiat aut credat? et tamen ita est, et capit hoc et credit fides. Iusti ergo in Regno Patris eorum erunt etiam ipsi Reges Regni caelorum; quoniam participes erunt Regiae illius dignitatis, et potestatis, et opum, ac reliquorum bonorum, quae sunt in Regno caelorum. Id quod in tribus praecipue locis Scripturarum sanctarum Spiritus sanctus manifeste pronuntiat. Unus locus est in Evangelio sancti Matthaei: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum caelorum.* (*Matth.* 5.) Alter in eodem Evangelio: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum a constitutione mundi.* (*Matth.* 25.) Tertius in Apocalypsi: *qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno eius* (*Apoc.* 3.) Quid manifestius dici potest? Habemus Regnum coelorum promissum, habemus in die iudicii possessionem Regni ejusdem assignandam, habemus sessionem in throno Regio Filii Dei, et Patris eius, Regis aeterni: quid hoc est aliud, nisi participatio eiusdem Regni caelorum, quod ab aeternitate possidet Deus? Adde testimonium beati Pauli: *Si sustinebimus*, inquit, *et conregnabimus.* (2. *Tim.*) et Sancti Joannis in principio Apocalypsis: *Ego Joannes frater vester, et particeps in tribulatione, et Regno.* (*Apoc.* 1.) et Sancti Jacobi in Epistola sua *Deus*, inquit, *elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et haeredes Regni, quod repromisit Deus diligentibus se.* (Jac. 2.) Neque minuitur Regnum caelorum propterea quod multis ac pene innumerabilibus Angelis et hominibus communicatur: Regnum enim caelorum non est simile Regnis terrarum, quae non patiuntur consortem; et si dividantur in partes, dividendo minuuntur, et tandem etiam consumuntur. Non, inquam, ejusmodi est Regnum caelorum, sed totum ab omnibus, et totum a singulis integre possidetur: quomodo idem sol totus a singulis, et totus ab omnibus cernitur; et ipse vicissim non minus singulos quam omnes calefacit et illuminat. Quod ipsum facilius intelligetur, cum explicata fuerint bona Regni caelorum. Sed antea explicandae sunt conditiones sive qualitates, quae requiruntur in Regibus, ut nemo dubitet, Sanctos atque Beatos in caelo non sine causa vocari Reges, et Regni caelorum Reges.

Duae sunt praecipuae qualitates, quae necessariae sunt Regibus, sapientia et iustitia. Sed cum sapientia coniungit Scriptura prudentiam et consilium, et omnia illa quae ad intelligentiam pertinent: cum iustitia coniungit misericordiam, clementiam, et reliquas virtutes, quae voluntatem ornant et perficiunt. Itaque sapientia requiritur, ut Rex sciat; iustitia, ut velit subditos bene regere. Ideo Salomon admonitus a Deo initio Regni, ut peteret, quod vellet, postulavit sapientiam, quae princeps est bonarum qualitatum, quae requiruntur in Regibus: et placuit Deo petitio eius, ut perspicuum est ex libro tertio Regum, ac per hoc impetravit, quo petiit. Utinam et iustitiam postulasset, fortasse non in tot scelera prolapsus esset. (3. *Reg.* 3.) Rectius David in Psalmo, in quo precatur bona filio suo Salomoni, dicit: *Deus iudicium tuum Regi da: et iustitiam tuam filio Regis.* (*Ps.* 71.) ubi videtur praevidisse a Salomone postulandam sapientiam, et ideo postulat illi iustitiam et iudicium, quae sine sapientia esse non possunt, cum sapientia sine iustitia esse possit, saltem aliqualis et imperfecta. Liber quoque Sapientiae, qui proprie ad Reges instituendos scriptus est, sic inquit: *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.* (*Sap.* 1.) et incipit a iustitia, quoniam non solum est per se necessaria Regibus, sed etiam est dispositio ad sapientiam: subiungit enim paulo post: *Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia.* Denique, ut alia multa praetermam, Jeremias praedicens virtutes Christi Regis aeterni, *Ecce*, inquit, *dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum, et regnabit Rex, et sapiens erit, et faciet iudicium et iustitiam in terra.* (*Jer.* 23.) Vere igitur sapientia et iustitia dotes sunt, quae requiruntur in Regibus.

Jam vero quod Beati omnes, qui sunt in caelo, etiamsi fortasse multi illorum fuerint imperiti et rudes in terris, polleant sapientia eximia, et insigni virtute iustitiae, ut merito Reges cuiuscumque Regni fieri possent, extra controversiam est. Nullus enim Beatorum est in caelo, qui non videat ipsam Dei essentiam, quae est prima causa omnium

rerum ; ac per hoc de fonte sapientiae increatae hauriunt sapientiam tantam,quantam nec Salamon, nec ullus mortalis homo umquam habuit, excepto Domino nostro Jesu Christo , qui etiam tempore mortalitatis suae, Deum videbat , et erant in eo omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei. (*Col.* 1.) Porro pro mensura sapientiae datur etiam Beatis omnibus mensura plena iustitiae,ut peccare deinceps neque velint neque possint ; sic enim loquitur sanctus Augustinus in libro de Correptione et gratia: *Prima libertas voluntatis erat,posse non peccare ; novissima erit multo maior, non posse peccare.* (*De Corrept. et gratia cap.* 12.) Qui autem peccare non potest , iniustus quoque esse non potest; et cum charitas perfecta sit perfecta iustitia, ut idem sanctus Augustinus affirmat in extremo libro De natura et gratia ; qui non potest Deum non summo et perfectissimo amore diligere,is non potest etiam non summam perfectamque iustitiam possidere. (*Lib. de nat. et gratia c. ult.*) Qui vero Deum summum, et purum , et infinitum bonum vident, certe non possunt ab eo averti, neque possunt illum non ardentissimo amore semper diligere: ex quo efficitur, ut Sancti omnes in caelo perfecte sapientes , et perfecte iusti, ac per hoc ad regnandum aptissimi semper existant.

Exurge igitur, anima Christiana, et mente,quantum potes, adscende, et cogita , quale bonum sit regnare cum Deo , ac , ut nunc alia praeteream omnia, contemplationis alis caelos ipsos penetra, et thronum illum sublimem intuere , de quo Salvator dicit : *Qui vicerit , dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi,cum Patre meo in throno eius.* (*Apoc.* 3.) Quanta enim erit illa gloria, coram infinita multitudine Angelorum collocari animam iustam in throno ipso Christi et Dei ? et iusto Dei iudicio praedicari animam illam victricem mundi et mundi rectorum , atque omnium invisibilium potestatum ? Et quanta laetitia exultabit eadem anima, cum se viderit defunctam omni periculo et labore , de omnibus hostibus suis felicissime triumphare? Et quid erit quod ultra desideret , cum particeps facta erit omnium bonorum Domini sui,usque ad consortium throni et Regni? O quam alacriter puguant in terris,et quam facile tolerant adversa omnia propter Christum,qui fide viva et spe certa tam sublimes honores conspiciunt oculo mentis in caelo !

CAP. V.

De bonis Regni Dei.

Quinta ratio illa mihi esse videtur , quia bona Sanctorum in caelis degentium similia quidem videntur esse bonis regnantium super terram ; sed tanto maiora et clariora sunt, quanto caelum praeeminet terris. Itaque Regnum Beatis praeparatum non simpliciter Regnum , sed Regnum caelorum dicitur : ut intelligamus, illam esse proportionem bonorum ad bona , quae est terrae ad caelum, id est, rei angustae, humilis, sordidae, temporariae, ad amplissimam, et celsissimam, et nobilissimam, et quod est omnium maximum,sempiternam. Bona Regni terreni numerari solens, potestas , honor , divitiae , deliciae. Potest Rex terrenus imperare subditis, et nisi pareant, potest illos vinculis, carceribus, exilio, pecuniis, flagellis, morte mulctare. Hinc Reges tremendi populis,et quasi Dii quidam esse censentur. Rursus honorari volunt Reges cultu quodam pene supra hominum naturam : volunt enim de geniculis adorari , nec dignantur saepe , nisi flexo poplite et submisso in terram vultu loquentes audire ; et cum forte per plateas incedunt, volunt obvios quosque de via decedere. Ad haec aerarium amplum et refertum auro et argento requirunt , neque numerant reditus suos per centum aut mille nummos aureos , sed per decies centena millia, et recte, cum non debeant decem et viginti famulos alere, sed magnos exercitus in hostes ducere. Postremo non dignantur consuetis lusionibus animum recreare,sed ad maiestatis suae splendorem pertinere ducunt , ut in conviviis, in venationibus, in theatris multas auri atque argenti libras consumant. Atque haec sunt fere bona Principum terrenorum,quae id in primis commune habent, ut sint omnia brevia et caduca, et cum natali Principum incipiant, cum morte finiantur ; nisi forte aliquando contra accidat , ut diuturnior sit vita quam Regnum. Deinde non sunt pura bona, sed admistam habent potestas infirmitatem, honor ignominiam, divitiae paupertatem, et gaudia luctus ac moerores. Potestas Regis illa est, ut pendeat populus a nutu Principis; sed admista est potestati infirmitas,quia pendet Princeps a brachiis et viribus populi. Quid efficiet nutus Principis in civitate capienda vel defendenda , si populus nequeat aut nolit manus conserere ? Nec solum pendet nutus Principis a viribus subditorum, sed etiam a muris , a vallo , ab armis, a machinis bellicis , a pecunia , quae nervus belli dici solet. Itaque populus pendet ab una re , nutu videlicet Principis , et uni homini servit : Princeps autem pendet a plurimis tum hominibus,tum rebus aliis, et illis omnibus servit. Denique potest Rex subditos vinculis , carcere, exilio , flagris , morte mulctare : sed potest etiam Rex (de facto loquor , non de iure) vinciri, carceri mancipari , exilio , vulneribus, morte mulctari. Id verum esse probavit Julius Caesar, Caius, Nero, Galba, Vitellius, Domitianus, Commodus, Heliogabalus , alii sine numero : nec solum isti flagitiosi Principes , sed etiam modestissimi, Alexander Mammaea, Gordianus iunior, Pertinax, Tacitus , Numerianus , Probus, Gratianus, Valentinianus secundus : ut omittam sanctos viros, sanctum Eduardum Regem Anglorum, sanctum Uvenceslaum Ducem Bohemorum, sanctum Sigismundum Regem Burgundiae , sanctum Kanutum Regem Daniae. et alios. Veniamus ad honorem : coluntur certe Reges dum praesentes et in conspectu aliorum sunt: sed in absentia plerumque convitiis lacerantur et irridentur; et in praesentia quoque multi eis adulantur lingua, qui in corde suo eosdem contemnunt atque despiciunt; et si numerus iniri posset laudantium et vituperantium , multo plures invenirentur vituperantes quam laudatores. Vere igitur gloria Regum ple

rumque minor est quam ignominia : cum praesentes, qui honorant fastigium, sint pauci; absentes vero plurimi, quorum aliqui sordes avaritiae notant, alii crudelitatem, alii luxuriam, alii alia vitia carpunt.

Sed fortasse divitiae Regum purae sunt,nec admistam habent pauperiem ; imo nulli omnino magis egeni ac pauperes Regibus inveniuntur : habent magnos reditus et magnos thesauros, sed habent aes alienum aliquando longe grandius. Et non tam ille pauper est qui parum habet, quam ille qui multa desiderat, quia multis indiget. Et nonne magnum est paupertatis argumentum,quod ab ipsis etiam pauperibus obolos quasi mendicant, dum vectigalia exigunt minuta ab ementibus, quae sunt ad victum necessaria? Neque haec dico,quasi reprehendere audeam exactiones vectigalium: scio enim, iustum esse ut vectigalia et tributa pendantur Regibus,dicente Apostolo in Epistola ad Romanos: *Subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim et tributa praestatis ; ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum : cui vectigal, vectigal.* (*Rom.* 13.) Sed ostendere volui miseram conditionem Regum mortalium, qui necesse habent divitiis abundare, et coguntur etiam a pauperibus et egenis earum partem colligere. Quid iam dicimus de commodis et deliciis? Habent certe Reges hortos, pomaria, mensas opiparas, venationes, theatra, et alia id genus multa ad animos recreandos aptissima : sed habent etiam plerumque podagras, stomachi et capitis dolores ; et quod amarius est, sollicitudines mentis gravissimas, quae aliquando totas noctes insomnes ducere cogunt, suspiciones, timores, angores : si fores cubiculi noctu crepuerunt,proditionem suspicantur: si nuntiatur multitudo armatorum visa, defectionem timent. Ita gaudia moeroribus admiscentur,et quies sollicitudine interrumpitur : quae causa fuit, ut non pauci, relictis Regnis, vitam privatam elegerint.

Sed beatum Joannem Chrysostomum audiamus, qui in homilia quadam ad populum Antiochenum de sui temporis Imperatoribus ita loquitur: *Ne diadema respicias, sed curarum tempestatem : neque purpuram intuere, sed animam ipsa purpura magis nigrescentem. Nam ita corona caput circumdat, sicut animam sollicitudo. Nec in satellitum catervam, sed in molestiarum multitudinem spectes. Nec enim privata domus tot curis plena reperiri potest, quot regiae sunt : mortes per singulos dies expectatae: in noctibus autem, nec dici quidem potest, quoties anima prosilit, et exilire se putat. Et haec quidem in pace : si vero bellum ingruat, quid hac vita miserabilius esse possit? Quot autem a familiaribus pericula irruunt et subditis? quippe consanguineis cruoribus regium pavimentum semper est plenum. Et si vultis aliqua narrem, forsitan agnoscetis ; maxime quidem, et antiqua, et nostris facta temporibus. Ille conjugem adulterii suspectam habens, nudam in montibus alligavit, et feris tradidit, iam factam sibi multorum Regum matrem. Qualem illum vitam agere creditis? non enim, nisi magno fuisset morbo consumptus, in tantam erupisset ultionem. Hic ipse quidem suum iugulavit filium. Eius filiorum hic semetipsum interemit a tyranno comprehensus, ille vero nepotem suum regni consortem, quod ipse arripuerat. Hic autem dicitur et fratrem suum peremisse. Alter rursum post haec venenatis sublatus est medicamentis : et calix fuit ei mors, non poculum : et eius filio, futurorum timore, cum nihil iniuria patrasset, oculus erutus fuit. Alius, neque dicere decet, quam miserabiliter vitam finierit. Sequentium autem hic quidem combustus fuit, tamquam miser quidam et infelix, cum equis et curribus, et aliis omnibus : vitae enim aerumnas nemo sermone exprimere posset. quas cum hic insurrexit, pati compulsus est. Hic, vero, qui nunc imperat, nonne postquam diademate coronatus est, in laboribus fuit, in periculis, in tristitiis, in insidiis? At non talis caelorum Regia.* (*Hom.* 66. *ad populum Antioch.*). Haec ille, qui quam vere dixerit, *non talis, caelorum Regia* ; quae nunc dicemus, ostendant.

Siquidem Reges Regni coelorum, quales sunt omnes illi, qui cum Deo beati vivunt, potestatem habent sine infirmitate, honorem sine ignominia, divitias sine paupertate, voluptatem sine dolore, de illis enim dicitur in Psalmo. *Non accedat ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* (*Psal.* 90.) et in Apocalypsi: *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* (*Apoc.* 21). Itaque potestas Regum illorum caelestium maxima est, infirmitas nulla. Unus Angelus sine exercitu, sine bombardis, sine gladiis et hastis interficit uno impetu centum octoginta millia Assyriorum ; neque timuit ipse, ne forte ab aliquo milite vulneraretur, (*4. Reg.* 19). Refert sanctus Gregorius in libro Dialogorum, virum quemdam sanctum, cum immineret illi carnifex extenso brachio, et nudo gladio, ut eum occideret, exclamasse, Sancte Joannes tene illum; et continuo manum carnificis diriguisse, ut eam nec deponere nec movere posset. (*Lib.* 3. *c.* 36). Itaque sanctus Joannes de summo coelo audivit vocem clientuli sui, et percussorem eius tanta celeritate percussit plaga ariditatis, ut praevenerit ictum iam inchoatum. Haec est potestas Regum coelestium, ut nec distantia loci pene infinita, nec solitudo pauperculi et inermis iusti, nec multitudo hostium armatorum impedire potuerit sanctum Joannem, quo minus supplicem suum a mortis periculo liberaret. Atque exempla eiusmodi sine numero possent adferri. Honor vero Regum illorum coelestium tantus est, ut non solum viri pii, sed etiam impii, et ipsi etiam daemones illos honorent. Multi sunt enim, qui sanctos homines, dum in terris viverent, despiciebant et conculcabant, quos postea in coelum translatos, praesertim si publico Ecclesiae decreto inter Sanctos relati sint, venerantur et colunt : et ipsi etiam daemones, qui viventes in carne sanctos homines tentationibus fatigabant, saepe etiam Deo permittente flagris et verberibus afficiebant, re-

gnantium postea cum Deo in coelis, sacras reliquias et imagines timent. Quid dicam de divitiis coelestium Regum? magnae eorum divitiae sunt, nulla re indigere, cum Deus sit omnia in omnibus. Neque enim dives est, qui multa possidet, sed qui nihil desiderat, cum nulla re indigeat, animus enim dives debet esse, non arca; ut omittam, quod coelum et terra, et quidquid in eis est, ad Sanctorum divitias pertinet: (1. *Cor.* 15.) quid enim non possident, qui sunt *haeredes Dei, cohaeredes autem Christi, quem constituit* (*Rom.* 8.) Pater *haeredem universorum?* (*Hebr.* 1.).

Restat voluptas, quae omnino pura et liquida est in Regibus coeli, sine ulla admissione doloris aut moeroris, iam enim audivimus ex Apocalypsi, abstersurum Deum, omnem lacrymam, ab oculis eorum, neque ullum futurum amplius dolorem aut luctum. (*Apoc.* 21.). Sed de voluptate plura dicenda erunt, cum de Paradiso loquemur. Habemus igitur, bona regnantium talia in coelo futura esse sanctis omnibus Beatisque communia, ut quae sunt in terris, nullo modo cum illis comparari posse videantur, praesertim cum terrena temporaria sint, coelestia sempiterna.

CAP. VI.

Quanti fiant apud homines Regna terrarum; et quanti fieri deberet Regnum coelorum.

Jam vero paulisper attendamus, quanto ardore Regna terrena concupiscantur ab hominibus, quantumvis caduca, exigua, plena timoribus et sollicitudinibus; ut inde colligamus, quanto amore concupiscenda, et quanto ardore quaerenda sint Regna coelestia. Regnandi cupiditas sine dubitatione cupiditates omnes humanas facile superat: nam Regnum non est unum singulare bonum, sed est aggregatio bonorum omnium, quae ab hominibus appetuntur. Ibi sunt potestas, honor, divitiae, voluptas, ut paulo ante dicebamus: ibi est libertas vivendi pro arbitrio, quae naturaliter ab omnibus appetitur non solum hominibus, sed etiam bestiis: ibi est excellentia, et quaedam quasi divinitas, ob quam Reges in Regno pares nullos habent, sed omnibus praestant, omnes superant, ab omnibus adorantur. Hinc videlicet Reges, cum aliquid polliceri volunt, nihil maius inveniunt, quam dimidium Regni sui. Sic Assuerus ad Esther: *Quid vis*, inquit, *qua est petitio tua? etiamsi dimidiam partem Regni petieris, dabitur tibi.* (*Esth.* 5.) et Herodes ad filiam Herodiadis: *Pete a me*, inquit, *quod vis, et dabo tibi; et iuravit illi. Quia quidquid petieris, dabo tibi, licet dimidium Regni mei.* (*Mar.* 6.) Hinc fit, ut ad Regna quaerenda vel propaganda licere sibi existiment homines omnia jura pervertere; neque aliquid tam sanctum esse, quod non liceat regnandi causa violare. Primus omnium, vi amicos et vicinos sine ulla iusta causa bello lacessivit, Ninus fuit; ut videlicet per fas et nefas Imperium propagaret, (*Just. lib.* 1.) ut ex Justino sanctus Augustinus refert in libro De civitate Dei. Julius Caesar ut regnaret, primus patriam oppressit, Maximinus Thrax Alexandrum Imperatorem, a quo plurimis et maximis beneficiis affectus erat, per milites suos occidit, ut illi succederet in Imperium. (*Lib.* 4. *De civit. Dei cap.* 6.) Quod idem fecit Philippus Arabs domino suo Gordiano Imperatori, scelere prorsus inaudito. Nec solum regnandi libido contra proximos et benemeritos, sed etiam contra fratres, nepotes, et ipsum patrem, manus sanguine coniunctorum armavit. Romulus regnandi causa Remum fratrem, et Caracalla Getam fratrem occidit. Athalia nepotes omnes ex filio Ochozia Rege sustulit, ut ipsa regnaret, ut legimus in libro quarto Regum. Ita regnandi cupido non solos viros, sed etiam feminas accendit ad horrenda patranda facinora. (4. *Reg.* 11.) Sinochus Fersa Chosdroam patrem et Medarsem fratrem interimendos curavit, ut solus ipse regnaret. Quid quod Neronis mater, cum accepisset ab Astrologis, filium suum regnaturum, sed matrem interempturum, dixisse fertur: *Interimat, dum imperet.* Itaque tanti fecit ambitiosa mulier Regnum filii, ut vitam ipsam suam postposuerit Regno filii. Neque solum regnandi amor iniustitiam iustam facit, et amorem fratrum, nepotum, parentum superat; sed etiam religionem iuris iurandi (quae apud omnes gentes sanctissima semper est habita, et hostibus etiam crudelissimis, licet cum vitae periculo, servanda visa est) regnandi causa violandam esse decernit. Si enim Ciceroni credimus in libro tertio de officiis, Julius Caesar versus illos Euripidis in ore semper habebat: *Si iusiurandum violandum est, regnandi causa violandum est: in ceteris pietatem colas.* Praetermitto exempla sine numero, quae omnibus saeculis demonstrarunt, nihil omnino esse, quod ab hominibus pluris aestimetur, quam Regnum: et tamen non solum Reges non diu regnant, sed ipsa etiam Regna omnia brevi funditus interibunt, et Regnum Sanctorum solum manebit in aeternum. Audi Danielem Prophetam cap. secundo: *in diebus*, inquit, *Regnorum illorum, suscitabit Deus coeli Regnum, quod in aeternum non dissipabitur, et Regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem et consumet universa Regna haec, et ipsum stabit in aeternum.* Vaticinium hoc implendum est in consummatione mundi: tunc enim non solum Monarchiae maiores, sed etiam parva Regna et magistratus, et potestas temporalium Principum omnis evanesceet; et Regnum Christi et Sanctorum eternum erit, iuxta verbum Angeli Lucae 1. *Et Regni eius non erit finis.*

Jam si Regnum breve, et caducum, et quod paucis contingit, et quod aspersum est amaritudinibus plurimis, tam ardenter amatur, quaeritur, rebus omnibus anteponitur, et per vulnera et magnam sanguinis effusionem acquiritur: quae causa est, cur caeleste Regnum tam pauci ament, et tam negligenter quaerant? et tamen pro comperto habemus, si Scripturis sanctis credimus, Regnum illud omnibus hominibus patere, et sine vulneribus et sanguinis effusione posse acquiri, et sine ulla comparatione Regni terrenis omnibus praestare. Si dicerem, Contemne Regnum, ut accipias parvum agellum aut vineam, merito rideres aut mirareris: sed cum dicam, vel potius Deus dicat,

Contemne Regnum vile et exiguum, et quaere pretiosum et magnum, quod si velis, cum gratia Dei, quae non deerit, poteris obtinere; cur non assurgis ad illud desiderandum et procurandum? Ego certe non capio, quid responderi possit, nisi gloriam Regni terreni oculis nostris patere, et quasi manibus tangi, Regnum caeleste non videri, nec tangi, et vix per fidem utcumque cogitari. Atque hoc quidem verum est: sed si quis velit attente considerare, quantam vim habeat Scripturae sancta veritas, antiquitas, sinceritas, gravitas, et quam in hac parte eadem Scriptura sancta perspicue dilucideque loquatur; et quanta testium nubes illam multis iam saeculis confirmaverit, non solum miraculis, sed etiam sanguine; profecto non poterit non clamare: *Testimonia tua, Domine, credibilia facta sunt nimis.* (*Psal.* 92.) Quare non obscuritas fidei causa est, cur ad quaerendum Regnum illud coeleste non accendamur; sed quod occupati rebus exterioribus, et mole consuetudinis praegravati, non captamus spatium cogitandi et meditandi quid nobis expediat: et iusta consilium Domini non intramus cubiculum cordis, et clauso ostio non attentissime Deum rogamus, ut in tanto negotio nobis adsit. (*Matth.* 6.) Profecto enim si sepositis aliquando minoribus curis, serio cogitaremus quid sit Regnum coelorum, et quam facile et certo possit acquiri, et quanto intervallo distent a temporalibus sempiterna, a minimis maxima, a levissimis gravissima, denique a Regnis terrenis Regna coelestia; sine dubio tantus contemptus temporalium sedium, et coronarum, et sceptrorum, et contra tantus ardor coelestium in nobis, oriretur, ut non solum non difficile, sed etiam facillimum nobis fieret, dare operam totis viribus in quaerendo et comparando Regno Dei; ad quod, tamquam ad verum et ultimum nostrum finem, ab optimo Creatore conditi sumus.

CAP. VII.

Quae sit prima semita ad Regnum Dei.

Illud igitur nunc quaeramus, quid facto opus sit, ut ad optatissimum et felicissimum Regnum coeleste perveniamus. Sed non multum in hac parte laborandum erit: siquidem Rex ipse coelorum ad nos docendos descendit in terras, et Magister ac Dux noster effectus, quatuor optimas et tutissimas semitas nobis ostendit. Prima illa est. *Quaerite primum Regnum Dei, et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis.* (*Matth.* 6.) Doctrina moralis a fine inchoanda est: finis noster Regnum Dei est, quod idem Regnum nostrum erit, si per semitas Ducis nostri ambulantes illuc perveniamus. Porro iustitia Regni Dei quasi scopus est, ad quem collimare debemus, si praemium Regni coelestis optamus. Ut enim recte docet Joannes Cassianus in prima sua Collatione, aliud est finis, aliud est scopus: scopus est signum, ad quod diriguntur sagittae: finis est praemium, quod accipiunt, qui signum illud certius attigerunt. (*Collat.* 1. *cap.* 2.) Scopus actionum nostrarum a Deo propositus, iustitia est; praemium scopum attingentium, Regnum coelorum est. Sed iustitia Regni Dei non est iustitia Scribarum et Pharisaeorum, quae in externa praeceptorum observatione posita erat: nec iustitia Philosophorum, quae lumen rationis humanae per peccatum corruptae non transcendebat; sed est iustitia Evangelica, quae docet Deum diligere ex toto corde, ex tota anima, et ex totis viribus; et proximum quemcumque etiam inimicum, diligere sicut seipsum. (*Mat.* 22.) De hoc scopo et fine dicit sanctus Paulus: *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam.* (*Rom.* 6.) Hoc igitur est quod Dux noster nos admonet, ut primum omnium quaeramus Regnum Dei, et iustitiam eius (*Mat.* 5.) id est, ut primaria nostra cogitatio, summum desiderium nostrum non feratur in ulla temporalia bona, sed in adipiscendum Regnum caelorum, et in perfectam mandati illius primi et maximi diligentissimam observantiam: quod quia paucissimi faciunt, ideo *multi sunt vocati, pauci vero electi.* (*Mat.* 22.) plerique enim ita vivunt, ita se gerunt, ut postrema eorum cogitatio fit, quomodo perveniant ad Regnum coelorum; neque aliud frigidius optent, quam Regnum Dei, et iustitiam eius: quasi Dominus dixisset; Primum quaerite Regnum mundi, et versutias eius, et Regnum Dei adiicietur vobis. At non tam vile est Regnum Dei, ut obtrudi debeat illis, qui adeptionem eius rebus omnibus postponunt. Si quis autem velit facilem quamdam viam discere ad obtinendam iustitiam Regni Dei, quae ad ipsum Regnum rectissime certissimeque perducit, audiat eumdem Magistrum nostrum Christum: *Beati qui esuriunt, et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* (*Mat.* 5.) Itane Domine, tanta est apud te felicitas inveniendi iustitiam, ut eam solum esurire et sitire sufficiat? Beati profecto essent pauperes omnes, si solum esuriendo et sitiendo pecunias, pecuniis ita replerentur, ut saturati nihil ultra requirerent. Sed aliud est esurire et sitire pecunias, aliud esurire et sitire iustitiam. Qui enim esuriunt et sitiunt iustitiam, id est, qui sic anxie et avide quaerunt iustitiam, ut ii qui valde sitiunt, aquas, vel esuriunt cibos, procto de illa semper cogitant, ad illam suspirant, et quod potissimum est, illam a Deo gemitibus inenarrabilibus postulat. Deus autem talia petentes libenter exaudit, atque iustitiae donis ita illos replet, ut satiati eructent verba et facta iustitiae. Non autem tale bonum est pecunia, ut qui eam desiderat vel petit a Deo, continuo exaudiatur: multi enim pecuniis abutuntur, iustitia vero nemo potest male uti. Denique iustitia similis est sapientiae, de qua sanctus Jacobus ait: *Si quis indiget sapientia postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat.* (*Jacob.* 1.) O ineffabilis clementia Domini! qui facilius libentiusque tribuit ea, quae sunt nobis maxime necessaria, quam nos postulemus aut desideremus. Si quis ergo indiget Sapientia Sanctorum, et si quis pariter indiget dono iustitiae; quae necessariae sunt ad Regnum coelorum adipiscendum, postulet a Deo, sicut oportet, ex animo, serio, gemitibus inenarrabilibus, et securus accipiet; quia Deus dat omnibus sic petentibus, neque ullum repellit; et non dat avare

vel parce, sed affluenter; et non improperat, quasi moleste ferens, si quis frequenter petat. Quid hic dicemus ? qui in die iudicii exculare poterit ignorantiam vel infirmitatem ? Esurias tantum iustitiam, et petas eam a Deo, et satiaberis ex ea, ut iam non esurias carnis blanditias, nec bonorum lenocinia, nec ulla alia bona terrena; et sic iuste, sobrie, et pie vives in hoc saeculo, ut in futuro ad Regnum pervenias sempiternum.

CAP. VIII.

Secunda semita ad Regnum Dei.

Altera semita iustitiae, quam Dux noster ostendit, illa est : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum coelorum.* (*Matt.* 5.) Quo loco non imperatur nobis, ut arcam vel marsupium omnino pecuniis inane reddamus, sed ut cor nostrum affectu et cupiditate rerum externarum penitus evacuemus. Offert nobis Dominus opes immensas, sed non dabit, nisi cordis sinum apertum et vacuum penitus offeramus. *Radix omnium malorum est cupiditas,* (1. *Timot.* 6.) quae Graece dicitur φιλαργυρία, id est, amor argenti ; radix omnium bonorum est charitas, quae duo simul manere non possunt. Ideo nisi quis vere et omnino pauper spiritu efficiatur, ita ut sive magnas sive exiguas opes habeat, illis non afficiatur, et facile distribuat indigentibus, neque in usum suum convertat, nisi quantum necessitas exigit ; non poterit implere iustitiam Regni coelorum, ac per hoc nec ipsum coelorum Regnum adipisci poterit. Haec vera semita est ad vitam aeternam; hanc ipse primus ingressus est Christus, qui propter nos egenus factus est, ut nos inopia sua locupletaret : (2. *Cor.* 8.) et quamvis loculos haberet, tamen Judae illos credidit, quem furem esse non ignorabat, ut intelligeremus, quam animus eius liber esset ab amore pecuniae. (*Joann.* 12.) Hanc semitam ingressi sunt Apostoli, quibus non difficile fuisset augeri divitiis, et in immensum locupletari, quando signis et prodigiis coruscabant; et linguis omnium gentium loquebantur, et sapientia toti mundo admirabiles erant: sed qui semel dixerant: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te* : (*Matth.* 19.) et gustaverant dulcedinem libertatis a visco et amore divitiarum ; victu et vestitu contenti, magnum quaestum existimabant pietatem et iustitiam Regni Dei. (1. *Tim.* 1.) Hanc semitam ingressi sunt non solum Monachi et Eremitae, sed etiam Reges et Pontifices, qui ad Regnum coelorum pervenerunt. Certe sanctus Ludovicus Rex Francorum dives erat; sed quia simul spiritu pauper erat, vulgari vestitu utebatur, ieiunabat frequenter, pauperibus largus, soli sibi parcissimus erat : nec legitur in ludos et convivia pecunias insumpsisse. Sanctus quoque Gregorius Pontifex maximus erat, et multa variis in locis patrimonia Ecclesiastica satis ampla et pinguia possidebat : sed quia ipse quoque spiritu pauper erat, tam fuit in eleemosynas profusus, in proprium usum parcus, ac pene avarus, ut metas liberalitatis in alios, et parcitatis in se ac suos excessisse videretur. Sed haec est via, quae ducit ad vitam.

Ac ut par feminarum spiritu pauperum adiungamus, sancta Paula Romana, cuius Vitam sanctus Hieronymus scripsit, non minus dives opum, quam pauper spiritu fuit: quippe femina nobilissima copias suas in exstruendis monasteriis, et pauperibus alendis tanto ardore consumpsit, ut in votis haberet ad eam inopiam redigi, ut funus eius aliena misericordia curari oporteret : quam parce autem ipsa pro se divitiis uteretur, illud argumento esse potest, quod carnibus, et ovis, et vino sibi ipsa interdixit ; pro lineo indusio cilicio utebatur, humi cubabat solo substrato cilicio ; precibus et lacrymis assiduis minuta etiam peccata purgabat. Jam Edvigis Regina Poloniae, dives opum, sed paupertate spiritus ditior, unica eaque vili contenta tunica, etiam in summis frigoribus utebatur, ieiunabat quotidie, Dominicis et magnis festis, diebus exceptis : flagellis, vigiliis, et omni genere asperitatis corpusculum affligebat. (*Surius in eius Vita, cap.* 4.) Ex his potest intelligi, quibus in rebus opes regias insumeret, et quam modicò, vel nullo potius amore prosequeretur divitias. Proinde mirum non est, si magnis itineribus ad Regnum caelorum mulier tam pauper spiritu, et tam ab omnibus aliis curis expedita pervenit.

CAP. IX.

Tertia semita ad Regnum Dei.

Tertia semita Ducis nostri illa est, *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum caelorum.* (*Mat.* 5.) Admiranda plane sapientia Doctoris nostri Christi, sed occulta plane sapientibus huius mundi. Quis crederet, nisi magister Deus diceret, bonum esse pauperem esse pecuniarum, divitem pressurarum? et tamen vere sic est. Nihil utilius ad veras divitias comparandas, quae sunt merita Regni caelestis, quam animum habere vacuum affectu pecuniarum, et simul plenum desiderio patiendi pro Christo. Audi Dominum apud Lucam. *Vae vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram. Vae vobis, qui saturati est. Vae vobis, qui ridetis.* (*Luc.* 6.) Et contra in eodem loco : *Beati pauperes ; beati qui nunc esuritis, beati qui nunc fletis ; beati eritis, cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint et ejecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis : Gaudete in illa die, et exultate; ecce enim merces vestra multa est in caelo.* Audi beatum Jacobum, quid de divitiis quid de tribulationibus dicat : *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet.* (*Jacob.* 1.) Ubi non dicit, Tolerate, substinete, patientes estote ; sed, Gaudete, imo vero *omne gaudium existimate*, id est, suscipite tribulationem, non ut tribulationem, sed ut materiam omnimodi gaudii. Contra vero de divitiis : *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis quae advenient vobis,*

et capite superiore : (*Jac.* 5.) *Miseri estote, et lugete, et plorate : risus vester in luctum convertatur, et gaudium in moerorem.*

At unde fit, ut persecutio beatum hominem faciat, quae miserum potius facere videtur? Multa hic dici possent: sed illo ero contentus uno, quod persecutio similis est fornaci ignis ardentis; ignis autem coquit cibos, purgat argentum, probat aurum : sic etiam persecutio, si patienter toleretur, coquit peccatores, purgat imperfectos, probat iustos, et sic omnibus mirifice prodest. Peccator est quasi caro cruda; quae nisi rite coquatur, proiicitur ad bestias, non comeditur ab hominibus. Est enim peccator malis omnibus plenus ; concupiscentia carnis, quae est luxuria; concupiscentia oculorum, quae est avaritia ; et superbia, quae est ambitio. Sed si accedat fornax persecutionis, illo igne siccatur et coquitur, ut fiat idoneus, qui ad mensam Domini honorifice deferatur. (*Joan.* 2.) Ingruente siquidem persecutione vel tribulatione gravi, obliviscitur libidinum, lucrorum, ambitionum, incipit omnino alius esse quam ante fuerat. Homo vero iustus, sed imperfectus; quamvis non labatur in horrenda flagitia, tamen amicus est carnis suae, sequitur voluptates, amat lucra, non abhorret a vanitatibus mundi. Itaque similis est argento scoriam multam habenti admistam. Sed si fornax magnae persecutionis illum corripuerit, eamque patienter tulerit, incipiet paulatim ab argento scoria separari ; incipiet, inquam, intra se colligi,meditari quae sursum sunt, abstinere a carnalibus desideriis, denique iuste, sobrie, et pie vivere in hoc saeculo,et expectare beatam illam spem, et adventum gloriae magni Dei. Denique vir perfectus in charitate aurum est, sed probandus igne persecutionis, ne putetur ab aliis, et ipse etiam suspicetur aurichalcum esse, non aurum : (*Tit.* 2.) ubi enim ignem persecutionis patienter ferre conspicitur,non solum ab aliis cognoscitur esse qui est, sed ipse quoque erigitur in spem magnam, et securior meredem illam Regni caelestis expectat. *Tribulatio*, inquit Apostolus, *patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit,* (*Rom.* 5.) Et ipse Deus probatum amicum suum igne tribulationis, quotidie magis ac magis provehit et exaltat, donec ad confortium Regni felicitatisque perducat. Ecce quam multa parit patientia in persecutionibus. Et quidem mirum est, quam pauci sit, qui bonis istis fruuntur, cum bona ista omnibus pateant : siquidem persecutio ubique inveniri potest, ubique nobis occurrit, in domo, in via, in foro, in templo ; ubique enim mali oppugnant bonos : et certissima est Apostoli sententia. *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patienter.* (2. *Timot.* 3.) Sed nos delicati milites vel fugimus fornacem probantem,vel acceptam iniuriam refundimus in adversarium ; et non solum persecutionem non patimur, sed facimus. Et non desunt, *inimici hominis domestici eius,* (*Matth.* 10.) qui laudant eum, qui se iniuria (ut ipsi loquuntur.) exonerat, et onerat adversarium ; et tamen Christiani dici volunt,qui Christi praecepta contemnunt.

CAP. X.

Quarta semita ad Regnum Dei.

Sed quoniam haec valde difficilia sunt, et pauci valde haec intelligunt, et multo minus experiri volunt, ideo Dux noster, quartam semitam, eamque angustissimam demonstravit,dicens: *Regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* (*Matth.* 21.) ac si dicere voluisset. Non ignorabam, paradoxa visum iri hominibus, beatos esse pauperes, miseros divites ; et contra, gaudendum in persecutionibus, flendum in prosperitatibus : neque me latebat,raros fore qui vellent praesentia bona pro futuris acquirendis dimittere, et praesentia mala pro futuris vitandis optare : sed ego, qui veritas sum, non potui nec debui nisi vera dicere : ideo nunc addidit, Regnum caelorum non posse nisi a vim magnam facientibus rapi, et solos violentos illud arripere. Ideo alibi dixi: *Quam difficile qui pecunias habent, in Regnum Dei intrabunt! Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in Regnum Dei* (*Luc.* 18.) et rursum alibi : *Quam angusta porta, et arcta via est, quae ducit ad vitam,et pauci sunt, qui inveniunt eam!* (*Matth.* 7.) et item alibi dixi? Regnum caelorum simile est thesauro abscondito in agro,et margaritae pretiosae, quae nisi venditis omnibus emi non possunt : (*Matth.* 13.) ut sit omnino necesse privari hominem omnibus, quae habet in terra, si caelestem thesaurum, et margaritam pretiosam possidere velit in caelis. Et item alibi protestatus sum aperte, et sine ambagibus dixi : *Qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.* (*Luc.* 14.) Quae renuntiato quamvis in praeparatione animi intelligenda sit, tamen quoniam vera animi praeparatio ad omnia temporalia dimittenda, si salus animae vel Dei gloria id requirat, non est res facilis, et in paucis invenitur; ideo similitudines illas addidi, de eo, qui vult turrim aedificare, et non habet ad perficiendum, et de Rege qui cogitat bellum gerere adversus alium Regem, et non habet pares vires, ut cum spe victoriae possit illi occurrere. Et si aedificatio turris absque maximis pecuniis, et bellum adversus potentem Regem sine maximo exercitu, res sunt difficillimae, ac pene impossibiles: quanto difficilius erit simul utrumque praestare? utrumque autem praestare debet, qui Regnum caelorum expugnare velit : nam et turris aedificanda est, quae pertingat ad caelum ; id est, merita comparanda, quae vitam aeternam promereantur: et simul pugnandum est cum hostibus plurimis et fortissimis, spiritibus videlicet immundis, qui totis viribus turris illius aedificationem impedire moliuntur. Cuius rei figura praecessit in filiis Israel, qui cum Jerusalem a Chaldaeis dirutam atque eversam reaedificare vellent, et a gentibus vicinis bellantibus impediverunt, necesse habebant incredibili sollicitudine et labore una manu aedificare, altera praeliari. (2. *Esd.* 4.) Ex quibus omnibus illud efficitur, Regnum caelorum non sine magno labore et sudore obtineri posse ab iis, qui rebus

terrenis addicti sunt, neque carnis concupiscentiam domare: aut cum hostibus invisibilibus pugnare didicerunt. Si qui tamen velint, aspirante gratia Dei, serio perfectioni Christianae studere, et non perfunctorie, sed attentissime Christi voces considerare, et eiusdem ac Sanctorum omnium exempla sectari, paulatim ei dilatabitur via, aperientur portae, vires animi crescent, hostes diminuentur, et crescente charitate Dei in Christo Jesu, incipiet onus videri leve, et iugum suave; (*Matth.* 11.) et illud Isaiae complebitur: *Qui superat in Domino, mutabunt Fortitudinem, assument pennas sicut aquilae, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient*: (*Isa.* 40.) et dicent cum Propheta Regio: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* (*Ps.* 118.) Profecto non erat s. Antonio grave totas noctes insomnes ducere, imo brevissima videbantur spatia noctis prae divinae contemplationis dulcedine, quando de sole ipso querebantur, dicens: *Quid me impedis, sol, qui ad hoc iam oriris, ut me ab huius veri luminis abstrahas claritate?* (*Cassianus Colla.* 9. *cap.* 31.) Neque durum erat eidem, atque aliis ei similibus, per integras hebdomadas continuare ieiunia; quando verbi divini lectione, quasi caelesti pane reficiebatur. Neque amarum erat sancto Augustino carere suavitatibus nugarum, quibus ab ineunte adolescentia assuetus erat, quando gustare coepit suavitatem divini amoris, et deliciarum contemplationis internae. Quare nemo despondere animum debet, quicumque ille sit, sed sperare in adiutorio Altissimi, qui sicut nos fecit ad se, ita etiam trahet ad se, et in Regno suo per merita Filii sui collocare dignabitur, quos pretioso sanguine eiusdem Unigeniti sui redimere dignatus est.

Quare, anima Christiana, non solum non debes ob difficultatem viae animum despondere, sed sperare in Domino, qui non invitaret ad Regnum suum imprimis quaerendum, nisi paratus esset auxilio suo potentissimo nos adiuvare. Aggredere igitur magno animo iter vitae. Nullus est hic deliberationi locus. Nam si magnus sese offert labor, maius omnino sese offert praemium: et si magnae sunt vires hostium, qui impediunt, maior est potentia eius, qui adiuvat, Dei. Et si tam multi omnium aetatum et omnis sexus potuerunt per viam hanc ad Regnum pervenire, cur tu non poteris per viam eandem pervenire? Illi enim non saxei aut ferrei erant, sed carnei, mortales, fragiles; et ideo non in se potuerunt, sed in Domino Deo suo. Cur igitur et tu, quamvis debilis et infirmus, non poteris in Domino Deo tuo? *Proiice te in eum*, inquit sanctus Augustinus, *noli metuere*; *non se subtrahet ut cadas*: *proiice te securus, excipiet te, et adiuvabit te.* (*Lib.* 8. *Conf. cap.* 11.) Fidelis Deus est, se ipsum negare non potest. Duo solum a te requiruntur; unum, ut firmissime statuas gloriam Dei, et aeternam salutem tuam, rebus omnibus anteponere: alterum, ut non in viribus tuis, nec in prudentia tua, sed in Dei omnipotentia et infinita charitate confidas. Haec duo si vere praestiteris, efficientur tibi *prava in directa, et aspera in vias planas*; (*Isa.* 40.) et servies Domino in laetitia et exultatione, et cantabis *in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini.* (*Ps.* 137.)

DE

AETERNA FELICITATE

SANCTORUM

SUB NOMINE REGNI DEI

LIBER SECUNDUS

CAP. I.

De pulchritudine Civitatis Dei.

Gloriosa *dicta sunt de te, Civitas Dei:* (*Ps.* 66.) propterea concupivi et ego decorem tuum meditando utcumque per speculum in aenigmate videre. Atque illud primum omnium considerandum occurrit, cur Sanctorum felicitas, quae Regnum caelorum in Scripturis sanctis dicitur dicatur etiam Civitas Dei. Et illa ratio mihi esse videtur, quoniam sicut Regnum dicitur ob amplitudinem, sic etiam Civitas dici meretur ob venustatem: potuisset enim aliquis, cum audit Regnum latissimum atque vastissimum, suspicari in eo multa loca deserta et squalida, solis bestiis pervia, montes incultos, valles silvestres, rupes inaccessas, denique dumeta, praecipitia, et alia id genus. Sed quoniam omnis haec infelicitas longissime abesse debet a felicitate Sanctorum, ideo Spiritus Sanctus in Scripturis suis admonuit, Regnum caelorum simile es-

in Christo Iesu, persecutionem patientur, (2. *Timot.* 3.) Apostolus Quam infelix igitur est civitas mundi huius, in qua necesse est adversarios pati, et bella gerere! Nam si pius esse velis, persecutionem hominum patieris: si volueris impius esse ut persecutionem hominum fugias, incides in iram Regis altissimi atque omnipotentis, qui te persequetur, et vivum mortuumque mactabit, cuius irae resistere nemo potest. Infelix et funesta regio, in qua nemo bellum, nemo persecutionem fugiet, nemo pacem veram inveniet. Quin igitur toto corde diligimus et laudamus Civitatem caelestem, a qua sola omnis persecutio abest, et in qua bella nulla, nullae inimicitiae, nullae rixae locum habere possunt?

CAP. III.

De libertate Civitatis Dei.

Tertia causa, cur Regnum Dei Civitas appelletur, illa est, quia Regnum formam habet monarchicam, quae libertati opponi videtur: et tamen cives caeli omnes liberi sunt, et mater nostra, quae sursum est, Jerusalem, libera est, ut Apostolus Paulus scribit ad Galatas. Qui beatus Apostolus scit quid loquatur, cum raptus fuerit aliquando in tertium caelum, et in Paradisum, et exploratos habeat mores et iura Civitatis. (*Gal.* 4. 2. *Cor.* 12.) Ergo cum Regnum videatur includere servitutem, et Civitas libertatem; Regnum illud Civitas dici poterit, ubi qui Regi serviunt, liberi sunt. Est autem in sanctis habitatoribus caeli non una et simplex, sed multiplex libertas. Primum enim liberi sunt cives illi omnes a servitute peccati; quia libertas prima, quae fuit in Paradiso terrestri, erat posse non peccare; libertas secunda longe maior est in Paradiso caelesti, non posse peccare, ut sanctus docet Augustinus lib. De corrept. et gratia. (*Cap.* 11.)

Altera libertas est a servitute mortis, similis priori: liber enim fuit Adam in Paradiso terrestri, ut posset non mori; liberi sunt filii Adam in Paradiso caelesti, ut non possint mori. Neque miretur aliquis, quod libertatem ponamus in eo quod est non posse aliquid facere; siquidem non posse peccare, et non posse mori, indicant eminentiam libertatis a servitute peccati, et a servitute mortalitatis. Qui enim non potest peccare, non solum liber est a peccato, sed etiam tam longe abest ab ea servitute, ut certus sit ac securus, numquam ad se mortem propinquaturam: qua libertate solus Deus naturaliter gaudet, dicente Apostolo: *Qui solus habet immortalitatem.* (2. *Timot.* 6.) Quamvis enim Angeli et animae, ratione praeditae dicantur naturaliter immortales, quia non habent principium corruptionis in natura sua; tamen potest Deus, qui condidit, etiam occidere. Sed certi sunt ac securi, ut diximus, Angeli et homines beati, se neque peccaturos, neque morituros, ac per hoc liberrimos esse a servitute peccati et mortis, quae est participatio honorificentissima libertatis divinae.

Tertia libertas est a necessitate, eaque multiplici. Nunc enim necesse habent homines mortales comedere, bibere, dormire, laborare, nunc stare, nunc ambulare, nunc iacere. At Sancti in caelo nulli necessitati sunt obnoxii, sed ab omni necessitate liberi. quae est libertas gloriae filiorum Dei, de qua loquitur Apostolus in Epistola ad Romanos. (*Rom.* 8.) Quanta sit haec libertas, testari possunt primo viri pauperes, deinde viri spirituales, tertio viri divites, et amici huius saeculi. Homines pauperculi quantum laborant, ut cibum et potum, vestes et lectum, et alia necessaria sibi et suis provideant? et quam ingentes gratias haberent et agerent eis, qui se ab hac necessitatis servitute liberarent? Nec desunt, qui ad furta et latrocinia, vel alias malas artes pertrahi se sinunt, ut necessaria vitae subsidia sibi conquirant: dicunt enim cum villico illo iniquitatis de Evangelio: *Fodere non valeo, mendicare erubesco: scio quid faciam.* (*Luc.* 16.) fraudabo dominum meum; id est, furto vel rapina liberabo me a servitute necessitatis. Sed hoc est incidere in servitutem longe graviorem, videlicet in servitutem peccati et diaboli, hostis generis humani longe teterrimi. Viri sancti, qui rebus caelestibus inhiant, grave onus existimant servitutem corpus curandi, quod et multis indiget, et magnam temporis partem rebus longe melioribus furatur. Scribit Eusebius in Historia Ecclesiastica ex Philone, primos Christianos Alexandriae in Aegypto sub Marco Evangelista degentes, adeo delectari solitos caelestibus meditationibus, ut cibum numquam sumerent, nisi post solis occasum, ut sic totum diem, et magnam noctis partem studiis caelestibus darent, et vix noctis particulam corpori reficiendo relinquerent, aliquos tamen per totum triduum cibi corporalis oblivisci solitos; aliquos etiam per sex integros dies. (*Lib.* 2. *Histor. cap.* 16.) Atque hoc ipsum multis sanctis Eremitis postea commune fuisse testantur Joannes Cassianus in Collationibus, et Theodoretus in Historia religiosa. Itaque istis omnibus gravissima vibebatur servitus necessitatis corporalis, et cum Apostolo clamabant: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* (*Rom.* 7.) Porro civibus huius mundi, praesertim divitibus, non est ingrata servitus ista necessitatis: sed tamen si saperent, gravissimam ipsi etiam iudicarent. Sapit illis cibus et potus, et dulcis est somnus in molli culcitra: sed si modum excedunt, replent corpus suum morbis, ad quos repellendos amaras potiones sumere, et dolores non leves tolerare coguntur. Deinde oportet eos, velint nolint, vel cum Deo inimicitias gerere, et iram eius gravissimam sustinere, vel cum carnis concupiscentia pro temperantia et sobrietate pugnare, quod bellum sine dubitatione laboriosissimum et periculosissimum esse solet. Magna igitur et molestissima necessitate liberantur et pauperes et divites, et probi et improbi, cum a servitute miserae et multiplicis necessitatis liberantur.

Quarta libertas est a lege, et praeceptis. Justis enim non est lex posita, sed iniustis, ut Apostolus docet in priore ad Timotheum. (1. *Tim.* 1.) Nulli sunt autem magis iusti quam Beati, qui sunt in

se pulcherrimae et ornatissimae civitati; et quamvis latissime longissimeque pateat, totum tamen ita nitere et splendere, ut civitas frequentissima et opulentissima solet. In civitatibus enim, praesertim maioribus, visuntur templa ornatissima, palatia superbissima, horti amoenissimi, fora amplissima, domus frequentissimae,fontes, columnae pyramides, obelisci, theatra, turres, officinae omnium rerum ad usum humanum utilium. Quae species esset Italiae, si sublato sterili Apennino tota fulgeret ut Roma, non qualis nunc est, sed qualis sub Augusto Caesare erat, qui eam ex lateritia marmoream reddidit? Et quam formosa fuisset olim Syria, si tota fuisset,qualis erat Ierosolyma paulo ante quam a Romanis everteretur? describit enim eam Josephus lib. VI. De bello Judaico,ut omnino stupori sit magnificentia Urbis illius, (*Lib.* 6. *cap.* 6.) de qua non sine causa canit Propheta. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (*Ps.* 86.) et tamen nondum pervenerat ad eam eminentiam, ad quam post Davidem et Salomonem Herodes magnus illam evexit. Quam autem praeclara fuisset Chaldaea,et omnis Assyria et Mesopotamia vel potius Oriens totus, si Babylon civitas omnem illam mundi partem moenibus suis complexa esset? Sic enim de ea scribunt Plinius lib. VI. et Strabo lib.xx. ut incredibilis videatur eius magnitudo et pulchritudo, ex quo e septem miraculis mundi, Babylon civitas unum esse memoratur. Qualis igitur erit Civitas illa caelestis, superna Ierusalem, quae totum occupat Regnum caelorum? id est, quae facit, ut Regnum illud Regnorum omnium maximum ita splendeat ac fulgeat,ac si esset totum una civitas pulcherrima et ornatissima, nusquam inanis, nusquam deformis, nusquam vilis, nusquam inculta, nusquam horrida. Certe talis est Civitas superna,ut nemo de ea serio cogitet quin in cupiditatem tantae rei continuo exardescat et nemo vere exardescat, quin continuo relictis omnibus eam requirat, et numquam quiescat, donec eam inveniat. Audi quid de illa Civitate dicat Tobias senior in spiritu exultans et canens: *Luce splendida fulgebis, et omnes fines terrae adorabunt te. Portae Ierusalem ex sapphiro et smaragdo aedificabuntur,et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius: ex lapide candido et mundo omnes plateae eius sternentur,et per vicos eius Alleluia cantabitur.* (*Tob.*13.) et Tobiae concinit sanctus Ioannes in Apocalypsi dicens:*Et erat structura muri eius ex lapide iaspide: ipsa vero Civitas aurum mundum simile vitro mundo: et fundamenta muri Civitatis muri lapide pretioso ornata: et singulae portae erant ex singulis margaritis: et platea Civitatis aurum mundum.* (*Apoc.* 21.) Neque vero caelestis Jerusalem vere ex auro et lapidibus pretiosis, quales habentur in terris, ornata cernetur: sed haec ita dicuntur, ut intelligamus, caelestem Civitatem tantum praestare terrenae, quantum aurum praestat luto, et margaritae saxis, et stellae sychnis, et sol faculae, et caelum terrae, et mortalibus architectis immortalis opifex Deus.Sed quia de pulchritudine omnium partium Civitatis Dei paulo infra dicturi sumus,nihil hic addemus amplius.

CAP. II.

De concordia et pace Civitatis Dei.

Altera causa cur Regnum Dei dicatur etiam Civitas Dei, illa esse videtur,quia Regnum continere solet multitudinem prope infinitam gentium diversarum, linguis, moribus, legibus inter se distinctarum,ubi multi multos eiusdem Regni numquam viderunt,multo minus cum eis amicitia iuncti sunt; Civitas vero solos continet cives eiusdem linguae, et morum eorumdem et qui legibus iisdem et consuetudinibus gubernantur. Idem igitur dicitur Regnum et Civitas, quia Regni caelestis habitatores, quamvis plurimi sint, et numerari vix possint, et ut loquitur sanctus Ioannes, ex omnibus gentibus et tribubus, et populis, et linguis sint congregati; et rursum ex Angelis, Archangelis, Principatibus, Potestatibus, Virtutibus, Dominationibus, Thronis Cherubim, et Seraphim constent, qui multo plures quam homines sunt,et non gentibus et populis et linguis, sed naturae diversitate, id est,specifica differentia singuli distinguuntur: (*Apoc.* 7.) tamen sunt omnes veri cives, concordes, unanimes, et unica ac sola charitatis lege reguntur. Itaque sunt omnes cor unum, et spiritus unus. (*Rom.* 14.) Et quia charitas odio, invidentiae, contentionibus,discordiis, rixis, aliisque peccatis, et vitiis contraria est: ideo ab illa sancta Civitate Ierusalem procul absunt irae, rixae, contentiones, invidiae, et sola charitas regnat, et cum ea iustitia,pax,et gaudium in Spiritu Sancto.Factum est quidem ab initio creationis rerum proelium magnum in caelo inter Michaelem Archangelum et draconem sed Archangelus Michael et Angeli eius, qui in veritate steterunt, et Domino suo fidem et obedientiam servaverunt, de dracone et angelis eius, qui in superbiam erecti ab ipso communi Domino defecerant, victoriam reportarunt: (*Apoc.* 12.) *et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, qui seducit universum orbem, et proiectus est in terram.*Ab illo tempore Civitas sancta Ierusalem caelestis posuit fines suos pacem; nec audita est in ea tuba bellica, neque audietur ultra usque in aeternum. (*Ps.* 147).

Quid ergo dulcius, quid felicius hac Civitate? Quibus nota sunt mala bellorum, depraedationes, caedes, rapinae,incendia,sacrilegia, ii facile praedicare possunt, quanta sit iucunditas et amoenitas pacis. Sed omissis publicis bellis, quis est, qui in civitate sua, imo etiam in domo sua, non sit expertus, quam sit amarum versari cum iracundis vel asperis hominibus, qui omnia in partem deteriorem interpretantur? *Discede ab iniquo, et deficient mala abs te,* (*Eccl.* 7.) inquit Ecclesiasticus. Sed quo ibimus, ubi non inveniamus iniquos? et si ubique inveniuntur iniqui, certe in omni loco comitabuntur nos mala, dum sumus in hoc exilio. Audi quid idem Ecclesiasticus dicat de uxore mala *Commorari leoni et draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam.* (*Eccl.* 25.) et si socia vitae propter nequitiam vertitur in leonem et draconem, quantis angoribus expositi sunt plerique mortales? *Omnes qui pie volunt vivere*

iustitia confirmati, neque iniusti fieri possunt. Verum quidem est, iustis in hoc mundo degentibus non esse positam legem comminantem et prementem,quia sponte sua et libenti animo obediunt legi: tamen negari non potest quin sit eis posita lex dirigens et obligans ad faciendum, quod lex iubet, et fugiendum, quod lex prohibet. At iusti, qui fruuntur libertate gloriae filiorum Dei, nulla indigent lege, cum in Verbo videant omnem iustitiam, et confirmati in charitate perfecta nequeant a Dei voluntate declinare. Magnum bonum est haec libertas,quae ab omni sollicitudine liberat, et omnino contraria est captivitati et servituti infelicium illorum, qui ligatis manibus et pedibus proiicientur in tenebras exteriores, et in caminum ignis, (*Matt.* 22.) ut nec tolerare nec fugere tormenta illa possint. Et tamen nemo hominum est, quem non oporteat alteram ex illis tam contrariis sortibus subire. (*Matt.* 13.) Sed ita plerique excaecati sunt fumo praesentis honoris, vel pulvere terrenorum bonorum, ut ista non videant, neque considerent, donec repentinus super eos veniat interitus (1. *Tim.* 5.) et oculos aperiat poena, quos clauserat culpa.

CAP. IV.

De situ et forma Civitatis Dei.

Sed nos ad Civitatem caelestem revertamur; et situm, formam, fundamentum,portas, muros eius, et plateas,cum attentione consideremus. Situs est in montibus sanctis: sic enim legimus in Psalmo: *Fundamenta eius in montibus sanctis.* (*Ps.* 86.) cui consonat s. Joannes in Apocalypsi, cum ait: *Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum,et ostendit mihi Civitatem sanctam.* (*Apoc.* 21.) Situs autem civitatis in monte, tum ad aeris salubritatem, tum ad munitionem utilis esse solet. Qui sunt autem montes altiores caelis? et quis est mons super omnes montes exaltatus, nisi caelum caeli, de quo cecinit David: *caelum caeli Domino?* (*Ps.* 113.) Hic est mons ille, ad quem suspirabat idem Propheta cum diceret: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* (*Ps.* 23.) et a quo auxilium implorabat et exspectabat, dicens: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* (*Ps.*120.) Itaque situs Civitatis Dei tam est sublimis, ut omnino transcendat omnia, quae ullo modo pacem et quietem Civitatis perturbare possent. Altior enim est, quam ut ad eum perveniat pulvis et lutum, spinae et tribuli, morsus ac venenum bestiarum terrae; altior quoque, quam ut vapores et caligines aeris, grandines et tonitrua, ignis et fulgura illam exterreant: denique altior, quam ut volucres illae immundae et rapaces, quas Apostolus ad Ephesios *spiritalia nequitia in celestibus* (*Ephes.* 6.) appellat, ad eam ullo modo pertingant.

Forma Civitatis Dei quadrata est: sic enim loquitur sanctus Joannes: *Et Civitas in quadro posita est, et longitudo eius tanta est, quanta et latitudo.* (*Apoc.* 21.) Hoc vero nihil aliud significat,nisi admirabilem perfectissimamque iustitiam, quae in illa Civitate viget, ubi nihil est iniquum, nihil dissonum, nihil distortum. Sic explicat sanctus Augustinus illud Psalmi. *Mirabile in aequitate.* (*Ps.* 64.) id est, in iustitia. Et sane mirabile prorsus erit, videre incolas Civitatis illius plane innumerabiles, atque omnes liberrimo arbitrio praeditos, et tamen in nullo eorum per omnem aeternitatem quidquam posse notari distortum,neque in opera, neque in verbo, neque in cogitatione. Vere igitur Civitas illa in quadro posita est, ut latitudo nec in modico excedat longitudinem, neque latitudinem longitudo. Quamvis possit etiam quadrata ista figura significare, latitudinem bonorum caelestium aequalem esse longitudini, quia sicut bonorum copia erit infinita,sic et duratio eorum erit infinita. Latitudo enim in Scripturis ad multitudinem rerum,longitūdo ad durationem eiusdem rei accommodari solet. Sic in libro tertio Regum dicitur multiplex sapientia Salomonis latitudo cordis, sicut arena quae est in littore maris: (3. *Reg.* 4.) et in Psalmo nonagesimo dicitur temporis duratio, longitudo dierum. Erit igitur in Civitate Dei nostri tanta latitudo, quanta,et longitudo, quia ibi erit immensitas bonorum cum eorundem bonorum aeternitate coniuncta. Addit paulo post sanctus Joannes, altitudinem quoque Civitatis tantam esse, quanta est latitudo, ut omni ex parte quadrata sit Civitas, quia videlicet bona caelestis Jerusalem non solum erunt plurima et sempiterna,sed etiam nobilissima atque celsissima. Neque multum refert, quod nostri Vitruvius. (*Lib.* 1. c. 5.) et Vegetius non probent in civitatibus situm quadratum: (*Lib.* 4. *cap.* 2.) nam illi de civitatibus loquuntur,quae timent hostes,Scriptura vero sancta de Civitate loquitur, quae posuit fines suos pacem; (*Ps.* 147.) et ad quam propter summam altitudinem malum non potest accedere,ut sanctus Propheta cecinit. (*Psal.* 90.

CAP. V.

De fundamentis et portis Civitatis Dei.

Porro fundamentum Civitatis huius eiusmodi est, ut ipsa sola fundamentum habere merito dici possit. Sic enim loquitur sanctus Apostolus in Epistola ad Hebraeos: *Expectabat enim fundamenta habentem Civitatem, cuius artifex et conditor Deus.* (*Heb.* 11.) Reddit enim Apostolus rationem, cur Abraham non aedificaverit in terra promissionis civitatem, aut domum, sed habitaverit in ea quasi peregrinus: causa enim est, quia intelligebat,terram illam promissionis fuisse figuram quamdam maioris terrae promissionis, et ideo nolebat domum vel civitatem perituram aedificare, quia expectabat Civitatem stabili fundamento innixam, cuius artifex et conditor est Deus. Itaque sola Civitas caelestis fundamentum vere et proprie habet, quae a Deo aedificata in aeternum durabit: civitates,quas aedificaverunt homines, Cain, Nembroth, Ninus, Nabuchodonosor, Romulus, et alii, quod saepe corruerint, et quod in consummationem mundi funditus delendae sint,satis ostendunt, fundamentum non habuisse. Hinc intelligere pos-

sumus, quanto sapientiores nobis fuerint illi Patriarchae, qui cum duplo amplius viverent quam nos vivamus, et per aliquot annorum millia expectaturi essent, antequam in Civitatem caelestem introirent: tamen neque civitates neque domos aedificare dignabantur; sed in tabernaculis, ut hospites et peregrini, habitabunt,certa et viva fide et spe tenentes, habituros se esse Civitatem aeternam in caelis, et quae in terris sunt, brevi omnia ruitura. Nos autem, qui brevissimo tempore vivimus, et possumus, si volumus, statim a morte caelestem illam et beatissimam Civitatem intrare; sic laboramus in extruendis et ornandis aedificiis in terris, quasi aut numquam morituri essemus, aut Civitatem caelestem non exspectaremus. Certe in hac re non fideles Patriarchas, sed infideles ethnicos imitamur; et tamen Christiani sumus, et scimus Christum et Apostolos nullam in terris neque civitatem, neque turrim,ac ne domum quidem habere, nedum aedificare voluisse. Nec tamen reprehendimus Principes saeculi, quamvis Christianos, qui novas aedificant civitates; neque privatos homines, qui domos sibi et suis commodas exstruunt. Scimus enim,Davidem Regem pium amplificasse civitatem Jerusalem, et in ea sibi domum regiam extruxisse, ut Scriptura sancta docet in libris Regum. (2. *Reg.* 5.) Scimus etiam s. Ludovicum Regem Francorum in Palaestina sumptibus suis aliquot civitates Christianorum restituisse; nec ignoramus, aequum esse, ut Principes commodius et magnificentius habitent quam homines privati, et patricii quam plebei; sed modum requirimus, et excessum damnamus; praesertim quando privati Regum palatia volunt, et Reges palatiis non contenti, immensas moles, quae oppida magnitudine adaequent,sibi extruunt: denique nimium ad ista temporalia affectum,quasi in his summum bonum sit positum, reprehendimus, et mundi contemptum, atque humillitatem Christi laudamus.

Jam vero portae Civitatis dicuntur a beato Joanne, loco citato, ex margaritis constare: (*Apoc.* 21.) murorum vero structura ex lapide iaspide: et platea Civitatis, atque adeo tota Civitas ex auro mundo. Quae omnia significant, sanctam illam Civitatem totam esse pretiosam, sed candidam, et perlucidam: nam esse margaritas pretiosas, et candidas, notissimum est; iaspis autem alius est viridis, alius candidus. Sed ideo Sanctus Joannes ait: *Et lumen eius simile lapidi pretioso, tamquam lapidi iaspidis, sicut crystallum*, addidit, enim, *sicut crystallum*, ut indicaret loqui se de iaspide non viridi, aut alterius coloris, sed candido, et lucido. Sic etiam cum plateas dixit esse ex auro mundo, addidit, sicut vitro mundo, id est, transparente, et albicante instar crystalli. Itaque tota illa Civitas, sive portas', sive muros, sive plateas intuearis, pretiosa est; nihil vile, nihil abiectum, nihil caducum admittit: et simul tota candida, tota perspicua est; quia nihil ibi tectum, nihil clausum invenitur, omnes omnia vident; nulla ibi suspicio, nullus dolus. Atque haec fortasse est causa, cur in eodem loco s. Joannes dicat, *Et portae eius non clauderunt*; quia nullae ibi sunt tenebrae, nulli fures, nulli hostes, propter quos de nocte clauduntur fores. Neque hoc repugnat verbis Psalmistae, qui in laudem caelestis Jerusalem canit: *Lauda Jerusalem Dominum, quoniam confortavit seras portarum tuarum.* (*Ps.* 147.) Nam tam Propheta quam Evangelista id unum significare voluit, nullum esse periculum supernae Jerusalem ab hostibus vel furibus. Ille hoc significavit per fores semper clausas, iste per fores semper apertas: siquidem ille per fores semper clausas significavit, divinam protectionem non permissuram umquam, ut in civitatem illam Deo dilectam ullus ingrediatur hostis; iste per fores semper apertas significavit, adeo securam esse civitatem ab omni incursu malo, ut non sit opus claudere portas, nedum custodias adhibere. Sed quid portae, quid murus, quid plateae significant? Portae, et quidem semper patentes, significant, dari aditum hominibus post Christi passionem intrandi in Civitatem Dei, et Angelorum: ipse enim Christus devicto mortis aculeo aperuit credentibus Regna caelorum. Neque est una porta, sed duodecim, per quas introire possunt fideles in illam Civitatem. Sic enim loquitur sanctus Joannes: *Ab Oriente portae tres, et ab Aquilone portae tres, et ab Austro portae tres, et ab Occasu portae tres.* (*Apoc.* 21.) non enim soli intrant Judaei, ut illi sibi fingunt; sed omnes gentes ab omni parte orbis terrarum: imo tam pauci intrant Judaei, ut pene nulli comparatione aliorum dici possint. Sic enim illis Dominus praedixit, cum ait de Centurione: *Non inveni tantam fidem in Israel: dico autem vobis, quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in Regno caelorum; filii autem Regni eiicientur in tenebras exteriore.* (*Matth.* 8.) et in parabola vineae: *Auferetur a vobis Regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius,* (*Matth.* 8.) et clarissime apud Lucam: *Cum videritis Abraham, et Isaias, et Jacob, et omnes Prophetas in Regno Dei,vos autem expelli foras. Et venient ab Oriente, et Occidente, et Aquilone et Austro,et accumbent in Regno Dei.* (*Luc.* 13.) Dicuntur autem esse portae tres ab omni parte mundi, et simul omnes duodecim, quoniam aditus patebit non solum ab Oriente, Aquilone, Occasu, et Austro; sed a principio Orientis,a medio Oriente, et e fine Orientis, et sic de aliis mundi partibus. Nisi magis placeat, tres portas singulis partibus Civitatis caelestis assignari propter mysterium Trinitatis, et tres virtutes maxime necessarias: illi enim omnes a quatuor mundi partibus intrant, qui in nomine trium divinarum personarum baptizati, fidem, spem, et charitatem in finem usque tenuerunt.

CAP. VI.

De muro et platea Civitatis Dei.

Porro murus Civitatis nihil significat aliud, nisi divinam custodiam, quae una sufficit absque aliis vigilibus, vel armis, vel turribus Civitatem illam custodire. *Ego* (inquit Deus per Zachariam) *ero*

ei murus ignis in circuitu, et in gloria ero in medio eius. (*Zach.* 2.) Admiranda sane promissio. Ego, inquit, ero murus ignis in circuitu, ut hostes prohibeam; et ero in gloria in medio eius, ut cives illustrem. Quasi dicat, Ignis urit, et lucet: ego igitur uram hostes, illuminabo cives; sic ero murus ignis in circuitu, et lux gloriae in medio. Quod etiam paulo post explicat s. Joannes, cum dicit: *Et Civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est Agnus.* (*Apoc.* 11.) Charitas Dei quasi sol illuminat mentes: Agnus Dei Christus, quasi lucerna illuminat corpora. Dicitur autem Christus lucerna, non quod in nocte sit necessaria, sed comparatione, divinitatis: alioquin si facies Sanctorum lucebit sicut sol in Regno Dei, ut ipse Dominus ait apud Matthaeum, (*Matth.* 14.) quanto magis facies Christi, non ut lucerna, sed ut sol primarius illuminabit Civitatem Dei? ac propterea subiungit Sanctus Joannes, quod nox non erit ibi. (*Apoc.* 21.) Restat platea Civitatis, quae comprehendit totum spatium, quod est intra ambitum murorum. Haec vero est communis habitatio caelestium civium, quae tota est aurum mundum, id est charitas ignita et lucida, quae omnes continebit, et per quam alii in aliis degent per affectum purae dilectionis: nec solum alii in aliis, sed omnes in Deo, et Deus in omnibus: nam qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. (1. *Joan.* 4.) Quod ut fieret, rogavit a Patre Christus Dominus in illa oratione, quam, iturus ad passionem, Apostolis omnibus audientibus fudit, dicens: *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui per verbum eorum credituri sunt in me; ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ita et ipsi in nobis unum sint.* (*Joan.* 17.) O beatissima Civitas, quae in monte altissimo sita, aura purissima frueris; quae super petram fundata es, ut aeterna firmitate nitaris; cuius portae ut margaritae fulgent, et semper introeuntibus patent: cuius murus Deus est; qui te protectione sua semper circumdat, et ut lapis iaspis pretiosus exornat: cuius platea charitas est omni auro lucidior, et omni crystallo candidior, quae omnes in se habitantes facit esse cor unum, et animum unum, et gaudio inenarrabili replet, et in aeterna pace constituit; *concupiscit, et deficit anima mea* in plateas tuas. (*Ps.* 83.) Quid enim optabilius laboranti et gementi in medio nationis pravae, inter falsos fratres, et in ipso mundo, qui totus in maligno positus est, quam evolare ad locum dulcissimae pacis, ubi sola charitas regnat? *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* (*Ps.* 41.) Quid enim dulcius animae diligenti Dominum, quam videre dilectum, et videri a dilecto, et per nexum intimum et iucundissimum inhabitare, et inhabitari? Audacia quidem intolerabilis videtur, ut pulvis et cinis ad atria tua suspiret, o Civitas sancta: et audacia maior, ut animula vilis ad complexum summi Conditoris aspiret: sed audiciam istam excusabit, qui eam dedit, cum Patrem rogavit, ut omnes unum simus, et sicut Pater in Filio, et Filius in Patre, sic et nos in utroque unum simus.

CAP. VII.

De templo Civitatis Dei.

Sed est adhuc aliquid, quod requiramur in Civitate Dei nostri, templum videlicet ad laudandum Deum, cibum et potum ad comedendum et bibendum: nam de vestibus non est quod solliciti simus. Si enim Adam et Eva in paradiso terrestri vestibus non indigebant, multo minus egebunt Sancti in Paradiso caelesti, ubi amicti erunt omnes lumine, sicut vestimento. Cibo vero et potu non solum Adam et Eva carere non poterant, sed neque Angeli ipsi carent, dicente Angelo Raphaele: *Ego cibo invisibili, et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor:* (*Tob.* 12.) Et quidem quod attinet ad templum, s. Joannes in Apocalypsi: *Et templum non vidi in ea, Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus.* (*Apoc.* 21.) Quod templum non viderit Joannes in Civitate caelesti, mirum fortasse videri non debet: templa enim eriguntur in Ecclesia militante ob quatuor fines: ut in eis verbum Dei fidelibus praedicetur, ut Sacramenta et sacrificia celebrentur, ut oratio publica deferatur Deo, et ut laudes, debitae cum cantu et laetitia Domino persolvantur. Praedicatio verbi Dei cessabit in caelo, ubi Verbum ipsum increatum manifeste loquetur ad omnes, et iuxta praedictionem Jeremiae Prophetae. *Non docebit ultra vir proximum suum et vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum.* (*Jerem.* 32.) Sacramenta quoque et sacrificia non erunt illic necessaria, ubi neque peccata expianda erunt: neque signa requirentur, ubi res significatae manifeste patebunt. Oratio et laudes Dei hic in terris fiunt in templis Deo sacris, quoniam ipse pollicitus est oculos suos apertos, et aures erectas in templo futuras: sic enim loquitus est ad Salomonem in libro secundo Paralipomenon: *Oculi mei erunt aperti, et aures meae erectae ad orationem eius qui in loco isto oraverit.* (2. *Paral.* 7.) Sed cum in Civitate caelesti Deus palam videatur et audiatur ab omnibus, non videtur certe templum in loco illo necessario. Proinde facile intelligimus quod sanctus Joannes ait: *Et templum non vidi in ea.* Cur igitur subiunxit: *Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus?* Si templum in Civitate illa non requiritur, cur dicitur Deus ipse templum Civitatis illius esse, nec solus Deus, sed etiam Agnus? aut quis explicabit nobis, quomodo Deus et Agnus in caelo templa dicantur: et quem usum habeat templum istud in caelo? Scripturarum sanctarum consuetudo est, ut una sententia aliam explicet, et locus obscurus ex alio clariore intelligatur. Dicitur in Psalmo nonagesimo: *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei caeli commorabitur.* (*Ps.* 90.) quorum verborum haec sententia est: Qui per certam fiduciam coniungitur Deo, is quasi facit sibi domum in Deo, in qua totus habitet, et protegatur ab omni malo. Quod idem dici potest de laude, et oratione: qui enim per reverentiam intimam coniungitur Deo, is quasi facit sibi domum

in Deo, ut in ea digens, sicut oportet, oret et laudet Deum. Sic igitur in caelo Dominus Deus omnipotens templum est Civitatis sanctae, quoniam beati illi cives attentissime cogitantes omnipotentiam Dei, et sic per intimam reverentiam illi coniuncti, in ipso habitant, et dignas illi offerunt laudes: et cum pro nobis orant, facillime audiuntur. Sic etiam quando attente cogitant merita Christi, qui sicut Agnus innocens tradidit semetipsum oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis, illi per amórem intime uniuntur,et in eo tamquam in templo habitantes,orationes pro nobis fundunt, sine dubio inveniunt oculos dei apertos, et aures erectas,ut quidquid pro nobis petierint, impetrent. Sed si in caelo ad laudes Deo dicendas, et preces pro nobis fundendas, beati illi cives in Deo, et in Christo tamquam in templo habitare solent: quid nobis faciendum esset, qui neque Deum, neque Christum videmus? O utinam contingeret nobis, ex magno utique dono Dei,ut ad Deum laudandum et orandum sic accederemus, ut ante per humilitatem veram, et reverentiam summam ex consideratione altissimae maiestatis, cum Deo coniuncti, in ipso Deo tamquam in templo sacro sanctissimo habitaremus! sic enim fieret, ut laudes et preces non oscitanter,neque alia cogitantes perficeremus; sed attentissime,et devotissime gratas laudes Deo, et utiles nobis ac fratribus nostris preces Domino offerremus et impleretur illud: *Sacrificium laudis honorificabit me; et illic iter. quo ostendam illi salutare Dei.* Nam laudes divinae in ara cordis per ignem charitatis in holocaustum oblatae, in odorem mirae suavitatis ascendunt: et illud nobis et nostris impetrant, utiler nobis aperiatur per cordis illustrationem, ad aspiciendam veram salutem, quam praeparavit Deus diligentibus se. Quae omnia beneficia illi miseri perdunt, qui divinas laudes et preces cum mentis evagatione, et voluntaria cordis ariditate persolvunt; et labore orandi et psallendi cum ceteris orantibus et psallentibus participant, sed consolationem divinam, et caelestis beatitudinis praegustationem minime participant.

CAP. VIII.

De cibo, et potu Civitatis Dei.

Jam vero de cibo et potu caelestium civium haec habentur in Apocalypsi. *Et ostendit mihi fluvium aquae vivae, splendidum tamquam crystallum procedentem de sede Dei et Agni. In medio plateae eius. et ex utraque parte fluminis lignum vitae, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gentium.* (Apoc. 21.) Vereor ne qui ista audiunt, admirentur parsimoniam victus civium supernorum, et existiment plura et meliora in hac nostra peregrinatione haberi: hic enim nihil audimus nisi poma unius arboris ad cibum,et aquam fluminis ad potum. Sed meminerint, qui haec dicunt, in Paradiso terrestri, ubi sine dubio melior victus fuisset, quam in hoc exilio, non fuisse Adamo concessa ad cibum nisi poma et herbas, et aquam ad potum: et tamen ea poma, et illae herbae, et aquae, meliora erant, quam cibi omnes, et omnia vina huius vitae, et longe ac longe deteriora ligno vitae, et aqua viva caelestis Paradisi. (*Gen.* 2.) In hac valle miseriarum omnes homines aegroti sunt, et sensum gustandi amaritudine quadam corruptum habent; propterea ad nauseam tollendam cibos varios invenerunt: sed varietas illa ciborum ita nauseam diminuit,ut morbum augeat. In Paradiso terrestri omnes homines sane fuissent; et pomorum illorum, et aquae illius ea salubritas et suavitas erat, ut eos perfecte alere et sanos conservare cum incredibili delectatione potuisset: ut addamus, quod sine labore et sudore suo cibum et potum abundanter obvium habuissent. Sed quidquid sit de terrestri Paradiso, aqua viva, et lignum vitae in Civitate Dei, non sunt cibi et potus communes hominibus cum bestiis,ut sunt aquae et poma huius peregrinationis: sed tam eximia, tam grandia, tam divina sunt, ut Propheta canat: *Inebriabuntur ad ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos.* (*Psal.*35.) Neque sunt cibi isti et potus res corporales, sed spirituales et divinae. Aqua viva, sapientia est, de qua legimus. *Aqua sapientiae salutaris potabit illum,* (*Eccl.* 15.) et lignum vitae est panis ille, de quo idem dicit: *Cibabit illum pane vitae, et intellectus.* Nam ut sanctus Augustinus docet, in rebus corporalibus aliud est cibus, aliud est potus: sed in spiritualibus res eadem est cibus et potus; id est, sapientia, sive intellectus, vel intelligentiae, quae idem hoc loco significant, cibus est quia nutrit, et potus est quia sitim restinguit. Quamquam posset etiam per aquam vivam intelligi sapientia, per lignum vitae charitas, nam ex eodem Joanne in Epistola sua prima: *Qui non diligit, manet in morte.* (*Joan.* 3.) et *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* (*Ibid.*) Et vere actiones vitales sunt tam intelligere quam amare. Ergo potus Sanctorum in Civitate Dei est bibere de flumine vivo, quod oritur a fonte vitae, qui Deus est: frui videlicet participatione sapientiae illius, qua Deus sapiens est, quae summa, altissima, et inenarrabilis est. Et cibus eorumdem Sanctorum est edere de ligno vitae, id est, frui participatione amoris illius ineffabilis, quo diligi potest bonitas ipsa clare visa, et quo diligit Deus se ipsum, qui est infinitum bonum, et fons omnis bonitatis. Quid ista sint, suspicari utcumque possumus, intelligere non possumus. nec poterimus, donec ad Civitatem illam venerimus. Quod autem sanctus Joannes dicit, lignum esse ab utraque parte fluminis, et singulis mensibus fructum suum facere, metaphorice intelligendum est, ut aliquo modo per similitudinem rerum corporalium spiritualia capiamus. Voluit beatus Evangelista demonstrare arborem summae bonitatis et foecunditatis: quod ut faceret, descripsit arborem, quae sit ad ripam fluminis, et tum ex bonitate sua, tum ex continua irrigatione singulis mensibus fructum suum producat, non singulis annis ut aliae solent. Neque vult significare, unam tantum esse arborem, sed multas eiusdem generis, quae ab utraque parte flumi-

nis per mediam Civitatem fluentis sitae sint, ita ut inter unam atque alteram arborem non magnum spatium intersit; et eo modo tota Civitas frui possit et aquae decursu, et arboris fructu. Bonitas arboris significatur in voce ligni vitae: foecunditas ostenditur ex eo, quod singulis mensibus novos fructus pariat. Unde fit, ut cives illius Civitatis semper habeant fructus recentes et maturos: recentes ex mense praesenti, maturos ex proxime praeterito; numquam marcidos, numquam aridos, numquam insipidos. Quae omnia significant, cibum et potum Beatorum, id est, sapientiam, qua Deum perfecte intelligunt, et charitatem, qua Deum perfecte diligunt, optimum esse, et numquam deficere. Quod addit idem beatus Evangelista de foliis illius arboris ad sanitatem Gentium, hoc significare videtur, ad nos in hoc exilio numquam mitti poma ipsa ligni vitae; sed mitti tamen folia quaedam: quae quamvis non adferant ipsam vitam aeternam, tamen utilia sint ad sanandos morbos nostros, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, superbiam vitae, et alia id genus vitia, ex quibus omnes sive graviter, sive mediocriter, sive leviter aegrotamus. Haec folia sunt verba divina per Prophetas et Apostolos de caelo, id est, ex divina revelatione ad nos allata. O quam bonum odorem folia ista spirant, si quis habeat Spiritum Domini! Lege Prophetas, lege Psalmistam, lege Evangelia, lege Apostolos, Petrum, Paulum, Joannem, Jacobum, Judam; omnia ista folia spirant humilitatem, charitatem Dei, virginitatem, de quibus apud Philosophos nulla mentio. Sed non mirum videri debet, quia illa sunt folia de lignis Paradisi, ista de lignis montium terrae.

Ergo, anima Christiana, diligenter collige ista folia: fac tibi quotidie inde medicinam; et ex foliis coniecturam facito de fructibus: et contemptis siliquis porcorum, ad illa, quae sursum sunt, poma vitae aeternae ardenter suspira, de illis cogita: maneat illic semper memoria, donec differtur praesentia.

CAP. IX.

De fundamento mystico Civitatis Dei.

Consideravimus, structuram unam supernae Jerusalem; nunc alteram considerabimus. Civitas enim non solum complectitur fundamentum, portas, muros, plateas; sed etiam caetum civium, qui pro diversitate functionum dicuntur etiam ipsi vel fundamenta, vel portae, vel muri, vel alia generis eiusdem. Et fortasse magis proprie dicitur civitas congregatio civium sub iisdem legibus, quam congregatio domorum sub iisdem moenibus. Sic enim Tullius loquitur in Somnio Scipionis: *Concilia coetusque hominum iure sociati, civitates appellantur.* De hac Civitate caelesti, quae constat ex civibus, non solum sanctus Joannes in Apocalypsi loquitur; sed etiam sanctus Petrus in Epistola sua priore, et sanctus Paulus in Epistola ad Ephesios. In Apocalypsi legimus, in portis duodecim visos fuisse Angelos duodecim, et inscripta nomina duodecim tribuum filiorum Israel; in fundamentis vero duodecim scripta fuisse nomina duodecim Apostolorum Agni. (*Apoc.* 21.) In priore Epistola S. Petri legimus: *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum, et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini.* (1. *Petr.* 1.) In Epistola ad Ephesios s. Paulus scribit: *Ergo iam non estis hospites et advenae; sed estis cives Sanctorum, et domestici Dei, superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* (*Eph.* 2.) Primum igitur Civitas Dei pro fundamentis habet Apostolos et Prophetas; quoniam doctrina Apostolorum et Prophetarum totam fabricam sustentat. Initium enim salutis fides est: fides autem revelata est per Prophetas et Apostolos, sive scribentes, sive praedicantes Mysteria Trinitatis, Incarnationis, Resurrectionis mortuorum, gloriae beatae, suppliciorum aeternorum, et alia, quae superat humanam rationem, ex Prophetis, atque Apostolis didicimus, quibus Deus ea revelare dignatus est. Quamvis autem fides non habeat locum in Beatis, qui quod crediderunt vident; et quod videtur, non creditur, sed scitur, et cernitur: tamen dicuntur Apostoli et Prophetae fundamenta Civitatis supernae; quia fides initium est salutis, ac per hoc initium beatitudinis. Sed quoniam sanctus Petrus dicit, nos ut lapides vivos superaedificari super Christum. (1. *Petr.* 2.) et ipsi Apostolus Paulus in priore ad Corinthios dicit: *fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus.* (1. *Cor.* 3.) Ideo unum est fundamentum, et duodecim sunt fundamenta, ut s. Augustinus docet in explicatione Psalmi octogesimi sexti, quoniam in duodecim Apostolis Christus erat. Ipse enim, sive Spiritus eius per eos loquebatur et docebat. Audi Apostolum Paulum: *An experimentum,* inquit, *quaeritis eius qui in me loquitur Christus?* (2. *Cor.* 13.) Audi Christum ipsum: *Qui vos audit,* inquit, *me audit.* (*Luc.* 10.) et alibi: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* (*Matth.* 10.) Neque dubium est, unum et eundem esse Spiritum Patris et Filii. Ex quo etiam intelligimus, in duodecim fundamentis non solos Apostolos duodecim intelligi, sed omnes illos, qui primi eandem fidem praedicaverunt; alioqui Paulus ipse et Barnabas, et septuaginta discipuli, qui non erant ex duodecim, non pertinerent ad fundamenta: imo nec ipsi Prophetae ad fundamenta pertinerent, et Apostolum mendacem (quod absit) faceremus, qui dixit nos superaedificari super fundamentum Apostolorum et Prophetarum.

Sed occurrit non levis dubitatio, quomodo Christus possit vere dici fundamentum aedificii, cum sit summus lapis angularis, ut Apostolus loquitur; et sit exaltatus in caput anguli, ut canit Propheta (*Psal.* 117.) Quomodo enim potest idem lapis simul esse summus et imus, in fundamento et in fastigio? Sed si quis cogitet ista esse vocabula metaphorica, non difficulter intelliget, ob diversas functiones posse uni personae convenire contraria nomina. Siquidem non solum Christus, qui Deus

est et homo sed quilibet Praelatus in Ecclesia sua est fundamentum et fastigium, quia debet ut fundamentum sustinere pondus aedificii, tolerare infirmitates omnium, ac per hoc subesse omnibus : et tamen ipse idem debet ut fastigium praeesse omnibus, omnibus imperare, et ab omnibus sustineri. Multo igitur magis Christus Dominus poterit ut fundamentum Ecclesiae, omnes portare, omnesque auctoritate et virtute sua sustinere : et simul ut positus in caput anguli, connectere duos parietes, et ex Gentibus et Judaeis unum populum constituere, omnibus praesidere, omnibus imperare.

CAP. X.

De porta mystica Civitatis Dei.

Sequitur ut portas caelestis Jerusalem consideramus. Et quidem communis est interpretum expositio, per portas intelligi eosdem Apostolos ; in qua expositione secuti sunt sanctum Augustinum in expositione Psalmi octogesimi sexti. Sed beatus Joannes in Apocalypsi, cum de portis locutus est, mentionem fecit duodecim Angelorum, et duodecim tribuum filiorum Israel, quorum nomina scripta esse dixit in duodecim portis Civitatis Dei. (*Apoc.* 21.) Apostolus eo loco ne nominavit quidem. Nec tamen falsa est sententia beati Augustini, et eorum, qui eum secuti sunt : loquitur enim s. Joannes mystice, non ut littera sonat ; ut Propheta, non ut historicus : et tota illa eius descriptio mysticis significationibus plenissima est. Terra promissionis figura fuit, omnium consensu, caelestis Civitatis. Cui primum facta est promissio terrae illius, Abraham fuit; sic enim loquitur Deus ad Abraham in lib. Geneseos ; *Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo et semini tuo usque in sempiternum.* (*Gen.* 13.) et Apostolus ad Galatas, *Abrahae*, inquit, *dictae sunt promissiones, et semini eius*, et paulo post ; *Abrahae per repromissionem donavit Deus.* (*Gal.* 3.) Abrahami haeres fuit Isaac solus, Ismaele excluso, qui filius erat ancillae, dicente Scriptura. *Non haeres erit filius ancillae cum filio liberae.* (*Gen.*21.) Isaaci haeres fuit Jacob solus, excluso Esau fratre eius, qui vendidit primogenita (*Gal.* 4.) unde Malachias dicit : *Dilexi Jacobi, Esau autem odio habui.* (*Malac.* 1.) quam sententiam repetit Apostolus ad Romanos. (*Rom.* 9.) Jacobi haeredes fuerunt omnes eius filii, qui erant duodecim, nullo excluso. Atque ita terra promissionis divisa est duodecim tribubus Israel, ut ex libro Josue intelligi potest. (*Jos.* 13. 14. 15. *et sequentibus.*) Haec est igitur causa, cur sanctus Joannes in Apocalypsi dixerit, in duodecim portis scripta fuisse nomina duodecim tribuum filiorum Israel : quia videlicet porta ingrediendi terram promissionis fuerat ius haereditatis, quod solis et omnibus filiis Israel competebat. Sed, ut paulo ante dicebamus, Apostolus Joannes mystice loquitur, et per duodecim tribus Israel intelliguntur veri Israelitae, non secundum carnem, sed secundum spiritum et fidem, ac per hoc Apostoli duodecim, et eorum spirituales filii. Nam, ut sanctus Paulus aperte docet in Epistola ad Romanos, *Non omnes, qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitae ; neque qui semen sunt Abrahae, omnes filii.* (*Rom.* 9.) qui etiam paulo infra comparat Israelem arbori, cuius multi rami fracti sunt propter incredulitatem, et alii inserti sunt propter fidem. Sic enim Gentiles conversi ad fidem coeperunt esse filii Israel, et plurimi Judaei desierunt esse veri Israelitae. Demonstrat et explicat haec omnia copiose s. Augustinus in Epistola ad Asellicum, in qua sic loquitur : *Nonne mirabilia magna sunt ista, profundumque mysterium, ut multi ex Israel non nati, sint Israel; et multi non sint filii, cum sint semen Abrahae? Quomodo enim non sunt? quomodo sunt? nisi non sunt filii promissionis ad Christi gratiam pertinentes, sed filii carnis, nomen inane gestantes : ac per hoc nec illi sunt Israel, sicut sumus nos ; nec nos sumus Israel, sicut sunt illi : nos enim sumus secundum spiritualem regenerationem, illi secundum carnalem generationem :* (*Rom.* 11.) et paulo infra : *In nepotibus etiam Abrahae, filiis Isaac, illis geminis, Esau et Jacob, qui postea vocatus est Israel, hoc ipsum magnum et profundum mysterium reperitur, de quo idem Apostolus loquitur, cum per Isaac promissionis filios commemorasset ad Christi gratiam pertinentes. Haec certe doctrina Apostolica atque Catholica satis evidenter indicat nobis, secundum originem carnis ad Saram Judaeos, ad Agar vero Ismaelitas pertinere : secundum autem mysterium spiritus, ad Saram Christianos, ad Agor Judaeos. Item secundum originem carnis ad Esau, qui dictus est etiam Edom, gentem Idumaeorum; ad Jacob autem, qui dictus est etiam Israel, gentem Judaeorum : porro secundum mysterium spiritus, ad Esau Judaeos, ad Israel pertinere Christianos.* Haec ille : qui satis aperte demonstrat Christianos esse veros Israelitas non secundum carnem, sed secundum spiritum, ac per hoc esse veros heredes terrae promissionis, quae in caelis est. Ergo portae caelestis Jerusalem habent inscripta nomina duodecim tribuum Israel, quia porta, per quam intratur in illam caelestem promissionis terram, est ius haereditatis filiorum Dei, qui soli sunt veri sincerique Christiani, Apostolorum sanctorum filii, qui per veros Israelitas, id est, Jacobi Patriarchae filios, significantur. Quod autem addit sanctus Joannes, in portis illis fuisse Angelos duodecim, significat, Angelos esse portarum custodes, quorum officium est curare, ne illuc ingrediatur, qui non habeat ius haereditatis. Et fortasse hac de causa depingitur Archangelus Michael cum statera in manibus, quia per Angelos sibi subiectos examinat merita eorum, qui ad caelestem illam Civitatem aspirant. Haec de portis.

CAP. XI.

De lapidibus mysticis Civitatis Dei.

Reliqua aedificatio constat ex lapidibus, qui sunt omnes fideles, qui superaedificantur, ut Apo-

stoli Petrus (1. *Petr.* 2.) et Paulus in Epistolis suis perspicue posuerunt. (*Eph.* 2.) Et quoniam haec pars aedificationis ad omnes pertinet, optimum factu erit, si notemus conditiones sive qualitates, quas habere debent, qui superaedificari cupiunt super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, sub ipso summo angulari lapide Christo Jesu; ut non solum sint in Civitate Dei, sed etiam sint ipsi Civitas Dei celsissima et felicissima.

Tria requiruntur ut quis superaedificari possit super tam nobile fundamentum. Primum, Ut sit lapis; deinde, Ut sit vivus; denique, Ut sit quam optime politus atque quadratus. Primum igitur lapides esse debemus, non ligna, non foenum, non stipula, ut solidum parietem efficiamus, id est, viri graves et stabiles, perseverantes in fide, in charitate, in humilitate, in obedientia mandatorum, et non circumferamur omni vento doctrinae, quemadmodum haeretici solent: neque rapiamur variis desideriis, ut leves Catholici facillime rapi solent. Isti enim ab aedificatoribus Civitatis aeternae non admittuntur, sed ad usum luguriorum deserviunt, quae nullo negotio destruuntur. Deinde esse debemus lapides vivi, ut s. Petrus admonet, id est, pleni charitate et spiritu vitae, qualis est lapis angularis Christus: (1. *Petr.* 2.) qui etsi mortuus est semel secundum carnem, tamen secundum spiritum semper vixit, et secundum carnem post mortem degustatam revixit, et ultra iam non morietur. Lapides mortui domos mortuas, id est corporales, aedificant: at Domus spiritualis, vel potius Civitas Regis, magni quae spiritualis et caelestis esse dignoscitur, lapides spirituales, ac per hoc vivos requirit. Denique lapides quadratos et politos nos esse oportet, non rudes et informes, quoniam ita decet aedificationem Civitatis omnium, praestantissimae. Si enim Arphaxat Rex Ecbatanam civitatem aedificavit ex lapidibus quadratis et sectis, ut in libro Judith. (*Judith.* 1.) Et si Rex Salomon templum Domini in hac nostra terra de lapidibus dolatis atque perfectis exstruxit, ut Scriptura loquitur in tertio libro Regum: (3. *Reg.* 6.) quid par est furuum in aedificatione Civitatis aeternae, et omnium aliarum longe praestantissimae?

Sed ista quadratio, et sectio, et dolatio hic in terris facienda est, non in caelo. Cuius rei figura praecessit in aedificatione templi Solomonis. Sic enim legitur in libro tertio Regum: *Domus autem cum aedificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis aedificata est; et malleus, et securis, et omne ferramentum non sunt audita in domo, cum aedificaretur.* (3. *Reg.* 6.) quia videlicet procul a domo Domini lapides secabantur et tundebantur, atque ita perfecte quadrabantur, ut cum adferrentur ad templum, sine ullo sonitu mallei in locis suis collocarentur. Itaque non audietur in caelesti Jerusalem sonitus mallei percutientis: quia ibi nulla erit persecutio, nulla tribulatio, nullus poenitentiae labor, nullus gemitus, nullus dolor, nulla tristitia. Proinde lapides electi ad gloriam Domus caelestis, in hac valle lacrymarum tunsionibus et pressuris expoliri debent, sic enim canit Ecclesia.

Tunsionibus, pressuris
Expoliti lapides,
Suis coaptantur locis
Per manus Artificis,
Disponuntur permansuri
Sacris aedificiis.

Hic nobis poenitentiae labor necessarius est, quoniam *in multis offendimus omnes,* (*Jac.* 3.) ut sanctus Jacobus affirmat. Hic domandae concupiscentiae carnales, hic vincendae propriae voluntates, hic corpus castigandum et in servitutem redigendum, hic contra ignita iacula spirituum immundorum scutum fidei indefesso labore semper obiiciendum. Alioquin si tunsionem mallei ferre non possumus, quomodo rudes et impoliti a caelesti Architecto ad caelestem fabricam admittemur? O si mortales intelligerent, quanto bono priventur, dum malleum percutientem fugiunt, et nihil incommodi, nihil asperi, nihil amari ferre possunt! propositum certe mutarent, et dimissis comessationibus ieiunia frequentarent, et mollibus indumentis relictis cilicia quaererent et confabulationibus neglectis, vigiliis et orationibus operam darent: et si quid molestiae a falsis fratribus, vel a manifestis paterentur inimicis, non de vindicta cogitarent: sed Deo gratias agerent, et pro calumniantibus persequentibus ex animo Deum orarent; quia *non sunt condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* (*Rom.* 8.) *Quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* (2. *Corint.* 4.)

Et certe si respiciamus lapides vivos, qui nos ad caeleste aedificium praecesserunt, nullos videbimus non tunsionibus multis et pressuris variis expolitos. Christus ipse, lapis angularis et pretiosissimus, qui pro se dolatione non indigebat, tamen passus est pro nobis, ut relinqueret nobis exemplum: et *cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur.* (1. *Petr.* 2.) Apostoli omnes cum beato Paulo dicere poterant: *Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis caedimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, et benedicimus; persecutionem patimur, et sustinemus; blasphemamur, et obsecramus; tamquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema;* (1. *Cor.* 4.) Quid de Martyribus? nonne omnes per multas tribulationes et cruciatus, et mortes acerbissimas fecti et dolati ad caelestis Jerusalem aedificium ascenderunt? Omitto sanctos Confessores, Anachoretas, Virgines, Viduas, et alios omnes, qui Deo placuerunt, qui non nisi carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigentes, et secum ipsi bellum gerentes, ad caelestem aedificationem admissi sunt.

Neque solum post Christi adventum ista lapidum vivorum dolatio necessaria fuit, sed etiam antea, atque ab ipso mundi principio. Primus lapis vivus Abel fuit a fratre Cain crudeliter caesus. Sanctus Patriarcha Ioseph a fratribus venditus. Tobiae di-

xit Angelus Raphael: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.* (*Tob.* 12.) non dixit; Quia peccator eras, et Deo invisus, necesse fuit, ut poenam caecitatis et mendicitatis lueres; sed, Quia acceptus eras Deo, utpote iustus et sanctus, ideo ut lapis vivus, et caelesti aedificio destinatus, necesse fuit ut malleum percutientem sustineres. Quis Prophetarum non persecutionem impiorum passus est? Quae tormenta non tolerarunt sancti pueri Machabaei? Apostolum audiamus de Sanctis veteris Testamenti concionantem in Epistola ad Hebraeos: *Alii vero*,inquit, *ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt: circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus,in solitudinibus errantes, in montibus,et speluncis,et in cavernis terrae.* (*Heb.* 11.)

Quid hic dices anima Christiana? Si quibus dignus non erat mundus ob insignem illorum sanctitatem, iis malleus aedificantis non pepercit, ut conquadrati et expoliti caelesti aedificio essent idonei: quid de te tuique similibus fiet, quibus peccare libet, et labor poenitentiae nimis gravis est? Unum e duobus necessarium est,ut vel in hac vita, aut in purgatorio percutiaris et poliaris, vel in aedificio illo sublimi locum non habeas, et in aeternum malleus te gehennae contundat. Cur igitur non eligis (Si quid sapis) in hac vita potius contundi et quadrati tribulatione brevi et levi, quam in futura reprobari, et ad aeternam intolerabilemque tunsionem amandari?

Neque despicias purgatoriam tunsionem in vita futura; ea siquidem, quamvis aeterna non sit; gravior tamen, et saepe diuturnior est, quam poena quaelibet huius vitae. Audi enim s. Augustinum explicantem Psalmum trigesimum septimum: *Dicitur*, inquit, *Salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Et quia dicitur, Salvus eris, contemnitur ille ignis: gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita.* Haec ille, qui addit, graviores fore purgatorii poenas, quam sint latronum supplicia,et quam fuerint Martyrum cruciatus: proinde stultos esse, qui purgatorium ignem contemnunt, et tribulationes vitae praesentis exhorrent. Et quia in ore duorum vel trium testium stat omne verbum, audi sanctum Gregorium in Psalmum tertium Poenitentialem: *Illum*, inquit, *transitorium ignem omni tribulatione praesenti existimo intolerabiliorem.* Audi sanctum Bernardum in Sermone Dei obitu Humberti Monachi: *Illud*, inquit, *scitote quia post hanc vitam in purgatoriis locis centupliciter, quae fuerint hic neglecta,redduntur usque ad novissimum quadrantem.* Audi denique sanctum Anselmum in explicatione capitis tertii ex priore ad Corinthios: *Sciendum*, inquit,*est,quia gravior est ille ignis,quam quidquid potest homo pati in hac vita. Omnia enim tormenta, quae hic sunt, faciliora sunt, et tamen homines, ne ea patiantur, quidquid ab homine fuerit jussum, faciunt.Quanto melius est facere, quae jubet Deus, ne illa graviora patiamur?*

CAP. XII.

De fugienda civitate mundi.

Explicata aedificatione Civitatis Dei, id solum reliquum est, ut paucis exponamus, quid potissimum requiratur, ut cives in illam felicissimam Civitatem adscribantur. Id vero uno verbo dici potest; ut videlicet mundi huius civitati renunciemus atque ut hic interim ut advenae et peregrini vivamus.Neque enim fieri potest,ut simul cives mundi et cives Sanctorum simus; et nemo civitati saeculi huius nuncium remittit, qui non statim in sinum Civitatis Dei recipiatur. Sed rem totam paulo fusius exponamus.

Duae sunt civitates in Scripturis sanctis nobis declaratae; civitas terrena,quae coepit in Cain,qui primus in terra condidit civitatem, ut in Genesi legimus, et Civitas caelestis, quae coepit in Abel, et cuius non Abel, sed Deus est conditor, ut supra diximus ex Apostolo. (*Gen.* 4.) Illius figuram gessit Babylon magna, quae *confusionem* significat, huius autem figuram gessit Jerusalem Civitas Regis magni, quae dicitur *visio pacis*. Cives terrenae civitatis illi sunt, qui non solum corpore, sed etiam corde in terris habitant, terram colunt, terrenis bonis inhiant, pro illis contendunt, pro illis litigant, pro illis tumultuantur. Huius civitatis princeps est diabolus, qui de Civitate coelesti eiectus, citatis terrenae tyrannidem occupavit. Quamvis enim Dominus noster immmente passione sua dixerit. *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras* (*Ioan.* 12.) et vere foras eum eiecerit baculo crucis suae,et per ipsam crucem de illo triumphaverit; dicente Apostolo in Epistola ad Colossenses; *Expolians principatus et potestates,traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* (*Col.* 2.) Hoc tamen non ita est intelligendum, quasi diabolus penitus de mundo sit eiectus, aut mundi principatum penitus amiserit, sed quod eiectus sit ab illis omnibus, et in illis omnibus principatum amiserit, qui se Christo adiungunt, et de civitate terrena fugientes, in Civitatem caelestem adscribuntur. Quod enim diabolus adhuc in civitate terrena, quae et *mundus* dicitur, imperium habeat, docet Apostolus in Epistola ad Ephesios, cum ait: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem,sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.*(*Eph.* 6.) Itaque adhuc satanas cum administris suis principatum habet in mundo, et rector est mundi, id est hominum mundanorum, et terrenae civitatis civium,de quo mundo sanctus Ioannes dicit: *Mundus in maligno positus est*, ac si dixisset, Mundus capiti suo adhaeret, qui malignus per antonomasiam dicitur: sive, mundus in maligni daemonis imperio et potestate est.

Porro cives Civitatis caelestis illi sunt, qui in Regno caelorum beati regnant, et illi quoque, qui in corpore mortali positi terram inhabitant, non corde sed corpore, corde enim conversatio eorum in caelo est, (*Phil.* 3.) et cupiunt dissolvi, et esse cum Christo qui rex est Civitatis caelestis.(*Phil.*1.)

quia vero permixti sunt in terris cives caeli cum civibus terrae, ideo Scripturae sanctae dicunt, cives caeli esse in mundo, sed non esse de mundo; et in mundo esse non ut cives, sed ut advenas et peregrinos: sic enim loquitur sanctus Petrus *Obsecro vos tamquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis.* (1.*Petr.* 2.) et contra cives terrae dicunt Sacrae litterae, esse *hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo* ; his enim verbis utitur sanctus Paulus in Epistola ad Ephesios. (*Eph.* 2.) Quae cum ita sint, nemo se ipse fallat, nemo existimet se civem mundi et civem caeli simul esse posse. Cives mundi de mundo sunt ; cives caeli non sunt de mundo. De mundo esse, et de mundo non esse, contradicentia sunt; proinde simul copulari non possunt. Quare quos adhuc mundus et terrena delectant, ii non putent in Civitate caelesti se locum habere posse, nisi antea de mundo exeant, saeculo abrenuntient,et terrena fastidiant.

Et quoniam haec magna sunt, et a paucis intelliguntur, vel ut oportet, cogitantur: ideo ut nemo ignorantiam in novissima die praetendat,nihil saepius Apostoli et Evangelistae inculcant et repetunt. Audi Dominum: *Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* (*Ioan.*8.) Item ad Apostolos: *Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret: quia vero de mundo non estis, propterea odit vos mundus.*(*Joan.*15.) Audi beatum Paulum: *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum.* (1. *Cor.* 3) Item: *Debueratis de hoc mundo exisse.* (1. *Corint.* 5.) Item *Ut non cum hoc mundo damnemur.* (1.*Corint.* 11.) Audi sanctum Jacobum:*Nescitis,quia amicitia huius mundi inimica est Dei? quicumque ergo voluerit amicus esse saeculi huius, inimicus Dei constituitur.* (*Jac.* 4.) Audi sanctum Petrum : *Fugite eius , quae in mundo est , concupiscentiae corruptionem.* (2. *Petr.* 1.) Audi sanctum Joannem : *Nolite diligere mundum,neque ea,quae in mundo sunt.*(1.*Joan.* 2. Item : *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Item: *Et mundus totus in maligno positus est.* (1. *Joan. cap.* 5.) Denique audi Dominum dicentem in oratione sua ad Patrem:*Ego pro eis rogo; non pro mundo rogo , sed pro his, quos dedisti mihi. Et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo.* (*Joan.*) 17.) Hic habemus apertissime , mundum sic esse a Deo quodammodo excommunicatum et damnatum , ut pro eo Christus nullo modo orandum putaverit. At si Christus non pro mundo rogat, quomodo alibi dicit, *Sic Deus dilexit mundum,ut Filium suum unigenitum daret?* (*Joan.* 3.) num Pater diligit mundum, et Filius odit mundum? aut quomodo Filius mundum a sua oratione excludit,quem Pater a sua dilectione non excludit? S. Augustinus (*Tract.* 107.) hunc locum posteriorem exponens, dicit , mundum , pro quo Christus orare se negat, reprobos tantum significare, quomodo loquitur Apostolus in priore ad Corinthios, cum ait : *Ut non cum hoc mundo damnemur.* (1.*Cor.* 11.) Sed possumus etiam dicere, Christum non orasse pro mundo, quia , quae tunc petebat Apostolis , mundo minime conveniebant. Petebat enim donum perseverantiae: *Serva,*inquit, *eos in nomine tuo.* (*Joan.* 17.) et simul petebat eis gloriam sempiternam.cum diceret: *volo.*Pater, *ut ubi sum ego,et illi sint mecum,ut videant claritatem meam.* At mundo ista non conveniunt: neque enim mundus aptus est Regno caelorum, nisi prius mundetur;quomodo non deceret ingredi Regis cubiculum hominem luto undique aspersum,et sordidum. Deus autem diligit mundum, et pro eo Filium suum dedit, ut eum vere mundaret, et idoneum ad Regnum faceret.Ideo et Christus pro crucifixoribus oravit, non ut perseverarent in statu.in quo erant;sed ut Pater illis ignosceret.et ignoscendo purgaret, ut et ipsi de mundo exirent.Quod etiam Christus in illa oratione servavit,in qua dixit, *Non pro mundo rogo*: adiunxit : enim non longe infra,*Ut credat mundus,quia tu me misisti.* Summa igitur est, Christum pro suis rogasse. non pro mundo; quia nisi quis ante exeat de mundo quam de corpore, ad Regnum Dei numquam perveniet.

Ergo quicumque Civitatem illam. supernam diligit, festinet exire de mundo, ne repentinus dies Postremus adveniat, et rapiat eum de vita, quando nulla ei spes conversionis erit: et cum de mundo exierit , obliviscatur mundum et concupiscentias eius. ut solius Civitatis Domini assidue recordetur et cum Propheta sancto iuret: *Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivione detur dextera mea.Adhaereat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui: si non proposuero Jerusalem in principio laetitiae meae.* (*Psal.* 136.) Haec enim est vera nota civium Civitatis aeternae, si revera et ex toto corde cupiant destitui potius lingua et manibus , quam aliquid docere aut facere contra dilectionem Dei Patris, et caelestis patriae: et si vere , non ficte, principium laetitiae ipsorum sit Civitas illa, quae cives suos beatos facit, sic ut nulla eos felicitas mundana delectet , et sola ad eos exhilarandos in hoc exilio sufficiat futurorum recordatio atque expectatio gaudiorum.

Placet concludere hunc librum verbis sancti Augustini, ut qui nihil forte non credent, tanto viro fidem habere non dubitent. Is enim in explicatione Psalmi sexagesimi primi his verbis explicat , quae sit vera nota civium civitatis mundi.et civium Civitatis Dei: *Omnes*, inquit,*qui terrena sapiunt, omnes, qui felicitatem terrenam Deo praeferunt, omnes, qui sua quaerunt,non quae Iesu Christi, ad unam illam civitatem pertinent, quae dicitur Babylonia mystice, et habet regem Diabolum omnes autem, qui ea, quae sursum sunt,sapiunt, qui caelestia meditantur , qui cum sollicitudine in hoc seculo vivunt ne Deum offendant, qui cavent peccare, quos peccantes non pudet confiteri, humiles, mites, sancti, justi, pii, boni,omnes ad unam Civitatem pertinent , quae Regem habet Christum.*

DE

AETERNA FELICITATE

SANCTORUM

SUB NOMINE REGNI DEI

LIBER TERTIUS

CAP. I.

Quod omnes Beati sint domestici et filii Dei.

Laetatus *sum in his, quae dicta sunt mihi; in Domum Domini ibimus.* (*Psal.* 121.) Vere magna et ineffabilis est causa laetandi servo bono et fideli, quando vel sollicite laboravit in vinea, vel in negotiatione talenta multiplicavit,vel in stadio bravium primus apprehendit, vel in bello aut in agone coronam promeruit, vel oves sibi creditas diligenter pavit, et a lupis strenue fortiterque defendit: et his omnibus laboribus perfunctis Domum Domini sui laetus ingreditur. Sed videamus cur *Domus* dicatur,quae paulo ante *Civitas* dicebatur. Huius enim rei non est illa causa, quod angusta sit, et ideo *Civitatis* nomen non mereatur. Siquidem tam est ampla, ut nulli civitatis,aut etiam Regno magnitudine cedat. Audi enim quid Baruch Propheta; *O Israel, quam magna est Domus Dei, et ingens locus habitationis eius? Magnus est, et non habet finem.* (*Bar.* 3.) Quid ni igitur tam magna Domus *Civitas* dici possit? Prima igitur illa causa est, quia Beati, quamvis toto Regno caelorum diffusi,omnes sunt domestici et familiares Domini. Potuisset enim aliquis existimare, si solius Regni aut Civitatis mentio fieret, multos fore in Regno caelorum,et in Civitate Dei nostri,qui numquam Deum viderent, et numquam ad eum alloquendum aditum haberent, nisi per Sanctos aliquos maiores admitterentur. Quia vero non ita se res habent, sed omnes omnino Deum semper vident, et cum eo versantur, et colloquuntur facie ad faciem, sive sint eximii Seraphini et Cherubini Apostoli et Prophetae, sive minores Angeli et minores Sancti. Nam de Angelis custodibus, qui ad ultimum ordinem Angelorum pertinent, dicit: *Angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est.* (*Matt.* 18.) et Apostolus ad Ephesios scribens dicit, Sanctos omnes esse non solum cives Sanctorum, sed etiam domesticos Dei. (Eph. 2.) Ideo habitatio eorum non solum Civitas dicitur, sed etiam Domus. Sunt quidem in caelo mansiones diversae, maiores et minores; et sunt etiam coronae diversae, illustriores, et minus illustres, pro diversitate meritorum: sed tamen cives illi sunt omnes beati et felices, et omnes mundi corde, et charitate pleni. Propterea nemo est, qui non sit etiam in Domo illa, et qui Deum non videat,et cum eo non versetur ut domesticus et amicus: quamvis in aliis Regnis et civitatibus multi sint, qui Regem numquam videant,et rarissimi,qui ad eius colloquium et consuetudinem admittantur. Altera ratio esse videtur,quia in civitate multi Regem vident, et cum eo loquuntur, sed non omnes sunt filii et haeredes Regis; sed ii tantum, qui in palatio degunt, et a Rege pro filiis et haeredibus agnoscuntur. At in Regno caelorum et Civitate Dei nostri omnes Sancti, sive maiores sive minores, vere sunt filii Dei, et fratres Christi; et haeredes Dei, et cohaeredes Christi, ac per hoc etiam inter se fratres: neque maiores despiciunt minores, neque ullus est inter eos livor aut invidentia. Nam cum Dominus orationem illam primariam et quotidie recitandam doceret, *Pater noster, qui es in caelis:* (*Matth.* 6.) neminem exclusit, et cum in iudicio dicet, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi;* (*Matth.*25.) neminem iustorum excipiet,et cum Apostolus ad Romanos dixit, *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei:* (*Rom.* 8.) et paulo infra, *Ipse Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus filii Dei, si autem filii, et haeredes; haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi*: neque ipse ullum exclusit, neque magnum neque parvum,modo Spiritum Dei habeat, et ab eo duci se sinat. Quod certe commune est omnibus regeneratis in Christo, et in fide, spe, et charitate perseverantibus. Beatus quoque Petrus in Epistola sua priore omnibus regeneratis pollicetur haereditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in

caelis. (1. *Petr.* 1.) Denique Sanctus Joannes in Epistola prima omnibus iustis sine exceptione dicit: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus.* (*Joan.* 3.)

Recte igitur dicitur Domus,et non solum Civitas et Regnum, habitatio illa Sanctorum,in qua omnes sunt filii et haeredes Regis magni,et omnes a Deo diliguntur ut filii et a Christo ut fratres ; et iure dicere possunt cum Propheta : *Quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum!* (*Ps.* 132.) Nam quae maior iucunditas cogitari potest, quam versari cum innumerabilibus Angelis, et hominibus maioribus, aequalibus, minoribus, et ab omnibus affectu sincerissimo diligi ut fratrem, tractari ut fratrem, complecti ut fratrem ?

CAP. II.

De magnitudine et pulchritudine Domus Dei.

Alia ratio cur habitatio Sanctorum Domus dicatur, assignari potest, quia videlicet domus, praesertim Regiae,plurima habent ornamenta in aulis, in cubiculis, in thalamis, quae reliqua civitas non habet. Nam quis enumeret peristromata, aulaea, tapetia, vestes pretiosas, vasa aurea et argentea, quibus fulgent palatia Regum ? Nec solum ornamenta interiora magno pretio constant, sed etiam ipsi aedificatio externa admirabilis esse solet ob marmora pretiosa, et columnas, atria deaurata vel depicta, hortos pensiles, et alia id genus, quae enumerare longum esset. Salomon Rex Jerusalem, posteaquam aedificavit templum Domino, ea magnificentia, qua par erat, aedificavit etiam domum suam tanto apparatu, ut in aedificatione consumpserit annos tredecim ; cum tamen administros et praefectos operum haberet plurimos, et materia lapidum pretiosorum et lignorum cedrinorum esset ad manus. Nec minore sumptu et industria aedificavit palatium uxori suae, filiae Regis Aegipti, et domum saltus Libani; cuius descriptio habetur in libro tertio Regum, ita sumptuosam ut incredibile videantur. (3. *Reg.* 7.) Ergo Scriptura sacra cum Domum Dei appellat eam habitationem, quam appellaverat Civitatem Dei, et Regnum caelorum; id significare voluit, totam Civitatem illam, et totum illud Regnum ita nitere et fulgere, ut domus Regia fulget ac nitet : Nam ut ex Propheta Baruch audivimus, Domus Dei tam ingens est, ut totum Regnum caelorum occupare possit. (*Bar.* 3.)

Admirabile omnino videbatur paulo ante, si totum Regnum aliquod ea pulchritudine splenderet, qua splendet eius primaria civitas. Quis ergo non obstupescat,si cogitet totum caelorum Regnum dici Domum Dei, quia totum ornatum, totum pulchrum, totum pretiosum est, ac ipsi Domus Dei ? Jure clamat Propheta David : *Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.* (*Ps.* 83) quis enim non toto corde concupiscat videre et possidere domum Regiam nobilissimam, quae totum Regnum magnitudine sua adaequet : et contra videre et possidere Regnum amplissimum, quod quamlibet Regiam domum adaequet ornamentis, et decore, ac pretio ? Nec solum concupisceret anima nostra talem Domum et tale Regnum, si attente ista cogitaret et fideliter crederet ; verum etiam plane deficeret,et extra se raperetur, ob incredibilem pulchritudinem et magnitudinem tantae rei. Sed nos humi strati, rebusque terrenis intenti, magna esse putamus quae hic cernimus, et ideo de invisibilibus non cogitamus : quemadmodum pueruli faciunt, qui domum paternam numquam egressi, domunculam suam diligunt, de palatiis Regum ne cogitant quidem. Quomodo etiam Rustici solent, quod civitates numquam viderint, de colendo agello suo solliciti sunt,et de reparanda domuncula lignea vel lutea, si forte ruinam minetur ; de palatiis, de arcibus, de foro, de theatro, de honoribus, de dignitatibus, de augendis pecuniis, de splendidis conviviis, nulla cura eos remordet. Et fortasse rustici et pueruli beatiores sunt civibus locupletibus, et magnis Principibus : quoniam ea, quae videntur in hoc mundo sublimia, plus afferunt molestiae et periculi, quam solidae utilitatis vel dignitatis. Quae vero bona sunt in Domo illa caelesti Patris nostri Dei, et vere maxima sunt, et nullam adferunt molestiam, nullumve periculum ; sed ab omni molestia et periculo liberant, non ad tempus, sed in sempiterna saecula.

Itaque beatus Paulus, qui nec parvulus nec rusticus erat, et bona huius mundi noverat, quippe homo doctissimus, et cum sapientibus versatus, et simul in Domo Dei fuerat,et Civitatem caelestem lustraverat, raptus in Paradisum, et in tertium caelum, de se ipse dicit : *Non contemplantibus nobis, quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur, temporalia sunt; quae non videntur, aeterna.* (2. *Cor.* 4.) et rursum: *Nostra autem conversatio in caelis est.* (*Philip.* 3.) et nos omnes exhortans dicebat : *Quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens ; quae sursum sunt sapite, non quae super terram.* (*Col.* 3.)

CAP. III.

De triclinio Domus Dei.

Accedit alia ratio cur Domus Domini dicatur, quae dicta est Civitas et Regnum : ea vero ducitur ab illis verbis Domini, *In Domo Patris mei mansiones multae sunt* : (*Joan.* 14.) Siquidem in domibus sunt triclinia ad cibum sumendum, cubicula cum cubilibus ad somnum capiendum,aulae vel atria ad varias exercendas actiones,quae extra domos fieri non solent. At ut incipiamus a triclinio, vere est triclinium in Domo Domini, ubi Sancti omnes non solum cibis Regiis vescuntur, sed, quod est admirandum valde, et non credibile nisi Spiritus sanctus ipse hoc nos doceret, Rex ipse praecinctus mensis ministrat. Sic enim loquitur Dominus apud Lucam : *Beati sunt servi illi, quos cum venerit Dominus,invenerit vigilantes: amen dico vobis, quod praecinget se, et faciet illos*

discumbere, et transiens ministrabit illis. (*Luc.* 12.) Quale, quaeso, est hoc triclinium? quis umquam audivit talia? Dominus stat, famulus recumbit. Dominus praecingitur, ut sine impedimento ministret: famulus discinditur, ut liberius et commodius recumbat. Dominus transit discurrens, et cibos adferens; famulus quiete comedit, et cibis Regiis fruitur. O si ista cogitaremus, et caperemus, quam cito vilescerent omnes terrenae cupiditates? Praecinxit se linteo, aliquando Dominus, ut discipulis pedes lavaret. Petrus exhorruit, et ferre non poterat, a Domino servi pedes lavari. (*Joan.* 13.) Sed tunc Petrus merito exhorruit, quia vidit maiestatem humiliatam, ut exemplum humilitatis servulis suis daret. Sed in Domo illa caelestis praecinctio et ministerium Domini non est humiliatio, sed dignatio: neque humilitatis exemplo indigebunt servi Dei in caelo, ubi nulli erunt superbi, sed omnes in omni genere virtutum confirmati atque perfecti. Igitur praecinctio illa Domini significat, ita libere, ita expedite, ita sine ullo impedimento adfuturum Dominum unicuique servorum et fratrum suorum, bonis omnibus cumulando ac recreando, ac si nihil haberet aliud, quod ageret, et solus cum solo esset.

O anima Christiana, quid est hoc? Utinam saperes et intelligeres, quali honore, et quali delectatione cumulabit Dominus in aeternum sanctos servos suos? Haec enim si ad cor tuum profunde descenderent, certe tu quoque spiritu fervens, lumbosque praecinctus, totum te in obsequium tam dulcis Domini laetus impenderes: et si quando in pauperibus fratribus suis tibi occurreret, non solum non eum fastidires, aut torve aspiceres; sed charitatis visceribus dilatatis illum reficeres ac foveres, memor verborum illorum. *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis.* (*Matth.* 25.) Quod autem faciet servos suos discumbere, significat eos iam in Domum Patris admissos, posse tutissime sine ullo periculo aut sollicitudine recumbere, et repleri ac frui bonis omnibus, quibus referta est Domus Domini. Nullus enim deinceps eris, qui vel per vim, vel per insidias possit eos impedire, vel prohibere, ne omni bono liberrime perfruantur. Denique quod ipse Dominus transiens ministret, nihil est aliud, nisi praecipuas epulas Sanctorum in ipso Domino esse: ipse enim est panis vitae, ipse est fons sapientiae, ipse est Manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Itaque ipse transit ad omnes, ipse ministrat omnibus epulas ineffabiles, quae sine fastidio satiant, et sine satietate replent.

CAP. IV.

De cubiculis Domus Dei.

Transeamus nunc a triclinio ad cubiculum vel cubilia, *Exultabunt*, inquit David, *Sancti in gloria: laetabuntur in cubilibus suis.* (*Ps.* 149.) Hoc cubile nihil est aliud, nisi requies omnimoda Sanctorum, et somnus ille, de quo canit in alio loco idem David: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini.* (*Ps.* 126.) de qua requie dicit in alio loco: *In pace in idipsum dormiam et requiescam.* (*Psal.* 4.) Denique haec est illa requies, de qua dictum est sancto Joanni: *Scribe; Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.* (*Apoc.* 14.) Magnum est bonum, et proprium Beatorum. Siquidem in hac vita nemo omnino liber est a labore, et qui videntur quiescere, ut nobiles et divites, illi maioribus urgentur augustiis. Non enim sine causa Dominus noster divitias comparavit spinis, in parabola de seminante, (*Matth.* 13.) Et Job, *Militia*, inquit, *est vita hominis super terram.* (*Job.* 7.) et unus de eius sociis, *Homo*, inquit, *nascitur ad laborem, et avis ad volatum.* (*Job.* 7.) Sed omnium clarissime Ecclesiasticus, *Occupatio magna*, inquit, *creata est omnibus hominibus, et iugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturae in matrem omnium. Cogitationes eorum, et timores cordis, adinventio expectationis, et dies finitionis, a residente super sedem gloriosam usque ad humiliatum in terra et cinere: ab eo, qui utitur hyacintho, et portat coronam, usque ad eum, qui operitur lino crudo.* (*Ecc.* 40.) Haec Ecclesiasticus, ubi pulcherrime docet, nullum mortalium ullo tempore quietis esse participem. Exponam breviter hanc sententiam ut omnes intelligant, quanti fieri debeat somnus, id est, requies Beatorum. *Occupatio magna*, inquit, *creata est omnibus hominibus, et iugum grave super filios Adam.* Occupatio opponitur quieti: sed quia multi occupantur in rebus laetis, in venatione, in lusu, in cantu, in saltatione, addit, *et iugum grave*, ut ostendat, loqui se de occupatione laboriosa et molesta, qua nemo delectatur, et quam omnes refugiunt. Atque hanc molestissimam occupationem dicit esse creatam hominibus, id est, adiunctam et destinatam homini ab ipsa creatione tamquam comitem individuum et inseparabilem. Id quod explicat, ne quis forte non intelligeret, dicens, *a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturae in matrem omnium.* Itaque mitius actum est cum bobus, qui iugum grave ferunt interdiu, et noctu quiescunt, quam cum hominibus, qui diebus et noctibus iugum grave ferre coguntur. Deinde breviter attingit partem occupationum molestarum, quae instar gravissimi iugi colla mortalium premunt. *Cogitationes, et timores cordis, adinventio expectationis, et dies finitionis.* Prima pars molestae occupationis est cogitatio rerum futurarum: semper enim sollicitus est de crastino, ac dicit intra se: *Quid erit post haec? amittemus ne id modicum boni, quo fruimur?* Ex his nascitur timor cordis continuus, qui non sinit hominem requiescere. Atque haec cogitatio cum prole sua, quae est timor, duplex est: altera, quam sibi ipse animus fingit; altera, quae necessaria est, et quam nemo fugere potest. De priore dicit, *adinventio expectationis*: de posteriore, *dies finitionis.* Adinvenit homo, id est, fingit sibi varias expectationes rerum futurarum, quae non minus cruciant, quam si certo venturae essent. Sed maxime

torquet cogitatio et timor mortis,quam vocat diem finitionis ; quam omnes cum timore tanto exspectant, ut Apostolus ad Hebraeos eam vocet continuam servitutem : mortis enim expectatio amarescere facit omnes huius vitae iucunditates. (*Heb.* 2.) Denique addit Ecclesiasticus, hanc laboriosam occupationem ita esse communem omnibus filiis Adae , ut pertineat ad omnes homines , a primo usque ad ultimum ; ab illo , qui sedet in throno sublimis, et gestat coronam, et utitur hyacintho , usque ad eum , qui humi iacet, et utitur lino crudo. Atque in his omnibus sunt homines post Adae peccatum bestiis omnibus infeliciores: bestiae siquidem sine timore vivunt, neque de crastino sollicitae sunt, et neque recordantur praeteriti laboris , neque anguntur expectatione futurorum. Et ideo sapiens Ecclesiasticus dixit, hoc iugum esse super filios Adam, tum ut excluderet bestias,quae liberae sunt ab hoc iugo ; tum ut indicaret, causam huius miseriae fuisse peccatum primum hominis primi.

Illud autem est omnium miserrimum iis, qui ad caelestem domum non aspirant, quod in hac vita iugum grave ferunt, sed gravius multo apud inferos invenient. Siquidem in hac vita nemo liber est a labore, sed cum aliqua consolatione coniuncto: post hanc vitam apud inferos labor et dolor est sine consolatione et requie : in sola beata Domo Dei requies est sine ullo labore,et consolatio sine ullo dolore. Recte igitur canit Propheta, *Exultabunt Sancti in gloria, laetabuntur in cubilibus suis.* (*Ps.* 149.) quoniam non requiescent ut dormientes , qui non sentiunt quietem suam ; sed cum exultatione magna requiescent, scientes et cognoscentes cum aeterna gratiarum actione bonum felicissimae quietis, ab omni labore, dolore, timore, molestia, pertubatione liberrimae. Profecto si nihil esset aliud in Domo Domini , nisi ista sempiterna requies, nonne digna esset , quae omnibus huius vitae laboribus emeretur? Et si apud inferos tormentum non esset aliud nisi sempiterna et irrequieta vigilia , nonne digna esset, quae omnibus huius vitae diurnis nocturnisque orationibus et fletibus redimeretur? Certe enim quam dulce Sanctis erit, in exitu de hoc saeculo videre finem laboris et doloris : tam erit amarum iniquis in exitu simili cernere, nullam deinceps sperandam esse requiem laborum atque dolorum. Ultimum terribilium dicitur esse mors: et tamen quia mors requiem aliquam habere videtur , ideo miserrimi illi, qui ad inferos descendent, *quaerent mortem, et non invenient eam : et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis.* (*Apoc.* 9.) Itaque carentia omnis quietis gravius indicabitur malum, quam sit ultimum terribilium. Et tamen tanta est in hoc saeculo mortalium caecitas , ut pro nihilo ducant , requiem sempiternam amittere , et ad locum illum descendere, ubi supplicia requiem nullam admittent.

CAP. V.

De aula Domus Dei.

Restant loca in domo negotiis variis deputata. Sed in Domo illa beata unum erit negotium commune omnibus, Regis superni laudatio. Hic enim quidam negotiantur ut lucrentur pecunias ; alii ut dignitates acquirent ; alii dant operam studiis doctrinarum, ut discant, doceat ; alii mechanicis artibus , ut parent, quae sunt ad vitam necessaria. Sed in illa regione viventium et immortalium nulla erit inopia, nulla ignorantia, nulla necessitas, ambitio nulla , omnes erunt statu praesenti contenti, neque aliud optabunt aut requirent amplius ; proinde toti erunt in summo bono fruendo, diligendo, et laudando intenti.

Sed videor mihi audire, qui dicant, officium laudandi Deum in Psalmis et hymnis ac praecipue in Horis canonicis recitandis, non carere labore , et fatigatione: nec deesse qui grave onus impositum sibi esse querantur , quod tot horas cantando in Ecclesiis,et Deum laudando consumere iubeantur. Quibus respondemus , laudationem Dei in hoc tempore meritum esse, in vita aeterna praemium: atque hinc fieri, ut hic quidem sit laboriosa multis et molesta, quae ibi erit omnibus iucunda et decora laudatio. Nunc multa legimus vel canimus, quae non intelligimus: praeterea in abigendis vanis cogitationibus , quasi muscis importunissimis , non mediocriter laboramus : denique corpus , quod corrumpitur, non potest diutius mentis functionibus sine fatigatione servire. At in beata illa patria corpus erit immortale et impassibile , aberunt muscae inanium cogitationum, intelligemus omnia perfectissime , quae canemus : et quod est potissimum, nihil erit aliud divina laudatio, quam felicitatis exercitatio: proindesi non erit molesta sempiterna felicitas, neque molesta esse poterit aeterna laudatio. Esse autem in caelo Dei laudationem, beatitudinis exercitationem, docet Propheta , qui ait : *Beati qui habitant in Domo tua , Domine , in saeculo saeculorum laudabunt te.* (*Psal.* 46.) Sicut enim ad beatitudinem pertinet, semper videre et amare summum bonum ; sic ad exercitium beatitudinis pertinet,semper admirari et laudare pulchritudinem summi boni. Et quemadmodum nemo fatigabitur Deum amando , sic etiam nemo fatigabitur Deum laudando. Adde quod non solum non fatigabimur videndo et laudando opera Dei, quae omnia semper in conspectu aderunt, et pulchritudinem suam eximiam semper ostendent: nec laudare poterimus opera Dei, pulchra valde , quin simul laudemus Auctorem operum illorum , quae semper clamabunt, *Ipse fecit nos et non ipsa nos.* Denique sicut numquam oblivisci poterimus beneficiorum , quibus nos Deus obruit , et quasi nodis amoris insolubilibus adstrinxit ; sic etiam non poterimus non semper animis gratissimis iubilare in laudibus optimi Benefactoris.

Concludamus igitur cum sancto Augustino , atque dicamus : *Quid aliud ageretur , ubi neque ulla desidia cessabitur , neque ulla indigentia laborabitur? Ipse Deus finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Hoc munus,hic affectus, hic actus profecto erit omnibus, sicut ipsa vita aeterna communis. Ibi ergo vacabimus et videbimus, videbimus et amabimus, amabimus et laudabimus. Ecce quod erit in fine*

sine fine. Nam quis alius noster est finis, nisi pervenire ad Regnum, cuius nullus est finis? (*Lib.* 22. *De Civit. Dei, cap.* 30.)

CAP. VI.

De prima parte portae Domus Dei, quae est fides.

His explicatis, unum illud reliquum esse videtur, ut videamus, quae sit porta, per quam in illam Domum felicissimam ingredi valeamus. Sed ipse Dominus in Evangelio non solum portam ostendit, sed etiam angustam valde, esse praedixit, ac ut intrare contendamus admonuit. Siquidem interrogatus *Domine, si pauci sunt, qui salvantur?* (*Luc.* 1.) respondit: *Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quaerent intrare, et non poterunt. Cum autem intraverit paterfamilias, et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ostium dicentes: Domine, aperi nobis. Et respondens dicet vobis: Nescio vos unde sitis; discedite a me omnes operarii iniquitatis. Ibi erit fletus et stridor dentium.* Haec Dominus: qui satis aperte docet, portam Domus Dei, quae est in caelis, angustissimam esse, quamvis ipsa Domus sit amplissima, et propter angustiam eius multos non intraturos, qui alioqui libenter intrarent: et ideo non intraturos, quia cupiunt quidem intrare, sed non contendent, nec pressuram ullam pati volent.

Explicemus, unde sit angusta porta domus amplissimae. Quatuor partes habet porta, limen, superliminare, et latera duo, id est, quatuor lapides, unum infra, alterum supra, et duo ad latera, quae in hac nostra porta, quatuor sunt virtutes omnino necessariae, ut quis coelestem Domum ingredi valeat, fides, spes, charitas, humilitas. Fides et spes lapides sunt laterales, charitas est superliminare, humilitas limen, quod pedibus teritur. Sed omnes isti lapides, id est, omnes istae virtutes tam exiguam habent in se longitudinem et latitudinem, ut et in se angustae sint, et portam angustissimam faciant.

Incipiamus a fide. Fides Christiana et vera, eiusmodi patitur angustias, ut nisi mens humana vim sibi faciat, et quasi in captivitatem se redigi patiatur, et ligari et trudi, nemo per eam ingredi valet. Atque hoc est, quod Apostolus scribit in posteriore Epistola ad Corinthios: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* (2. *Cor.* 10.) Proponit enim fides Christiana multa credenda, quae ita superant omnem rationem, ut difficillimum sit illis assentiri; et tamen sic certo, sic firmiter credi iubet, ut homo paratos esse debeat millies vitam sanguinemque profundere, quam unam partem fidei abnegare. Magnae sunt istae angustiae: nec mirum, si pauci illas superent. Atque haec ratio est, cur tam multi ad Mahometanos vel haereticos deficiant, quoniam illi angustia fidei sustulerunt, et portas latissimas aperuerunt; per quas tamen non itur ad vitam, sed ad perditionem, iuxta verbum Domini apud Matthaeum: *Lata porta, et spatiosa via est, quae ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam.* (*Matt.* 7.) Siquidem omnis homo naturaliter scire desiderat, ut Philosophus scripsit ad initium Metaphysicae: ideo non facile assentitur, nisi demonstratio, vel certe probabilis ratio adferatur. Expertus est hoc Apostolus Paulus; qui quamvis ex infusa et acquisita doctrina, et ex dono linguarum mirabiliter loqueretur; tamen cum praedicaret resurrectionem mortuorum, non deerant qui illum irriderent: et alii qui dicerent. *Quid vult seminiverbius hic dicere?* (*Actor.* 17.) et cum Christum crucifixum annunciaret, gentibus stultus esse videbatur, et Judaei scandalum patiebantur, ut ipse testatur in priori ad Corinthios. (1. *Cor.* 8.) Hinc etiam veteres haeretici, ut portam angustam dilatarent, varios errores invenerunt. Alii enim mysterium Trinitatis sustulerunt, ut Sabelliani et Ariani: alii mysterium Incarnationis, ut Nestoriani et Eutychiani: alii Resurrectionem mortuorum, ut Originistae, et alii. Sed istae omnes portae, et aliae pene ducentae, quia humanos architectos habebant, et solido fundamento carebant, brevi tempore corruerunt, ut iam vix nomina teneamus: et ne nomina quidem sciremus, nisi in libris Catholicorum, qui eas oppugnarunt, Irenaei, Philastrii, Epiphanii, Augustini, Theodoreti, et similium, ea legeremus. Jam vero Mahometani, qui nunc tam longe lateque sectam suam dilataverunt, omnia fere quae difficiliora sunt in fide Christiana, sustulerunt, ut personarum divinarum Trinitatem, ut Incarnationem Verbi divini, ut mortem et resurrectionem Filii Dei, ut Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae; quibus sublatis omnes angustiae sublatae sunt, et porta dilatata multitudinem innumerabilem admittit.

Haeretici vero temporis nostri per aliam viam ingressi sunt, et eas angustias potissimum sustulerunt, quae non tam ad intelligentiam, quam ad actionem pertinebant, Fides Christiana docet, vitanda esse omnia peccata, ut etiam de verbo otioso reddenda sit ratio: et si quis in peccatum lethale labatur confitenda esse peccata Sacerdoti, et per contritionem seriam et satisfactionem esse diluenda: opera bona, quantumvis laboriosa et difficilia, esse facienda, si a Praepositis praescribantur: Regnum coelorum esse bonis operibus promerendum, ut coronam iustitiae et mercedem laboris: Ecclesiasticis sacratisque hominibus caelibatum esse colendum: vota Monachorum et Sanctimonialium esse servanda. Haec et his similia, quae angustias facere videbantur, haeretici huius temporis ita sustulerunt, ut portam latissimam aperuerint. Praedicaverunt enim, solam fidem esse necessariam ad salutem, ita ut homo Christianus non possit perire, quantumvis peccatis omnibus fit coopertus, nisi nolit credere. Item non esse opus confiteri peccata Sacerdoti; satis esse, si quis confiteatur Deo: contritionem non requiri, satis esse terrores quosdam mentis: poenitentiae et satisfactionis opera non esse necessaria: liberum esse Sacerdotibus caelibatum cum coniugio commutare: nec minus licere Monachis et Sanctimonialibus omnia vota contemnere: non posse Praepositos ad aliqua pia opera subditos populos obligare. His

et similibus doctrinis, sublatis angustiis fidei, portam salutis latissimam sibi facere visi sunt: sed re vera portam, quae ducit ad inferos, aperuerunt, et per eam turbam ingentem levium hominum ad perditionem secum duxerunt.

Nec vero Catholici omnes angustias fidei superant: nam tametsi omnia, quae fides docet, credunt; tamen dum aliter vivunt quam fides iubet, de illis probantur esse, de quibus Apostolus loquitur cum ait: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* (*Tit.* 1.) ac per hoc ipsi quoque angustias fidei refugiunt, et portam latam ingrediuntur, quae ducit ad perditionem. Itaque si de fide agatur, ad quaestionem Domino propositam, *Si pauci sunt, qui salvantur?* respondendum erit, paucos esse, et ideo contendendum intrare per angustam portam.

CAP. VII.

De spe, quae est altera pars portae Domus Dei.

Jam vero spes quoque suas habet angustias, sive praemii magnitudinem, sive parvitatem nostram consideres. Si quis enim iuberet rusticum indoctum, et qui nullam habet experientiam rerum humanarum, sperare brevi se habiturum sapientiam Salomonis, vel certe Platonis et Aristotelis, et simul imperium Alexandri Magni, vel Augusti; quando quaeso persuaderi posset eiusmodi homini, ut tantillus tanta speraret? At id multo facilius est, quam ut homo mortalis speret sapientiam et potentiam Angelorum, qui in coelo sunt, et purae intelligentiae sunt. Nam ille rusticus, et Alexander, atque Aristoteles, eiusdem naturae erant, omnes homines mortales erant; et sapientia Aristotelis sapientiam humanam non trascendebat, et imperium Alexandri ne tertiam quidem terrae partem occupavit. At spes fidelium sperare eos iubet aequalitatem Angelorum, dicente Domino: *Qui digni habentur, saeculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores; neque enim ultra mori potuerunt: aequales enim Angelis sunt, et filii sunt Dei.* (*Luc.* 20.) Et si quis hominem, qui humi repit, sperare iuberet, brevi futurum ut volet per aerem, aut in aquis longo tempore subsistat, et currat atque discurrat; quando adduci posset ut ista speraret? et tamen aves etiam magnae, ut grues, ut ciconiae, ut aquilae, celerrime volant per aerem: et naves gravissimae et onustae subsistunt in aquis, vel currunt et discurrunt per aquas, prout voluerint natuae. At spes Christianorum sine ulla ambiguitate, iubet, ut homo Christianus etiam cum corpore speret se super coelos ascensurum, et a coelo ad terram sine ullo periculo ruendi descensurum, et in cursu ab ortu ad occasum cum sole ipso certaturum, eumque sine dubitatione victurum. Denique si quis pauperculus parentibus orbatus, sperare iuberetur, a Rege magno sibi non cognito se in filium adoptandum, certe multum laboraret, ut id posse fieri aliquando speraret: et tamen uterque homo est, et terrae filius, ac morti obnoxius. At spes Christiana docet, hominem quemcumque, modo baptizetur in Christo, et Christi mandata custodiat, spiritum adoptionis a Deo habiturum, et vere in filium cooptandum, et fore haeredem universorum quae ipse Deus possidet; (*Rom.* 8.) cohaeredem autem Christi; qui Filius est naturalis et proprius, et quem Pater constituit haeredem universorum. (*Heb.* 1.)

Haec spes tam magna et tam excelsa, si a Christianis, ut par est, coleretur et teneretur, certe faceret illos impavidos ut leones, ut nullis neque periculis neque terroribus cederent, et cum Propheta dicerent: *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.* (*Psal.* 117.) et: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* (*Psal.* 26.) et cum Apostol: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* (*Phil.* 4.) et: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* (*Rom.* 8.) Sed valde pauci sunt, qui res tam arduas sperent ut oportet, cum plurimi inveniantur, qui res etiam temporales et parvas a Deo non sperant, et magis confidunt in astutia sua, in furtis, in mendaciis, quam in adiutorio Altissimi. Dominus ipse apud (*Matt.* 6.) Matthaeum et apud (*Luc.* 12.) Lucam pulcherrimis similitudinibus admonuit fideles, ne nimis solliciti essent de quaerendo cibo et vestibus: quia Pater caelestis, qui nutrit aviculas, quae non serunt neque metunt; et vestit lilia agri, quae non laborant neque nent; multo magis prospiciet filiis suis, quibus servat Regnum aeternum: et tamen tam modica, et pene nulla invenitur in pleriisque Christianis confidentia in Deum, ut saepe in angustiis suis vel ad humanas fraudes, vel ad diabolicas artes potius confugiant; quam ad Deum. Ergo si illa non sperant a Deo, quae Deus tribuit volucribus coeli et liliis agri, quaeque se daturum esse promittit, si spem suam ponant in eo: magnum est argumentum, in eiusmodi animis locum non habere spem illam; quae propria est filiorum Dei, qui Regni sempiterni consortium sperant a Deo. Et quoniam sine spe certa et viva, quae pars est portae Domus caelestis, nemo ingreditur ad salutem, ideo non multi sunt, qui salvantur.

Sed sunt etiam aliae maiores angustiae in virtute spei: iubet enim Christiana spes contemni praesentia, quae videntur, et sperari futura, quae non videntur: iubet dispergere et dare pauperibus, ut ea multiplicata restituantur in coelis, ubi nemo fuit, qui viderit, et nemo est, qui cogitare vel suspicari possit, quae sint illa bona, quae nobis reddentur in coelo, si nostra seminentur in terra. Et quidem rusticus facile persuadetur, ut triticum seminando spargat in terram, quia usus multorum annorum docuit, quod seminatur cum labore, cum exultatione meti: sed quae disperguntur in pauperes, colligi multiplicata in coelis, nulla experientia docuit. Ideo difficile videtur hominibus, dimittere praesentia, quae videntur, et sperare futura, quae non videntur.

Denique magnum est argumentum, angustissimam esse portam, confidentiam firmam in Deum, quod tanta ubique inveniatur turba miserorum, lugentium, clamantium, blasphemantium, desperantium. Deus enim in se confidentibus aut tollit mi-

serias, aut donat patientiam cum tam ingenti consolatione coniunctam, ut dicant cum Apostolo: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* (2. *Cor.* 7.) Turba igitur illa lugentium et flentium in miseriis argumento est, ut scribit sanctus Basilius in Psalmum quadragesimum quintum, multos esse, qui in ore habeant, *Deus refugium nostrum et virtus*: paucissimos, qui in corde, quique vere et ex animo sperent in Deo.

CAP. VIII.

De charitate, quae est tertia pars portae.

Veniamus ad charitatem, quae est superliminare portae caelestis Charitas Regina virtutum, quae ab una parte videtur, cum se extendat ad Deum, ad Angelos, ad omnes homines, etiam ignotos et inimicos, eo redditur angustior, cum per eam transeundum est, ob incredibilem difficultatem, quam secum adfert, cum non verbo et lingua, sed opere et veritate praecepta illius adimplenda sunt. Quid enim, quaeso, Regina ista iubet? (1. *Joan.* 3.) Primum, ut diligantur Deus ex tote corde, ex tota anima, ex omnibus viribus. (*Matth.* 22.) In magnas angustias redigitur homo, (*Luc.* 10.) cum ad ista implenda se accingit. Quid est enim diligere Deum ex toto corde, ex omnibus viribus, nisi diligere amore vero et summo? illud *ex corde* et *ex anima*, significat amorem esse debere verum, non simulatum, non verbo et lingua, ut loquitur sanctus Joannes, sed opera et veritate (1. *Joan.* 3.) Illud *ex toto corde*, et *ex omnibus viribus*, sive *ex omni virtute*, ut habet alius Evangelista, (*Matth.* 12.) significat amorem in Deum esse debere maximum. Vis igitur praecepti est, ut diligatur Deus amore vero et summo, ut nihil ei praeponatur, nihil adaequetur, omnia postponantur, sic ut paratus sit homo Christianus cum Patriarcha Abrahamo, si opus sit ad gloriam Dei, vitae proprii et unigeniti et amantissimi filii sui non parcere. Neque id solum, sed etiam, ut Dominus mandat in Evangelio, (*Luc.* 14.) odisse patrem et matrem, uxorem et filios, fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, et renuntiare omnibus, quae possidet, id est, paratum esse ea promptitudine privari omnibus consanguineis, et vita propria, et facultatibus ac dignitatibus omnibus, qua illis privaretur, si ea vere et ex animo odisset. Magnae angustiae sunt istae, et ad eas penetrandas quis idoneus? Quanto facilius invenientur homines, et ii non pauci, qui parati sint Deo renuntiare, et omnibus eius promissis, quam divitiis et honoribus temporalibus, ne dicam vitae propriae vel filiorum? Testis est sanctus Cyprianus in Tractatu De lapsis, in ipsa primitiva Ecclesia, quando ardor charitatis erat multo maior quam nunc sit, pro paucis Martyribus plurimos fuisse desertores, qui patrimonia sua, nedum vitas, charitatati Dei anteponebant: quod ipsum testatur etiam Eusebius in Historia Ecclesiastica. (*Histor. Ecclesiast. libr.* 8. *cap.* 2.)

Quid iam dicemus de charitate erga proximum? Quid mandat charitas ut erga proximos faciamus? nimirum ut diligamus eos sicut nos ipsos; et quod nobis fieri volumus, nos quoque erga alios faciamus. Quis vero est, qui si multum egeat, non cupiat sibi dari a divitibus, saltem quod illis superest? Nec accipiet excusationem si dives respondeat; aere alieno se premi, quod emerit villam magni pretii, aut sumptuosum palatium aedificaverit, aut certo peristromatibus pretiosis exornaverit: illa enim fortasse supervacanea sunt; et non patitur charitas, ut proximus pauper rebus necessariis careat, et proximus dives supervacaneis rebus abundet. De qua re consulat, quaeso, Lector sanctum Basilium in Oratione ad divites, et sanctum Bernardum in declamatione super illa verba: *Ecce nos reliquimus omnia.* Videbit enim et horrebit periculum eorum, qui non cogitant, se de propriis opibus rationem Domino reddituros, et qui secundum suam cupiditatem, non secundum Domini voluntatem, et erga proximos charitatem illis utuntur. Nam si de verbo otioso rationem reddemus, cur non magis de pecuniis male consumptis? (*Mat.* 11.)

Sed Apostolum Joannem audiamus, atque ab eo discamus, quousque se extendat debitum charitatis: *In hoc*, inquit, *cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: et nos debemus pro fratribus animas ponere.* (1. *Joan.* 3.) Deus Christus pro servis suis animam posuit: quid ergo magnum erit, si nos pro fratribus animam, id est, vitam ponamus? Itaque non dicit Apostolus, possumus, sed *debemus pro fratribus animas ponere*: neque dixit, arbitror, censeo, consilium do; sed absolute pronuntiavit, *debemus pro fratribus animas ponere*, et si animas, cur non magis facultates? Proinde sanctus Gregorius recte concludit: *Cum incomparabiliter longe sit melior anima, qua vivimus, terrena substantia, quam exterius possidemus; qui non dat substantiam suam, quando daturus est animam suam?* (*Hom.* 14. *in Evangelium.*) Quod idem de aliis rebus dicere possumus, qui enim debet pro fratribus animam ponere, cur non multo magis debet fratribus iniuriam sive offensionem condonare? et qui debet pro fratribus animam ponere, cur non debet diligenter cavere, ne fratrem verbo aut facto laedat? Quia vero praeceptum charitatis Dei et proximi eiusmodi angustias habet, ut a paucis superentur; ideo quaerenti a Domino, *Si pauci sunt, qui salvantur*? iure potuit Dominus respondere, paucos esse, et propterea totis viribus contendendum esse, ut cum illis paucis salutaris portae angustias superemus.

CAP. IX.

De humilitate, quae est quarta pars portae.

Restat humilitas, quae suas etiam nec parvas habet angustias. Quid praecipit Magister ille, qui de se verissime dixit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*? *Vade, recumbe in novissimo loco,* (*Matt.* 11.) Et quod dixit, fecit. Veniens enim in hunc mundum, recubuit nascens in praesepi, et moriens in cruce. Locum certe humiliorem

invenire non potuit, neque nascens, neque moriens. Et dum vixit, pauperior fuit non solum hominibus, sed etiam animantibus brutis : nam vulpes foveam habent, et volucres coeli nidos ; ipse autem non habuit ubi caput suum reclinaret. Sed quid sibi vult, *Recumbe in novissimo loco?* (*Luc.* 14.) Illud significat, Quicumque tu sis, et quantuscumque sis, existima te semper ultimo loco dignum esse. Cuius rei rationem reddit Apostolus in Epistola ad Galatas, cum ait : *Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* (*Gal.* 6.) et non dixit, Qui se exstimat magnum esse aut maiorem aliis, sive sapientia, sive potentia, sive virtutibus ; neque dixit, Si quis existimat se non magnum esse, neque ceteris maiorem : sed tamen aliis parem : sed dixit, *Si quis existimat se aliquid esse*, et denique non dixit, Cum pauper, vel indoctus, vel inglorius sit ; sed, *cum nihil sit.* Itaque non potuit Apostolus magis descendere, ut locum novissimum designaret, et verba Domini digno commentario explicaret. At, inquiunt, oportet esse homines in altis gradibus, Praelatos, Principes, Reges, Imperatores, Pontifices. Ita est, oportet ; sed unusquisque sedere debet in novissimo loco, et exspectare ut Dominus dicat : *Ascende superius*, cuius rei exemplum insigne habemus in sancto Augustino, quod eius verbis proponere libet. Sic enim loquitur in Sermone De communi vita Clericorum : *Ab eis, qui diligunt saeculum, segregavi me : sed eis, qui praesunt populis, non me coaequavi : nec in convivio Domini superiorem locum elegi, sed inferiorem et abiectum. Et placuit illi dicere mihi, Ascende sursum. Usque adeo autem timebam Episcopatum, ut quoniam esse coeperat alicuius nominis inter homines fama mea, in quo loco sciebam non esse Episcopum, non illo accederem. Cavebam hoc, et agebam quantum poteram ut in loco humili salvarer, non in alto periclitarer. Sed, ut dixi, Domino servus contradicere non debet.* Utinam hoc exemplum omnes imitarentur! haberemus enim multos Praelatos bonos, multos bonos Principes, multos optimos Magistratus. Sed quia multi se ingerunt, neque vocationem Domini expectare dignantur ; Deus aliquando irascitur, et ad exemplum aliorum cogit non paucos in novissimo loco sedere, ut omnes intelligant, honores et divitias, ut cetera temporalia et spiritualia bona, a manu sua pendere. Hinc enim saepe videmus homines ditissimos brevi redigi ad extremam pauperiem, et magnos Principes de sedibus suis deiici.

Sed neque satis est expectare Dei vocationem ; sed oportet etiam in ipsa Praelatura vel Principatu non superbe sapere : sed iuxta Sapientis consilium, quanto quis maior est, tanto se in omnibus humiliari : (*Eccl.* 3.) non corpore sed corde, ut sanctus Gregorius in Pastorali suo docet, (*Past. lib.* 2. *cap.* 6.) et apertius sanctus Augustinus in Epistola, quae est Regula Sactimonialium : *Honore*, inquit, *coram hominibus praelata sit vobis, coram Deo substrata sit pedibus vestris.* (*Epist.* 109.) Debet enim unusquisque ceteros omnes meliores, ac per hoc maiores se credere. Ille enim proprie et simpliciter maior est, qui maior est apud Deum. Apud Deum autem maior est, qui melior est ; et ille melior est, qui virtutibus praestat ; quidquid sit de praefecturis, de divitiis, de titulis, de coronis, de insulis : virtutes enim bonum hominem faciunt, non praefecturae, divitiae, tituli, et alia id genus : et si virtutes bonum hominem faciunt meliorem, et maximae optimum : et qui virtutes in excellentiori gradu possident, illi ceteris praestant. Et quod una ex magnis virtutibus sit humilitas, ex eo cognoscitur, quod ipse Dominus humilitati tribuit exaltationem, in illa sententia ab eo saepius repetita : *Omnis, qui se humiliat, exaltabitur.* (*Matth.* 23. *Luc.* 14. *et* 18.) quam sententiam secuta est Virgo beata in Cantico : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles:* (*Luc.* 1.) et beatus Petrus : *Humiliamini sub potenti manu Dei; ut vos exaltet in tempore visitationis,* (1. *Petr.* 5.) Et sanctus Jacobus : *Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos.* (*Jac.* 4.) Denique beatus Paulus de Christo ipso dicit : *Humiliavit semetipsum: propter quod et Deus exaltavit illum.* (*Phil.* 2.).

Quoniam igitur virtutes, vere, ac praecipue charitas et humilitas, bonos homines faciunt coram Deo, ut etiam meliores et maximos : et quia nemo certe novit qualis sit coram Deo, et quales sint, vel paulo post futuri sint alii, ideo periculosum est, alicui se praeponere : et utilissimum, omnibus se postponere : ideo Dominus absolute pronuntiat, *Recumbe in novissimo loco.* Quotusquisque autem est, qui hoc praeceptum Dominicum servet? De qua re magis contenditur inter homines, quam de praecedentia? Quanti labores suscipiendi sunt ab iis, qui litigantes de punctis honoris ad concordiam redigere student? Quam multos saepe audimus sententiam illam ex Scripturis usurpantes, *Gloriam meam alteri non dabo?* (*Isa.*42) et tamen ea sententia ipsius Altissimi est apud Isaiam, cui soli iuste convenit. Deus enim solus humilis esse non debet ; quoniam humilitas est virtus, quae refraenat cupiditatem hominis, ne velit ascendere super se : Deus autem cum sit altissimus, nihil habet supra se. Itaque intoleranda superbia est, quod vermiculus terrae dicere audeat: *Gloriam meam alteri non dabo*, et tamen idem vermiculi, quos superbia ita instat, ut dicant cum Deo, *Gloriam meam alteri non dabo*, ita se abiiciunt, ut servos honoris, id est, inanis existimationis, se esse fateantur ; et sic fideliter domino suo Honori humano serviant, ut malint in singulari certamine crudeliter necari atque ad inferna descendere, et sic vitam aeternam et temporalem simul amittere, quam idolo suo Honori detrimentum aliquod adferatur. O vanitas vanitatum ! o quam graviter excaecavit oculos mentis iste fumus honoris ! et tamen Christiani fumus, et scimus Christum ab inimicis audivisse, *Ecce homo vorax, et potator vini.* (*Matth.* 21.) Item : *Samaritanus es tu, et daemonium habes.* (*Joan.* 8.) Item: *In Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia* (*Luc.* 11.) et tamen nemo audivit ab ore eius verbum *Mentiris*, aut aliquid eiusmodi : sed quia mitis erat, et humilis corde, *cum malediceretur,*

non comminabatur, ut scribit Apostolus Petrus. (1. *Petr.* 1.).

Ex his perspicuum est, portam vitae aeternae non minus ob humilitatem, quam ob Teologicas virtutes, fidem, et spem. et charitatem, esse angustam, et a paucis penetrabilem : ac per hoc interroganti. *Si pauci sunt, qui salvantur*? rectissime responderi posse, paucos esse : quia pauci, ut par est, totis viribus contendunt per angustias portae illius intrare.

CAP. X.

Iterum de fide, quae est prima pars portae.

Caeterum, ne videamur terrore nimio ab ingressu portae illius homines avocare, cum nobis contra propositum sit in toto hoc libro, mentes fidelium ad patriam nostram dulcissimam et felicissimam desiderandum accendere, ostendam paucis, portam illam, quae ab una parte ob illarum virtutum eminentiam et perfectionem angustissima est, eamdem ob Dei ipsius omnipotentiam, et veritatem, et misericordiam, dici posse latissimam et aditu facillimam, si quis vere per illam ingredi cupiat.

Ac ut a fide incipiamus. Vere fides res difficillimas, et supra sensum et rationem longe positas, et supra ipsorum Angelorum naturalem capacitatem sublimiter exaltatas, credendas docet : sed cum admonemur ab ipsa fidei doctrina, res illas credendas esse Deo, qui mentiri non potest, non Angelis, non hominibus, iam angustiae dilatari incipiunt. Si fides diceret. Crede Deum esse trinum simul et unum, Crede Filium Dei factum esse filium Virgini, Crede Christum a mortuis resurrexisse post tres dies virtute propria immortalem, et haec omnia firmissime crede, quia Petrus, et Paulus, et Joannes, Isaias, et Jeremias, et Ezechiel haec dixerunt : haesitarem utique, neque audérem res tam difficiles, et supra rationem positas, hominibus mei similibus credere. Scriptum est enim : *Omnis homo mendax.* (*Psalm.* 115.) et ideo tot iuramenta, et tot fideiussores requirimus, ut hominibus fidem habeamus. Sed cum fides dicit, Haec omnia Deus revelavit, neque Petrus, et Paulus, et Joannes, neque ceteri Apostoli et Prophetae ex mente sua haec docuerunt, sed ab ipso Deo edocti ; et verbum Dei, non verba sua praedicaverunt : continuo cor dilatatur, atque ad credendum praeparatur. Quod autem Deus sit, qui per Apostolos et Prophetas locutus est, idem Deus, tot signis et prodigiis manifestavit, ut stultum sit, nedum temerarium, non velle credere. Sic enim loquitur Apostolus ad Hebraeos : *Quae cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus sanctis distributionibus.* (*Hebr.* 1.) Quae autem Deus loquitur, quis neget esse vera, cum Deus omnino mentiri non possit; et si mentiri posset, Deus non esset ?

At quae nobis proponuntur credenda, superant rationem. Ita est ; sed non superant potentiam et sapientiam Dei. Ideo dicit beatus Ioannes, (1. *Joan.* 3.) Deum esse maiorem corde nostro, quia potest facere, quae non possumus intelligere ; et essentia atque existentia eius perfectior est, quam mens nostra capere possit. Si facile credit homo rudis Philosophis atque Astrologis multa de magnitudine solis et stellarum, quae videntur incredibilia ; cur non facile credat homo ipsi Deo, quidquid tandem ille revelare voluerit, cum infinito intervallo distet sapientia et potentia eius, ab igniculo rationis, quo praediti sunt homines ? Ista igitur qui considerant, non patiuntur angustias in credendis iis quae nobis Ecclesia credenda ponit.

CAP. XI.

Iterum de spe, quae est secunda pars portae.

Hoc idem de virtute spei dicere possumus, nam si quae speramus in vita futura, ab hominibus speranda esse diceremus. ut vani et impostores reiiciendi essemus : siquidem homines et mentiri possunt, et tam eximia praemia nullo modo dare possunt. At non ab homine speranda esse dicimus, sed a Deo, qui nec mentiri potest, cum sit veritas; nec fallere, cum sit bonitas ; nec aliquid impossibile apud eum, cum sit omnipotens. Itaque merito irrideri se crederet rusticus, si quis illi sapientiam Salomonis, aut potentiam Augusti polliceretur : quia qui illi promitteret, homo esset mendax et imbecillus. Sed Christianus, cui Deus promisit vitam eternam, Regnum caelorum, Paradisum omnimodae voluptatis, cur sperare non debet ? Fortasse desunt nobis pignora optimae voluntatis Dei? nonne in figuram rerum praesentium eduxit Deus populum suum per Mare Rubrum sicco vestigio ? pluit illis manna de caelo? eduxit aquam de petra? introduxit eos denique per Josue in Terram promissionis? numquid inanis et vacua debet esse tam insignis figura? Deinde si *sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, (*Joan.* 3.) nonne *cum illo omnia nobis donavit ?* (*Rom.* 8.) Quid magnum speramus a Deo nobis donandum, quod non superetur a dono, quod nec sperantibus nec petentibus iam dedit ? Si dedit peccatoribus et inimicis mortem Filii sui, non donabit iustificatis et amicis vitam Filii sui ? Neque his contentus, adiecit Spiritum sanctum, tamquam pignus (*Eph.* 1.) haereditatis, qui clamat in cordibus nostris: *Abba pater, et testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei. Si autem filii, et haeredes; haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi.* (*Roman.* 8.)

Quare si magnitudo rerum promissarum spem nostram superare videri possit, non potest tamen superare magnitudinem promittentis : quae magnitudo cum infinita sit, facile potest spem nostram erigere, ut ad illa promissa sine titubatione pertingat. Quam promissionem, ut Apostolus probat in Epistola ad Hebraeos, Deus (*Hebr.* 6.) iuramento confirmavit, ut per duas res immobiles, videlicet promissionem eius, qui mentiri non potest, et

adiunctum iusiurandum,habeamus spem,tamquam anchoram tutam et firmam incedentem usque ad interiora velaminis, ubi pro nobis introivit JESUS, secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in aeternum.

CAP. XII.

Iterum de charitate, quae est tertia pars portae.

Quid iam de charitate dicemus? Ea certe sicut ob difficultatem implendi praecepta eius angustissima, sic ob excellentiam divinae bonitatis, quam respicit, latissima dici potest. Cur enim difficile videri debet, toto corde, et tota anima,et omnibus viribus Deum diligere, cum sit ipse pulcherrime et optimus, et infinito amore dignissimus? Non est difficile hic in terris amare pulchra et bona; sed difficile est non amare,aut certe nimium non amare. Videtur igitur Deus quodammodo nobis iniuriam facere, cum tam severe iubet ut eum diligamus,quasi sponte nostra eum diligere non debeamus. At bona et pulchra, quae sunt in terris,ideo ardenter amantur quia clare videntur; *Deum* autem *nemo vidit umquam.* (*Joan.* 1) Ita est, non vidimus Deum, sed vidimus, et videmus quotidie opera eius, pulchra valde, de quibus Sapiens dicit: *Si specie* solis et lunae *delectati, Deos putaverunt; sciant quanto his Dominator eorum speciosior est: speciei enim generator haec omnia constituit.* (*Sapiens.* 13) Exprimit quoque dulcedinem eius in beneficiis eius quotidianis: habemus denique testimonium eius, qui vidit, et mentiri nequit; videlicet sancti Spiritus, qui per Apostolos et Prophetas in Scripturis sanctis praedicat, Deum usque adeo bonum et pulchrum esse, ut merito solus bonus et solus pulcher dici mereatur.

Sed, inquiunt, durum est valde, propter Deum cogi nos ad facultates, cognatos,et vitam propriam aliquando perdendam. Fateor et ipse durum id esse non amantibus Deum: sed amantibus, et eum adipisci cupientibus facile et leve esse contendo: praesertim cum ista temporalia propter Dei amorem contemnentibus, parata sint bona sine comparatione plura et meliora. Quid enim? amittis divitias corruptibiles, acquires Regnum sempiternum: amittis patrem, et fratres, et amicos; acquires Deum patrem, et Christum fratrem, omnes Angelos et Sanctos amicos et socios: amittis vitam temporalem et miseram, acquires aeternam et felicissimam. Audi Canticum (*Cant.* 8.) amoris divini: *Si dederit homo omnem substantiam suae domus pro dilectione, quasi nihil despiciet eam,* et paulo ante: *Aquae multae* (tribulationum et angustiarum) *non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Audi unum ex diligentibus Deum: *Quis ergo nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* (*Rom.* 8.)

At proximum ita diligere, ut bona mea cum eo communicare, etiamsi mihi fuerit inimicus,meque graviter laeserit, adhuc illi non solum ignoscere, sed etiam benefacere debeam,contra naturam pugnare mihi esse videtur. Id quidem contra naturam per peccatum corruptam fortasse dici poterit, sed non contra naturam per Christi gratiam reparatam. An non Deus ipse bona sua cum inimicis suis communicat? et quotidie inimicis suis ignoscit,et reddit eis bona pro malis,dum *solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos?* (*Matt.* 5.) Quod si Deus ita se gerit cum inimicis, non est contra naturam Dei, neque hominis, qui ad imaginem Dei creatus est, diligere inimicos, eisque benefacere: sed contra naturam bestiarum, et eorum, qui cum in honore essent, non intellexerunt, (*Psal.* 48.) comparati sunt iumentis insipientibus, et similes facti sunt illis.

CAP. XIII.

Iterum de humilitate, quae est quarta pars portae.

Venio ad humilitatem, quae similis est sororibus suis: ut magnas quidem angustias superbis et arrogantibus pariat; sed iis, qui ad scholam Christi accedunt, et ab eo discere volunt, non difficulter dilatari incipiat. Primum enim humiliari debemus, *sub potenti manu Dei,* (1. *Petr.* 5.) ut Apostolorum princeps admonuit: et ut Coapostolus eius Iacobus confirmat (*Iac.* 4.) Quae autem difficultas fingi potest in humiliatione mortalis hominis ad immortalem et omnipotentem Deum? Deinde debemus quoque novissimum locum eligere apud homines, quia superiores invicem arbitrari nos convenit, ut Apostolus monet in Epistola ad Philippenses: *Superiores,* inquit, *sibi invicem arbitrantes.* (*Phil.* 2.) Qui vero se ipsi noverunt, et conscii sunt propriae infirmitatis, aliorum autem interiora non noverunt, nullas patiuntur angustias, ut omnes alios sibi superiores ducant, eosque honore praeveniant, et locum altiorem iisdem concedant. Quemadmodum enim superbia nascitur ex ignorantia sui, sic humilitas ex cognitione sui. Cor superbi facile videt vitia, quae in se non habet, et quae ceteri habent,quia sunt omnia extra se: vitia propria, quamvis saepe maxima, et aliis omnibus nota, ipse non videt, quia sunt intra se; quomodo oculus non videt, quae intra se habet, sed ea solum, quae extra illum sunt.Exemplo nobis esse potest Pharisaeus ille qui gratias agebat Deo, quod non esset sicut ceteri homines, raptores, iniusti, adulteri. (*Luc.* 18.) is enim videbat in se non esse vitium rapinae, injustitiae,adulterii sed non videbat vitia graviora,quae intus latebant, superbiam, mentis caecitatem, et impoenitentiam et ideo publicano in eodem templo oranti se praeponebat: sed publicanus, quia meliores oculos habebat, videbat in se vitia, et virtutes non videbat: ideo recumbebat in novissimo loco, stans a longe percutiens pectus suum, et misericordiam Dei implorans: ex quo factum est, ut judicio Dei discesserit hic iustificatus, ille reprobatus. Quare si quis

serio dare velit operam cognitioni propriae, non patietur angustias in porta Domus Domini penetranda.

Ad haec omnia necesse est addere portam Domus Domini, quae videtur angustissima, ac pene impenetrabilis iis, qui onusti accedunt, et obaeso corpore sunt, vel multis vestibus involuti, et erecto corpore ingredi tentant ; eandem videri latam et aditu facilimam iis, qui sine ullo onere, et nudi, ac macilenti et curvi ingrediuntur. Itaque in nobis est causa , cur non facile ingredi possimus per eam portam , per quam multi Sanctorum sine ulla difficultate vel molestia transierunt. Incipiat ergo homo Christianus deponere onera divitiarum intelligat opes sibi a Deo datas ut oeconomo, non ut domino; ut eas distribuat indigentibus , non ut eas sibi uni diligenter conservet: sic enim fiet, ut animus ab amore divitiarum liber effectus , quasi magno onere deposito , ob angustias portae non laboret. Nec minus deponat pinguedinem nimiam deliciarum carnalium , vel potius eiiciat humores noxios cupiditatum variarum, quae hydropem gignunt, et corpus inflant.Denique exuat opinionem propriae existimationis,induat humilitatem Christi inclinet cervicem ad obedientiam mandatorum, et tunc quaeratur,si non satis facile et commode portam salutis ingredi possit.

CAP. XIV.

Necessarium esse ingressum portae, quantumvis angustae, si quis salvus esse velit.

Sed sive porta illa lata sit, sive angusta , omnino contendere debemus, ut per eam ingrediamur: nullus enim alius locus est post hanc vitam, quae fugit velut umbra. ubi bene esse possimus , nisi intra hanc portam. Ideo enim Dominus hortatur, dicens:*Contendite intrare per angustam portam.* (*Luc.* 13.) quoniam ut ipse in eodem loco subiungit, qui foris manebunt, ad ea loca detrahentur omnes, ubi sempiternus est fletus,et assidnus dentium stridor : quae dolores maximos significant cum desperat one remedii;unde rabies oritur,quae impatienter tolerat , quae tolerare non vellet , et semper tolerare cogetur. Quanto satius erat contendere intrare per angustam portam, ubi modico labore vel dolore sustentato, requies et iucunditas invenitur? Et si quidem possent homines et angustias portae , et dolores gehennae simul evadere, fortasse excusari posset eorum fragilitas , vel imbecillitas , qui vim facere portae illius angustiis non auderent: sed cum necesse sit, aut hic ad tempus laborare vim faciendo, aut incidere in labores doloresque perpetuos, ubi est iudicium, ubi ratio, quae dictet fugiendas esse angustias minores et breviores, ut ad intolerabiles et gravissimas veniatur? Sed etiam si nullae sequerentur angustiae post hanc vitam,sed sola privatio Domus Dei, ubi sempiterna sunt gaudia; hoc ipsum deberet in nobis efficere, ut non solum per angustias portae,sed etiam per spinas et tribulos, nec non per ferrum et ignem alacriter intraremus. Et quamvis hoc tempore non sentiamus, quid sit privari beatitudine ; tamen post animae separationem a corpore aperientur oculi mentis, ut clarissime videant, quantum sit detrimentum, imo quam infinita iactura , non pervenire ad finem ultimum, ad quem creati sumus. Atque hoc desiderium significant verba illa , quae in Evangelio referuntur repetita ab illis qui exclusi soris manebunt: *Domine, Domine, aperi nobis.* (*Matth.* 25.) Siquidem desiderium ultimi finis semper cruciabit miseros,et conscientiae remorsus numquam quiescet , et implebitur illud: *Vermis eorum non morietur , et ignis eorum non extinguetur.* (*Luc.* 13.)

O si possemus nunc serio cogitare, quanto affectu dicent homines illi, *Domine, Domine aperi nobis.* (*March.* 15.) ac si dicant: Sine ingressu in istam Domum vivere non possumus , nec tamen mori nobis datur. Itaque vivimus non ut vivamus, sed ut semper miserrimi simus. Ergo aperi nobis, quia parati sumus quaslibet angustias tormentorum pati, modo ingrediamur. Sed respondebitur : *Nescio vos.* Annus iubilaei finem accepit: quando potuistis ingredi, noluistis; nunc ergo aequum est, ut quando vultis ingredi, non possitis. Ita illi sine ullo remedio exclusi, numquam tamen cessabunt clamare , naturali desiderio stimulante : *Domine, Domine aperi nobis.* Sed qui surdi fuerunt in hac vita ad exhortationes Domini clamantis et dicentis, *Contendite intrare per angustam portam* ; tunc surdis auribus Domini clamabunt, *Domine, Domine, aperi nobis.* Quare si quid sapimus, nunc rebus nostris consulamus,quando tempus habemus faciamus nunc, dum licet, quod tunc sine ulla dubitatione toto corde facere , vel fecisse cupiemus, et non licebit.

DE

AETERNA FELICITATE

SANCTORUM

SUB NOMINE REGNI DEI

LIBER QUARTUS

CAP. I.

In caelo esse vera gaudia.

Paradisus, nomen est voluptatis et deliciarum : significat enim hortum , sive pomarium et viridarium simul amoenissimum, et ad recreationem et iucunditatem adferendam aptissimum. In libro (*Gen.* 2. *et* 3.) Genesis Paradisus voluptatis non semel appellatur, ubi de Paradiso terrestri sermo habetur. Apud Ezechielem vero de Paradiso caelesti dicitur Angelo primario, qui postea cecidit et diabolus factus est. *In deliciis Paradisi Dei fuisti.* (*Ezec.* 28.) Quia vero in Scripturis sanctis nihil habemus de Paradiso , nisi fuisse in eo arbores multas, et fontem aquae vivae: ideo visum est mihi occasione huius nominis explicare voluptates et gaudia, quibus fruuntur in caelo Beati. Erit vero, nisi fallor , utilis contemplatio ad excitandos animos, ad ea, quae rursum sunt,quaerenda et cogitanda: ac per hoc,ad vitam sic instituendam, ut cum hinc migrandum erit, non ad luctum et tenebras, sed ad lucem et laetitiam sempiternam Deo adiuvante migremus. Solent enim homines,paucis exceptis, magis trahi voluptate, quam aliquo bono alio: et Ecclesia in quadam Oratione dicit: *Ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia.*Ac primum considerabimus, quid Scripturae sanctae de caelesti Paradiso nos doceant, unde probemus vere esse in Paradiso caelesti gaudia: deinde tentabimus explicare , quae sint illa gaudia: postremo variis rationibus, vel potius comparationibus demonstrabimus,gaudia illa esse longe maiora,quam nos capere, vel cogitare, vel etiam suspicari possimus.

Primum igitur nomen ipsum Paradisi , voluptatem ac delicias sonat , ut ex libro Genesis paulo ante ostendimus. Esse autem in caelo paradisum, testatur Ezechiel, qui de primo Angelo scripsit ; *In deliciis Paradisi Dei fuisti.* (*Eze.* 28.) testatur Dominus in Evangelio,cum latroni secum pendenti dixit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* (*Luc.* 23.) accepit enim Paradisum pro Regno Dei, et essentiali beatitudine, dixerat enim latro: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum*, et Dominus promittens illi consortium Regni sui , respondit: *Hodie mecum eris in Paradiso*; testatur beatus Paulus in posteriore ad Corinthios, cum ait: *Scio hominem in Christo, raptum usque ad tertium caelum* . et quia *raptus est in Paradisum*: (2. *Corint.* 12.) testatur beatus Ioannes in Apocalypsi, ubi Dominum introducit loquentem: *vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in Paradiso Dei mei.* (*Apoc.* 2.) Ex his locis perspicuum est regionem beatorum esse locum deliciarum et voluptatis. Deinde cum Dominus ait servo bono et fideli, *Intra in gaudium Domini tui*: (*Mat.* 25.) nonne apertissime declarat, Domum Dei, sive Civitatem Dei, ad quam admittuntur servi boni et fideles, cum de hoc mundo migrant , esse locum gaudii? Et cum idem Dominus multis in locis comparat Regnum caelorum coenae , ut apud Lucam, cum ait: *Homo quidam fecit coenam magnam*: (*Luc.* 14.) et cum alibi dicat: *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in Regno meo.* (*Luc.* 21.) et denique cum in Apocalypsi dicitur: *Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt.* (*Apocal.* 19.) certe Scriptura per metaphoram coenae , delectationem voluptatemque significat; nisi quis negare velit , in sensu gustandi ullam esse voluptatem. Ad haec in Evangeliis , in Apocalypsi, Regnum Dei nuptiis regalibus comparatur , ut notum est parabola Regis qui fecit nuptias filio suo (*Matt.* 2.) et ex parabola virginum sapientium et stultarum , quarum sapientes intrarunt cum sponso ad nuptias,stultae vero foris manserunt: (*Matth.* 25.) et ex Apocalypsi , ubi multa dicuntur de nuptiis Agni in Regno caelorum cum apparatu maximo celebratis (*Apoc.* 19.) Porro nuptiis regalibus comparatur beatitudo Sanctorum , quoniam in nuptiis omnia fere genera voluptatum exhibentur, et percipiuntur; de qua re in libro sequenti dicturi sumus.

Denique in Apocalypsi vidit sanctus Joannes chorum virginum, qui sequebantur Agnum , quocumque iret; et cantabant canticum novum, quod nemo alius cantare poterat. Quem locum sanctus Augustinus exponit in libro De sancta virginitate. (*cap.* 27.) de certis gaudiis , sanctisque voluptatibus,quibus soli et solae virgines perfruentur, verba eius haec sunt. *Vos adferetis ad nuptias Agni canticum novum: quod cantabitis in citharis vestris, hoc est, in cordibus dicatis laudibus : non*

utique tale, quale cantat universa terra, sed tale, quale nemo poterit dicere nisi vos, et infra : *Quo ire putamus hunc Agnum? quo nemo eum sequi valeat, vel audeat, nisi vos? Quo putamus eum ire? in quos saltus, et prata? Ubi credo suni gramina gaudia, non gaudia saeculi huius vana, insaniae mendaces: nec gaudia, qualia in ipso Regno Dei, ceteris non virginibus erunt,sed a caeterorum omnium gaudiorum sorte distincta*, et infra : *videbit vos cetera multitudo fidelium, quae ad hoc Agnum sequi non potest; videbit nec invidebit, et collactando vobis, quod in se non habet, habebit in vobis. Nam et illud canticum novum proprium vestrum dicere non poterit, audire autem poterit, et delectari vestro tam excellenti bono. Sed vos, qui et dicetis, et audietis; quia et hoc, quod dicetis, a vobis audietis, felicius exultabitis, iucundiusque regnabitis.* (*De sancta virginitate cap.* 29.) Ex his igitur manifeste constat, in caelesti Regno et Civitate vel Domo, multa esse vera gaudia, verissimasque et maximas voluptates.

CAP. II.

De gaudio intelligentiae.

Cum ex Divinis litteris probatum iam sit, in Regno caelorum vera esse gaudia; nunc exponemus, quaenam illa sint gaudia. Ac breviter explicanda erunt primo gaudia intelligentiae, voluntati,et memoriae, quae ad spiritum pertinent: deinde gaudia sensuum singulorum, quae pertinent ad corpus. Neque hoc loco affirmare intendimus, intelligentiam, et memoriam, et sensus corporis proprias sedes esse gaudii: cum non ignoremus, gaudium, ut etiam desiderium, proprie ad voluntatem in parte superiore pertinere. Sed loquimur, ut vulgo homines loquuntur, qui non recusant dicere, oculus delectatur pulchritudine colorum,et auris suavitate sonorum. Intelligimus ergo per gaudium mentis, vel memoriae, vel sensuum externorum, delectationem, quam percipit homo ex iis, quae intelligit; vel quorum recordatur, vel quae sensibus externis haurit.

Primum igitur beatorum gaudium erit, oculis mentis videre Deum facie ad faciem, ut loquitur Beatus Paulus in Epistola priore ad Corinth. (1. *Cor.* 13.) et videre eum sicuti est, ut loquitur,beatus Ioannes (1. *Joan.* 3.) in Epistola prima. Quantum autem hoc sit futurum gaudium,possumus ex eo conlicere, quod Isaias (*Isai.* 64.) Propheta et Apostolus Paulus testantur superare omnia gaudia, quae nullus hominum vidit, aut audivit, aut cupivit, aut cogitavit. *Oculus non vidit nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum.* (1.*Corinth.*13.) loquitur enim Scriptura de praecipua et essentiali beatitudine, quae in ipsius Dei visione posita est, iuxta verbum Domini: *Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt.* (*Matt.* 5.) *et haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti, Iesum Christum.* (*Matth.*5.) Et quidem magna amplificatio illa esse videtur, quod nemo viderit, aut audierit, aut desideraverit, aut cogitaverit tale bonum, quale in Dei visione percipietur: tamen non est amplificatio, sed simplex veritas: quoniam oculi, et aures, et corda hominum solita sunt gaudia solum terminata, mensurata, et finita percipere: visio autem Dei visio est lucis inaccessibilis, et boni prorsus infiniti, quod in se continet omne bonum, iuxta verbum Domini ad Moysem, *ego ostendam omne bonum tibi.*(*Exod*, 33.) cum ille antea petiisset, *ostende mihi faciem tuam.* At ut per rationem hoc ipsum demonstremus,sciendum est ex sancto Thoma,(*Pag.*2.*quaest.* 31. *art.* 5.) delectationem, quae percipitur ex cognitione, tria requirere, potentiam intelligentem sive sentientem, obiectum conveniens illi potentiae, et unionem obiecti cum potentia : et quanto potentia est aptior ad cognoscendum, et obiectum nobilius, et unio magis intima, tanto percipi delectationem maiorem. Quod autem intelligentia sive mens sit purior, et altior, et nobilior, et, ut sic loquar, vivacior,ac per hoc mullo aptior ad cognoscendum quam sensus externus, in dubium revocari non potest. Quod vero Deus sit obiectum altissimum et nobilissimum non solum supra omnia obiecta sensuum, sed etiam supra omnia omnino obiecta mentis, quippe infinitum bonum, et omne bonum, vel potius ipsa bonitas, nemo ambigere potest. Jam vero quod unio intelligentiae cum Deo per apertam visionem sit unio sic intima,ut essentia Dei totam mentem videntis penetret, et mens ipsa in ipsum Deum, quasi in mare magnum tota mergatur et transformetur,aeque certum atque indubitatum est. Quis igitur capere vel suspicari poterit, quantum illud sit gaudium? quale illud osculum summi boni? qualis ille complexus sponsi pulchritudinis infinitae? Certe in coniunctione pulchri coloris cum sensu videndi, et dulcissimi soni cum sensu audiendi,et ceterorum sensibilium cum sensibus suis, magnam experimur voluptatem, et saepe tam magnam, ut nonnulli propter illam fere insaniant: Et tamen potentiae sentienti materiales sunt,et cum bestiis nobis communes: obiecta quoque res corporales sunt, et non nimis saepe laedunt, quam oblectent: et denique unio superficialis est, et externa, et in pluribus sensibus non fit unio ipsius obiecti, sed eius imaginis cum potentia. Adde quod unio spiritualis, et unio Dei cum intelligentia per visionem, est firmior, durabilior, et tota simul; delectationes enim corporales, et quae sensibus percipiuntur, quia mutationem adferunt, non possunt esse diuturnae, et non sunt totae simul, sed quasi guttatim instillantur. Quare sine ulla dubitatione maior est delectatio mentis, quam sensus.

Collige ergo te, homo, et appende in iusta trutina voluptatem, quam tibi mundus offert, cum ea, quam Deus promittit, cum visionem suam diligentibus se promittit, et elige quod vis.Certe enim si voluptatem amas, quam a te amari negare non potes, maximam potius quam minimam, et semper duraturam, quam eam, quae momentanea est, eliges.Neque sola visio Dei sanctis hominibus in caelo promittitur, sed etiam omnium rerum, quas fe-

cit Deus. Hic quidem in terris cernimus per sensum videndi solem, et lunam, et stellas, et terras et maria, et flumina, et animantia, et arbores, et metalla: Sed mens nostra nihil omnino cernit, id est, nullam substantiam creatam perfecte novit, non differentias essentiales, non proprietates, non vires, ac ne animam quidem suam homo videt, sed morte caecorum palpando effecta, et discurrendo per rationem aliquid cognitionis acquirit. Quale ergo gaudium erit, cum intelligentia nostra revelata facie, manifeste videbit naturas omnium rerum, differentias, proprietates, vires? Et cum quanta exultatione obstupescet, cum videbit exercitum Angelorum innumerabilem, quorum nullus cum alio in specie convenit, et differentias omnium et singulorum perspicue intuebitur? Proh quale theatrum erit illud, quam desiderabile, quam amabile, cum sanctos homines, qui fuerunt a principio mundi usque ad finem, simul cum Angelis omnibus congregatos, et singulorum merita, palmas, et coronas intueri licebit! Nec sine laetitiae voluptate videbimus scelera et tormenta perditorum; in quibus sanctitas piorum, et iustitia Dei, mirifice collucebunt: tunc enim iusti manus suas lavabunt in sanguine peccatorum, (*Ps.*57.) ut Propheta tanto ante praedixit. Quid enim est manus lavare in sanguine peccatorum, nisi iustorum opera clarius emicare ad comparationem operum hominum iniquorum? Splendebit certe magis virginitas aliquorum, quando cum adulteriis aliorum aequalium conferetur: nec non ieiunia, et eleemosynae aliquorum, quando cum commessationibus, et ebrietatibus, et crudelitate aliorum similiter aequalium comparabitur: quando videlicet erunt, qui dicant: Ille juvenis, et formosus erat, et tamen virginitatem aut castitatem perpetuo coluit; iste autem iuvenis quoque et formosus fuit, sed uxore sua non contentus, adulteriis et sacrilegiis saepe se polluit: et ille dives, et nobilis fuit, et ieiunavit, et oravit frequenter, et eleemosynas multas fecit; iste aeque dives et nobilis fuit, sed comessationibus et ebrietatibus addictus, sic omnia in voluptates suas consumpsit, ut pauperibus nihil umquam donaverit. Atque hinc fiet, ut crescat gaudium iustorum ex notitia scelerum iniquorum: et simul gaudium crescat ex contemplatione iustitiae quae mirifice splendebit in praemiis beatorum, et in suppliciis miserorum. Nunc enim in rebus humanis magna deformitas cernitur in eo, quod saepe culpa coniungitur cum praemio, et virtus cum poena, unde iustitia Dei apud homines non nihil obscurari videtur: sed tunc omnis paena cum culpa, et omne praemium cum virtute iungetur; atque ita decor iustitiae in mentibus Beatorum incredibile gaudium excitabit.

CAP. III.

De gaudio voluntatis.

Tria sunt, quae praeter voluptatem, quam capit voluntas ex bono intelligentiae, maxima gaudia in ipsa voluntate proprie gignent. Unum est amor Dei et proximi ardentissimus, et inextinguibilis: amor enim est praecipuum condimentum omnium rerum amabilium. Qui amat, omnia, quae amat, pulcherrima atque optima esse iudicat; et ideo illorum aspectu et consuetudine plurimum gaudet, et ex absentia vel privatione inconsolabiliter dolet. Videmus parentes, qui naturaliter filios suos valde diligunt, eos pulcherrimos, ingeniosissimos, prudentissimos credere, quamvis saepe deformes sint et ingenio ac iudicio careant: et si daretur optio, filios suos non mutarent cum quibuscumque aliis, iudicio aliorum hominum melioribus et pulchrioribus. Saepe etiam homines amore capi videmus, vel ex veneficio, vel casu aliquo, personarum deformium, cum quibus versari iucundissimum, et contra ab eis avelli infelicissimum iudicant. Quod certe non facit nisi amor, condimentum, ut diximus, omnium amabilium. Quae cum ita sint, qualis et quanta erit voluptas Sanctorum, cum Deo et Beatis omnibus semper versari, quos ardentissime semper amabunt; et qui non falso iudicio, sed verissime pulcherrimi et optimi sunt, et a quibus numquam se divellendos esse noverunt? Contra vero, unum ex maioribus gehennae suppliciis erit semper versari cum iis, quos maxime oderunt, et a quibus circumventos mille artibus se fuisse sciunt.

Altera res, quae gaudium magnum in voluntate Beatorum gignet, erit quies quaedam incomparabilis, et satietas sine fastidio, quae illos pacatos et contentos modis omnibus reddet. Hic certe in terris nemo est sua sorte contentus, nemo qui non multa cupiat, quae obtinere non potest. Inde omnes famelici, omnes sitibundi, omnes inquieti vivunt. Neque mirum id videri debet, cum animus noster capax sit boni infiniti et sempiterni, et res creatae parvae sint et fragiles, quae diu permanere non valent. Quare igitur gaudium erit illi homini, qui in eo loco constitutum se cernet, ubi plane omni ex parte contentus vivet? ubi nihil desiderabit, nihil timebit, nihil requiret, nihil ambiet amplius? O pax exsuperans omnem sensum, quam mundus non potest dare, et quae in sola invenitur superna Jerusalem, civitate Regis pacifici, et magni! Ad te suspirat peregrinatio nostra, quae plena tentationibus et sollicitudinibus, in sola tui memoria et exspectatione aliquantulum requiescit.

Tertia res quae voluntati beatae magnum gaudium adfert, est iustitia, eaque perfecta, et perfectior, quam esset iustitia originalis in Adamo. Illa subiiciebat partem inferiorem superiori, donec superior esset subiecta Deo: haec subiicit partem inferiorem superiori, et superiorem Deo nexu firmissimo et insolubili. Illa erat quasi vestis lanea, vel linea; haec est quasi vestis holoserica, vel aurea, quae voluntatem facit pulcherrimam, et amabilem Deo, et sibi, et Angelis, ac beatis hominibus universis. Haec est illa perfecta iustitia, quae nullam admittit maculam, ne venialem quidem, ut de anima tali veste induta dici possit: *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.* (*Cant.*4.) Haec in se concludit omnes virtutes, quae imperfectionem nullam admistam habent. Quantam autem haec iustitia iucunditatem et laetitiam adferat, testis est Sapiens in Proverbiis, cum ait: *Se-*

cura mens, *quasi iuge convivium*. (*Prov.* 15.) illa autem sola est mens secura, quam conscientia numquam remordet, quod per iustitiam perfectam ita sit in bono stabilita, ut ne ad momentum quidem labi possit, testis quoque est Apostolus Paulus, qui dicit: *Regnum Dei non est esca et potus sed iustitia, pax et gaudium in Spiritu sancto.* (*Rom.* 14.) Ubi Sanctus Apostolus manifeste docet, Regnum caelorum voluptatem quidem magnam in se comprehendere, sed eam sitam non esse in delectatione gulae, et repletione ventris, ut homines carnales et animales forte vellent; sed in iustitia, quae parit in anima solidam pacem, et verum gaudium. Qui enim perfecte iustus est, is non habet quiddam in corde suo, quod eum reprehendat; neque in actionibus suis, quod ab aliis reprehendi possit. Inde oritur solidissima et dulcissima pax cum Deo, et secum, et cum omnibus aliis. Inde vero nascitur gaudium ineffabile in Spiritu sancto, cui gaudio nulla terrena vel temporalis laetitia poterit comparari.

CAP. IV.

De gaudio memoriae.

Jam vero memoria ex recordatione rerum praeteritarum, non exiguam materiam gaudiorum repraesentabit. Primum enim recordatio beneficiorum Dei in omni vita, spiritualium et corporalium, naturalium et supernaturalium, temporalium et aeternorum, incredibilem laetitiam adfert, cum iustus recogitat, se tam multis modis praeventum in benedictionibus dulcedinis. Deinde recordatio periculorum, a quibus nos Deus miris modis eripuit in omni aetate, in omni officio, in omni statu, quantam laetitiam adferet? Inter cetera vero pericula illud in primis pono, quod saepe peccato lethali, ac per hoc gehennae proximus aliquis fuerit, et Deus sola benignitate sua motus peccatum impediverit. Haec certe misericordia Dei tanta et tam singularis, electis suis frequenter impensa, cum ad memoriam in illa tutissima et pacatissima regione venit, laetitiam maximam suppeditabit. Quae recordatio si Sanctis deesset in caelo, quomodo sicut ait Psalmus, misericordias Domini in aeternum cantarent? (*Psal.* 81.) *Quo cantico*, inquit, Sanctus Augustinus in Libro postremo de Civitate Dei, *in gloriam gratia Christi, cuius sanguine liberati sumus, nihil erit profecto illi iucundius Civitati.* (*Lib.* 22. *de Civitate Dei c.* 30.)

Quid dicam de cursu temporum et saeculorum a principio usque ad finem? quantam voluptatem adferet recordatio tot vicissitudinum rerum, et tantae varietatis, quas tam sapienter gubernavit et rexit, et ad fines debitos perduxit inimitabilis providentia Dei? Hic fortasse est ille impetus fluminis, qui tam mirifice laetificat Civitatem Dei (*Psal.* 45.) Quid enim est ordo saeculorum magna velocitate labentium, et cursum numquam intermittentium, nisi fluminis impetus sine cessatione aquas suas rapientis et devolventis, donec in oceanum demergantur, atque dispareant? Et nunc quidem dum flumen fluit, et tempora labuntur, multi de providentia Dei disputant, et non desunt etiam ex Dei servis, qui turbati isto impetu fluminis, quod multa detrimenta saepe adfert bonis, multa commoda malis, dum terram bonam a campis iustorum ablatam ad campos impiorum defert, graves tentationes passi, de providentia Dei queri visi sunt. Audi Prophetam Regium: *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns*, (*Psal.* 72): et infra: *Ecce ipsi peccatores, et abundantes in saeculo obtinuerunt divitias, et dixit: Ego sine causa iustificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas, et fui flagellatus tota die.* Audi Ieremiam: *Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum: verumtamen iusta loquar ad te: Quare vir impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui praevaricantur, et inique agunt? Plantasti eos, et radicem miserunt: proficiunt, et faciunt fructum: prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum*, (*Jer.* 12.) Audi Habacuc: *Quare*, inquit, *respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio iustiorem se? Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habent principem.* (*Hab.* 1.) Sed post cursum temporum evolutum et flumen in mare demersum, cum Sancti in caelo totum illum cursum ad memoriam revocabunt, et rationes omnium illarum vicissitudinum in libro divinae providentiae perspicue legent, incredibile dictu est, quam vehementer fluminis illius impetus per memoriam repraesentatus laetificabit Civitatem Dei. Ibi videbunt, cur Deus permiserit primum Angelum et primum hominem labi: et cur misericordia Dei hominem liberaverit, Angelum non liberaverit. Ibi videbunt, cur Deus elegerit in populum filios Abrahami, quos tamen praevidebat durissimae cervicis futuros; et quanta bona ex illorum pervicacia paraturus esset Gentibus. Ac ut universalem providentiam praetermittam, ibi videbunt, cur permiserit plurimos iustorum, ac pene omnes, in mundo pressuram pati, ut videlicet eos gloriosissime coronaret. Atque ex hac recordatione benedicent cum ingenti laetitia omnes cruces quas passi sunt in mundo, cum in coronas sempiternas videant esse conversas, ac dicent cum Propheta: *Secundum magnitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam.* (*Ps.* 93.)

CAP. V.

De gaudio oculorum.

Videamus nunc gaudia corporis glorificati. Ac primum se offert gaudium sensus videndi, qui inter corporales sensus nobilissimus est, et cuius officium laetissime et longissime patet, Is in caelesti patria gaudebit primum de proprii corporis splendore et pulchritudine. Videbit enim (*Phil.* 3.) corpus suum reformatum a Christo, et configuratum corpori claritatis suae, ut dicit Apostolus in Epist. ad Philippenses. Neque claritas eius minor erit claritate Solis: Christum enim, ad cuius splendorem conformandi sumus, idem Apostolus (*Actor.*

26.) supra splendorem Solis a se visum fuisse testatur in Actis Apostolorum ; et ipse Dominus in Evangelio loquitur, et dicit: *Tunc Justi fulgebunt sicut Sol in Regno Patris eorum.* (*Matth.* 13.) Quale igitur et quam gratum spectaculum videbunt oculi Beatorum, quando manus suas, et pedes, et membra omnia cernent radios lucis ex se proferre ut non egeant amplius lumine Solis, neque Lunae et multo minus lucernae aut candelae ad omnes tenebras undique dissipandas? Sed non solum corpus proprium instar Solis fulgere videbunt, sed corpora Sanctorum omnium, ac in primis Christi ipsius, et sanctissimae Matris eius. Quantum laetificat Sol unus exortu suo universam terram ! Quid igitur erit videre simul innumerabiles Soles, non sola luce illustres, sed membrorum varietate et venustate pulcherrimos ? Neque in eo loco claudendi erunt oculi, ne forte a nimio splendore laedantur: nam et ipsi oculi beati erunt, ac per hoc impassibiles et immortales ; qui enim lumine gloriae confortabit oculos mentis, ne videntes Deum facie ad faciem opprimantur a gloria, idem etiam dote impassibilitatis confortabit oculos corporis, ut sine laesione cernant non Solem unum, sed innumerabiles.

Illud etiam accedet ad gaudium oculorum, quod Sanctus Augustinus (*Lib.* 22. *de Civitate Dei cap.* 20.) docet in libro de Civitate Dei, Martyres beatissimos in ea corporis parte, in qua supplicia pertulerunt, signa virtutis pulcherrima et venustissima praelaturos. Quid igitur erit, videre Sanctum Stephanum tot gemmis pretiosis insignem, quod lapidum ictus in corpore suo pertulit ? Quid Ioannem Baptistam, et Jacobum maiorem ac Paulum Apostolos, et alios prope infinitos, quibus collum pro Christo praecisum fuit, videre torque nobilissimo, omnique auro pretiosiore, incredibili decore fulgere? quid Sanctum Bartholomaeum, cui pellis a toto corpore detracta fuit, cernere toto corpore ita illustrem, ut omnem purpuram, quantumvis pretiosam, superare videatur ? Quid erit, ut cetera praetermittam, videre Petrum, et Andream, et alios plurimos, qui crucis supplicium pertulerunt, quasi stellas lucidissimas in manibus et pedibus cum infinito decore gestare? Nam de Christo Rege Martyrum, qui ad gloriam suam et solatium nostrum signa clavorum et lanceae conservare voluit, nulla lingua promere potest, quanta luce signa illa sacrosancta micabunt: cum omnis Sanctorum gloria ad Christi gloriam comparata minor sit quam si pulchritudo stellarum ad Solis pulchritudinem conferatur.

Quid iam dicam de voluptate, quam capient oculi Beatorum ex conspectu totius illius amplissimae Civitatis, quam (*Tob.* 13.) Tobias, et Ioannes, ut supra demonstravimus. (*Apoc.* 21.) non habentes satis digna vocabula, quibus eius decorem exprimerent, totam auream, et gemmis ac margaritis et lapidibus pretiosis ornatam esse dixerunt? (*Esai* 56.) Quid denique de Caelo novo, (*Apoc.* 21.) et Terra nova, quam Scripturae sanctae nobis promittunt post ultimi iudicii diem, et de renovatione et in statum meliorem commutatione totius rerum universitatis? Ista enim sicut nobis incognita sunt ita novo et admirabili gaudio Beatorum oculos oblectabunt, cum eorum pulchritudo conspici coeperit.

CAP. VI.

De gaudio aurium.

Sensum audiendi et instrumenta loquendi futura esse in Regno caelorum, dubitari non potest : erunt enim corpora Beatorum vera et viva, et ab omni parte perfecta, quale Christi corpus fuisse post (*Matth.* 28. *Luc.* 24. *Ioan.* 20. *et* 21.) resurrectionem, Apostoli omnes, et multi praeterea discipuli, et mulieres non paucae manifeste viderunt nam et ipsum loquentem audiebant, et ipse illis interrogantibus (*Actor.* 1. *et* 9. *et* 22. *et* 26.) respondebat; ipse etiam beatus Paulus Christum de caelo sibi loquentem audivit, et Christo ipse audienti respondit. Futura quoque in caelo cantica, ac praesertim illius vocis, *Alleluia*, testantur Tobias (*Tob.* 13.) et Sanctus Ioannes. (*Apoc.* 19.) Ex his satis aperte potest intelligi, non defutura in Civitate illa cantica plurima et dulcissima, quibus Deus laudetur, et aures beatae sanctorum hominum mirifice oblectentur. Et si omnia debent esse commensurata, dubium quoque non erit, quin illa cantica tanto suaviora et nobiliora esse debeant, quanto sunt ipsi cantores doctiores, et qui laudatur, sublimior, et locus, in quo cantatur, excelsior et audientium coetus intelligentior atque frequentior. Quid igitur erit in altissima illa pace, et animorum concordia, et in illo charitatis ardore erga summum Benefactorem, audire liquidissimas voces canentium *Alleluia* ? Si beatus Franciscus, ut scriptum reliquit Sanctus Bonaventura, (*De Vita S. Francisci, cap.* 3.) ad brevissimum sonitum citharae ab Angelo pulsatae, ita commotus est, ut aliud se putaret saeculum commutasse: quibus deliciis aures nostrae fruentur, quando millia cantorum et citharoedorum concordissimis et suavissimis vocibus Deum collaudabunt : et alia millia concentu pari, et ardore non dissimili laudes easdem iterum atque iterum repetent ? Et fortasse non solius Dei laudes in Civitate illa canentur: sed etiam triumphi sanctorum Martyrum, et Confessorum praeconia, et Virginum gloria, et Sanctorum omnium contra diabolum victoriae cantibus extollentur: haec enim omnia in Dei laudes et gloriam redundabunt. Quod ergo dicitur ab Ecclesiastico. *Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illi gloria aeterna: qui potuit transgredi, et non est transgressus: facere mala, et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino, et eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum*: (*Eccl.* 31.) quamvis de laudibus mortalium in Ecclesia, quae peregrinatur in terris, intelligi possit: tamen nihil prohibet, quominus intelligatur de civibus immortalibus, et de Ecclesia, quae triumphat in caelis: ibi enim habebunt vere Sancti gloriam aeternam, et illa vere et proprie est Ecclesia Sanctorum. Et cum in Evangelio Dominus dicat laudandos esse a Deo in Regno caelesti fideles et prudentes servos, illis verbis, *Euge serve bone et*

fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui: (*Matth.* 25.) quid prohibet quin existimare possimus, verba illa Domini,cantu totius caelestis Curiae excipienda, iterum atque iterum dulcissime repetenda? Certe de Sancto Martino Ecclesia Catholica dicere non dubitavit: *Martinus hic pauper et modicus,dives caelum ingreditur.hymnis caelestibus honoratur.* (*In Laudibus.*) Denique Sanctus Augustinus in extremo libro De Civitate Dei, hoc ipsum disertis verbis affirmat cum ait: *vera ibi gloria erit, ubi laudantis nec errore quisquam, nec adulatione laudabitur. Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno: sed nec ad eum ambiet ullus indignus ubi nullus permittitur esse nisi dignus.* (*Lib.* 22. *de Civitate Dei. cap.* 30.) O igitur terque quaterque beati, qui in loco illo, unde exulat adulatio, et ubi non invenitur mendacium, audient decantari laudes suas sine periculo superbiae, sed non sine incremento laetitiae!

CAP. VII.

De gaudio narium.

De ceteris sensibus pauca dicenda erunt, non quod suis et magnis voluptatibus careant,sed quod illas voluptates,quales futurae sint, Scriptura sancta non aperuerit. Illud nobis satis constat, multa corpora Sanctorum statim a morte odorem suavissimum spirare coepisse,qualem alium nemo antea senserat. Hoc de corpore (*In vita S. Hilarionis.*) S. Hilarionis testatur sanctus Hieronymus: affirmat enim, post decem menses a sepultura inventum corpus integrum; quasi adhuc viveret,et tantis fragrans odoribus,ut delibutum unguentis putaretur. Hoc idem de corpore sancti Servuli paralytici testatur S. Gregorius in Dialogis, cuius haec sunt verba: *Anima exeunte, tanta fragrantia odoris aspersa est, ut omnes, qui illic aderant, inaestimabili suavitate replerentur.*(*Liber.4.cap.*14.) et paulo post: *Quousque corpus eius sepulturae traderent, ab eorum naribus odoris illius fragrantia non recessit.* Nec desunt alia non pauca exempla similia, tum vetera tum recentia. Ex quibus colligi potest, si corpora defunctorum post animae glorificationem suavem spirant odorem, multo magis corpora viva et glorificata, sanctum odorem suavissimum spiratura. Accedit, quod refert idem Sanctus Gregorius de corpore Domini nostri vivente et gloriosissimo, cuius haec sunt verba in libro quarto Dialogorum, et in Homilia quadam super Evangelia:*Tunc sursum respiciens* (Tarsi la virgo) *Jesum venientem vidit: tantaque subito fragrantia miri odoris aspersa est,ut ipsa quoque suavitas cunctis ostenderet, illuc Auctorem suavitatis venisse.* (*Lib. 4.cap.* 16.*Hom.*38.) Quod si corpus Redemptoris glorificatum odorem tantae suavitatis spirat, omnino credibile est, omnia corpora Sanctorum in caelo spiratura miram odoris suavitatem: decet enim ut membra capiti suo conformia sint non solum in claritate, sed etiam in odoris suavitate. Qui igitur odoribus delectantur, cogitent quali suavitate replendi sint, quando in horto illo divino tot millia florum caelestium, undique spirantium odores varios et suavissimos, glorificatis naribus haurient.

CAP. VIII.

De gaudio sensus gustandi et tangendi.

De sensu gustandi scribunt Theologi, (*Vide Dionysium Carthusianum in 4. Sent. d. 44. art. 4. qui alios citat, et Dominicum a Soto in 4. d. 49. qu. 4. art. 5.*) non usuros Beatos cibis mortalibus sed habituros tamen oblectationem aliquam in eo sensu, ne supervacaneus esse videatur: futuram tamen oblectationem illam loco et statui Beatorum et immortalium congruentem. De sensu tangendi conveniunt omnes, usum eius non defuturum in caelo,cum corpora Beatorum sine dubio tangi possint, utpote vera et viva corpora, dicente Domino, *Palpate et videte; quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* (*Luc.* 24.) Aberit tamen contactus omnis impurus a corporibus illis quae concupiscentiam generandi nullam habebunt, et, ut ipse Dominus loquitur, *In resurrectione neque nubent,neque nubentur,sed erunt sicut Angeli Dei in caelo.* (*Matth.* 22.) Sed nos in his, quae disputantur in scholis,immorari non volumus. Unum illud affirmamus, sensum tangendi non modicam voluptatem percepturum ex perpetua et optima corporis habitudine ob dotes corporis gloriosi, de quibus Apostolus in priore ad Corinthios: *Seminatur*, inquit, *in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate,surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* (1. *Cor.* 15.) Ex quibus quatuor dotibus sive privilegiis corporum gloriosorum,una illa de gloria sive splendore corporis gloriosi, ad sensum videndi pertinent, ut suo loco diximus: reliquae tres videntur ad sensum tangendi proprie pertinere. Nam quemadmodum, cum corpus gravatur morbis, plagis, vulneribus, quae ad mortem ducunt: sensus tangendi est, qui patitur et dolet: sic etiam quando corpus bene valet, et sanum ac robustum est, sensus tangendi gaudet. Magno igitur gaudio sensus tangendi afficietur in caelo,cum post resurrectionem corpora Beatorum immortalitate et impassibilitate, atque adeo optima valetudine in aeternum fruentur. Quid non libenter darent viri, praesertim Principes, si per totam vitam a podagra, capitis, stomachive aut renum doloribus liberarentur? quale igitur gaudium erit in caelo, a quo longissime non solum mors, sed omnis morbus et omnis dolor aberit? Proinde dotes illae, per quas corpus corruptibile surgit incorruptibile, et corpus infirmum surgit impassibile, ad gaudium sensus tangendi pertinent. Sic etiam dotes agilitatis et subtilitatis, per quas corpus animale surget spirituale, ad eumdem sensum tangendi pertinere videntur. Siquidem spirituale di-

cetur et erit corpus gloriosum,non quod non vere habeat carnem et ossa, sed quod ita subiectum sit spiritui, ut ad nutum spiritus sine difficultate et labore moveatur velocissime, ascendat et descendat, eat et redeat, et quaelibet loca penetret, ac si non corpus, sed spiritus esset. Quemadmodum igitur sensus tangendi male habet et dolet,quando corpus grave cogitur sursum ascendere, aut velociter de loco ad locum moveri,sic e contrario gaudet et laetatur, cum corpus sine lassitudine et labore vel sursum ascendit, vel de loco ad locum velocissime transit. En igitur, a quanta servitute corruptionis liberabuntur Beati, cum non amplius egebunt equis, neque curribus,neque stipatoribus neque armis, neque ulla re alia; sed ipsa per se corpora beata discurrent velocissime quocumque voluerint, et ubique tutissima erunt, etiam inter medias armatorum acies.

Utinam qui delicias spirituales gustare non possunt, quod palatum infectum habeant,saltem haec maxima et perpetua bona corporalia considerarent atque ad illa afficerentur et ea quaerent! sic enim fieret, ut paulatim ad altiora conscenderent, et per hos gradus ad sempiterna gaudia tandem aliquando, Deo praestante, venirent.

CAP. IX.

De comparatione gaudiorum terrae cum gaudiis caeli.

Exposuimus pro nostra tenuitate,quae sint gaudia praeparata in caelo iis, qui diligunt Deum: nunc quanta sint, argumentis quibusdam externis demonstrare conabimur, ac primum ex comparatione gaudiorum, quae Deus inimicis suis et reprobis in hac vita saepenumero tribuit.Et quidem tanta sunt gaudia in divitiis, in honoribus, in potestate, in voluptatibus variis, quae Deus tribuit peccatoribus, inimicis suis, eum vel blasphemantibus, vel in eum non credentibus,ut beati fere ab omnibus iudicentur. *Beatum*, inquit Propheta,*dixerunt populum, cui haec sunt.* (*Psalm.* 143.) Quis ex amatoribus huius saeculi non invideat Salomoni, qui quadraginta annis regnavit,et divitiis, et deliciis omnibus abundavit, et septingentas uxores, et concubinas trecentas habuit; qui tamen, ex sententia sancti Augustini reprobus fuisse videtur. Sic enim loquitur sanctus Augustinus in Psalmos; *Ipse Salomon mulierum amator fuit, et reprobatus est a Deo.* (*Psal.* 126.) et in libris de Civitate Dei, de Salomone dicit, quod Sallustius de Catilina: *Ille bonis initiis malos exitus habuit.* (*Libr.* 17.) Sanctum Augustinum secutus est sanctus Gregorius libro 2. Moralium: (*Lib.*2.) *Hinc est*, inquit, *quod Salomon, qui sapientiam non perseveraturus accepit,in somnis hanc et de nocte accepisse describitur.* (*Moral. cap.* 2.) Nec dissimiles Salomoni sunt hoc tempore Reges Turcarum, et Persarum, et Sinarum, et Tartarorum, qui Regna amplissima possident. et voluptatibus carnis addicti nihil negant cordi, vel oculis, vel auribus, vel gulae, aut libidini, quod omnino desiderent.

Ac ut omittamus ista,quae paucorum sunt,quanta gaudia tribuit Deus in commune mortalibus,quorum pars maxima Deum aut non novit, aut sicut par est non diligit, nec timet? Nonne terras cum omnibus suis divitiis et deliciis, animantibus, fructibus, floribus, metallis, in commune omnibus tribuit? Nonne maria, fontes, flumina, lacus cum tot generibus piscium, in commune omnibus tribuit! Nonne caelum, quasi tectum huius magnae domus, tot stellis ornatum, in commune omnibus tribuit? Nonne Solem suum oriri, et nubes suas pluere super bonos et malos ipse Dominus optimus et liberalissimus iussit? Quod si tanta gaudia peccatoribus reprobis, mancipiis suis ingratis, et omni supplicio dignis in hac vita tribuit, nonne aequum est, ut amicis et filiis suis gaudia sine ulla comparatione maiora conservet? Audi sanctum Augustinum in Psalmos: *Peccatoribus*, inquit, *blasphemantibus eum quotidie dat caelum et terram,dat fontes, fructus,sanitatem, filios, copias, ubertatem. Qui talia peccatoribus dat, quid putas eum servare fidelibus suis.* (*In Psal.* 85.) De sancto Fulgentio scribitur in eius vita, (*Apud Surium Tom.* 2.) cum vidisse aliquando Romae gloriam Senatus, et exclamasse: Quam speciosa potest esse Jerusalem caelestis, si sic fulget Roma terrestris? et si in hoc saeculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor et gloria praestabitur Sanctis contemplantibus veritatem? Certe sanctus Augustinus, si quis alius, prudens rerum aestimator, tanto intervallo distare censuit terrena quaecumque gaudia a caelestibus, ut affirmare non dubitaverit, optabilius esse ad unam solam diem frui caelestibus gaudiis, quam omnibus mundi gaudiis frui per multa millia saeculorum: atque haec sunt eius verba: *Tanta est iucunditas lucis aeternae,ut etiamsi non liceret amplius in ea manere quam unius diei mora; propter hoc solum innumerabiles anni huius vita pleni deliciis et circumfluentia temporalium bonorum, recte meritoque contemnerentur: non enim falso ac parvo affectu dictum est: Melior est dies una in atriis tuis super millia.* (*De lib. arbitrio lib.* 3. *cap. ultim.*) Quid hic dicemus? Si ista vera sunt, ut sunt omnino verissima, nonne aequum esset, ut aliquando sapere inciperemus? Hucusque dicere soliti sumus, contemnenda esse bona terrena, quia momentanea sunt; et amanda caelestia, quia sempiterna sunt: nunc audiamus Augustinum, Doctorem sapientissimum affirmantem, etiamsi terrena essent aeterna, et caelestia momentanea, adhuc recto iudicio anteponenda esse terrenis caelestia. Nonne igitur surdi,et caeci, et stupidi, et stulti sumus, si propter terrena bona non solum vilia, sed etiam caduca et brevia, contemnimus caelestia,quae pretiosissima et sempiterna sunt? Rumpe tu,Domine misericors et miserator, surditatem nostram, illumina caecitatem, excita stupiditatem, sana dementiam. Ut quid enim signasti (*Psal.*4.) super nos lumen vultus tui, Domine, si haec tam magna et tam necessaria non

decernimus? et quare dedisti nobis iudicium rationis, si haec tam evidentia non videmus?

CAP. X.

De comparatione Paradisi terrestris cum caelesti.

Comparavimus gaudia mundi huius cum gaudiis Regni caelorum: comparemus nunc breviter gaudia Paradisi terrestris cum gaudiis Paradisi caelestis. Quanta fuerint gaudia Paradisi terrestris, vel ex eo cognosci potest, quod ille erat quasi hortus deliciarum datus hominibus, qui creati erant ad imaginem et similitudinem Dei, cum reliqua terra data esse animantibus brutis. Unde etiam quando Adam peccando amisit honorem, in quo a Deo constitutus fuerat, et similis factus est iumentis insipientibus (*Psalm.* 48.) de loco eiectus ad locum istum amandatus fuit. Describunt Paradisum terrestrem sanctus Alchimus Avitus in carminibus super Genesim, et alii, regionem amoenissimam et maxime temperatam, ubi non ureret calor aestatis, nec laederet hiemis frigus: sed ver perpetuum floribus exhilararet, et autumnus fructibus omnium generum redundaret. Sed verba eius audiamus:

Hic ver assiduum caeli clementia servat.
Turbidus Auster abest, semperque sub aere sudo
Nubila diffugiunt, iugi cessura sereno.
Nec poscit natura loci, quos non habet, imbres;
Sed contenta suo dotantur germina rore.
Sic cum desit hiems, nec torrida ferveat aestas,
Fructibus autumnus, ver floribus occupat annum.

Sanctus Basilius in libro De Paradiso. *Illic*, inquit, *plantavit Deus Paradisum, ubi non est ventorum violentia, non temporum immodestia, non grando, non fulmina, non turbines, non hiberna congelatio, non veris humiditas, non aestivus calor, non autumnalis Siccitas: sed temperata ac pacifica concordia temporum inter se. Tempora enim circa illum locum tripudiant, imo simul etiam cum bonis suis stipatim concurrunt veris iucunditates, aestatis alimenta, autumnalis laetitia, hiberna quies. Tenues et perlucidae sunt aquae, multam in aspectu iucunditatem habentes, maiorem vero utilitatem, quam iucunditatem, exhibentes. Prius igitur ipsum locum creavit Deus, dignum excipiendis Dei plantis. Deinde plantavit in ipso omnigenas arborum pulchritudines, et gratissimum aspectum et iucundissimam fruitionem per ipsas largitus.* Sanctus Augustinus in libris de Civitate Dei sic de Paradiso terrestri loquitur: (*Lib. 14. cap. 10. de Civitate Dei.*) *Quid timere vel dolere poterant illi homines in tantorum tanta affluentia bonorum, ubi nec mors metuebatur, nec ulla corporis mala valetudo, nec aberat quidquam, quod bona voluntas adipisceretur, nec inerat, quod carnem animumve hominis feliciter viventis offenderet? Amor erat imperturbatus in Deum atque inter se coniugum fida et sincera societate viventium, et ex hoc amore grande gaudium, non desistente quod amabatur ad fruendum. Erat devitatio tranquilla peccati, qua manente nullum omnino aliunde malum, quod contristaret, irruebat,* et infra: *Quam igitur felices erant primi homines, qui et nullis agitabantur perturbationibus animorum, et nullis corporum laedebantur incommodis, tam felix universa societas esset humana si nec illi malum, quod etiam in posteros traiicerent, nec quisquam ex eorum stirpe iniquitatem committeret, quae damnationem reciperet.* Haec s. Augustinus. Omitto, quae scribunt de incredibili amoenitate et foecunditate Paradisi terrestris Claudius Marius Victor, libro primo Carminum in Genesim, s. Ioannes Damascenus libro 2. De fide orthodoxa cap. 11. S. Isidorus lib. 14. Ethymologiarum cap. 3. et Rupertus Tuitiensis lib. 1. in Genesim, cap. 37.

Sed quidquid sit de his particularibus, certe ex ipsa Scriptura colligimus sine dubio beatiorem eum locum fuisse, quam nostra haec habitatio sit; quoniam in poenam peccati Adamo dicitur: *Quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti de ligno ex quo praeceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex cunctis diebus vitae tuae: spinas et tribulos germinabit tibi.* (*Gen.* 3.) et mulieri dicitur: *Multiplicabo aerumnas tuas, et conceptus tuos: in dolore paries filios, et sub viri potestate eris et ipse dominabitur tui.* In Paradiso igitur non fuisset sterilitas terrae, neque laborandum in eo colenda fuisset, neque spinas et tribulos germinasset: et mulieres non concepissent umquam frustra; sed omnes conceptus partus suos, eosque felices habuissent: et quamvis subiectae viris fuissent, non tamen despotico imperio, sed civili et moderato. Itaque felicem vitam homines illi sine timore et dolore, sine labore et augustiis, duxissent.

Et si paradisus terrestris omni malo caruisset, et multis magnisque bonis abundasset: quid de caelesti Paradiso sentiendum erit, qui tanto esse debet felicior, quanto est altior; et tanto melior, quanto pro melioribus institutis? Altitudo caeli Beatorum sine ulla comparatione sublimior est Paradiso Adami: et homines in caelo beati, qui peccare et mori non possunt, longe ac longe meliores sunt incolis Paradisi terrestris, qui peccare et mori poterant. Illud igitur efficitur, ut Paradisus caelestis non solum omni malo careat, sed bonis omnibus redundet, sine comparatione ulla pluribus et maioribus, quam ea essent, quibus Paradisus terrestris redundabat. Quae cum ita sint, agamus Deo gratias, quod per Filii sui redemptionem pro Paradiso terrestri invidia diaboli nobis erepto, Paradisum caelestem longe beatiorem simus adepti: et tum ne simus ingrati tanto liberatori, tum ne nos ipsi nobis hostes videamur, contendamus totis viribus ad caelestem Paradisum aditum invenire, eumque nobis fide integra, spe sincera, charitate perfecta, et bonis operibus aperire.

CAP. XI.

De comparatione bonorum mundi, et bonorum Paradisi terrestris simul cum bonis Paradisi caelestis solius.

Sed iam progrediamur ulterius, et comparemus omnia bona mundi huius, et bona terrestris Paradisi simul posita, cum bonis solius caelestis Paradisi, et videamus an forte illa simul iuncta praeponderent. Id vero efficiemus, si fingamus, divitias, imperia, voluptates, et omnem gloriam Salomonis, et aliorum similium felicissimorum hominum, posse sine labore acquiri, et sine timore retineri; et posse etiam eiusmodi felicissimos homines numquam peccare, et numquam mori, sic tamen, ut possint etiam peccare et mori. Hoc igitur posito, securus affirmo, bona Paradisi caelestis solius longe praeponderare bonis omnibus mundi et Paradisi terrestris simul positis. Id vero inde colligo, quod bona illa simul iuncta numquam possint humanum animum replere, neque desiderium eius satiare, quia cor humanum boni infiniti capax est, illa vero omnia finita sunt. Itaque semper verum erit, quod s. Augustinus in principio Confessionum suarum dicit: *Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* (*Lib.* 1. *Conf. cap.* 1.) et verum est quoque, quod sanctus Propheta canit: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* (*Psalm.* 16.) Donec autem inquietum cor erit, miserum erit; et si miserum erit, beatum non erit. Paradisus autem caelestis id habet potissimum, ut satiet animam, et omnem inquietudinem auferat. Quid enim desiderare poterit, qui similis erit Deo, quia (1. *Joan.* 3.) videbit eum sicuti est? quid desiderare poterit quem Deus constituet super omnia (*Matt.* 24. *Matt.* 25.) bona sua? quid desiderare poterit, qui cum Deo regnabit, et cohaeres Christi erit, (*Hebr.* 1.) quem Pater constituit haeredem universorum? nisi quis Deum ipsum inquietum cor gerere, et miserum esse dicere audeat. Deinde bona illa mundi, et Paradisi etiam terrestris, quantacumque et qualiacumque fuerint, hoc ipso quod amitti poterant, perfecta bona non erant, nec satiare poterant, neque quietum animum reddere valebant, ac per hoc vere beatum et felicem hominem non faciebant: at bona caelestis Paradisi undequaque perfecta et stabilia sunt neque amitti neque diminui ullo modo possunt. Sancti enim in illis felicissimis sedibus constituti, nec mori possunt, nec peccare possunt, et de sempiterna felicitate certissimi sunt.

Aperiant ergo mortales oculos mentis, et serio recogitent, quanti momenti sit, caelestem Paradisum non amittere. Agitur enim hic vere de summa rei, non de rebus minutis, aut fugacibus. Prorsus enim divino iudicio Sapientia Dei dixit: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur* (*Matth.* 13. *Marc.* 8. *Luc.* 9.)

CAP. XII.

De comparatione pretii Paradisi cum ipso Paradiso.

Postrema comparatio erit de pretio, quo emptus est Paradisus a Christo, et quo a nobis etiam emi debet, cum ipsius Paradisi magnitudine atque praestantia. Christus pretio sanguinis sui emit nobis Paradisum caelestem, quem invidia diaboli nobis ereptum erat, non ut ipse haberet, sed ut nos etiam illo privaremur, ad hoc enim seduxit Evam, et per illam Adamum impulit in praevaricationem, ut poenae suae consortes haberet. Christus igitur est prudens ille Mercator, (*Matt.* 13.) qui dedit omnia sua ut compararet pretiosam margaritam, per quam Regnum caelorum significati satis aperte ipse docuit: ipse est, de quo Apostolus loquitur, cum dicit: *Empti estis pretio magno.* (1. *Cor.* 6.) et Apostolus Petrus; *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis; sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, et incontaminati.* (1. *Petr.* 1.) et rursum: *Eum, qui emit eos, Dominum negant.* (2. *Petr.* 2.) Christus enim eodem tempore et nobis emit Paradisum, et nos ipsos emit. Nam et nos captivi facti eramus, et Paradisum amiseramus per peccatum: Christus vero redimens nos a peccatis, et captivitate diaboli, simul filios et haeredes Dei constituit, et per hoc Paradisum nobis restituit. Hinc igitur aperitur magnitudo caelestis Paradisi, quod infinito pretio dignus sit visus Sapientiae Dei. Si nunc inter homines prudens ditissimusque mercator margaritam pretiosam emeret, omnibus facultatibus suis libenter distractis, certe nemo dubitaret, margaritam illam tam esse eximiam et singularem, ut dignum pretium vix inveniret. Quanti ergo facienda esset, si iudicio ullo praediti essemus, possessio Regni caelestis, quam Sapientia Dei, Verbum incarnatum, omnibus laboribus, et sudoribus, et doloribus suis per triginta trium annorum spatium, ac demum sanguine suo et morte sua pretiosissima comparavit? Nimis omnino stulti sumus, si rem illam pretio vilissimo temporalium quorumcumque bonorum vendimus, quam Christus Dominus infinito pretio dignam duxit.

Quid? quod non solus Christus sanguine suo Paradisum emendum nobis existimavit; sed Sancti omnes ab illo edocti, quidquid habebant, quidquid valebant, quidquid erant, libentissime exponebant ut Paradisum eumdem emerent. Quin etiam b. Paulus clamat: *Non sunt condignae passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* (*Rom.* 8.) Et si quis a sanctis Martyribus omnibus peteret, an libenter tot suis acerbissimis tormentis Paradisum emerint; et a sanctis Confessoribus, an libenter tot suis vigiliis, ieiuniis, orationibus, eleemosynis, persecutionibus Paradisum emerint: certe clamarent omnes cum Apostolo: *Non sunt condignae passiones huius temporis, ad futuram, gloriam quae revelabitur in nobis.* Quamquam enim Christi sanguis pretium Paradisi pro nobis fuerit non solum dignum, nempe supereminens et excedens dignitatem rei, quae emitur: tamen voluit etiam ut nos emeremus, quo nos honoraret et exaltaret. Magna enim est hominis gloria, quod Paradisum obtineat non solum ex merito Christi, sed etiam ex merito suo, quod tamen a Christi merito vim acceperit. Et si quis nolit, cum possit, bona agere et mala pati, ut Paradisum emat, expellitur a mercatura Christi, tam-

quam servus malus et piger, ut (*Matt.* 25.) Christus ipse monet in parabola de talentis: et Apostolus graviter monet cum dicit: *Si filii, et haeredes; haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et conglorificemur.* (*Rom.* 8.)

Ac ne quis forte queratur, se non habere dignum pretium, sciat non postulari a nobis, nisi id, quod habemus. Sic enim loquitur sanctus Augustinus: *Regnum Dei tantum valet, quantum habueris.* (*Tractat. in Psal.* 49.) et probat exemplis Scripturae divinae: *Quid tam vile, quid tam terrenum quam frangere panem esurienti? tanti valet Regnum caelorum. Scriptum est enim: Possidete paratum vobis Regnum, esurivi enim, et dedistis mihi panem. Emit vidua duobus minutis. Emit Petrus relinquens retia. Emit Zacchaeus, dando dimidium matrimonii.* Haec sanctus Augustinus, cui consonat venerabilis Beda, cum dicit, eum, qui nihil habet praeter se, dando se, illud emere. *Res illa*, inquit, *id est Regnum caeleste, aliud non quaerit pretium, quam te ipsum tantum valet, quantum es tu: te da, et habebis illud.* (*Serm.* 19. *de Sanctis.*) Certe enim Lazarus mendicus nihil habebat, quod daret, nisi patientiam in doloribus, et portatus est ab Angelis in sinum (*Luc.* 16.) Abrahae: et bonus latro nihil habuit in hoc mundo, quod suum esset, praeter liberam vocem, qua clamavit: *Memento mei, cum veneris in Regnum tuum*, et audivit continuo: *Hodie mecum eris in Paradiso.* (*Luc.* 23.) O vere magnam Dei liberalitatem! o ineffabilem hominis felicitatem, qui cum Domino suo de pretio rei super omnes pretiosissimae tam facile transigere potest! Optas homo a Deo Paradisum omnium voluptatum? Da te ipsum, et habebis illud. Quid est, Da te ipsum? Ama Deum ex toto corde tuo, humiliare sub potenti manu eius, lauda illum in omni tempore, acquiesce libenter voluntati eius, sive divitem sive pauperem, sive gloriosum sive inglorium, sive sanum sive aegrotum te esse velit. Omnis enim voluntas eius bona est, et omnia iudicia eius iusta sunt. Dicas Deo, Tuum sum ego, fac de me secundum beneplacitum tuum non resisto, non reclamo, non detrecto imperium: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum;* (*Psal.* 107.) *Non mea voluntas, sed tua fiat.* (*Luc.* 22.) Hoc holocaustum super omne pretium est apud Deum, qui bonorum nostrorum non eget. (*Psal.* 15.) *Numquid vult Dominus*, inquit Samuel, *holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini?* (1. *Reg.* 15.) Hoc holocaustum obedientiae offerebat quotidie Christus Patri, quod ipse testatur cum ait: *Quae placita sunt ei, facio semper.* (*Joan.* 8.) et Apostolus Christi verus imitator: *Contendimus sive absentes, sive praesentes, placere illi.* (2. *Corint.* 5.) Haec perfecta renuntiatio omnium, quae homo possidet, (*Luc.* 14.) vel possidere cupit: haec abnegatio sui ipsius, ut Deo soli serviat est verum pretium Paradisi. Neque, qui hac ratione dat seipsum, ut Paradisum emat, amittit seipsum, sed verissime felicissimeque invenit se ipsum, dicente Domino: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam:* (*Matt.* 10.) *et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.* (*Joan.* 12.) Sed quoniam haec sapientia abscondita (*Matth.* 11.) est a sapientibus et prudentibus huius mundi, qui vere stulti sunt apud Deum, et stultorum (*Eccles.* 1.) infinitus est numerus, ideo multi sunt vocati, pauci vero electi. (*Matth.* 22.)

DE

AETERNA FELICITATE

SANCTORUM

SUB NOMINE REGNI DEI

LIBER QUINTUS

CAP. I.

De Thesauro abscondito in agro.

De Sanctorum Felicitate sub nominibus locorum in quibus habitant ii, qui vere felices sunt et beati id est, de Regno caelorum, de Civitate Dei, de Domo Domini, et de Paradiso deliciarum hucusque scripsi, quod meditanti Deus suggerere dignatus est. Addam nunc aliquid de felicitate eadem sub nomine rerum, quibus Dominus felicitatem Sanctorum in parabolis comparavit. Initio vero sciendum est, verba illa Domini, *Simile est Regnum caelorum*, quibus in parabolis suis Dominus passim utitur, non referri semper ad verba proxime sequentia, quasi cum Dominus dicit. *Simile est Regnum caelorum homini negotiatori*, sensus esset, Regnum caelorum esse simile homini negotiatori: sed referri ad totam narrationem, in qua per similitudinem demonstratur via ad Regnum caelorum: et aliquando ipsum Regnum caelorum: sive caelestis Regni beatitudinem describi obscurius, aliquando clarius, aliquando nullo modo attingi. Explicabo singula membra divisionis.

Cum Dominus apud Matthaeum proponit parabolam de seminante, (*Matth.* 13.) describit fructum, quem parit Evangelica praedicatio iuxta varias terrae dispositiones, et hoc vocat mysterium Regni Dei: sed de beatitudine Sanctorum nihil dicit. Cum vero idem Dominus in eodem loco addit parabolam de zizaniis, attingit breviter felicitatem Sanctorum, cum dicit, triticum congregandum in horreum Domini, zizania vero alliganda in fasciculos ad comburendum. Sed cum in eodem loco narrat parabolas de quaerente bonas margaritas, et de interveniente thesaurum in campo absconditum, iam clarius comparat Regnum caelorum margaritae et thesauro. Atque huius tertii generis invenio sex tantum inter parabolas Domini unam de thesauro abscondito in agro, alteram de margarita pretiosa, tertiam de denario diurno, quartam de domino distribuente talenta, quintam de coena magna, sextam de nuptiis. Quibus addemus duas similitudines ex Apostolo, unam de currentibus ad bravium, et alteram de certantibus in agone. Ita erunt octo considerationes de vita beata Sanctorum ex nominibus parabolicis.

Prima igitur parabola, quae habetur apud sanctum Matthaeum, *simile* facit *Regnum caelorum thesauro abscondito in agro*: (*Matt.* 24.) et breviter docet, quomodo possit acquiri cum ait: *Quem qui invenit homo, abscondit, et prae gaudio illius vadit, et vendit universa, quae habet, et emit agrum illum.* Thesaurus significat copiam ingentem auri, argenti, et lapidum pretiosorum: et, ut monet Paulus Jureconsultus, (*ff. De acquir. rerum dom. L. Numquam.*) debet esse tam antiquus, ut eius non extet memoria; et ideo non habet proprium dominum, sed iure pertinet ad invenientem. Hic thesaurus est ipsa Divinitas, quae abscondita est in agro humanitatis Christi, ut recte exponunt sanctus Hilarius et sanctus Hieronymus in Commentario ad caput Matthaei tertium decimum. In Christo enim, ut ait Apostolus, absconditi sunt omnes thesauri scientiae et sapientiae Dei. (*Col.* 2.) Divinitas autem est verissimus thesaurus omnium bonorum, et vere tam antiquus, ut nulla eius extare possit memoria, cum sit aeternus, et saecula omnia praecesserit: neque dominum habuit umquam hic ingens thesaurus, cum ipse sit Dominus omnium. Sed tamen ad ius invenientium accedere dicitur, quia ipse libenter se donat iis qui venditia omnibus eum acquirere satagunt. Dicitur autem absconditus, tamquam in agro defossus, in humanitate Christi: quia quamvis divinitas sit ubique, tamen nusquam magis proprie, quam in Christi humanitate, cui sic est unita, ut una persona sit Deus et homo: Quare Apostolus dicit: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* (2. *Corint.* 5.) et quamvis nusquam sic magis quam in Christi humanitate, tamen sic in ea videbatur abscondita, ut opus fuerit lucernam accendere, quae Deum in Christo demonstraret. Ea lucerna s. Joannes Baptista fuit; qui, ut scribit S. Joannes, *erat lucerna ardens et lucens*: (*Joan.* 5.) et de quo praedixit David in persona Dei Patris. *Paravi lucernam Christo meo.* (*Psal.* 132.) Ioannes enim Baptista Christum manifestavit, ac vere Deum Dei Filium unigenitum ostendit, cum ait: *Deum nemo vidit umquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* (*Joan.* 1.) et rursum: *Qui de*

caelo venit, super omnes est. (*Joan.* 3.) et paulo post: *Pater diligit Filium,et omnia dedit in manu eius. Qui credit in Filium, habet vitam aeternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Sed quamvis haec lucerna ardens et lucens tam aperte Christum Dei Filium manifestaret : tamen Judaei excaecati divinitatem in Christo absconditam cognoscere non potuerunt , aut noluerunt : nam *si cognovissent* , ut Apostolus loquitur, *numquam Dominum gloriae crucifixissent.* (1. *Cor.* 2.)

Hunc ergo thesaurum , qui divinitus illustratus invenit, *abscondit,et prae gaudio illius vadit, et vendit universa , quae habet , et emit agrum illum.*Abscondere thesaurum inventum,nihil est aliud , nisi sub humilitatis velo tegere acceptam gratiam: non se efferre ob lumen divinitus acceptum, neque iactare consolationes et revelationes divinas,ne inanis gloria gloriam veram corrumpat. Itaque Isaias dicere solitus erat: *Secretum meum mihi.* (*Isai* 24.) et Apostolus: *Si gloriari oportet* (*non expedit quidem*) *veniam autem ad visiones et revelationes Domini.* (2. *Cor.* 12.) *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim* , etc. Revelationem enim eximiam, quam accepit raptus in Paradisum , totos annos quatuordecim silentio texit: et semper texisset , nisi eam manifestandi necessitas coegisset. Et aperte dicit,non expedire eiusmodi dona patefacere , et sub alieno nomine patefacit,ut ostenderet quam aegre id faceret.Tale aliquid accidit sancto Francisco , quando sacra stigmata divinitus illi fuerunt impressa: (*Cap.* 13. *Vitae S. Francisci.*) nam, ut sanctus Bonaventura in eius Vita refert, alias solitus erat divinas revelationes silentio tegere, et cum Isaia dicere , *Secretum meum mihi*: tunc tamen cum videret rem abscondi non posse , cum magno timore petentibus Fratribus seriem retulit visionis.

Porro cum gaudio venditis omnibus agrum illum emere ubi thesaurus, latebat, nihil est aliud, nisi eum, qui vult Deo et Christo frui in Regno caelorum, oportere omnino a se rerum omnium temporalium affectum abdicare,et omnia sua et se ipsum Dei obsequio mancipare, idque non ex tristitia aut necessitate, sed cum gaudio magno; *hilarem enim datorem diligit Deus.* (2. *Cor.* 9.) Sed qui vere cognovit, quam ingens thesaurus sit, Christo in aeterna patria frui, videre oculis mentis eius divinitatem, et oculis corporis eius humanitatem, et omnium bonorum Dei et Christi participem fieri, et de tanti boni possessione in aeternum esse securum, non multum nec magnum illi esse videbitur , temporalia omnia et vitam ipsam pro Dei amore et sempiterna felicitate contemnere. Testis nobis sit sanctus Ignatius Martyr, qui in Epistola ad Romanos scribit: *Ignis crux, bestiarum constantia, abscissio, separatio, confractio dissipatioque membrorum , totius corporis interitus, et omnia flagella diaboli in me veniant,ut Jesum Christum merear adipisci.* Qui sic loquitur, certe multo minus timeret inopiam , ignominiam, exilium, carceres , ut thesaurum illum incomparabilem non amitteret.Quicumque igitur serio cupit thesaurum aeternae vitae comparare, serio etiam cogitet ac recogitet,an paratus sit omnia alia bona contemnere : alioqui thesaurum illum, sine quo miserrimus et pauperrimus in aeternum erit, numquam neque vivus neque mortuus obtinebit.

Sed unde fieri dicamus, ut thesauros auri et argenti tam multi anxie scrutentur; et non contenti humana diligentia, daemonum adiumenta per nefarias artes adhibeant,cum ingenti periculo existimationis et vitae et thesaurum tuum,Domine Deus meus , qui solus potest hominem ditissimum facere, et quem sine labore, sine sumptibus , sine periculo invenire possunt , tam pauci quaerant ? Ego nullam aliam invenio causam, nisi vel modicam fidem populi tui,vel nimiam occupationem in rebus temporalibus conquirendis , quae spatium cogitandi et considerandi divina promissa tua hominibus non relinquit. Ergo, bone Domine, adauge nobis fidem erga promissa tua, et extingue sitim habendi divitias temporales: sic enim fiet , ut maiore studio investigemus thesaurum tuum ; et inventum, venditis omnibus , tuo potissimum auxilio comparemus.

CAP. II.

De Margarita pretiosa.

Altera parabola, quae est de margarita pretiosa, simillima est praecedenti , quae etiam apud sanctum Matthaeum proxime sequitur. (*Matth.* 13) in illa enim erat thesaurus,in ista est margarita,quae instar thesauri haberi potest. In illa oportebat agrum , in quo thesaurus latet , venditis bonis omnibus, comparare, et hic pariter oportet margaritam pretiosam , omnibus distractis , quae quis possidet, emere. Itaque necesse erit , solum, in quibus hae parabolae discrepant , explicare. Discrepant , autem in duobus , quod videlicet in illa nominetur thesaurus , in hac margarita pretiosa : et quod thesaurus casu sit inventus , margarita a negotiatore diligenter quaesita. Et quidem hoc loco beatitudo caelestis , sive Christus ipse , margarita nominatur , ut sancti Patres docent, Ambrosius in Sermone sexto , et Gregorius Nazianzenus Oratione 48. quae est De fide Tractatus , Ruffino interprete. Dicitur autem Margarita in hac parabola id,quod in superiore parabola thesaurus dicebatur,ut intelligamus,divinitatem Christi (quae est aeternae felicitatis obiectum , et cuius visio est ipsa formalis , ut cum Theologis loquamur , beatitudo atque felicitas) esse quidem thesaurum,sed non divisum in multas species auri, argenti, et lapidum pretiosorum, sed esse rem unam, quae in se contineat pretium thesauri infiniti. Margarita enim una res est; sed, auctore Plinio , culmen omnium rerum pretiosarum tenet. (*Lib.*9.*cap.* 35.) Praeterea thesaurus constare potest ex solis pecuniis, sed in maximo numero: qui thesaurus ad utilitatem solum, non ad voluptatem et decorem pertinet. Quare ne quis ex parabola superiore colligeret , caelestem beatitudinem so-

lum esse utilem,non decoram neque honorificam, addit Dominus hanc alteram parabolam,in qua divinitatem Christi et felicitatem nostram similem esse docuit Margaritae pretiosae,quae praeter utilitatem thesauri habet etiam pulchritudinem , et splendorem, qui exornat et oblectat.

Adde quod Margarita symbolum est Christi,tum ut filii Dei , tum ut filii Virginis. Sicut enim margarita gignitur ex lumine solis et ex rore caeli, ut Plinius loco notato, et alii docent: sic etiam Filius Dei secundum Deitatem,gignitur a Patre luminum qui est sol increatus; et ideo dicitur in Symbolo , *lumen de lumine* , *Deus verus de Deo vero*. Et idem Christus secundum humanitatem genitus est ex rore caeli, quippe conceptus de Spiritu sancto, non ex semine viri. Denique margarita candida , lucida, solida, pura, laevis, rotunda est: et humanitas Christi, et multo magis sine ulla comparatione divinitas , candida est ob innocentiam , lucida ob sapientiam, solida ob constantiam , pura quia sine macula, laevis quia suavis et mitis , rotunda quia ex omni parte perfecta.

Iam vero margarita non casu invenitur , sed a prudente negotiatore diligenter quaeritur. Neque tamen contraria est haec parabola superiori , in qua thesaurus fortuito inveniri dicitur;nam utrumque verum est , sed in diversis personis: et ideo Dominus divina prudentia parabolam hanc posteriorem superiori adiunxit , ne quis existimaret omnibus id contingere, ut de improviso in thesaurum incidant. Alios enim Deus singulari gratia statim illuminat, ut neque quaerentes, neque cupientes, neque cogitantes , ad fidei veritatem , et ardentissimam charitatem, atque adeo ad certam spem vitae aeternae obtinendae perveniant: atque isti thesaurum,quod ad se attinet,casu inveniunt; quamvis Deus non casu , sed aeterna providentia sua ad hanc gratiam et futuram gloriam illos praeordinavit. Alios vero Deus praevenit quidem gratia sua, sed non continuo thesaurum illis ostendit, sed inspirat desiderium inquirendae veritatis, eosque facit sollicitos negotiatores , atque adiuvat et dirigit, donec inveniant pretiosam margaritam. Exemplo nobis erunt sanctus Paulus et Sanctus Augustinus. Sanctus Paulus non quaerebat thesaurum verum, qui est Christus, sed persequebatur Christum ut seductorem, et Christianos ut seductos : et cum esset in itinere *spirans minarum et caedis in discipulos Domini*,(*Actor.* 9.) Christus illi apparuit, et simul excaecavit oculos corporis, et illuminavit oculos cordis tam ingenti lumine, ut continuo factus sit praedicator ex persecutore. Et quamvis id felici casu hoc illi acciderit, tamen quod illi casus fuit , in Deo providentia fuit, Sic enim ipse loquitur in Epistola ad Galatas: *Audistis*, inquit, *conversationem meam aliquando in Iudaismo,quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei , et expugnabam illam , et proficiebam in Judaismo supra multos coaetaneos meos in genere meo , abundantius aemulator existens paternarum mearum traditionum. Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meae, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus , continuo non acquievi carni et sanguini.* (*Galat.* 1.) et quae sequuntur. Itaque beatus Paulus ab utero matris suae segregatus fuit a divina providentia, ut Evangelium Christi praedicaret: tamen non quaesivit ipse bonam margaritam vel thesaurum in agro, sed sorte thesaurus se illi ostendit,et fecit ut amaretur ab eo charitate tam ardenti, ut nullis pepercerit laboribus: quin etiam omnibus periculis se obiecerit, et omnia arbitratus sit ut stercora , ut Christum lucrifaceret. (*Phil.* 3.) Contra vero sanctus Augustinus ab ipsa adolescentia flagrare coepit desiderio inveniendi pretiosam margaritam, id est veram sapientiam atque aeternam felicitatem. Sed cum incidisset in sectam Manichaeorum , diu multumque laboravit et secum ipse quaerendo et cum aliis disputando , ut inveniret Evangelicam veritatem: cum in ea secta nihil reperisset nisi narrationes fabulosas atque mendaces , iam pene desperabat de veritate invenienda. cum plurimos annos inquirendo consumpsisset. Sic enim ipse loquitur libro sexto Confessionum: *Veneram* , inquit, *in profundum maris, et diffidebam. et desperabam de inventione veri.*(*Lib.*6.*Cap.*1.*Conf.*) Placuit tamen Deo, ut aliquando inveniret pretiosam margaritam: et tum sine ulla mora , venditis omnibus hoc est reiecto desiderio coniugii , quo maxime tenebatur, et spretis lucris et honoribus , quibus, ut ipse fatetur in libro eodem, vehementer inhiabat, se totum solius Dei obsequio perpetuo mancipavit. Haec igitur causa est, cur Dominus in parabola priore comparaverit Regnum caelorum thesauro sine labore et casu reperto, et in posteriore simile esse dixerit margaritae a negotiatore magno labore et studio conquisitae.

Illud nunc superest, ut anima Christiana secum ipsa, et coram Deo, semotis ad tempus occupationibus aliis , serio reputet , et qualis sit haec negotiatio, quam utilis et quam facilis hoc tempore; et quam difficilis, vel potius impossibilis, si praesentium nundinarum amittatur occasio. Certe filii huius saeculi non praetermitterent occasionem emendi margaritam,quae multis millibus nummorum aureorum vendi poterit, et nunc in praesentibus nundinis centum nummis argenteis emi potest, etiamsi opus illis esset ad usuram gravissimam centum illos nummos argenteos accipere: et filii lucis tam imprudentes erunt, ut nolint emere margaritam, quae illos in aeternum divites et beatos efficiet, cum neque pecunias ad usuram accipere cogantur, neque huc aut illuc discurrere ad quaerendum pretium necesse sit; sed omnino sufficiat dare libenter id , quod habent , etiamsi duo solum minuta in facultatibus habeant ? Ergo, Domine Deus, luceat lux tua in cordibus nostris, da cognoscere pretium impretiabile margaritae tuae, et simul vilitatem pretii, quod a nobis exigitur, ut illam obtinere possimus. Adde, Domine, ad miserationes tuas,ut non frustra tam pretiosam margaritam nobis ostenderis: et tu qui dixisti: *Ne mittatis margaritas vestras ante porcos.* (*Matt.* 7.) fac per gratiam tuam,ut si porcis similes aliquando fuimus, ignorantes dignitatem margaritae tuae, ut eam glandibus et siliquis postponentes, nunc a

te illuminati et eruditi margaritam tuam cognoscamus et ambiamus et rebus omnibus divenditis cum gaudio comparemus.

CAP. III.

De Denario diurno.

Sequitur parabola tertia de denario diurno promisso a patrefamilias laborantibus in vinea : quae parabola habetur apud sanctum Matthaeum.(*Matt.* 20.) Et videtur prima facie valde extenuari in hac parabola praemium aeternae vitae, cum comparetur denario diurno, quae antea comparata est thesauro et margaritae pretiosae. Sed ista extenuatio adhibita est, ut merces congrueret cum opere et labore: inepta enim videretur similitudo , si laborantibus per unam diem in vinea promitteretur ingens thesaurus, vel margarita, aut sceptrum,vel corona Regalis. Quod autem denarius iste non sit denarius paucorum aereorum nummorum.sed denarius caelestis, et qui satis abunde sufficiat ad victum et vestes per omnem aeternitatem , facile demonstrari potest. Siquidem merces labori respondere debet: labor autem operantium in vinea Christi non debet aestimari ex sola operis substantia: sic enim dicere debemus omnes cum Apostolo:*Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* (*Rom.* 8.) sed oportet eum laborem aestimare ex gratia Dei inhabitante corda iustorum , quae est fons aquae vivae salientis in vitam aeternam.(*Joan.* 4.) Item virtute charitatis, quae nobis infusa est per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: (*Rom.* 5.) corona autem vitae aeternae praeparata est a Deo diligentibus eum, ut scribit sanctus Jacobus. (*Jac.* 1.) Item ex coniunctione cum Christo, qui tribuit valorem et pretium maximum fructibus palmitum vivorum, ut vitis vera ; et operibus vivorum membrorum corporis sui mystici , cuius ipse est caput: (*Joan.* 15.) et quibus ipse dixit: *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* (*Matth.* 5.) Denique nonne in iudicio, quando reddetur merces laborantibus in vinea, Dominus dicet:*Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis Regnum a constitutione mundi: esurivi enim, et dedistis mihi manducare?* (*Matth.* 25.) Siquidem opera charitatis pertinent maxime ad laborem , quo desudamus in vinea Domini.

En igitur quam pretiosus sit ille denarius , qui ab ipso Domino nominatur Regnum.Neque immerito denarius iste Regnum appellari potest , cum Christum ipsum repraesentet non minus quam thesaurus vel margarita.Siquidem in denario impressa cernitur imago principis, et verba inscripta, et figura rotunda. Christus autem est imago Dei invisibilis, ex Apostolo (*Hebr.* 1.) ad Colossenses ; (*Col.* 1.) et Verbum aeterni Patris , ex Joanne Evangelista; (*Joan.* 1.) et non habet initium dierum nec finem vitae, ex Apostolo ad Hebraeos , quod per rotundam figuram significatur (*Hebr.* 7.) Et denique *pecunia obediunt omnia,* (*Eccl.* 10.) ut dicit sapientissimus Salomon ; et Christus est omnium Dominus,ut testatur sanctus Petrus in Actis Apostolorum. (*Actor.* 10.) Ergo denarius, qui datur laborantibus in vinea , Christus est , Deus verus, ac per hoc vita aeterna, dicente sancto Joanne in priore Epistola sua: *Et cognoscamus verum Deum,et simus in vero Filio eius.Hic verus Deus et vita aeterna.* (1. *Joan.* 5).

Sed videamus, quibus dandus sit pretiosus iste denarius : quem qui semel obtinuerint , nulla re amplius indigebunt. Voca, inquit Dominus, *operarios et redde illis mercedem.* (*Matth.* 20.) Itaque laborantibus in vinea sine intermissione,sine cessatione, sine negligentia dabitur : non dabitur autem stantibus in foro otiosis, vel aucupio , aut venationi , aut ludis et iocis vacantibus : merces enim meritis redditur, non gratis datur, et multo minus immeritis donatur. Quod enim Apostolus dicit, *Stipendia peccati mors, gratia Dei vita aeterna:* (*Rom.* 6.) Ideo dicit, quia sine gratia Dei praecedente nullus potest bene operari,sic ut debeatur illi merces aeternae vitae: sed accepta gratia, quae gratis, et non ex operibus datur, utique stipendium bonorum operum vita aeterna erit. Sic enim loquitur sanctus Augustinus in Epistola ad Sixtum Romanum presbyterum: *Sicut merito peccati tamquam stipendium redditur mors : ita merito iustitiae tamquam stipendium vita aeterna.* (*Epist.* 105.)

Neque propterea quod omnibus operariis detur idem denarius, existimandum est in regno caelorum praemia esse omnibus paria: denarius enim vitam aeternam, sive Deum sive Christum significat; et omnibus vita aeterna, et Deus atque Christus communis erit. Sed quemadmodum idem sol clarius conspicitur ab aquila , quam ab aliis avibus, et idem ignis magis calefacit proximos quam remotos; sic in eadem aeterna vita inter videntes Deum et Christum , clarius videbit et iucundius gaudebit unus quam alius: et sicut diversa erunt merita, sic etiam diversa erunt praemia. Illud magis movere posset, cur Dominus in distributione mercedis ordinem commutaverit , dicens : *Redde illis mercedem incipiens a novissimis usque ad primos. Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi. Multi enim sunt vocati,pauci vero electi.* (*Matt.*20.) Sed hoc pertinet ad gratiam Testamenti novi, ut intelligamus, nos feliciores esse Patribus Testamenti veteris: ac per hoc Deo grati simus, et in vinea ipsius diligentius atque alacrius laboremus. Patres sancti , qui ante Christi ascensionem vineam Domini coluerunt, Adam, Noe, Abraham , Moyses, et ceteri Patriarchae et Prophetae,qui hora prima, tertia, sexta, nona vocati sunt, non solum longo tempore laboraverunt, quia diutius vivebant; sed etiam post obitum multis annorum centuriis, et aliquot etiam millenariis, mercedem, id est denarium expectaverunt. Apostoli, et Martyres, et reliqui operarii, qui undecima , id est novissima hora, interprete sancto Ioanne, venerunt ad vineam excolendam, (1. *Joan.* 2.) paucis annis laboraverunt, et statim a morte Regnum caelorum ingressi denarium acceperunt.Quanta est haec gratia, quam magna, quam solida , quod possit , si velit, homo Christianus, brevissimo tolerato labo-

re continuo ad eum locum ascendere, ad quem sanctissimi Patriarchae atque Prophetae longissimo tempore suspirarunt? Non sine causa veteres illi Patres cum quodam veluti murmure, quod admirationem potius quam querimoniam significare videtur dicebant: *Ili novissimi una hora fecerunt. et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et aestus.* Sed Dominus pro nobis respondit: *Amice, non facio tibi iniuriam, nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, et vade: volo autem et huic novissimo dare sicut tibi.* Quae responsio non significat, homines novi Testamenti ex gratia, et non ex iustitia parem cum illis mercedem accipere: sed habuisse gratiam uberiorem, per quam brevi tempore non minus, vel etiam magis laboraverint in vinea, quam longo illi tempore: ac per hoc mercedem parem, vel etiam maiorem iuste acceperint. Certe Apostoli tempore quidem brevi, sed fructum longe maximum Domino vineae attulerunt. Quando umquam Patriarchae vel Prophetae, relictis omnibus temporalibus curis, totum pene orbem terrarum peragrantes, integras Ethnicorum provincias ad verum Dei cultum pertraxerunt? Quando antiquis illis temporibus tam copiosus exercitus Martyrum pro fide veri Dei tormenta omnia et mortes acerbissimas pertulit? Quando in veteri Testamento tot chori sanctarum Virginum inventi sunt, qui Agnum immaculatum sequentes, integritatem animi et corporis Deo voverent et redderent? Et ubi fuerunt antiquo illo tempore tot Pastores et Doctores, qui super gregem suum vigilantes, scriptis eruditissimis contra lupos, id est haereticos et Ethnicos, depugnarent? Ubi denique tantus numerus Eremitarum et Monachorum, atque aliorum Religiosorum, qui vitam Angelorum aemulantes in solis Dei laudibus et orationibus dies noctesque consumerent? Haec et alia id genus eminentissimae virtutis exempla ad gratiam novi Testamenti pertinent: propter quam gratiam recte Dominus parabolam concludit illis verbis: *Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi,* id est, multi vocati ad vineam excolendam omnibus aetatibus mundi per horas undecim, sed pauci electi, id est, non numero pauci, sed unius tantum eiusque novissimae horae homines electi sunt ad gratiam novi Testamenti, per quam et maximum fructum laborando fecerunt, et maxima praemia brevissimo tempore acceperunt.

Neque vero existimandum est, omnes, qui hora undecima vocati sunt, denarium accepturos, sed eos solos, qui brevissimo illo tempore totis viribus in vinea Domini laboraverunt: plurimi enim sunt, qui scientes hanc horam esse novissimam, et modicum nos tempus habere, non dicunt, ut par esset, Brevis est vita nostra, ergo strenue laboremus ut in spatio temporis modico fructum plurimum adferamus, sed cum insipientibus dicunt id, quod legitur in libro Sapientiae: *Dixerunt*, inquit, *cogitantes apud se non recte: Exiguum, et cum taedio est tempus vitae nostrae; et non est refrigerium in fine hominis, et non est, qui agnitus sit reversus ab inferis* (*Sapient.* 2.) et paulo post: *Venite ergo, et fruamur bonis, quae sunt: et utamur creatura tamquam in iuventute celeriter. Vino pretioso et unguento nos impleamus, et non praetereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exors sit luxuriae nostrae: ubique relinquamus signa laetitiae: quoniam haec pars nostra.* Haec sunt eorum verba, qui vel Deum non noverunt, vel dicentes se nosse Deum, factis atque operibus negaverunt. Qui quidem tam multi sunt, ut etiam ad eos referri possit illa conclusio: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Multi enim sunt vocati hora novissima, sed pauci electi, quia pauci sic laboraverunt, ut denarium percipere mererentur.

Vae igitur nobis, qui hora novissima vocati, magnam partem illius horulae ludendo et dormiendo consumimus, cum deberemus de momentis singulis ita solliciti esse, ut ne unum quidem momentum otiose nobis elaberetur: pendet enim ab his momentis aeternitas praemiorum aut poenarum. Et sine dubitatione quo maior est gratia Testamenti novi Christianis concessa, tanto gravius punientur, qui gratiam illam in vanum recipiunt: et sicut erunt novissimi primi in accipienda mercede, qui strenue laboraverint hora novissima: sic erunt novissimi primi in suppliciis perferendis, qui hora novissima strenue laborare neglexerint.

CAP. IV.

De Talentis, et Gaudio Domini.

Quarta parabola illa est, in qua Dominus apud Matthaeum de praemio beatitudinis ita loquitur: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui.* (*Matth.* 25.) Quo loco duae res promittuntur fidelibus servis, potestas amplissima, et gaudium maximum. *Super multa*, inquit, *te constituam*, et quae sint illa multa, explicat alio loco, cum dicit: *Beatus ille servus, quem, cum venerit Dominus eius, invenerit sic facientem: quoniam super omnia bona sua constituet eum.* (*Matth.* 24.) Quid est autem, super omnia bona Domini constitui, nisi potestatem accipere in omnes res inferiores, et consortem fieri imperii, quod habet Deus in mundum universum? Quis capiat, quanta sit haec potestas? Quis Rex aut Imperator in terris cum minimo Sanctorum comparari potest?

Sed quoniam tanta potestas in homine non videtur haberi posse sine magna sollicitudine et perturbatione animi, ideo adiungit Dominus: *Intra in Gaudium Domini tui:* quasi dicere velit. Quemadmodum te consortem facio summae potestatis, sic etiam facio summae quietis et voluptatis, quam nulla solicitudo impedire vel diminuere poterit. Quantum sit hoc gaudium, quod promittitur iustis in caelo, inexplicabile prorsus est, neque antea sciemus quam experimento didicerimus. Interim tamen ex tribus vocabulis huius ipsius sententiae aliquo modo suspicari poterimus, gaudium illud

fore maximum.Primum vocabulum est, *intra* nam quod non dicatur, intret in te gaudium Domini tui; sed contra, *intra* tu *in gaudium Domini tui*; argumentum est,quod maius sit illud gaudium,quam ut nos totum capere possimus. Itaque intrabimus nos quasi in mare magnum sempiterni et divini gaudii, quod nos intus et extra totos replebit, et undique redundabit. Quis ergo in tanta gaudii affluentia locus poterit esse tristitiae? Alterum verbum est, *in gaudium*: ubi non promittitur nobis gaudium hoc aut illud, de hoc vel illo bono; sed ipsum gaudium absolute, ipsa voluptas, ipsa dulcedo, ipsa suavitas. Et quomodo non tota liquescat anima, tanta suavitate perfusa? Sed tertium Verbum est, quod in immensum rem hanc exaggerat, videlicet illud,*Domini tui*.Intrabimus enim non in gaudium, quo gaudent homines vel Angeli quicumque, sed quo gaudet Deus, in quo sunt omnia infinita. Quis cogitare poterit, quale sit gaudium Dei, quis perfecte cognoscit infinitam bonitatem suam, et illa fruitur, ac de illa gaudet infinito modo? et tamen, o Christiane, quod nunc non vales cogitare, poteris experiri et gustare, atque illo in aeternum frui, si servus bonus et fidelis esse volueris.

Videamus igitur nunc, ad quem vel ad quos tanta promissa pertineant. Ad illos nimirum pertinent, qui talenta sibi a Deo tradita multiplicare cum fide curaverint. Similitudo enim petita est ab homine divite, qui bona sua servis suis tradidit, et uni dedit quinque talenta, alteri duo, et tertio unum: eisque mandavit, ut sollicite prudenterque negotiando talenta multiplicare procurent. Et quidem variae sunt sacrorum interpretum sententiae de significatione talentorum. Alii per talenta intelligunt gratias datas, alii Scripturas sanctas: alii scientiam rerum exteriorum, quae per sensus acquiritur, esse volunt quinque talenta; et intellectum atque operationem esse duo talenta,et intellectum solum unicum esse talentum: alii denique bona naturalia ut ingenium, iudicium, et spiritualia, ut donum fidei, spei, charitatis. Sed omnes in eo conveniunt, multiplicare talenta,esse bene operari in salutem suam et aliorum. Mihi occurrit alia expositio, quae non repugnat ceteris, et videtur per omnia accommodari ad ea,quae Dominus de talentis dicit: Ac primum talenta hoc loco appellantur bona Domini: *Tradidit*, inquit, *illis bona sua*. Deinde talenta iubentur multiplicari negotiando in eadem specie:*Quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum*. Tertio dicuntur dari unicuique secundum propriam virtutem. Postremo, a servo malo et pigro talentum tollitur. Ego igitur per talenta accipio animas fidelium ac piorum hominum, quae committuntur fidei et diligentiae Praelatorum. Ista enim sunt vere bona Domini, quae nobis non donat, sed curanda et multiplicanda committit. Ideo non dixit Dominus Petro,Pasce oves tuas,sed oves meas. (*Joan*.21.) Reliqua sunt bona nostra,quamvis a Domino data, ut ingenium, iudicium, Scripturae, gratiae gratis datae, et reliqua omnia. Sed animas fideles et pias vocat bona sua,vineam suam familiam suam, sponsam suam: pro his venit in mundum, pro his redimendis sanguinem fudit, ad has lucrandas misit Apostolos, quibus dixit: *Faciam vos fieri piscatores hominum*. (*Marc*. 4.)

Deinde animae fideles multiplicantur in eadem specie, quando Praelatus verbo et exemplo convertit peccatores:quod fecit sanctus Petrus,(*Actor*. 2.) quando ad centum viginti fideles, quos illi Christus initio commisit, quando ait, *Pasce oves meas*, in die Pentecostes in ipsa prima concione convertit ad tria millia hominum, (*Actor*.4.) deinde ad quinque millia, postea ad multa millia, et sanctus Gregorius Thaumaturgus, qui quando factus est Episcopus Neocaesariensis, fideles invenit septemdecim; sed eos ita multiplicavit, ut cum esset morti proximus, in tam ampla civitate soli septemdecim reliqui essent infideles: quam rem sanctus Gregorius Nissenus refert in Vita eiusdem sancti Gregorii Thaumaturgi, quam copiose diligenterque conscripsit.

Ad haec ista talenta committuntur unicuique secundum propriam virtutem. Deus etiam, qui novit vires, id est, prudentiam, scientiam, charitatem, fortitudinem omnium,non commendat animas nisi illis, quos novit idoneos ad onus illud ferendum, Et ideo nemo deberet se ingerere ad curam animarum, ad Episcopatum praecipue, nisi vocatus ab eo, qui distribuit talenta secundum propriam uniuscuiusque virtutem. Alioqui mirum non erit, si multi cadant sub onere; neque excusationem apud Deum invenient, si dixerint,se humeros non habuisse tanto oneri pares? respondebitur enim: Quis te coegit onus supra vires subire? nonne tu voluisti, et rogasti, et contendisti, ut illud acciperes? nunc igitur patere, ut ligatis manibus et pedibus proiiciaris in tenebras exteriores.

Denique talentum commissum servo pigro, ab illo tollitur. Et hoc quoque rectissime quadrat, si dicamus, talenta esse animas fidelium. Qui enim unum talentum accepit, id est, curam solius animae suae, si eam non recte curaverit, perdet animam suam: fiet enim diaboli mancipium.Quemadmodum enim Beati libertatem filiorum Dei acquirunt, per quam liberrime manent ubi volunt, et faciunt quidquid volunt: sic etiam contra reprobi amittunt omnem libertatem, et ligatis manibus et pedibus, neque ambulare possunt ubi volunt, neque facere, quod cupiunt, sed manere coguntur ubi non volunt, et nihil agere eorum,quae volunt; atque hoc est perdere animam suam. Itaque sententia haec, in qua per talenta intelliguntur animae fideles,omnino accommodatur parabolae.Quomodo autem aliae sententiae apte accommodentur difficile admodum est docere: sed non ideo falsae, vel reiiciendae sunt; quia necesse non est ut accommodentur omnia,ut recte monet sanctus Joannes Chrysostomus, sed satis est ut id accommodetur, quod est praecipuum in parabola. (*Hom*. 48. *et* 65. *in Matth*.) Nos tamen explicationem nostram persequemur,alias,ut dixi,non repudiantes.

Igitur Dominus tribus generibus hominum talenta commisit: iis, qui perfecti sunt, quales esse debent Episcopi, quinque talenta dedit, id est, integros populos curandos: aliis minus perfectis, quales Parochi esse solent, duo talenta, id est,

pauciores animas, quae una Paroccia continentur: aliis adhuc magis rudibus et infirmis, quale est vulgus, singulis singula talenta,id est,curam suae solius animae. Quamvis et ipsi debent eo modo, quo possunt,verbo privatae exhortationis et exemplo innocentis vitae alios convertere a peccatis ad viam iustitiae, et eo modo talentum sibi creditum multiplicare. Et quod dictum est de Episcopis et Parochis, idem intelligi debet de Principibus et Magistratibus saeculi, et de patribus familiarum. Sic enim scribit sanctus Augustinus: *Unusquisque paterfamilias hoc nomine agnoscat paternum affectum suae familiae se debere. Pro Christo, et pro vita aeterna suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat disciplinam: ita in domo sua Ecclesiasticum,et quodammodo Episcopale implebit officium.* (*Tract.* 51. *in Joan.*) Atque in hunc sensum Magnus Constantinus dicebat se Episcopum esse extra Ecclesiam, qui curabat quantam poterat, ut Ecclesia conservaretur et propagaretur,nec tamen Ecclesiastica munia usurpat.

Ac ne quis existimet, unum solum hominum, aut unum solum genus hominum in hac parabola reprehendi, quia ille solus,qui unum talentum acceperat, reprehensus et punitus legitur: sciendum est, voluisse Dominum, ut ex illo intelligeremus pericula maiorum. Quemadmodum enim ex eo, quod in iudicio novissimo praemia dabit facientibus eleemosynas corporales, (*Matth.* 25.) et poenas non facientibus, intelligimus maiora praemia danda esse facientibus eleemosynas spirituales, et maxima sanctis Apostolis, et Martyribus, et Virginibus heroicas virtutes exercentibus;et contra maioribus suppliciis afficiendos fures, et latrones, et periuros, et sacrilegos, quam eos, qui eleemosynas pauperibus non erogaverunt: sic etiam hoc loco, ex eo quod is, qui unum talentum acceperat, quod facile multiplicare poterat; tamen non multiplicavit, gravissime punitur; intelligere debemus, tanto facilius esse ut Episcopi et Pastores et Principes et Magistratus in hac re delinquant, quanto gravius et periculosius munus exercent, et tanto etiam gravius in iudicio puniendos, quanto maior est iactura multarum animarum, quam unius.

Audiamus quid sanctus Augustinus de periculo gradus Ecclesiastici dicat in Epistola ad Valerium Episcopum suum: *Ante omnia peto ut cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita, et maxime hoc tempore, facilius et laetius et hominibus acceptabilius Episcopi aut presbyteri aut Diaconi officio, si perfunctorie aut adulatorie res agatur, sed nihil apud Deum tristius, miserius et damnabilius. Item nihil esse in hac vita, et maxime hoc tempore, difficilius, laboriosius, Episcopi aut Presbyteri aut Diaconi officio: sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator iubet.* (*Epist.* 147.) Haec ille, qui hoc ipsum argumentum in reliqua Epistola sic tractat, ut operandum sit, ut omnes Ecclesiastici eam attente legant,atque ii potissimum qui ad Episcopatum vel Presbyteratum temere adspirant; et cum obtinuerint, quod petebant, et invenerint, quod quaerebant, aut gregem suum deserunt, aut aliis rebus intenti nihil minus quam de curando et prorogando numerum fidelium et piorum cogitant. (*Luc.* 2.) Pastores certe in nocte Natalis Domini pastorum omnium Principis custodiebant vigilias noctis super gregem suum: et si hoc fiebat super gregem rationis expertem, ab illis,qui figuram gerebant pastorum Ecclesiae;quanto magis fieri deberet a pastoribus ovium rationabilium, pro quibus Christus ipse, dum in terris versaretur, pernoctabat in oratione, non utique pro se, sed pro ovibus excubando? (*Luc.* 6.) Et si patriarcha Jacob pro ovibus soceri sui Laban tanto labore conficiebatur, ut diceret, *Die noctuque aestu urebar et gelu, fugiebatque somnus ob oculis meis*: quid facere oporteret pastorem ovium Christi, pro quibus ille sanguinem fudit? Et si diabolus tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret: (1. *Petr.* 5.) an non etiam aequum esset, ut bonus pastor assidue circuiret gregem suum, quaerens, quem liberet?

Sed,inquient,negotia eiusdem Ecclesiae cogunt ut gregem deseramus. Non contradico, si negotium sit grave, et tempus breve in eo expediendo consumi debeat: alioqui maiora negotia minoribus anteponenda sunt; et maiora per se, minora per alios expedire deberent. Nam si negotia cogunt a grege discedere, maiora negotia,imo et bella gravissima cogunt a gregis defensione non discedere. Intonat enim Apostolica tuba.*Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem,sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus* (*Eph.* 6.) Et si dux abest, quis docebit milites,quomodo debeant tela nequissimi ignea extinguere? certe Dominus Petro dixit, at in eo Pastoribus omnibus, *Pasces oves meas*, cetera tacuit, ut intelligeremus hoc munus esse praecipuum: et in Episcopali consecratione dicitur: *Vade, praedica populo tibi commisso*: et de temporalibus negotiis nihil additur, ut Episcopus admoneatur, non esse aequanda temporalia spiritualibus, multo vero minus anteponenda.Denique in Concilio Carthaginensi, (*Carth.* 4. *can.* 17. 18. 19. 20.) quanto serio mandatur Episcopis, ut gubernationem viduarum et pupillorum ac peregrinorum non per se, sed per Archipresbyterum aut Archidiaconum agant, et ut tuitionem testamentorum non suscipiant, et ut pro rebus transitoriis non litigent provocati: et ut nullam rei familiaris curam ad se revocent; sed ut lectioni, orationi, et verbo praedicationis tantummodo vacent. Itaque Concilium Episcoporum ducentorum quatuordecim, id est, Africae totius, in quo etiam sanctus Augustinus interfuit, voluit omnino Episcopos omnia temporalia negotia, etiam pia et necessaria, per alios tractare, ut ipsi libertus tuendo gregi et multiplicando vacarent.

Haec igitur parabola sicut ostendit felicitatem aeternam esse rem praecipue exoptandam, cum contineat potestatem maximam cum maxima voluptate coniunctam: sic etiam demonstrat, viam ad eam felicitatem esse laborem assiduum, in salute animae suae et aliorum quaerenda et procuranda positum. Quam laborem qui subire recusant, non

solum felicitate illa, et illa eximia potestate et voluptate privantur; sed ad inferos damnati poenas aeternas luunt. Sic enim loquitur Dominus: *Inutilem servum eiicite in tenebras exteriores: illic erit fletus et stridor dentium*, (*Matth.* 25.) Ubi et illud diligenter est attendendum,servum,qui tanto supplicio addicitur, non impium,non facinorosum non sceleratum, sed dumtaxat inutilem appellari: nam etiamsi alioquin Episcopus,aut Parochus,sive Princeps aut Magistratus, sive paterfamilias, sive quicumque alius criminibus aliis vacet;ob hoc solum, quod inutilis fuerit, id est, salutem subditorum, et suam pro viribus non procuraverit, eiicietur in tenebras exteriores, ubi erit fletus, et stridor dentium, qui nunquam finietur. Et si servus inutilis haec patietur, quid fiet de servo maligno, cupido, superbo, luxurioso, et vitiis plurimis cooperto? Si servus inutilis reprobatur, impius et praevaricator quam rationem de talentis sibi creditis Domino reddet? Certe qui ista considerant, non ambiunt praefecturas; et si cogantur eas suscipere, cum timore et tremore semper vigilant, tamquam rationem exactissimam pro animabus sibi creditis reddituri.

CAP. V.

De coena magna.

Quinta parabola, quae est apud sanctum Lucam felicitatem Sanctorum coenae magnae similem facit. (*Luc.* 14.) Et certe non sine magna ratione: siquidem in coena magna, nuptiali vel Regia, inveniuntur omnia, quae sensus humanos oblectare possunt, et quae potentiam, et divitias, et gloriam huius mundi demonstrent. Itaque Rex Assuerus (*Esth.* 1.) cum centum viginti septem provinciis imperaret, ac vellet ostentare divitias gloriae Regni sui, et magnitudinem atque iactantiam potentiae suae, non invenit rationem commodiorem atque aptiorem, quam ut convivium ex omni parte magnificentissimum exhiberet. Primum enim in coena magna oblectantur oculi in apparatu sumptuoso totius aulae, in ordine ministrorum vestibus decoris et pretiosis indutorum, in vasis aureis atque argenteis, quibus inferuntur cibi: oblectantur aures variis musicis instrumentis et vocibus cantorum et cantatricum audiendis: oblectatur sensus olfaciendi in odoribus florum et rosarum, in unguentis pretiosis et aquis odoratis, aliisque rebus odorem suavissimum spirantibus: oblectatur sensus gustandi in condimentis ciborum omnis generis, et vinis pretiosis undique allatis: oblectatur denique sensus tangendi in recubitu sive accubitu in lectis mollissimis atque gratissimis. Itaque in coena Regia ac nuptiali conveniunt simul omnia fere corporalia bona, quae hic in terris inveniri possunt: ut non sine causa Dominus repraesentare volens felicitatem, quae in se bona omnia comprehendit, coenae magnae illam comparare voluerit: de qua etiam legitur in Apocalypsi: *Beati qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt.* (*Apoc.* 19.) Deinde quam sit magna illa coena Domini, ex eo cognosci potest, quod omnis gloria corporum gloriosorum erit quasi postrema mensa in qua bellaria apponuntur.Tanta autem est bellariorum istorum suavitas,ut Sanctus Petrus videns aliquando corpus Domini splendere instar Solis, dixerit: *Bonum est nos hic esse* (*Matth.* 17.) Et si talia sunt bellaria, quid erit substantia coenae, quae in fruitione divinitatis posita est?

Denique bona omnia mundi huius nihil sunt aliud, nisi quasi cortices et putamina fructuum Paradisi. Et si talia sunt putamina et cortices, ut homines illorum amore et desiderio insaniant, quid erunt fructus ipsi et poma Paradisi? Et si talia sunt poma et fructus, quid erunt cibi reliqui solidiores et praestantiores? Certe tales erunt, ut sine fastidio semper edantur, et semper desiderentur. Neque tamen suspicari debemus, in caelo futuram esse coenam, qualem hic habent magni Principes, cum nuptias celebrant; siquidem in caelo erimus sicut Angeli Dei, qui neque nubunt neque ducunt uxores, (*Matth.* 22.) neque vescuntur cibis ad vitam mortalem sustentandam necessariis. Erit ergo coena plena divitiis, et deliciis,et ornamentis, et gloria statui Beatorum conveniens. Haec enim dicuntur nobis hoc tempore, quia meliora et maiora non videmus. Sed ab his discere debemus, tanto fore coenam illam nostris coenis quamvis lautissimis meliorem, quanto caelum distat a terra; et quanto Deus, qui illam parabit, potentia et divitiis mortalibus Regibus praestat.

At cur, dicet aliquis, felicitas Beatorum coenae potius quam prandio comparatur? Huius rei illa est ratio, quia prandium fit in meridie, et post prandium negotia tractari solent usque ad vesperam: coena vero fit ad finem diei, quando negotiis omnibus peractis sequitur coena, et post coenam quies ac somnus. Itaque in alia parabola,quae est apud Matthaeum, ubi agitur de Incarnatione Domini, (*Matt.* 22.) prandium introducitur ob nuptias, quas fecit Rex filio suo. Siquidem Incarnatio Domini, et nuptiae cum Ecclesia sponsa inchoatae sunt in meridie,id est satis diu ante finem mundi. Post quod prandium multa gravia negotia, ac potissimum redemptio mundi et reconciliatio hominum cum Deo celebrata sunt. Sed traductio sponsae ad domum sponsi et coena nuptialis,postquam cessabunt omnia negotia, et somnus dulcissimus consequetur, id est, requies aeterna ad vesperam diei et finem saeculi fiet. Haec igitur causa est, cur consummata et perfecta gloria Beatorum caena potius quam prandium appelletur.

Sed operae pretium erit videre,quid facto opus sit, ut ad coenam illam admittamur. Id vero Dominus ipse parabola sua satis aperte docuit; ait enim: *Homo quidam fecit coenam magnam, et vocavit multos.* Sed illi *coeperunt simul omnes excusare. Primus dixit: Villam emi, et necesse habeo exire et videre illam: rogo te habe me excusatum. Et alter dixit: Juga boum emi quinque, et eo probare illa: rogo te habe me excusatum. Et alius dixit: Uxorem duxi et ideo non possum venire.* Mira res! invitantur homines a Deo ad coenam nuptialem et Regiam, et recusant: quid facerent si vocarentur ad laborem militiae, aut ad iter longinquum et periculosum? Haec ni-

mirum est caecitas humana , quae vix adduci potest ut credat, quod non videt. Sed quid est illud tandem, quod coenae divinae,id est summo atque aeterno bono, mortales praeponunt ? Tria Dominus proponit impedimenta salutis, quae ex genere suo mala non sunt, et tamen ex affectu minus ordinato salutem aeternam impediunt.Villam emere, boves probare, et uxorem ducere,peccata non sunt, sed illa Regno caelorum praeponere, incredibilis caecitas: et tamen multi ubique reperiuntur Christiani, qui tanto studio temporalia ista consectantur ; honorem sive dignitatem, sive potentiam quae in emptione vilius notatur: lucra sive utilitatem, quae significatur in agricultura et exercitio boum, et delectationem ac voluptatem , quae ex novis nuptiis capitur; ut totos dies et noctes in iis comparandis fruendisque consumant, obliti penitus praemiorum aeternorum et maximorum, quae promisit Deus diligentibus se.Neque contenti sunt plerique mortalium villas emere, iuga boum probare,et uxores ducere;sed ut longissime recedant a salute, villas alienas invadunt , furantur boves, et concubinas vel meretrices alunt ; neque umquam cogitant,multoque minus considerant,quale dispendium sit, propter eiusmodi quisquilias,coenae Domini iacturam facere.Certe quidem si Deus nobis vermiculis terrae non coenam infinitae suavitatis in caelo promitteret, sed micas de illa mensa cadentes aut ciborum reliquias pollicereturad hue utile nobis esset temporalia bona universa contemnere, ut micis illis atque reliquiis frui possemus. Quanta igitur amentia est,iucunditates modicas et fugaces anteponere ipsi coenae Dominicae, quae bonis omnibus et sempiternis affluit, et in qua cum Angelis sanctis et cum ipso Domino Angelorum in Regnis caelestibus accumbemus.

Porro Dominus noster postquam demonstravit quid impediat ingressum ad coenam magnam, addidit etiam remedia, quibus illa impedimenta tolli possint: pergit enim in parabola sua, et ait: *Tunc iratus Paterfamilias dixit servo suo*; *Exi cito in plateas et vicos civitatis, et pauperes , ac debiles, et caecos, et claudos introduc huc.*Quia divites occupati in villis et bobus emendis, et in uxoribus ducendis , ad coenam magni Patris familias ire recusarunt: advocat pauperes , qui neque pecunias habent ad villas et boves emendos , nec facile uxores inveniunt , cum non habeant unde illas alant. Advocat debiles,qui nec ad villam proficisci, nec boves exercendo probare, neque uxores ducere possunt. Advocat caecos, qui nec villam videre, neque boves dirigere, nec facile uxorem invenire queunt. Advocat claudos, qui ad villam pergere, et boves exercere, et in nuptiis tripudiare non nisi difficillime queunt.Isti igitur tamquam liberi ab impedimentis omnibus , quibus priores tenebantur, ad coenam magnam admissi, merito sibi ipsi gratulari possunt , quod eos Deus pauperes, debiles, caecos, et claudos esse voluerit. Multi queruntur in hac vita , quod nati sint pauperes, vel saepius aegrotent, aut capti oculis, vel pedibus impediti infelicissimi esse videantur ; et nesciunt quid boni praeparet illis Deus in saeculo futuro, ob hanc ipsam,quam homines vocant infelicitatem: quod si scirent, gauderent utique et exultarent.Proinde nemo debet de providentia Dei queri, sed in omnibus gratias agere Patri optimo Deo, cui est cura de nobis, et semper in eius acquiescere voluntate.

Sed quamquam haec ita se habeant, hoc tamen loco proprie pauperes intelliguntur,qui sunt pauperes spiritu, non opibus: et debiles non viribus sed fiducia in se ipsis; et caeci non oculis, sed astutia; et claudi non pedibus. sed affectibus. Dicam hoc planius.Pauperes qui ad caenam Domini admittuntur. illi sunt, qui Apostolum audientes non volunt divites fieri, (1. *Tim.*6.) et si pecunias habent, non habent ad coacervandas, vel in vanitatibus consumendas,sed ad faciendum,quod Spiritus sanctus dicit per os David: *Dispersit , dedit pauperibus: iustitia eius manet in saeculum saeculi.* (*Psal.* 111.) Et debiles intelliguntur illi, qui non confidunt in virtute sua. nec in viribus suis gloriantur. Caeci vero sunt illi, qui vere credunt, quod non vident, praesertim de praemiis iustorum, et suppliciis impiorum. Qui enim certo sibi persuadent, praemia iustorum vere esse maxima et sempiterna,et poenas similiter iniquorum acerbissimas, et nullum umquam finem habituras profecto non manent terrae affixi , nec magni faciunt ea,quae sunt infra lunam,sed ibi eorum fixa sunt corda, ubi vera sunt gaudia. Denique bene ac feliciter claudi illi sunt, et ad coenam Domini merito adspirare possunt,quorum pes dexter multo longior est sinistro, id est, affectus in Deum, et in bona sempiterna, longe ac longe maior est pede sinistro, idest, amore in carnem suam , et in bona terrena ac temporalia.

Sed audiamus sententiam magni patris familias in eos, qui coenam suam inconsiderate ac stultissime contempserunt: *Dico vobis*, inquit, *quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit coenam meam.*Scit enim Dominus, brevi futurum ut illi, qui vocati fuerant , et praesentibus inhaerentes bona futura tamquam inania contempserant deposito corpore et sensibus carnis extinctis , et terrenis bonis in terra dimissis , incredibili desiderio coenam illam esuriant. Nam ut loquitur Prophela David.*Convertentur ad vesperam,et famem patientur ut canes.et circuibunt civitatem,*(*Psal.* 58.) Plane a l vesperam finito die praesentis vitae convertentur ac resipiscent , quando inutiles erit poenitentia; et famem patientur ut canes rabidi,et circuibunt Civitatem Domini,si forte micas coenae illius obtinere valeant.Sed firma stat sententia Domini, Nemo eorum gustabit, coenam meam.

O si scires, anima. quid sit, Non gustabis coenam meam. O si capere posses , quanta erit illa fames miserorum. et quam dulcis esca, qua in aeternum privabuntur. Et quid tunc darent, si gustare possent, quod ardentissime cupient? Sed nihil obtinebunt,etiamsi mundum universum in potestate haberent. et totum promptissime renuntiarent. Quae cum ita sint,convertamur.dum tempus habemus, dum dies est. et dum fructuosa poenitentia est. Nunc esuriamus coenam illam dulcissimam, nunc famem patiamur,non ut canes immundi et rabidi,qui in cibo capiendo nihil cogitant ni-

si bonum oris et ventris, sed ut homines rationis participes, esuriamus cibum aeternae vitae et panem Angelorum, vel etiam manna illud absconditum, *quod nemo scit, nisi qui accipit*, (*Apoc.*2.) et quo Deus ipse ab aeterno et in aeternum fruitur et sic vivamus in hoc exilio, ut non diligamus exilium, sed ad patriam suspiremus ; ad quam cum pervenerimus,non sit nobis necesse civitatem circumire,sed per portam late patentem ingrediamur atque ad coenam Domini libenter admissi,pane vitae et aqua sapientiae, id est, cibo potuque gratissimo et suavissimo satiemur.

CAP. VI.

De Nuptiis, et Virginibus prudentibus et Fatuis.

Ultima parabola illa est, quae similem facit felicitatem Sanctorum Regalibus nuptiis, ad quas invitatae sunt virgines decem; (*Matth.* 25.) quinque fatuae, et quinque prudentes. Ubi primum breviter explicandum est , quis sit sponsus , et quae sponsa: deinde, quam excellens bonum significetur nomine nuptiarum: postremo, quid requiratur ut ad bonum tam eximium pervenire valeamus.

Ac primum nemo dubitare potest,quin Sponsus sit Christus. Id sanctus Joannes Baptista disertis verbis expressit, cum de Christo loquens ait: *Qui habet sponsam,sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.* (*Joann.* 3.) Idem ipse Dominus innuit in parabola de Rege, qui fecit nuptias filio suo. (*Matth.* 22.) Idem Apostolus apertissime confirmat, cum ait Corinthiis. *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.*(2.*Corint.*11.) idem denique sanctus Joannes in Apocalypsi, significat, cum ait: *Gaudeamus et exultemus, et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiae Agni et uxor eius praeparavit se.* (*Apoc.*19.et rursum: *Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt.* De sponsa aeque certum est , quod sit Ecclesia.Apostolus enim in Epistola ad Ephesios manifeste dicit: *Sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea.* (*Ephes.* 5.) et infra: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam,et adhaerebit uxori suae,et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.*

Sed quamvis Ecclesia sponsa Christi sit, et fideles filii dicantur Ecclesiae , quia ipsa per lavacrum Baptismi eos quodammodo parit Christo : tamen quoniam Ecclesia nihil est aliud nisi coetus fidelium , ideo animae fideles omnes sunt sponsae particulares , quomodo Ecclesia sponsa est universalis. Non enim falso canit Ecclesia de sanctis Virginibus: *Veni,sponsa Christi,accipe coronam,quam tibi Dominus praeparavit in aeternum.* Quamquam autem Virgines sanctae speciali ratione dicantur sponsae Christi, quia carnale connubium respuerunt , ut soli Christo spiritualiter nuberent , tamen reliquae etiam animae Christianae sponsae sunt Christi , cum ei per fidem desponsatae sint , et per charitatem unitae , et ad consummationem spiritualis conjugii in caelorum Regno suspirent.

Jam verò quale bonum sit , humanam animam cum Christo , etiam qua Deus est, connubio jungi, si quis capere aut digne cogitare posset , fortasse nihil magis honorificum , nihil utilius , nihil dulcius neque in hoc saeculo, neque in futuro reperire posset. Magna est gloria , utilitas, suavitas, servire Regi Regum ; maior inter amicos et domesticos eius connumerari ; maxima , filium Dei et Christi fratrem nominari : sed sponsam dici posse Dei, consortem throni , consortem thalami, consortem coronae, consortem titulorum omnium, plusquam maximum bonum , si sic loqui licet , mihi esse videtur. Hoc enim est, quod apud Isaiam Dominus dicit de spiritualibus eunuchis : *Dabo eis in domo mea nomen melius a filiis et filiabus* , (*Isai.* 56.) id est, nomen coniugis dabo eis, Quis capiat , quam excelsum , et quam onorificum, et quantae oblectationis sit non solum Deum videre , et cum Deo colloqui et convivere ; sed unum spiritum cum Deo fieri ; et in Deum , id est , in summum bonum transformari? Apostoli verba sunt : *Qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur : erunt enim duo in carne una : Qui autem adhaeret Domino , unus spiritus est.* (1. *Corinth.* 6.) et rursum : *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes , in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem tamquam a Domini Spiritu.* (2. *Corinth.* 3.) Quis erit sensus voluptatis , quando uniti Deo , a claritate vultus eius irradiati transformabimur in claritatem Dei, ut quam simillimi efficiamur Deo ? *Similes*, inquit sanctus Ioannes, *ei erimus quia videbimus eum sicuti est.* (1. *Ioan.* 3.) Non erimus similes tantum , ut imagines ad eius similitudinem creati; sed similes in gloria, in beatitudine , in felicitate. Apostolus Paulus in illa magna extasi , (2. *Corint.* 12.) quam passus est , cum raptus in Paradisum audivit arcana verba , quae non licet homini loqui , nondum erat in Deum, ut non adverteret, an esset in corpore, an extra corpus. Quanta igitur erit illa felicissima unio animae cum Deo , et quam erit absorpta et immersa in mari totius suavitatis anima illa , quae unus spiritus erit cum Deo ; Tale utique hoc gaudium erit , ut S. Bernardo teste , illi *comparata omnis alia iucunditas moeror* sit , *omnis suavitas dolor, omne dulce amarum, omne decorum foedum , omne postremo quodcumque aliud delectare possit , molestum* esse meritò iudicetur. (*Epist.* 124.)

Sed quando iste complexus Sponsi pulcherrimi cum anima beata ineffabilis est , quaeramus nos potius, et ex parabola proposita intelligamus, quid requiratur ut ad nuptias illas omni ex parte felicissimas admittatur. Id totum ex qualitatibus virginum prudentium cognoscemus, cum illae solae, fatuis exclusis , ad nuptias Sponsi caelestis, intraverint. Quinque sint conditiones sive qualitates , quae requiruntur : prima , ut anima sit virgo , deinde ut sit prudens , tum ut habeat lumen in lampade , praeterea oleum in vase , denique ut

vigilet, et vigilando sponsi adventum diligenter observet.

Quod attinet ad primum, sponsae Christi debent omnes esse virgines, non necessario virginitate fidei et morum, ut sanctus Augustinus recte exponit in Sermonibus de verbis Domini iuxta illud Apostoli; *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* (*Serm.* 23.) ubi per virginem istam intelligit totam Ecclesiam Corinthiorum, in qua satis constat non omnes fuisse virgines carne, (2. *Corinth.* 11.) cum ipse idem in Epistola priore admonuerit fideles coniugatos officii sui. Illi igitur et illae sunt virgines in hac parabola, qui et quae non corrumpuntur circa fidem et mores, et recedentes ab omni malo, non inquinant animas suas.

Sed quia non satis est ad perfectam iustitiam, declinare a malo, sed oportet etiam facere bonum, iuxta Prophetam Regium, *Declina a malo, et fac bonum;* (*Psalm.* 36.) Ideo additur secunda conditio, ut virgo sit prudens, non fatua, nec putet sibi sufficere, si nulli noceat, non occidat, non furetur, non falsum testimonium dicat; sed intelligat oportere considerare finem ultimum, et ordinare media ad finem.

Et quia finis est aeterna vita, et media sunt merita operum bonorum; ideo additur conditio tertia, ut habeat lumen in lampade, sive lampadem lucentem, quae sunt opera bona, ut idem S. Augustinus docet loco notato: (*Serm.* 23. *De verbis Domini.*) quod ipsum Dominus antea docuit, cum ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est.* (*Matth.* §).

Sed quoniam opera bona a charitate tamquam a radice prodeunt, neque conservari possunt, nisi ab eadem charitate foveantur et nutriantur, quomodo lumen lampadis necessario extinguitur, si desit alimentum olei; ideo requiritur quarta conditio ut virgo prudens habeat semper oleum in vase. Significare autem charitatem per oleum, docet eodem loco Sanctus Augustinus ex eo, quod oleum supereminet omnibus humoribus; et charitas supereminet omnibus virtutibus, dicente Apostolo: *Eminentiorem*, vel ut nos legimus *excellentiorem viam vobis demonstro.* (1. *Cor* 12.) et paulo post: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria haec: maior autem horum est charitas.* (1. *Cor* 3.) Itaque si quis in suo corde aliquid vel anteponat, vel adaequet charitati, illa continuo abscedit et vel debet primum locum habere, et dominari ac regnare in corde nostro, vel abire; quia oleum est humor videlicet subtilissimus, aereus et igneus, qui super omnes adscendit: et tanta vis est olei charitatis in ascendendo sursum, ut si ponatur in anima publicani vel meretricis, illam continuò sursum trahat, et de peccatrice sanctam, de carnali spiritualem efficiat. Quin etiam audeo dicere, si hoc oleum in animas damnatorum hominum, sive in ipsos daemones stillare posset, videremus continuò damnatos omnes sive omnes sive daemones sursum adscendere. Et si e contrario desereret hoc oleum animas sanctorum Angelorum, Apostolorum, Martyrum, Virginum, continuò graves efficerentur, et ad ima descenderent. En igitur quanta sit excellentia huius olei, et quam iuste stultae virgines dicantur, quae hoc oleo caruerunt. Sed est etiam alia ratio, cur charitas per oleum significetur, quia videlicet oleum omnia dura et asperis mollia suaviaque reddantur. Hoc oleum facit iugum suave, de quo Dominus dixit; *Iugum meum suave est:* (*Matth.* II.) quoniam gratia charitatis inunctum quasi computrescit a facie olei, ut loquitur (*Isai.* 10.) Isaias. Quid enim suave fecit in Apostolis iugum obedientiae eundi in mundum universum, et praedicandi Evangelium omni creaturae, nisi oleum charitatis; Quid suave fecit in Martyribus iugum patientiae in tolerandis suppliciis plurimus, et ante illud tempus inauditis, nisi oleum charitatis? Quid suave fecit iugum paupertatis, et continentiae, et obedientiae tot millibus Religiosorum et Sanctimonialium, nisi oleum charitatis? Nihil enim dulcius amanti, quam amorem suum amato demonstrare, pro illo magna et difficilia operando vel tolerando: quomodo etiam Christus amorem suum erga genus humanum nulla re magis ostendit, quam patiendo pro nobis.

Disserui paulo fulsius de oleo, quia non facile poterat intelligi, unde charitatem significaret. Restat quinta conditio, quae potissima est, et a Domino in hac parabola praecipue intenta, videlicet, vigilantia: sic enim concluditur parabola: *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.* (*Matth.* 25.) quam sententiam, ut ea cordibus fidelium penitus infigatur, passim Dominus repetit: *Vigilate*, inquit rursum apud Matthaeum, *quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit,* (*Matth.* 24) et apud Marcum: *Vigilate ergo, nescitis enim quando dominus domus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane, ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus, dico: Vigilate.* (*Mar.* 13.) et apud Lucam: *Beati servi illi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.* (*Luc.* 12.) et alibi: *Vigilate itaque omni tempore orantes.* (*Luc.* 21.) et per Apostolum Petrum: *Estote prudentes, et vigilate in orationibus.* (1. *Petr.* 4.) et per apostolum Paulum: *Non dormiamus sicut et ceteri, sed vigilemus, et sobrii simus.* (1. *Thes.* §.) et per Apostolum Ioannem: *Ecce venio sicut fur. Beatus, qui vigilat.* (*Apoc.* 16.) Haec omnia significant, adventum Domini ad iudicium, sive universale in consummatione saeculi, sive particulare in uniuscuiusque obitu, incertum esse, et propterea Deum a nobis requirere, ut semper vigilemus, animo suspensi ad expectationem adventus eius, ut nos paratos inveniat, et non cum fatuis virginibus nos nuptiis suis cogatur excludere. Itaque nihil est aliud dormire, quam oblivisci mortem et iudicium, vel sic vivere, ac si de re tam magna, unde pendet salus aeterna, numquam cogitaremus, aut curaremus. Non enim prohibetur fidelibus somnus corporalis; alioqui non diceretur in parabola, *Dormitaverunt omnes, et dormierunt*: sed prohibetur oblivio, incogitantia, inconsideratio.

Debet igitur omnis fidelis, cui curae est salus

animae suae, singulis diebus, et mane et vespere clauso ostio cordis sui ad negotia cetera, attente cogitare, sibique certo persuadere, diem illam vel noctem illam facile posse sibi esse postremam: ac per hoc serio providere, ne sic imparatus inveniatur, ut animae suae et omnium simul bonorum detrimentum patiatur. Horrent omnino mortales omnes mortem cogitare, et libenter avertunt animum ad alia cogitanda: sed horret etiam aegrotus pharmacum amarum, et tamen propter amorem vitae libenter illud sumit: et horrent oculi plagam horrendam in corpore suo videre, sed tamen attente respiciunt, ut medicinam illi faciant. Sic igitur necesse est, ut homo prudens pluris faciat iacturam animae, quam mortis horrorem: et ideo saepe ac saepius cogitet, nullam esse aetatem, nullamque esse horam, in qua mori non possit. Haec enim cogitatio quando profunde ad cordis intima descendit, facile totum hominem immutare solet, et de carnali spiritualem, de peccatore sanctum facere, ut iam non formidet, sed diligat adventum Domini. Non sine causa Dominus noster tam saepe hortatur ut vigilemus; nec frustra Ecclesiasticus monet, *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.* (*Eccli.* 7.) Qui enim cogitans se ad Iudicem properare, et brevi ad tribunal eius esse sistendum, et in ipsum Iudicem peccare audeat: et tamen nos omnes per singula momenta properamus ad iudicium: et tanta est humana caecitas, ut in ipso itinere ad iudicium, Iudicem ipsum iniuria afficiamus, et iram ipsius adversus nos iustissime provocemus. Et quis iam damnatus ad mortem, dum ad ipsam ducitur, rideret et iocaretur, et de scortatione, vel adulterio, vel dignitate adipiscenda, vel pecuniis per mercaturam augendis loqueretur, nisi plane desiperet? et nos tamen ad mortem veri damnati sumus, neque ullus ex Adami filiis sententiam mortis evadit: et nostra mortalis vita nihil est aliud nisi cursus ad mortem: et tamen in hoc itinere, quod longum esse non potest quid faciunt plerique hominum etiam Christianorum? quid cogitant, quid loquuntur, quid tractant nisi de lucris, de honoribus, de voluptatibus, ne dicam de sceleribus et flagitiis, quasi viam ad mortem numquam finienda esset? Et quid est hoc aliud nisi dormire ad seria, et vigilare ad ludicra? vel dormire, et dormiendo somniare?

Iure igitur Dominus clamat: *Vigilate, vigilate.* et beati, qui ad hanc vocem excitantur et recogitant ubi sinit et quo eant, et interim dant operam ut lampas eorum luceat, et oleum in vase redundet, ut cum clamor ille audietur, *Ecce sponsus venit, exite obviam ei,* continuo laeti currant obviam sponso, et ingrediantur cum eo ad nuptias. Vae autem illis, qui tam magnae rei obliti, atque ad voces Scripturarum surdi, et lampadibus extinctis, dormientes inveni, a nuptiis dulcissimis exclusi frustra clamabunt: *Domine, Domine aperi nobis.*

CAP. VII.

De Bravio.

Explicatis nominibus parabolicis, quae habentur in Evangelio, restat solum ut explicemus nomina, quae habentur apud Apostolum in Epistola priore ad Corinthios, quae sunt *Bravium et Coena.* De bravio sic loquitur beatus Paulus: *Qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium. Sic currite ut comprehendatis.* (1. *Cor.* 9.) Et quidem significari per bravium caelestem beatitudinem, idem Apostolus docet in Epistola ad Philippenses, cùm ait: *quae retrò sunt obliviscens, ad ea vero, quae sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu.* (*Phil.* 3.) Itaque bravium est in caelo, atque ad illud nos vocat Deus per Iesum Christum. Quamvis autem bravium, quod Principes mundi proponunt, non sit res adeo magna, tamen bravium caeleste non potest non esse omni ex parte splendidissimum, sive consideres Deum, qui bravium proponit, qui est Princeps infinitae potentiae et magnificentiae, de quo canit Propheta: *Elevata est magnificentia tua super caelos:* (*Psal.* 8.) sive cogites athletas, quibus proponitur, qui sunt filii ipsius, et fratres Christi; quos certe Rex pater ipsorum non invitaret ad currendum, si bravium non esset res tanta, ut etiam a filiis Dei digne appeti posset.

Illud ad nos magis pertinet, ut videamus, quid sit currere ad bravium, et qua arte poterimus ita currere ut comprehendamus. *Currere ad bravium* nihil est aliud, nisi Domini Dei nostri integre mandata servare. *Stadium* enim legem Domini esse, David testatur, cum ait: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini et: Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* (*Psal.* 18.) Ergo qui per viam mandatorum currunt illi in stadio ad bravium currunt. Porro ars ita currendi ut perveniamus et bravium apprehendamus, tria documenta complectitur. Primum illud est, ut a stadio non recedamus: qui enim recedunt a stadio, quantumvis celeriter currant, bravium numquam attingent, qua non ad bravium sed in incertum currunt. Quod se diligenter evitasse Apostolus testatur, cum ait: *Ergo sic curro non quasi in incertum.* Quid est extra stadium currere? per viam mandatorum non currere, sed declinare ad dexteram vel sinistram. (*Levit.* 49.) Exempli gratia, Lex dicit: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* (*Matth.* 22.) Qui diligit proximum sicut se ipsum, in stadio currit, et ad bravium currit. Qui diligit proximum tanto ardore, ut propter proximum Deum offendere non vereatur, et ex homine idolum sibi constituit, is declinat ad dexteram, et extra stadium currit, et non ad bravium, sed in incertum currit, et quo celerius currit multiplicando beneficia in personam illam quam sibi in idolum erexit, tanto magis erat, et longius a bravio discedit. Qui vero minus diligit proximum quam par est, et cum eum videt necessitatem pati, viscera sua ab eo claudit, ut loquitur Sanctus Joannes, (1. *Joan.* 3.) is declinat ad sinistram, et neque in stadio currit, neque ad bravium currit, etiamsi alioqui multa bona opera facere videatur, oportet igitur diligere proximum ut se ipsum, non magis nec minus quam se ipsum: id est, debet erga proximum ita se gerere, ut proximis faciat,

quod sibi vult a proximis fieri. (*Matt.* 7.) Sic enim explicat hoc mandatum, qui mandatum dedit Magister noster Deus. (*Luc.* 6.) Et quod dixi de dilectione proximi, quod est mandatum affirmans, possumus etiam dicere de mandatis negantibus. Qui enim furatur res alienas, declinat ad dexteram mandati *Non furaberis*, et a stadio recedit: qui vero non furatur aliena, sed profundit et prodigit sua, is declinat ad sinistram, et pariter exit a stadio. Justus enim, qui solus in stadio manet, non minus a stadio discedit si furetur aliena, quam si prodigat sua; quia virtus liberalitatis, quae ad institiam pertinet, duo habet extrema vitia opposita, avaritiam, et effusionem. Summa est: Qui vult in stadio permanere, debet peccato lethali omnino carere.

Alteram documentum est, ut currat velociter et perseveranter, qui bravium apprehendere deside rat. Ille velociter currit, qui ardenti voluntate mandata custodit, iuxta illud Psalmi: *Beatus vir, qui timet Dominum; in mandatis eius volet nimis.* (*Psal.* 111.) et illud Apostoli: *Spiritu ferventes, Domino servientes.* (*Rom.* 12.) Ille perseveranter currit, qui numquam fatigatur, neque cessat currere, sciens scriptum esse: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* (*Matth.* 10.) Et quidem ista duo, velociter currere et non fatigari nec intermittere cursum videntur fere contraria aut certe difficilia valde. Qui enim velociter currit cito fatigatur, et cessat currere: et qui fatigari non vult, lente festinat, et moderato gressu perseverat in cursu. Vera sunt, et ideo pauci perveniunt ad bravium. Omnino enim necesse est, qui bravium apprehendere cupit, ut et velociter et perseveranter currat, quia tempus breve est, et iter longum. Sed si velint homines Christiani imitari currentes ad bravium corruptibile et modicum: facile poterunt et velociter et sine intermissione currere ad bravium incorruptibile et maximum. Quid illi faciunt, qui currunt ad bravium corruptibile et modicum? deponunt onera, exuunt vestes, expediti et liberi currunt. Hoc igitur Christiani faciant, deponant onera curarum huius mundi, exuant vestes carnalium cupiditatum: aut certe deponant et exuant inordinatum affectum ad bona terrena: et cum haec fecerint, non de suis viribus glorientur, sed in Domino sperent: et tunc quorantur, si celeriter currendo fatigantur in cursu. Doctrina haec Isaiae et Pauli est, non mea. Isaias cap. 40. sic ait: *Qui sperant in Domino, current, et non laborabunt.* Apostolus vero. *Hoc*, inquit, *dico, fratres: Tempus breve est, reliquum est, ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint: et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudentes: et qui emunt, tamquam non possidentes, et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur.* (1. *Cor.* 7.) Quibus verbis non prohibet Apostolus, ne Christiani coniuges habeant, et non lugeant in adversis, et non gaudeant in prosperis, et non emant res necessarias, et non utantur bonis huius mundi: sed admonet, ut in his omnibus cum modum adhibeant, et tam modico affectu illis adhaereant, ac si ad illos ea non pertinerent.

Exemplo nobis sit Sancta Melania matrona Romana nobilissima, de qua sic loquitur Sanctus Hieronymus in Epitaphio Blesillae: *Sancta Melania nostri temporis inter Christianos vera nobilitas, cadente adhuc mariti corpusculo, et necdum humano, duos simul perdidit filios. Rem sum dicturus incredibilem, sed, teste Christo, non falsam. Quis illam non putaret more lymphatico, sparsis crinibus, veste conscissa, lacerum pectus invadere? lacrymae gutta non fluxit stetit immobilis, et ad pedes advoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit: Expeditius, inquit, tibi servitura sum, Domine, quia tanto me onere liberasti.* Haec ille, qui hoc exemplo, tamquam egregio commentario declaravit, quid sit, qui habent uxores, et filios, et cetera mundi bona, tamquam, non habentes sint, ut liberi et expediti currant ad bravium. Sed maius adhuc exemplum habemus in Job, qui una die perdidit filios et filias omnes, totamque substantiam suam, et plenus ulceribus in sterquilinio iacuit, qui paulo ante felicissimus erat inter omnes Orientales: et tamen, ac si ista ad eum non pertinerent, emisit vocem illam sapientia plenissimam: *Nudus egressus sum de utero matris meae, et nudus revertar illuc: Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* (*Job.* 1.) Denique Sanctus Petrus cum ceteris Apostolis, qui Christum ad bravium currentem primi secuti sunt ut nos docerent, quid requiratur ad celeriter et perseveranter currendum, aiunt: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* (*Matth.* 19.) et Dominus approbans consilium eorum, respondit, bravium illis aperte promittens: *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.*

Restat tertium documentum, ut cum Christo iungatur, qui bravium exoptat. Nam ut Apostolus dicit: *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.* (1. *Cor.* 9.) Ille autem unus sine ulla dubitatione Christus est, *qui exultavit ut gigas ad currendam viam.* (*Psal.* 18.) et de quo dicitur apud Sanctum Joannem: *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis qui est in caelo.* (*Joan.* 3.) Sed Christus non adscendit solus, sed cum illis omnibus, qui cum ipso unum sunt, id est, qui sunt membra viva et vera eius corporis, cuius ipse est caput. Itaque frustra laborant omnes, qui currunt, etiamsi erogent omnes facultates suas pauperibus. (1. *Cor.* 13.) et tradant corpus suum ita ut ardeat, nisi Christo iungantur per fidem et charitatem, et unum cum illo fiant, ut ipse loquitur, cum ait: *Sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* (*Io.* 17.).

Sed est etiam alius modus coniunctionis cum Christo, qui mirum in modum iuvat ad currendum velociter et perseveranter ad bravium. Is modus est unionis oculi interioris cum ipso Christo: quatenus ipse est bravium. Christus enim ut homo, cucurrit ad bravium: et ut Deus, ipse est bravium.

Ipse enim *est verus Deus, et vita aeterna*, teste Sancto Joanne; (*Ioan.* 5.) quod ipse quoque significavit, cum ait: *Ego sum via. et veritas, et vita.* (*Ioan.* 14.) Ipse enim ut veritas nos ducit, ut via per se adducit, ut vita ad se perducit: Nihil igitur utilius ad bravium obtinendum est, quam ab ipso bravio oculos numquam deflectere,et cum Propheta dicere;*Oculi mei semper ad Dominum.* (*Ps.* 24.) Qui enim unitum habet oculum cordis cum bravio, non videt nec audit quid circumstantes dicant aut faciant, sive rideant sive irrideant: non curat aliorum iudicia, sive laudent sive vituperent; et cum Propheta dicit: *Factus sum sicut homo non audiens* (*Ps.* 37.) et cum Apostolo: *Mihi pro minimo est, ut a vobis iudicer, aut ab humano die.* (1. *Cor.* 4.) et praeterea quo magis propinquat, eo melius magnitudinem cognoscit bravii: quae magnitudo vires addit, et facit ut homo, quamvis fatigatus et lassus, cursum non intermittat.Quicumque ergo ad caeleste bravium adspirat, a stadio mandatorum Domini non recedat: currat ardenter et perseveranter, et Christo per veram fidem et charitatem unitus, ab ipso bravio cordis oculum numquam avertat.

CAP. VIII.

De Corona.

Postremum nomen felicitatis aeternae corona iustitiae est; de qua corona sic loquitur Apostolus in eodem loco, ubi de bravio locutus est: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* (1. *Cor.* 9.) Neque dubium esse potest, an hoc loco per agonem intelligatur cursus in stadio, ut sit eadem haec similitudo cum superiore, an potius pugna et certamen, ut sit haec similitudo a priore diversa. Siquidem intelligi per agonem, certamen et pugnam et esse hanc similitudinem diversam a priore, demostrant illa verba paulo inferius posita: *Ego igitur si curro non quasi in incertum, sic pugno non quasi aerem verberans,* et illa in posteriore ad Timotheum: *Bonum certamen certavi.cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona iustitiae.* (2. *Tim.* 4.) nam in utroque loco beatus Paulus distinguit cursum a pugna, et in una similitudine utitur nomine bravii, in altera nomine coronae; quae sunt nomina satis aperte distincta.

Porro coronae nomine significatur aeterna felicitas,quae apud Apostolum Paulum ad Timotheum (2. *Tim.* 4.) dicitur *corona iustitiae*, quia redditur tamquam merces operibus iustis. Apud Sanctum Jacobum (*Iac.* 1.) dicitur *corona vitae*, quia continet vitam sempiternam. Apud s. Petrum *corona gloriae immarcescibilis.* (1. *Petr.* 5.) quia complectitur decus et splendorem honoris aeterni. Denique apud Isaiam (*Isa.* 28.) dicitur Deus ipse futurus *corona gloriae residuo populi sui.*Ex quo loco intelligimus, coronam, de qua beatus Paulus loquitur, et quae datur victoribus in certamine, rem esse honorificentissimam et altissimam, cum Deus ipse velit esse corona circumdans, ornans et glorificans capita residui populi sui,id est, paucorum illorum de populo suo, qui fortes in bello victoriam reportaverint. Nam, ut saepe diximus ex testimoniis, Scripturarum, *Multi sunt vocati pauci vero electi*: et tanto erit illustrior corona Sanctorum in die iudicii, quanto paucioribus illa continget.

Videamus nunc, in quo agone certandum nobis sit, et quid nos facere oporteat, ut victoriam obtineamus. Et sane atrocissima pugna est, et periculosissima colluctatio, quam inituri sumus; praesertim si comparetur ad certamen, in quo contendunt in terris homines in agone, pro corruptibili corona. Loquitur enim hoc loco Apostolus de ludicro certamine, quo in theatro pugnabant spectante populo, vel colluctatione, vel caelestibus. Isti igitur agonistae pugnabant cum hominibus sibi similibus, et armis paribus, et pro corona vilissima, et sub periculo irrisionis vel ignominiae popularis. At Christiani homines pugnare debent cum hostibus, quos non vident, et a quibus ipsi videntur; et qui plurimi, et fortissimi, et astutissimi sunt; et armis imparibus, et coram Deo et Angelis eius,et pro corona vitae aeternae,et sub periculo mortis perpetuae; denique praelio non ludicro, sed verissimo et atrocissimo. (*Eph.* 6.) Antagonistae enim nostri daemones sunt, quos Scriptura nunc leones, (*Ps.* 90.) nunc dracones, nunc basiliscos appellat; et qui proditores habent in domibus nostris, concupiscentias videlicet carnis, quae sunt in corporibus nostris,et militant contra animas nostras pro adversariis, ut s. Petrus docet cum ait: *Obsecro vos tamquam advenas et peregrinos,abstinere vos a carnalibus desideriis.quae militant adversus animam.* (1. *Petr.* 3) Adde, quod miserrimum est, pugnam istam eodem fieri tempore, quo et cursus in stadio. Ideo enim Apostolus haec duo coniunxit, ut intelligeremus, currentes ad bravium toto cursu impediri ab antagonistis, et oportere eos simul et pedibus currere, et manibus depugnare. O si Christiani ista cogitarent, et statum suum intelligerent! profecto non tam facile tempus tererent in nugis temporalibus, in iocis, in ludis, in comessationibus, in augendis pecuniis, in aucupandis honoribus, quasi summa rei esset in tuto; sed audient Apostolum clamantem: *Accipite armaturam Dei,ut possitis resistere in die malo.induti loricam iustitiae: in omnibus sumentes scutum fidei,in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: et galeam salutis assumite et gladium Spiritus, quod est verbum Dei: per omnem orationem et obsecrationem, orantes omni tempore in Spiritu. et in ipso vigilantes in omni istantia.* (*Epbes.* 6.) Deus bone, qualis est haec exhortatio! quam plena terroris! quam vehemens! praesertim si quis ponderet illa. *per omnem orationem, in omni tempore. in omni istantia.* Et tamen plerique nostrum ita se gerunt, ac si neque currendum nobis esset in stadio, neque pugnandum in agone.

At quid, quaeso, nobis agendum est, ut in hoc terribili agone victoriam de hostibus referamus; Paucis verbis hoc ipsum declarat Aposto-

lus, cum ait: *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* (1. *Cor.* 9.) Quorum verborum haec sententia est: Athletae illi, ut corruptibilem coronam accipiant, ab iis omnibus se abstinent, quae corpus debilitare, et ineptum ad pugnam illam ludicram reddere possunt, a nimio cibo et potu, a congressu cum uxoribus, a negotiis domesticis, ab aliis rebus omnibus, alioqui iucundis vel utilibus, quae victoriam in pugna impedire vel retardare possunt. Nos igitur, qui pro corona incorruptibili, in vero certamine desudamus, multo magis abstinere debemus ab omnibus, quae animam debilitare, atque ineptam ad pugnam istam seriam, et simul ad cursum in stadio facere possunt. Et quae sunt, quae animam debilitant? Illa ipsa quae corpus robustum reddunt, multum cibus, multus somnus, crebra deambulatio, hilaritas, iucunditas, cantus, sonus, lusus, aucupium, venatio, non multum legere, parum orare, nihil meditari non lugere peccata, non facere fructus dignos poenitentiae. Ab his abstinere debet, qui animam vult esse robustam et idoneam ad currendum in stadio, et pugnandum in agone. *Attendite vobis*, Dominus ait, *ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis huius vitae, et superveniat in vos repentina dies illa.* (*Luc.* 21.) Contra vero cibus animae, qui illa robustam reddit, ieiunium est; refectio et refocillatio animae, oratio est: somnus animae salutaris, contemplatio est; purgatio ab humoribus noxiis, confessio peccatorum est; gaudium et deliciae animae, lacrymae sunt, triumphus animae, crucifixio carnis et concupiscentiarum est. *Qui* enim *sunt Christi*, inquit Apostolus, *carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* (*Luc.* 21.) et hoc loco, *Ego*, inquit, *sic pugno, non quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* (1. *Cor.* 9.) Ecce veram explicationem illorum verborum, *ab omnibus se abstinet*. Ego, inquit, sic pugno in agone, ut abstineam ab omnibus, quae placent corpori, in quo sunt, qui pugnant pro hostibus meis, concupiscentiae carnales videlicet: et castigando corpus meum ieiuniis et vigiliis, aliisque carnis macerationibus et mortificationibus, in servitutem redigo corpus meum, ut rebellare non possit ab imperio animae, nec militare hostibus meis.

Sed quem non timere, ac toto corpore contremiscere faciant illa verba, *ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar*? Si vas electionis, et a Deo ipso creatus Apostolus, et raptus in tertium caelum, timuit reprobus fieri, si corpus suum non castigasset, et in servitutem non redegisset: quis nostrum reprobationem non timebit nisi carnem suam crucifigat cum vitiis et concupiscentiis? Hoc certe Apostolicum exemplum deberet omnes homines admonere, ut non audeant sperare victoriam et coronam, nisi serio ad cor redeant, et dignos poenitentiae fructus faciant, et spiritui carnem subiicere modis omnibus satagant. Et admiranda prorsus est multorum stultitia et cordis caecitas, qui cum nihil horum faciant, sed contra potius non solum a rebus licitis, sed etiam ab illicitis non abstineant, tamen sic laeti ac securi vivant, ac si de salute et corona gloriae, promissionem a Deo certissimam et apertissimam haberent. Sed hoc est argumentum, ut saepe diximus quod pauci sint, qui salventur, et multi sint vocati, pauci vero electi. Quod miro modo confirmat s. Ioannes Chrysostomus homil. 40. ad populum Antiochenum, in qua multas rationes reddit, cur ex multitudine Christianorum innumerabili pauci sint, qui salventur, ac de ipsa urbe Antiochena, quae una erat ex maioribus totius orbis terrarum, sic loquitur: *Quot esse putatis in Civitate nostra qui salvi fiant? infestum quidem est, quod dicturus sum: dicam tamen; Non possunt in tot millibus centum esse, qui salventur, quin et de his dubito. Quanta enim in iuvenibus malitia, quantus in senibus torpor.* Videat Lector Homiliam totam, quae gravissima et utilissima est.

Ad te igitur confugio, bone Domine, ego servus tuus, et filius ancillae tuae: concupisco toto desiderio animae meae bravium illud caeleste, et lucidissimam coronam, quam praeparasti et promisisti diligentibus te. Cognosco magnitudinem agonis, et stadii longitudinem: experior imbecillitatem meam, et confiteor coram te, qui scrutaris renes et corda, modicam ac pene nullam virtutem meam: nec ignoro vires magnas, et rabiem crudelem invisibilium hostium meorum; qui concoquere non possunt, quod nos homunculi vocati simus ad gloriam illam magnam, unde superbia illos deiecit. Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte: adauge vires, ne deficiam in via: pugnet pro me gratia tua, ne quando dicat inimicus meus: Praevalui adversus eum. Quod autem pro me postulo, id ipsum postulo pro fratribus meis omnibus: sed potissimum pro iis, qui sunt a te in sublimitate constituti, sive Ecclesiasticis, sive saecularibus: quorum tanto grandius est periculum, quanto functio excellentior; et tanto illustrior erit corona gloriae, si recte fungantur munere suo quanto gravior damnatio, si culpa ipsorum animae pereant, quas redemisti pretioso sanguine tuo.

CAP. IX.

Epilogus totius operis.

Explicatis considerationibus duodecim de aeterna felicitate Sanctorum, illam conclusionem colligi posse video, Sanctorum felicitatem rem esse tum in se maximam et eminentissimam, tum ab omnibus hominibus in primis expetendam et procurandam: sed viam ad illam inveniendam et obtinendam esse angustissimam et laboriosissimam, ut nisi quis apud se firmiter statuat omnibus viribus suis commti et contendere, rebus aliis omnibus praetermissis, numquam per eam penetrare, et multo minus ad optata gaudia pervenire possit. Ac ut breviter hoc totum sub oculos subiiciamus, placet omnes illas considerationes et eorum praecipuas difficultates per modum epilogi breviter recensere.

Primum igitur consideravimus felicitatem aeternam sub nomine Regni caelorum : sed annexam illi vidimus difficultatem maximam ex libro Dei, quia scriptum est: *Regnum caelorum vim patitur et violenti rapiunt illud.* (*Matth.* 11.)

Deinde consideravimus eamdem felicitatem sub nomine Civitatis Dei, sive caelestis Jerusalem: et ibi quoque animadvertimus difficultatem non modicam; quia non possunt esse cives Sanctorum, qui sunt cives mundi huius: (*Ephes.*2.) et difficillimum est in mundo vivere,et de mundo non esse.

Tertio consideravimus eamdem felicitatem sub nomine Domus Dei,in qua mansiones multae sunt: (*Matth.* 7.) et animadvertimus,portam eius domus esse angustissimam,ut non sine magno labore penetrari possit.

Quarto consideravimus eumdem beatitudinis locum sub nomine Paradisi; sed consideravimus simul, quam magno pretio non auri vel argenti,sed lacrymarum vel sanguinis emerit illum Dominus, et Martyres, et Confessores, atque adeo Sancti et Sanctae omnes. *Oportuit*, enim *pati Christum, et ita intrare in gloriam suam.* (*Luc.* 24.)

Quinto consideravimus eamdem felicitatem sub nomine Thesauri absconditi in agro: et simul advertimus, non potuisse obtineri ab eo,qui invenerat,nisi venditis omnibus, quae habebat.(*Matt.*13.)

Sexto consideravimus eamdem sub nomine Margaritae pretiosae, pro qua etiam comparanda debuit emptor omnia bona sua distrahere, ut eam emere posset. (*Matth.* 13.)

Septimo consideravimus eandem sub nomine Denarii diurni; (*Matth.* 20.) qui non nisi laborantibus in vinea diligenter et assidue datus est.

Octavo consideravimus eamdem sub nomine Coenae magnae: (*Luc.* 14.) et vidimus ea caena dignos non fuisse habitos, qui rebus temporalibus addicti erant.

Nono consideravimus eamdem sub nomine Gaudii Domini : ad quod ii soli admissi sunt, (*Matt.* 25.) qui magno labore et sollicitudine talenta sibi tradita multiplicaverant, reliquis in exteriores tenebras amandatis.

Decimo consideravimus eamdem sub nomine Nuptiarum Regiarum, (*Matth.* 25.) a quibus exclusi sunt omnes, qui somno dediti et inertiae, in operibus bonis et expectatione caelestis Sponsi non assidue vigilarunt.

Undecimo consideravimus eamdem sub nomine Bravii, (1. *Cor.* 9.) quod illi soli apprehenderunt, qui velociter et perseveranter non sine labore et sudore ad bravium in stadio cucurrerunt.

Duodecimo consideravimus eamdem sub nomine Coronae, (1. *Cor.* 9.) quam illi soli meruerunt qui fortissime pugnando adversarium deiecerunt.

Itaque quocumque te vertas, et sub quocumque nomine caelestem felicitatem consideres,invenies obtineri non posse, nisi totis viribus atque omni animi et corporis contentione desudes.Proinde qui volunt beati esse, quod nemo nisi amens non velle potest, torporem omnem excutiat, atque ad serio laborandum, et bona omnia facienda, et mala omnia toleranda, tanto proposito praemio se accingat: et nulla omnino temporalia negotia huic magno et vere soli negotio anteponat, et semper in mente retineat verba illa Sanctorum Pauli et Barnabae. quibus Christianos exhortabantur: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.* (*Act.* 14.)

DE

GEMITU COLUMBAE

SIVE DE BONO LACRYMARUM

LIBRI TRES

Reverendis patribus, et charissimis fratribus universae societatis Iesu

Robertus S. R. E Cardinalis Bellarminus ex eadem Societate, F. Æ.

Libellos tres, quos De gemitu Columbae conscripsi, iure mihi videor, Patres optimi, nomini vestro dicare aut certe potuisse. Nam et ego a prima adolescentia Societati Iesu, ipso spiritu Iesu vocante, nomen dedi: et in eius sinu de lacte eius suxi, et in eius contubernio de cibo eius sumpsi, et sub eius regimine lac, et cibum infantibus et adultis longo tempore ministravi. Et ipsa Societas, ut membrum vivum, et verum gementis Columbae, id est, militantis Ecclesiae, non solum gemere non cessat; sed etiam Columbae velocitatem imitata, ab ipso suo exordio, ad extremas usque Mundi partes volare non dubitavit: et Columbae foecunditatem, divino munere, nacta, brevi sic excrevit in gentem magnam, ut provincias orbis terrae pene omnes complexa esse videatur: ac denique more columbino iram sine felle, in corde, et in lingua ferens, et irascitur vitiis, et bellum cum erroribus gerit. Accessit et alia causa dedicandi huius opusculi fratribus meis. Nam cum Septembri mense proxime elapso, more mihi solito, negotiis aliis intermissis, Deo soli, et mihi vacarem, inspirante Domino, ardere coepi desiderio excitandi Christi fideles ad gustandum bonum spiritualium lacrymarum, illos, inquam, fideles, qui hoc ingens bonum nondum per experientiam noverant. Neque enim me fugit, semper fuisse, et nunc etiam esse in Ecclesia Dei vivi perfectos viros, qui instar Columbae semper gemant, et meis adhortationibus non indigeant. Itaque scripsi opusculum de bono lacrymarum, quod fratribus meis potissimum nuncupare constitui, quoniam nullis aliis aeque facile studium lacrymarum quaerendarum, quod primo aspectu horridum, molestumque apparet, persuadere me posse speravi, quam iis, quos fraternus amor mihi a prima aetate coniunxit. Id vero libentius feci, quod intelligerem, cohortationem meam non tendere ad aliquid novum, vel insolitum Societati. Habent enim seniores apud nos exemplum illustre Fundatoris. Tanta enim copia lacrymarum beatus Ignatius in precibus abundabat, ut necessarium ei fuerit, ab ipso Domino temperamentum petere. Et (quod plane admirabile est) eam a Domino gratiam impetravit, ut quasi habenas lacrymarum in manu sua haberet, quando vellet, ipse lacrymas funderet, et quando vellet, continuo sisteret, ne nimia profusio lacrymarum oculos laederet. Quod privilegium quam fuerit singulare, cognosci potest ex Ioanne Cassiano, qui collatione priore de oratione, demonstrat, donum lacrymarum sic aliquando non petentibus dari, ut alias rogantibus, et quaerentibus, et pulsantibus, ne gutta quidem ex arido corde exprimi queat. Habent quoque iidem seniores nostri (ut alia multa praeteream) exemplum beati Francisci Xaverii, de quo illud constat, tanta copia spiritualium consolationum, et lacrymarum suavissimarum abundasse, ut ipse quoque temperamentum a Domino petere cogeretur. Habent denique iuniores nostri exempla duorum adolescentium nobilissimorum, non minus virtute, quam sanguine, beati videlicet Stanislai Kostae, et beati Aloysii Gonzagae, qui flumina lacrymarum, praesertim in precibus fundere videbantur. Sed non omnes Religiosi ad eam mensuram gratiae perveniunt, ut cohortationibus non indigeant; sunt enim in amplius familiis perfecti nonnulli, plures proficientes: plurimi incipientes, quibus non sola exempla sufficiunt, sed lectione quoque librorum, et cohortationibus adiuvantur. Accipite igitur, fratres mei charissimi, et desideratissimi, munusculum a me leve, et exiguum; sed non parvo affectu donatum. Ac dum vobis ipsi a Patre caelesti irriguum superius, et inferius, non sine ardenti suspirio petitis, mihi quoque idipsum donum vestris orationibus, et suspiriis impetrate.

PRAEFATIO

Scripsi anno superiore, De aeterna felicitate Sanctorum, ut ipse me iam senem, et morti propinquum, serio excitarem ad rem tantam toto animo concupiscendam, et gratiam Dei sollicite, et assidue implorandam. Dum autem apud me hoc praesenti anno, in solito meo recessu cogitarem, quid facto opus esset, ut veram viam ad vitam aeternam invenirem, illud Psalmistae in mentem venit, *quis mihi dabit pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam*? Animadverti autem, non ob solam velocitatem, columbam potius, quam aliam volucrem a Propheta esse nominatam: scimus enim non deesse aves, quae columbae volatum superent, vel adaequent. Itaque cogitavi, columbam esse animal simplex, purum, foecundum, sine felle, et, quod ei proprium est, assidue gemens; atque his de causis non dictum esse, quis dabit mihi pennas sicut hirundinis, aut accipitris, vel aquilae; sed, sicut columbae: tunc enim nobis proderit volatus contemplationis ad veram requiem obtinendam, si simplices fuerimus, sine malitia, et puri a sceleribus, et foecundi operum bonorum, et sine felle odii peccatoribus irascemur, ac errata subditorum nostrorum cum benevolentia castigabimus; et, quod est potissimum, assiduo gemitu, exclusis nugis, et iocis, risu et cantu profano, atque aliis carnalibus oblectationibus, et temporalibus gaudiis, per hanc lacrymarum vallem iter faciemus.

Propositum igitur mihi est, in praesenti vacatione, orando, et meditando scrutari, quid liber Dei de salutifero gemitu nos admoneat: et quae sit materia gemitus columbini: et denique quem fructum gemitus iste pariat. Quamvis autem tristis, et odiosa disputatio de gemitu, et lacrymis futura esse videatur; tamen tristitia haec tam ingenti gaudio compensabitur, ut felix tristitia dici possit. Nam, ut Apostolus loquitur, *tristitia secundum Deum salutem operatur: seculi autem tristitia mortem operatur.*

Sed antequam lacrymarum necessitatem, materiam, et fructum explicare incipiam, necesse erit breviter aperire, de quibus lacrymis loqui nobis propositum sit. Sunt enim tria genera lacrymarum, cum aliae sint naturales, et neque per se bonae, neque per se malae: aliae malae, et perniciosae: aliae bonae, et salutares. Lacrymae naturales illae sunt, quas communes mundi acrumnae producunt, iactura divitiarum, mors charorum, morbi varii, iniuriae acceptae, et alia id genus. Lacrymae perniciosae sunt, quas exprimunt vitia, astutia, hypocrisis, simulatio: et aliquando diabolus ipse, qui arte quadam efficiebat, ut Monachi quidam, quo magis comederent, et biberent, eo largius in precibus lacrymas funderent. Istas igitur lacrymas omnes, tum naturales, tum diabolicas, hoc loco praeterire intendimus. Solae restant lacrymae salutares, quae a Spiritu sancto, tamquam a fonte, procedunt, dicente Apostolo in epist. ad Romanos, *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Dicitur enim Spiritus postulare, quia facit nos postulare, et quidem gemitibus, non naturalibus, non ordinariis, sed quos lingua humana exprimere non potest. Ista est pluvia voluntaria, quam Deus segregavit haereditati suae: nam lacrymae humanae non tam pluviae, quam aquis lacuum, et paludum comparari debent. Pluviae enim de caelo descendunt, et campos, et hortos foecundant; quod lacus, et paludes facere non possunt.

Sunt autem duo genera piarum lacrymarum: aliae enim sunt signa odii, aliae dilectionis, aliae doloris, aliae gaudii. Lacrymae contritionis sunt signa odii erga peccatum: lacrymae desiderii videndi Deum, sunt signa amoris: et priores sunt etiam signa doloris, posteriores signa dilectionis. Atque haec est causa, cur tanti fiant a Deo, quia testantur odium erga peccatum, et amorem erga Deum: alioqui lacrymae quid sunt, nisi modica aqua ex capite defluens, quae tamquam excrementum eiicitur per canales oculorum? Id quod sanctus Basilius ostendit in oratione de gratiarum actione, ubi ex arte medicinae declarat originem lacrymarum genera, sunt illa duo irrigua, inferius, et superius, quae postulavit Axa in libro Iosue, de qua figura pulchre disputat sanctus Gregorius in lib. 3. Dialogorum, et in epistola ad Theotistam. Hinc nonnulli lacrymas salutares comparant cum diluvio Noe, quod totum fuit a Deo, sed partim e fontibus abyssi diruptis, partim a pluviis de caelo manantibus productum. Siquidem lacrymae significantes odium, et dolorem, a fontibus abyssi scaturiunt; lacrymae amoris, et laetitiae de caelo descendunt: omnes tamen a Deo manant.

Quamvis autem lacrymae istae dona sint Dei, non ideo tamen expectare debemus, ut nobis dormientibus, et nihil agentibus dentur. Nam etiam sapientia unum est, et praecipuum inter septem dona Spiritus sancti, et tamen s. Iacobus dicit: *Si quis ex vobis indiget sapientia, postulet eam a Deo, qui dat omnibus affluenter.* Sed postulanda sunt dona ista optima, et perfecta, sicut oportet: ideo adiungit idem Apostolus *Postulet autem in fide nihil haesitans*, et infra, *non habetis, propterea quod non postulatis; petitis, et non accipitis, eo quod male petatis.* Itaque petendum est donum lacrymarum magna cum fiducia, et cum non minore desiderio, iuxta admonitionem s. Gregorii lib. 3. Dialogorum: *A Creatore nostro* inquit *cum magno desiderio quaerenda est lacrymarum gratia.* Atque hae sunt lacrymae, de quibus solis, Domino adiuvante, in praesenti opusculo scribere nunc aggredimur.

DE

GEMITU COLUMBAE

SIVE DE BONO LACRYMARUM

LIBER PRIMUS

CAPUT I.

De necessitate gemituum, ex Psalmis.

Necessitatem gemendi demonstraturus ex Scripturis sanctis utriusque Testamenti, ac deinde ab exemplis, et doctrina Sanctorum, a testimoniis Davidis exordiar : siquidem Psalmi Davidis pleni sunt gemituum, et lacrymarum. Sed quia David, ut plurimum, de lacrymis suis loquitur, tres solum versiculos considerabimus, in quibus David omnes hortatur ad lacrymas, quasi ad officium proprium Sanctorum, qui pertinent ad columbam. Unus versiculus est in Psalmo octogesimotertio, qui sic habet: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit.* Alter versiculus est in Psalmo nonagesimoquarto, cuius haec sunt verba: *Venite adoremus, et procidamus ante Deum ploremus coram Domino, qui fecit nos.* Tertius versiculus est in Psalmo centesimo vicesimoquinto: *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.*

Primus versiculus tria requirit ab eo, qui ad culmen beatitudinis pervenire desiderat. Primum est, ut de sua virtute diffidens, de auxilio Dei valde confidat, sic enim ait: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te*, hoc est, ille beatus est in spe, et beatus erit in re, qui non confidit in virtute sua, sed in auxilio Domini ; et ideo auxilium eius non est a se, sed abs te. Nihil enim magis odit Omnipotens, quam superbiam eius, qui per elationem mentis excaecatus, non agnoscit imbecillitatem suam. Alterum est, ut non ita confidat in adiutorio Altissimi, ut existimet, nihil a se fieri oportere: necesse est enim, ut liberum arbitrium cooperetur gratiae, iuxta illud Apostoli in priore ad Corinthios: *Non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Ubi non dixit Apostolus, non autem ego, sed gratia Dei, ne forte suspicaretur aliquis, nihil a nobis requiri, nisi, ut sinamus Deum, per gratiam in nobis operari: addit igitur, *mecum*, ut significet, nos cooperatores, et coadiutores Dei in opere nostrae salutis esse debere, ut idem Apostolus in priore ad Corinthios docet, cum ait: *Dei adiutores sumus.* Ideo subiungit Propheta: *Ascensiones in corde suo disposuit*, id est, non expectavit, ut auxilium gratiae Dei illum iacentem, et dormientem sursum eveheret; sed ipse praeventus, et adiutus gratia Dei, disposuit ascensiones in corde suo: proposuit videlicet, non tam corpore, quam corde ascendere de virtute in virtutem, quousque culmen perfectionis attingeret. Tertium est, ut ascensio ista fiat in valle lacrymarum, in loco, quem ipse sibi posuit. Deus enim posuerat hominem in paradiso, ubi non erat opus in ascendendo laborare; sed ipse homo posuit sibi locum, merito culpae suae, in valle lacrymarum, unde cum gemitu et lacrymis, non sine magno labore, et fatigatione est ascendendum. Dicitur autem vallis lacrymarum locus, unde ascensio disponenda est ; quoniam nemo potest in tam laborioso itinere perseverare, nisi identidem ad Deum gemat pro novo auxilio, et pane lacrymarum reficiatur, iuxta illud eiusdem Prophetae: *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die, ac nocte.* Hinc videlicet intelligere possumus, quantum aberrent a via, quae ducit ad montem Dei, qui vallem lacrymarum declinare conantur, et per prata floribus referta discurrere malunt iuxta illud Sapientiae: *Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra*, qui postea frustra queruntur, et dicunt: *Ergo erravimus a via veritatis, et iustitiae lumen non luxit nobis.* Nec minus aberrant, qui per vallem lacrymarum, sine lacrymis, et gemitu ascendere se posse confidunt. Eiusmodi autem sunt, qui corde arido sine attentione, et sine devotione, nec sine mentis evagatione aut orant, aut psallunt, aut libros Dei curiose magis, quam pie legunt.

Sed veniamus ad alterum Psalmi versiculum : *Venite adoremus, et procidamus, et ploremus coram Domino, qui fecit nos.* Illud, *venite*, vox est invitantis, et cohortantis. Invitat enim Rex David, et cohortatur populum Dei, ut conveniat ad Deum honorandum, et laudandum corde, voce et opere. Frequens est in Scripturis haec invitatio per verbum, *Venite*, non solum ad bona opera, sed etiam ad mala. *Venite faciamus nobis civitatem, et turrim, quae pertingat ad caelum*, dixerunt in Genesi gigantes Babylonis. *Venite, descendamus, et confundamus linguam illorum*, dixit ibidem Deus ad Angelos ministros irae suae, vel Deus Pater ad Filium, et Spiritum sanctum, contra gigantes Babylonis. *Adoremus.* Hoc verbum ad Spiri-

tum pertinet. Nam *Spiritus est Deus: et eos, qui eum adorant, in Spiritu, et veritate adorare oportet.* Siquidem adoratio externa per genuflectionem,vel prostrationem exhiberi solet tum ipsi Deo, tum etiam hominibus. Nam in Genesi Abrahamus adoravit populum terrae: et in libro tertio Regum,Natham Propheta adorat Regem David pronus in terra;quod idem paulo post facit Bethsabee uxor Regis.Sed adoratio per internam agnitionem Creatoris, et humiliationem, ac reverentiam quae debetur primo principio, et supremo fini omnium rerum, proprie soli convenit Deo.*Et procidamus.* Hoc refertur ad reverentiam corporalem,quae Deo debetur, ut supremo, et altissimo Regi,et Domino rerum omnium. Quo enim est persona sublimior, cui reverentiam exhibemus, eo submissio, et humilitas debet esse profundior. Dicitur ergo, *Adoremus et procidamus*, ut simul mente, et corpore divinae Maiestati debitum obsequium deferamus. *Et ploremus coram Domino, qui fecit nos.* Haec vox postrema simul ad spiritum,et ad corpus pertinere videtur. Ploratus enim, ut sonus oris, corporalis est, ut vero significat affectum mentis,spiritualis esse dignoscitur. Sed quorsum ad mentis adorationem, et corporis prostrationem additur ploratus? an non magis reverentiam illam exultatio,aut iubilatio comitari debuisset? Certe Psalmus in principio sonuit, *Venite exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro.* Sed maluit Propheta sanctissimus,et sapientissimus ploratum nominare, quoniam ploratus non minus ad exultationem, et iubilationem, quam ad supplicationem, et orationem pertinet; nec minus ad res bonas obtinendas,quam ad malas deprecandas accommodari potest. Est enim ploratus quasi condimentum desideriorum, et postulationum, et quasi viva quaedam Rhetorica ad commovendos animos, et res persuadendas aptissima. Ait igitur Propheta: *Ploremus coram Domino, qui fecit nos;* ac si dicere voluisset, ploremus prae gaudio, quia is, qui nos fecit, optimus, et amantissimus pater noster est. Ploremus prae tristitia, quia parentem optimum, et iustissimum ad iracundiam provocavimus. Ploremus prae gaudio, et amore, quia Dominus, qui fecit nos, *suavis, et mitis est, et multae misericordiae.* Ploremus prae tristitia, et timore, quia *iustus est Dominus*, qui fecit nos,*et iustitiam dilexit, et aequitatem vidit vultus eius.* Ploremus prae laetitia, et exultatione, quia Dominus,qui fecit nos, *non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, et vivat.* Ploremus prae sollicitudine, et pavore, quia Dominus, qui fecit nos, *arcum suum iam tetendit, et paravit illum,et exacuit sicut fulgur, gladium suum.*

Igitur ex hoc versiculo, non minus, quam ex priore, discimus,valde necessarium esse gemitum ad Deum. Et cum Ecclesia mater nostra singulis diebus ad preces matutinas, iubeat nos vel publice in templis, vel privatim in cubiculis frequentare versiculum istum, ac dicere, *Ploremus coram Domino, qui fecit nos*: mirum valde est,quod tam pauci ex nobis, Spiritum sanctum in Propheta suo clamantem, et Ecclesiam matrem monentem, ut ploremus quotidie coram Domino,vel non audiant, vel negligant implere, quod audiunt. Certe verendum est ne impleatur in nobis quod Isaias de Iudaeis aliquando pronunciavit,*Incrassatum est cor populi huius, et auribus graviter audierunt, et oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, ut sanem eos.* Profecto enim si quotidie cum gemitu columbino ploraremus coram Domino, qui fecit nos, id est, coram omnipotente, et amantissimo Patre nostro, quid non impetraremus? Quomodo non mutaremur in viros alteros? An non ascenderemus quotidie de virtute in virtutem? Non est Deus avarus distributor donorum suorum, *qui dat omnibus affluenter, et non improperat*, ut loquitur sanctus Iacobus: sed ideo non accipimus, quia non magnifacimus dona Dei, neque gratiam remissionis peccatorum, neque ipsam vitam aeternam. Si enim ista magnifaceremus, frequenter, ardenter, cum clamore valido, cum gemitu, et lacrymis peteremus, sic enim petunt temporalia bona cives huius mundi, qui illa valde diligunt: sic etiam petunt, et accipiunt veri servi Dei dona caelestia, qui illorum pretium noverunt,sed hi pauci sunt; illorum infinitus est numerus.

Postremus versiculus apertissime docet lacrymarum necessitatem. Neque enim salvi esse possumus, nisi seminemus opera bona. Voluit enim Deus salutem aeternam esse mercedem operum bonorum: qui autem seminant opera bona, sine dubitatione in lacrymis seminant,ut in exultatione metant. Opera enim vere bona, laboriosa, et difficilia sunt: et quemadmodum seminatum triticum indiget pluvia, et Sole, sic opera bona indigent imbre lacrymarum, quibus gratia Dei, quae instar caloris solaris est impetretur, Ideo enim subiungit Propheta: *Euntes ibant, et flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Igitur qui cupit in altera vita cum exultatione metere, non parcat laboribus, neque gemitibus in hac valle lacrymarum.

CAPUT II.

De necessitate gemituum, ex Canticis.

Post Davidem sequitur filius eius Salomon, qui in Canticis, ubi describit amorem Christi, et Ecclesiae, non alia de causa Christi Sponsam comparat columbae, nisi quia columba non aliam vocem emittere solet, quam gemebundam, et flebilem; cum pleraeque aves vel dulciter canant, ut philomelae, vel leviter garriant,ut hirundines;vel, ut corvi, crocitent; vel inconditas voces emittant, ut ciconiae, grues, et aliae. Porro columbarum proprium esse gemitum, testatur Isaias cum dicit: *Quasi columbae meditantes gememus*; et Nahum, *Ancillae eius minabantur gementes, ut columbae.* In Canticis Canticorum Sponsa mystici Salomonis nihil frequentius dicitur, quam columba. *Ecce*, inquit, *tu pulchra es, amica mea,oculi tui columbarum*, et paulo infra: *Surge amica mea, speciosa mea, et veni: columba mea, in forami-*

nibus petrae, in caverna maceriae ostende mihi faciem tuam, et rursum: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni*, et iterum: *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea*, et denique: *Una est columba mea, perfecta mea.* Ista autem Sponsa in cantico amoris, summa Interpretum consensione, Ecclesia est, et Sponsus Christus, iuxta illud Apostoli in epist. ad Ephesios: *Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita mulieres viris suis. Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae, in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam.*

Quamvis autem Christi Sponsa sit Ecclesia, tamen omnes illi, et soli illi ad Sponsam pertinent, qui sunt membra Ecclesiae non solum vera, sed etiam viva. Et quoniam membrum Ecclesiae principale, et eminentissimum est beatissima Virgo Maria, vere immaculata, et perfecta atque dilecta: ideo per antonomasiam ipsa Virgo sanctissima, inter omnia membra Ecclesiae, dicitur Sponsa, et amica, et columba. Dixi autem illos dici posse sponsas Christi, et columbas, qui sunt membra Ecclesiae, non solum vera, sed etiam viva: quoniam Christiani illi, qui fidem habent sine charitate, quique confitentur, se nosse Deum, factis autem negant; et qui nec puritatem cordis, nec foecunditatem operum, nec gemitum columbae habent: hi ad columbam non pertinent, nisi ut membra arentia, et mortua; vel, ut loquitur sanctus Augustinus, ad Ecclesiam pertinent, numero, non merito. Porro signum certissimum eorum, qui pertinent ad columbam, gemitus est, sic enim loquitur s. Augustinus: *Nihil tam amicum gemitibus, quam columba: die noctuque gemit.* et idem s. Augustinus lib. 3. de Baptismo contra Donatistas dicit, raptores, et avaros non pertinere ad columbam, sed ad accipitres; columbam enim gemere, non rapere.

Iam igitur si proprietas columbae est, non canere, non garrire, sed gemere, et frequentissime, ac pene assidue gemere: in quo numero illos ponemus, qui numquam gemunt in oratione ad Deum: quin potius gemitum istum horrent, et fugiunt: et si Psalmos legunt, voce psallunt, non mente; et si orant, lingua orant, non corde: semper aurem canunt, vel garriunt, id est, voluptatibus seculi dediti, totos se hilaritati, et ludis, ac iocis, comessationibus, venationibus, spectaculis impendunt? Quae pars istis cum columba, Sponsa Christi? cum corvis potius partem habebunt. Sed illud est hoc loco non praetereundum, ad eorum consolationem, qui gratiam abundantium lacrymarum non habent, quod columba non largo fletu terram rigat, sed gemit, sic etiam in Ecclesia, quae per columbam significatur, non desunt, qui copiosas lacrymas fundere nequeunt, ut sanctus Athanasius docet in lib. de Virginitate, et usus fidelium idem confirmat. Ergo quicunque Christiani sumus, si non solo numero, sed etiam merito ad columbam pertinere desideramus, cum columba frequenter gemamus; nam si cum columba non gememus, ad columbam non pertinebimus: et si ad columbam non pertinebimus, neque ad Christum pertinebimus: et si ad Christum non pertinebimus, horreo dicere ad quem pertinebimus. Avertat Deus tantum malum a servis suis, quin potius det eis laborare usque ad mortem in gemitu suo, et ut oculi eorum vertantur in fontes lacrymarum, ut columbae adiuncti in terris, ad Sponsum columbae pervenire mereantur in caelis.

CAP. III.

De necessitate gemituum, ex doctrina Ecclesiastae.

Idem Salomon, qui Canticum Canticorum composuit in gratiam hominum perfectorum, qui cum Sponsa in amoribus Sponsi caelestis iugiter occupantur, scripsit etiam librum, qui inscribitur Ecclesiastes, in gratiam hominum imperfectorum, ut eos ab amore mundi, et omnis vanitatis averteret. Atque ut eis persuaderet, vera esse, quae scripsit, addidit in extremo libro haec verba: *Cum esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, et enarravit quae fecerat, et investigans composuit parabolas multas. Quae sivit verba utilia, et conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos.* Verba igitur, quae modo in medium proferemus, quamvis stultis hominibus incredibilia videantur, sunt tamen, Spiritu sancto attestante, rectissima, ac veritate plenissima. Sic igitur loquitur Concionator sapientissimus: *Dixit ego in corde meo, vadam, et affluam deliciis, et fruar bonis, et vidi, quod hoc quoque esset vanitas. Risum reputavi errorem: et gaudio dixi, quid frustra deciperis?* et infra: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii, in illa enim finis cunctorum admonetur hominum: et vivens cogitat quid futurum sit*, et infra: *Cor sapientium ubi tristitia est, et cor stultorum ubi laetitia.* Haec ille, qui non ex contemplatione, et meditatione sola, sed ex longo experimento loquitur: quippe, qui abundavit iis omnibus rebus, quae vulgo maximi fiunt, divitiis voluptatibus, honoribus, imperii maiestate. Quare sicut iure non credimus hominibus imperitis, et inexpertis, sic optimo iure Salomoni sapientissimo, et qui experimentum omnium rerum habuerat, fidem habere debemus. Ait igitur, vanitatem esse affluere deliciis, et frui temporalibus bonis. Et quamvis haec persuaderi vix possint hominibus huius mundi, qui columbae gemitum ignorant; tamen verissima sunt. Siquidem affluentia deliciarum modicam, et brevem delectationem corpori adfert, sed magna, et diuturna sollicitudine mentem replet, magnos etiam, et diuturnos saepe morbos generat: et, quod caput est, magnorum scelerum, et facinorum causa est, quae vel magno, et diuturno labore poenitentiae in hac vita expianda, vel in futura sempiternis suppliciis punienda erunt. Vere igitur scribit Ecclesiastes, affluentiam deliciarum vanitatem esse, id est, bonum apparens,

non verum ; vanum, non solidum ; quod videtur esse aliquid, cum nihil sit.

Ex qua sententia deducitur illa, quae sequitur: *Risum reputavi errorem, et gaudio dixi, quid frustra deciperis?* Risus opponitur luctui, et gaudium moerori: vere autem errant, qui rident cum flere deberent; et frustra decipiuntur, qui gaudent, cum tristari eos oporteret. Nec sine causa additur vox illa, *frustra*, quia sine ulla causa, vel utilitate se decipi sinunt, qui rident, et gaudent, cum tempus est gemendi, et flendi. In exilio sumus, in medio versamur hostium, per vallem lacrymarum iter facimus : unde igitur nobis ridendi potius, quam gemendi : et gaudendi, quam plorandi voluntas adest, nisi quia erramus, et decipimur?

Porro ex hac secunda Salomonis sententia recto ordine sequitur tertia : *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii.* Utilius videlicet est, ire ad domum, ubi mortuus homo cum moerore circunstantium iacet; et flere cum flentibus;tristari cum tristibus,quam ire ad domum convivii, ubi cum laetitia bibitur vinum, et cum voluptate comeduntur pinguia; et sic gaudere cum gaudentibus, et exultare cum exultantibus. Quis ista crederet, nisi a sapientissimo virorum omnium, imo ab ipso Spiritu sancto,qui veritatis Spiritus est, dicerentur? Et tamen Spiritum eundem habentibus credibilia facta sunt nimis ; iisque solis, qui ad columbam gementem non pertinent, et qui Spiritum huiusmodi non habent, non incredibilia solum, sed etiam falsa, et deridenda esse videntur. Sed mors hominis, et iudicium Dei cum advenerint: vera fuisse demonstrabunt, quae Salomon scripsit, non quae mundi amatores sibi finxerunt. Quod ipsum Salomon illis verbis significavit : *In illa enim* (in domo videlicet luctus) *finis cunctorum admonetur hominum : et vivens cogitat quid futurum sit*; id est, in domo luctus, ubi mortuus iacet, admonentur, qui ibi sunt, se quoque brevi esse morituros; et cogitare incipiunt, quid facto opus sit, ut non improvisa mors eis adveniat, neque antea rapiantur, quam Iudicem omnium Deum debita satisfactione placaverint.

Restat postrema sententia eiusdem Ecclesiastae quae ex tertia superiore dependet : *Cor*, inquit, *sapientium ubi tristitia est : cor stultorum ubi laetitia.* Sine dubitatione enim sapientes sunt,qui eligunt meliora; stulti, qui deteriora : praesertim si sapientes non verbo, et lingua, sed corde, et consilio, id est, re tota diligenter, et mature considerata, eligunt gemere, et tristari in hoc tempore, quod praeterit velut umbra,et in quo nihil est tutum, nihil stabile, nihil a periculis, et tentationibus vacuum. Et contra vere stulti dici possunt, qui non repentino aliquo motu feruntur in res laetas; sed ex corde, et animi deliberatione, et certo consilio eligunt, totos se effundere in laetitiam, quasi bona temporalia cum tempore non transirent, et res caducae nunquam essent casurae.

Praeclare sanctus Augustinus. *Cui bene est*, inquit, *in hoc seculo, imo qui putat, quod bene ei sit, qui laetitia rerum carnalium,et abundantia temporalium, et vana felicitate exultat ; habet vocem corvi : vox enim corvi clamosa est, non gemebunda.Qui autem novit,in pressura se esse mortalitatis huius, et peregrinari se a Domino, nondum tenere illam perpetuam, quae nobis promissa est, beatitudinem: qui haec novit, gemit, et quamdiu propter haec gemit, bene gemit.* Haec sanctus Augustinus,qui Salomonem imitatus rectissime, postquam dixerat, *cui bene est in hoc seculo*, quasi corrigendo addidit, *imo, qui putat, quod ei bene sit.* Vere enim non bene illi est, qui laetitia rerum carnalium, et abundantia temporalium, et vana felicitate exultat; sed somniat sibi bene esse, et somno illo sopitus non videt veram paupertatem suam, neque advertit vera pericula, in quibus versatur: et ideo falsa imagine felicitatis delusus, non gemit, ut columba sapiens ad eum, qui potest ex omni periculo eruere, et veris divitiis cumulare; sed (ut Osee Propheta de Ephraim loquitur) *quasi columba seducta non habens cor, a gemitu cessat, et laqueis venatorum capitur.*

CAPUT IV.

De necessitate gemituum, ex Isaia Propheta.

Isaias Propheta praevidens gravia mala impendentia Urbi Hierosolymitanae, sic ea deplorat: *Recedite a me, amare flebo: nolite incumbere,ut consolemini me super vastitate filiae populi mei* et infra : *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, et ad planctum, ad calvitium et ad cingulum sacci. Et ecce gaudium et laetitia, occidere vitulos, et iugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum. Comedamus et bibamus: cras enim moriemur. Et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum: Si dimittetur iniquitas haec vobis,donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum.*

In his plangit Isaias ruinam populi sui, eo prorsus modo, quo Dominus videns civitatem eandem, flevit super illam, ut sanctus Lucas refert.Fuerunt autem eae sanctae lacrymae, videlicet ex fraterna, vel paterna potius charitate manantes. Atque, ut ostendant Isaias placere Domino lacrymas poenitentium, inducit Dominum ipsum invitantem populum ad fletum, et planctum, et ad calvitium, id est, rasuram capillorum, et cingulum sacci, quae erant signa poenitentiae. Sed quia populus contempsit divinam cohortationem ad fletum, et planctum, et contra potius dedit se laetitiae, et gaudio conviviis, et compotationibus, et more infidelium dixerunt: *Comedamus, et bibamus: cras enim moriemur*, iratus Deus iurat, hanc iniquitatem non esse illis dimittendam; sed omnes illos contemptores Dei, et Prophetae sui, miserrime morituros. Ex his manifeste colligitur necessitas lacrymarum: nam si populus imitari voluisset Prophetam Domini, ac deflere peccata propria, quomodo Isaias deflebat aliena: et si cohortationem Domini audivisset, qui invitabat ad lamenta poenitentiae, ne illos punire cogeretur: certe indulgentiam invenisset: non enim *vult Dominus mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, et vivat.*Quia ve-

ro contempsit populus exemplum Prophetae, et praeceptum Domini, de poenitentia cum lacrymis agenda: ideo captivus ductus est populus ille contumax, et civitas eversa, et destructa fuit. Utinam Christiani exemplo Hebraeorum saperent, et clamantibus assidue concionatoribus, ac praesertim temporibus solemnium ieiuniorum, lacrymis poenitentiae assuescere inciperent. Multa fortasse divina flagella tum singuli, tum universi effugerent. Sed plurimos esse videmus, et dolemus, qui si non verbo, certe factis dicere videntur, *Edamus, et bibamus, cras enim moriemur.* Et quod sibi ipsi pronunciant, in illud incidunt: non quod cum corpore extinguantur etiam animae.et sensus nullus reliquus sit, quod athei verbis illis significare solent, sed quod ii, qui voluptati edendi, et bibendi dant operam,et cum gaudio,et laetitia temporalibus bonis affluere, et in bonis dies suos ducere cupiunt, cum ieiunio, et lacrymis poenitentiae carnem affligere tempus admoneat: ii,inquam revera cras morientur, cum inopinata morte praeventi ad gehennam descendent, quae est mors secunda, quae finem nullum habebit.

Sanctus Hieronymus in Commentario ad hunc locum Isaiae Prophetae omisso literali sensu,verba Isaiae ad persecutionem haereticorum pertinere demonstrat. Et vere nulla est persecutio, ad quam verba illa magis aptentur, *Recedite a me, amare flebo: nolite incumbere, ut consolemini me super vastitate filiae populi mei.* Siquidem haeresis non destruit solum tectum, et parietes aedificii, sed fundamenta Ecclesiae penitus evertit.

Praevidit aliquando sanctus Antonius haeresim Arianam, atque ita persecutionem illam deflevit, ut ad vehementiam doloris illius nihil addi posse videatur, sic enim rem totam describit sanctus Athanasius in vita B.Antonii.*Lamentabilis*, inquit, *sequitur visio, et omni lacrymarum fonte plangenda, cum enim fratribus circa se sedentibus operaretur, intentos fixit oculos in caelum gemens atque suspirans, et post aliquantum spatium revelationis incoeptae,nimio dolore contremuit,et statim fixis genibus ante Dei vultum provolutus, oravit, ut clementia sua futurum scelus averteret. Succedunt orationi lacrymae: metus ingens invadit praesentes, obsecrant, ut tantae calamitatis exponat visionem, singultus occupant vocem, lingua fletibus praepeditur, et medio conatu sermo gemitu interrumpitur; vix tamen cum vociferatione ait, Melius erat, o filioli, impendens piaculum cita morte lucrari. Sic incipiens rursus lacrymis vincitur, et inter aegra suspiria, tandem pectori commodans vocem,Magnum,inquit,quoddam,et universis seculis inauditum imminet nefas: magno fides Catholica turbine subvertetur, et homines iumentis similes Christi sancta diripient. Vidi enim altare Domini mulorum circumdatum multitudine, qui crebris calcium ictibus omnia dissipabant. Visionem sequitur effectus: nam post annos duos saeva Arianorum irrupit insania*, haec ille. Non minorem persecutionem haereticorum nostra vidit aetas. Atque utinam aliquis Isaias, aut Antonius nobis lacrymas commodaret, quibus digne persecutionem tantam deflere possemus.

CAP. V.

De necessitate gemituum, ex Ieremia.

Ieremias Propheta in Threnis sic alloquitur, et exhortatur populum Israel: *Deduc quasi torrentem lacrymas per diem, et noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini. Leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.* Haec dixit Ieremias cum hortaretur populum ad seriam poenitentiam; quia Deum gravissime offenderant, et iam civitas Ierusalem ob peccata populi capta, et eversa erat a Rege Babylonis, et restabant adhuc septuaginta anni miserrimae captivitatis. Ut autem ostenderet ad seriam poenitentiam, et dignas preces, copiam lacrymarum, et frequentiam gemituum requiri, ita locutus est, ut nihil addi posse videatur ad rem hanc amplificandam. *Deduc*, inquit, *quasi torrentem lacrymas.*Non est contentus Propheta sanctus paucis lacrymarum guttulis, sed tantam copiam requirit,quantam aquarum copiam torrens violentus,et rapidus devolvere solet.Siquidem rivi aquarum tanto maiorem aquarum copiam secum trahunt,quanto velocius fluunt: torrentes autem prae omnibus rivis aquarum cursu rapidissimo fluere solent. Neque his contentus addit Propheta, *per diem, et noctem*, ut ostendat frequentiam, et perseverantiam lacrymarum esse necessariam. Torrentes enim magno impetu fluunt, sed cito siccantur. Quare Propheta his additis verbis significat, se torrentis affluentiam in lacrymis requirere, sed non brevem moram, quam torrens fluendo consumit. Quid est autem per diem, et noctem lacrymarum copiam fundere,nisi omni tempore in fletibus perseverare? Et quasi adhuc necessitatem lacrymarum non satis expressisset Ieremias,addit:*Non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.* Non tibi, inquit, somnus obrepat, non est nunc tempus quiescendi, dum gladium irae suae Dominus vibrat: non taceat pupilla oculi tui,clames assidue ad Deum, non lingua, sed oculis, non verbis sed lacrymis; ista enim est oratio,quae Deum placare solet. Et quoniam Propheta noverat non posse humanam fragilitatem totos dies,et totas noctes sine quiete transigere admonet nos, ut saltem maguam noctis partem, quae aptior est ad orandum, et fluendum, in precibus, et gemitibus consumamus. *Consurge*, inquit, *et lauda in nocte*, id est, posteaquam interdiu aliquantolum quieveris, consurge de nocte ad Dominum laudandum, et orandum. Consurge autem non in multa nocte, sed in principio vigiliarum, id est, in ipso noctis principio.Nox enim tota in quatuor vigilias more castrensi dividi solet, et singulae vigiliae tres horas complectuntur.Sic enim loquitur sanctus Hieronymus in commentario ad caput Matthaei quartumdecimum: *Stationes,et vigiliae militares in terna ho-*

rarum spatia dividuntur: quando ergo dicit, quarta vigilia noctis venisse ad eos Dominum, ostendit eos tota nocte periclitatos. Quid autem facere debeant, qui vigilant in laudibus, et gemitibus, adiungit Propheta cum ait: *Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini*, id est, effunde per apertam, et synceram confessionem omnia peccata, quae latent in corde tuo, ea facilitate, qua funditur aqua tota ex vase, ut nihil in eo remaneat: nunc enim tempus est misericordiae, si serio dolentes et flentes confiteamur peccata nostra. Sic exponit sanctus Ambrosius illud Psalmi 61. *Effundite coram illo corda vestra.*

Neque solum in nocte peccata confiteri, et flere debemus coram Domino, ut ea nobis remittat: sed etiam orare et gemere pro nostris proximis,qui fame pereunt, sic enim concludit Ieremias: *Leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.* Haec verba postrema non videntur accipi posse pro morte corporali parvulorum, qui in obsidione Hierosolymae perierunt, neque enim illi suffragiis orationum indigebant, et tamen hoc loco manifeste de oratione agitur, cum dicitur, *Leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum qui defecerunt in fame.* In Scripturis enim elevatio manuum ad orationem pertinet. Nam cum levaret manus Moses vincebat Israel, sin autem remisisset, superabat Amalech, et in Psalmis dicitur: *In noctibus extollite manus vestras in Sancta, et benedicite Dominum*, et rursus: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Apostolus quoque in priore ad Timotheum: *Levantes puras manus.*

Recte igitur s. Hieronymus, vel quicumque est auctor Commentariorum in Threnos, sub nomine s. Hieronymi, per *parvulos*,hoc loco intelligit homines rudes, qui fame verbi Dei moriebantur in capitibus omnium compitorum, numquam enim maior fuit penuria panis caelestis in populo Dei, quam tempore excidii Hierosolymitani, et Babylonicae captivitatis.Tunc enim et Reges erant impii, et Sacerdotes perversi, et usque adeo imperiti, ut vix tunc liber legis inveniretur, et populus adeo excaecatus, ut Prophetas, qui soli eis praedicabant, occiderent. Nam et Ieremiam,et Ezechielem eo tempore interfecerunt. Merito ergo Ieremias hortatur populum Dei, ut elevatis manibus Deum in noctibus exoret pro parvulis,qui fame verbi Dei passim in capite omnium compitorum, id est, palam, et publice moriebantur.

Iam vero si haec ad tempora nostra applicare voluerimus,fortasse non minorem lacrymarum necessitatem inveniemus.Tanta est enim etiam nunc multitudo pereuntium ex fame verbi Dei,ut incredibile sit. Nam exceptis civitatibus Catholicis, ubi est copia verbi Dei, in reliquo mundo, vel distribuitur panis corruptus, ut apud haereticos, vel nullus, ut apud Paganorum permultos.

CAP. VI.

De necessitate gemituum, ex Propheta Ezechiele.

Ezechiel Propheta describit visionem quandam suam prorsus horribilem, quae si non persuadet hominibus gemitum et ploratum, non video, quid sit, quod rem hanc persuadere queat: *Et dixit*, inquit, *Dominus ad eum, Transi per mediam civitatem in medio Ierusalem, et signa Thau super frontes virorum gementium.et dolentium super cunctis abominationibus, quae fiunt in medio eius. Et illis* (ministris irae Dei) *dixit, Transite per civitatem, et percutite: non parcat oculus vester, neque misereamini senem.adolescentulum, et virginem, parvulum, et mulierem interficite,usque ad internecionem. Omnem autem super quem videritis Thau, ne occidatis, et a Sanctuario meo incipite.* Haec visio manifeste significat, ex populo Dei solos, et omnes eos esse salvandos, qui gerunt in fronte signum Thau: solos autem eos signum Thau gerere, qui gemunt, et dolent super abominationibus quae fiunt in populo Dei. Porro signum Thau nihil est aliud, nisi signum Crucis. Nam, ut sanctus Hieronymus tradit in explicatione huius loci Ezechielis, litera Thau, quae est postrema Hebraici alphabeti, olim in antiquis literis habebat figuram Crucis; sed postea mutatae sunt per Esdram litterae, et ea causa est, cur non cernatur Crucis signum in literis Hebraicis, quas non habemus. Cernebatur tamen tempore sancti Hieronymi, ut ipse fatetur, in literis, quibus utebantur Samaritani, apud quos antiquae literae remanserant. Igitur Thau, de quo loquitur Ezechiel, qui Esdram praecessit, Crucis figuram sine dubitatione gestabat. Quid est autem signum Crucis in fronte gestare, nisi non erubescere Crucem Christi? illi vero non erubescunt Crucem Christi, qui diligunt humilitatem, patientiam, mansuetudinem; qui non ulciscuntur iniurias, sed reddunt bona pro malis,qui divitias contemnunt, paupertatem colunt, qui recumbunt in novissimo loco,qui denique non sunt de hoc mundo, sicut Christus non fuit de hoc mundo. Isti autem, quia columbae sunt, non corvi, gemunt assidue, clamant autem nunquam, Illi vero,qui non sunt in fronte signati, ac per hoc inter reprobos computantur, gemunt quidem, et dolent, non offensiones, et peccata, quae fiunt in Deum, sed offensiones, et detrimenta,quae ipsi tolerare coguntur. Non est illis curae, si quis ipsis audientibus Deum blasphemet, sed si quis convicium in ipsos iaciat, hoc dolent, et de hoc gemunt, hoc concoquere non valent, neque quiescunt, donec pro convicio alapam, aut vulnus reddiderint. Quid igitur mirum est, si isti inter Cruce signatos non inveniantur, et ab exterminatore percussi pereant in aeternum?

Ac, ut intelligeremus visionem hanc propheticam non ad Synagogam solum Hebraeorum, sed ad Ecclesiam quoque Christianorum pertinere, sanctus Ioannes in Apocalypsi vidisse se scribit, *Angelum ascendentem ab ortu Solis, habentem signum Dei vivi, qui clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terrae, et mari, dicens: Nolite nocere terrae, et mari, neque arboribus quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. Et audivi numerum signatorum,centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel*, et paulo

post addit: *Post haec vidi turbam magnam,quam dinumerare nemo poterat.ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis , et linguis . stantes ante thronum, amicti stolis albis,et palmae in manibus eorum. Et clamabant voce magna dicentes; Salus Deo nostro, qui sedet super thronum et Agno.* Isti videlicet sunt electi Dei, et signati signo Thau in frontibus eorum, partim ex Iudaeis, partim ex Gentibus. Sed electi ex Iudaeis pauci sunt, si conferantur ad electos ex Gentibus: ideo electi ex Iudaeis numerantur centum quadraginta quatuor millia; electi ex Gentibus dicuntur esse sine numero: non quod revera sine numero sint, cum et capilli eorum numerati sint apud Deum, ut Dominus loquitur apud sanctum Matthaeum;sed quod tanto plures sint isti , quam illi, ut prae illorum paucitate isti innumerabiles esse videantur.

Nemo autem existimet , ex eo quod electi ex Gentibus dicuntur numerari non posse, maiorem fore numerum electorum, quam reproborum. Nam erit quidem longe maior numerus electorum ex Gentibus , quam ex Hebraeis : sed omnino minor erit numerus electorum, sive ex Hebraeis,sive ex Gentibus , numero reproborum ; id quod vel ex hoc ipso loco colligi potest. Electi enim ex Hebraeis numerantur hoc loco centum quadraginta quatuor millia : qui numerus infinitis prope partibus minor est numero reproborum ex Hebraeis. Siquidem in libro Exodi, quando egressi sunt filii Israel de Aegypto, numerati sunt sexcenta fere millia peditum absque parvulis,sed et vulgus promiscuum innumerabile.Itaque si addamus ad sexcenta millia peditum mulieres , et parvulos , et turbam famulorum, et ancillarum innumerabilem, crescet numerus, ut minimum, ad mille millia hominum. Numerari postea David iussit omnes viros bellatores, qui tempore suo erant in Regno Israel, et inventi sunt mille millia, et trecenta millia militum: quibus si addas parvulos, et mulieres,erunt sine comparatione plures. Quibus si addas Hebraeos , qui fuerunt a temporibus Abrahami , et erunt usque ad mundi consummationem, invenies tam ingentem multitudinem , ut numerus centum quadraginta quatuor millium electorum , qui ponitur in Apocalypsi, non sit millesima pars multitudinis reproborum. Et quod diximus de numero Hebraeorum potest etiam dici, servata proportione, de numero Christianorum. Quod enim Dominus dicit apud Matthaeum et Lucam de via et porta angusta, quae ducit ad vitam, per quam pauci ingrediuntur : et de via , et porta lata , quae ducit ad perditionem, per quas ingrediuntur multi,commune est Hebraeis, et Christianis: nam qui Dominum interrogavit , an pauci sint , qui salvantur , non dixit, an pauci sint ex Hebraeis, sed simpliciter , an pauci sint , qui salvantur : et Dominus non respondit, arcta est via, quae ducit ad vitam, et pauci ex Hebraeis intrant per eam : sed absolute , et *pauci intrant per eam.* Quod ipsum ex Isaia confirmari potest, qui describens paucitatem eorum , qui in consummatione seculi salvi invenientur, utitur duabus similitudinibus vineae post vindemiam, et oleae excussae, quae omnino horrorem maximum incutiunt. Sic enim loquitur Isaias de consummatione mundi : *Ecce Deus dissipabit terram , et nudabit eam .* et infra : *Haec erunt in medio terrae . in medio populorum , quomodo si paucae olivae , quae remanserunt , excutiantur ex olea, et racemi,cum fuerit finita vindemia. Hi levabunt vocem suam. atque laudabunt cum glorificatus fuerit Dominus.* Itaque numerus reproborum similis erit multitudini olivarum, quae cadunt in terram.cum primum excutitur olea ; paucitas autem electorum similis erit paucitati olivarum,quae fugerunt manus excutientium , et remanserunt in summitate ramorum , quae postea separatim excutiuntur. Sic etiam multitudo reproborum comparabitur vindemiae,in qua multa implentur vasa ex racemis uvarum , qui a multis agricolis colliguntur : paucitas electorum comparabitur paucitati racemorum, qui post finitam vindemiam casu inveniuntur in vinea. Ideo pauci illi electi, cum incredibili gaudio levabunt vocem suam, atque laudabunt, cum ex condemnatione omnium impiorum glorificatus fuerit Dominus. Haec certe eiusmodi sunt, ut mirum non sit, si electi,et Cruce in frontibus signati, perpetuo gemant,et doleant, dum vident scelera, quae fiunt in terra,et considerant supplicia,quae scelestos expectant in gehenna.

Sed nolo illud praeterire , quod Ezechiel , vel Deus potius per Ezechielem, de Sacerdotibus dicit , *A Sanctuario meo incipite* : imperat enim Deus. ut qui scelestos punire debent, a malis Sacerdotibus incipiant. Nulli enim gravius in extremo Iudicio punientur , quam Principes Ecclesiarum qui alios omnes verbo , et exemplo praeire debuerunt. De qua re audi sanctum Gregorium in Homilia septimadecima : *Nullum puto , fratres charissimi, ab aliis, maius praeiudicium,quam a Sacerdotibus tolerat Deus ; quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit ; dare de se exempla pravitatis cernit : quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus ; nulla animarum lucra quaerimus , ad nostra quotidie studia vacamus : terrena concupiscimus , humanam gloriam intenta mente captamus.* Consideret Lector Homiliam totam, et simul consulat epistolam sancti Augustini ad Valerium Episcopum suum et s. Bernardi declamationem in illa verba, *Ecce nos reliquimus omnia* : et intelliget in quanto periculo versantur Sacerdotes mali. Sed si verba hominum sanctorum,quamvis doctissimorum, minus movent, audiamus Spiritum sanctum per Malachiam loquentem, et increpantem Sacerdotes : *Labia Sacerdotum custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore eius.quia Angelus Domini exercituum est. Vos autem recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege. Irritum fecistis pactum Levi. dicit Dominus exercituum: propter quod et ego dedi vos contemptibiles . et humiles omnibus populis , sicut non servastis vias meas. et accepistis faciem in lege.* Et si Dominus tam moleste ferebat negligentiam, et malos mores Sacerdotum veteris legis : certe multo magis indignabitur , et irascetur Sacerdotibus malis legis novae, quae sine ulla comparatione sanctior est lege veteri.

CAP. VII.

De necessitate gemituum, ex Ioele Propheta.

Sanctus Propheta Ioel praevidens,et praedicens multa mala , quae imminebant toti populo Israel, instar tubae terribilis vociferatur, et clamat, ut lacrymis et gemitibus tum Sacerdotes , tum populi Deum placare festinent. Ad populum sic loquitur: *Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suae. Periit sacrificium , et libamen de domo Domini.* Ad Sacerdotes autem, *Accingite*, inquit, *vos, et plangite, Sacerdotes : ululate ministri altaris : ingredimini, cubate in sacco ministri Dei mei, quoniam interiit de domo Dei vestri sacrificium,et libatio.* Et rursum ad omnes, *Canite* , inquit , *tuba in Sion, ululate in monte sancto meo: conturbentur omnes habitatores terrae, quia venit dies Domini, quia prope est dies tenebrarum, et caliginis, dies nubis, et turbinis.* Deinde inducit Deum cohortantem : *Convertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio,et in fletu, et in planctu.* Et infra : *Inter vestibulum et altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini , et dicent , Parce Domine , parce populo tuo.* Ista certe tam vehemens cohortatio ad lacrymas, magnum est argumentum , ad Deum placandum , et mala gravissima avertenda , et salutem aeternam impetrandam, non sufficere solas, et frigidas preces ; sed requiri saccum, et ieiunia, et praecipue calidas lacrymas ; gemitum cordis , et planctum vehementem.

Est autem illud hoc loco non leviter praetereundum quod cum multa damna spiritualia, et temporalia immineren populo Israel, tamen sollicitudo praecipua, non solum Sacerdotum, sed etiam populi, erat ad avertenda mala spiritualia, carentiam videlicet sacrificiorum divinorum, quibus honorari, et placari solet Deus. Nam cum in prima sententia dixisset Ioel ad plebem Iudaicam , *Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suae* : rationem reddens ait, *quia periit sacrificium, et libamen de domo Domini.* Sic etiam in secunda sententia, cum dixisset ad Sacerdotes, *Accingite vos , et plangite , Sacerdotes , ululate ministri altaris* : eandem rationem reddit , dicens, *quia periit de domo Domini vestri sacrificium , et libatio.* Ex quo intelligimus detrimenta temporalia non esse digna multis lacrymis cum res sint viles , et brevi periturae ; detrimenta autem spiritualia, praesertim peccata,quibus aeterna vita in periculum adducitur, iure esse omni lacrymarum fonte plangenda. Illud etiam in verbis Ioelis considerandum est, quod simul cum lacrymis adhiberi velit ad Deum placandum instrumenta , et opera poenitentiae , saccum, et ieiunium. Mirum enim est, quantopere placeant in oculis Dei saccus , et ieiunium lacrymantium , propterea quod haec sint verae poenitentiae signa. Id quod vel ex uno Ninivitarum exemplo demonstrari potest, sic enim legimus in libro Ionae Prophetae; *Et clamavit , et dixit in Ninive, ex ore Regis, et Principum eius dicens, Homines, et iumenta, et boves, et pecora non gustent quicquam: non pascantur, et aquam non bibant ; et operiantur saccis homines, et iumenta, et clament ad Dominum in fortitudine, et convertatur vir a via sua mala,et ab iniquitate, quae est in manibus eorum. Quis scit si convertatur, et ignoscat Deus, et revertatur a furore irae suae,et non peribimus? Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala; et misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit.* Illud denique in verbis Ioelis animadverto , requiri ab eo in poenitentibus fletum,non quemcumque, sed vehementem, et amarum, qualis esse solet sponsae, cum sponsum sibi charissimum, et prae omnibus rebus dilectum, mortuum ante se videt. Id enim significant illa verba , *Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suae.* Et tamen multi nostrum siccis oculis confitentur peccata gravia, et de sacco,et ieiunio ne cogitant quidem. Sed Deus non irridetur, et in iudicio extremo surgent Ninivitae, et Gentiles, et multos Christianos sine dubio condemnabunt. Atque haec de testimoniis veteris Testamenti.

CAP. VIII.

De necessitate gemituum, ex Evangelio SS. Matthaei, Lucae, et Ioannis.

In libris Evangeliorum invenimus inter beatitudines numerari ; *Beati, qui lugent, quia consolabuntur*, et, *Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis.* Ac ne putaremus haec verba pertinere ad consilium , addit s. Lucas: *Vae vobis , qui ridetis nunc, quia lugebitis, et flebitis.* Proinde quemadmodum necesse est hoc tempore non ridere , ne postea lugeamus : sic necesse est lugere, ut postea rideamus, et delectemur. Scriptum est enim in Apocalypsi. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Et a quorum oculis lacrymas Deus absterget, nisi ab iis, qui fleverunt, et luxerunt in hac lacrymarum valle? Et qui sunt illi, de quibus dicitur in eadem Apocalypsi : *Quantum glorificavit se,et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum*; nisi qui omisso poenitentiae luctu, totos se vitae huius deliciis, et iucunditatibus tradiderunt? Itaque necesse est in hoc exilio flere, si volumus in patria gaudere.

Sed exponamus Evangelica verba , *Beati, qui lugent.*Sanctus Augustinus in priore libro de sermone Domini in monte , exponit haec verba de luctu, quem capiunt ii, qui convertuntur ad Deum, de amissione charorum. Non enim possunt qui nondum perfecti sunt, non cum aliquo sensu doloris ferre separationem a parentibus, fratribus, et amicis. Sed alii sancti Patres, s. Hieronymus , et s. Io. Chrysostomus in Commentario ad caput quintum Matthaei, et s. Ambrosius in expositione capitis sexti Lucae, magno consensu tradunt,Christum Dominum loqui de luctu ob peccata, vel sua, vel aliena. Atque haec sententia censetur verior : nec tamen s. Augustini sententia reiicienda est , si recte intelligatur. Non enim vult s. Augustinus,

beatos dici a Christo eos, qui lugent absentiam charorum, hac solum ratione, quia dolent separationem a charis, atque coniunctis: sed quia malunt cum luctu separari a charis personis, quam separari a sequela Christi; ut in eo sit posita beatitudo, quod malint lugere charorum amissionem, quam Christum non sequi, vel a perfectione vitae retardari.

Alia tamen sententia, ut est communior, ita est clarior, atque facilior. Beati ergo qui lugent in hoc tempore ob scelerum detestationem, et Dei conditoris nostri, ac Patris amantissimi offensiones, vel ob desiderium aeternae vitae, vel aliis de causis ad amorem, vel timorem Domini pertinentibus: quia veniet tempus, quo in caelesti patria consolationibus maximis, et purissimis repleantur. Et vae illis, qui rident nunc, quia flebunt postea cum proiicientur in tenebras exteriores, ubi erit fletus, et stridor dentium. Neque vero tam severi sumus, ut existimemus non licere, vel non expedire servis Dei modestum, et brevem risum. Sed quod, Scripturam sequentes, dicimus, hoc est, non licere, neque expedire Christianis, sic se risui, et consolationi addicere, ut non meminerint se esse in valle lacrymarum, et temporibus suis in gemitum, et fletum, et planctum serio incumbant: tempus enim exultationis, et laetitiae in patria erit; tempus vero gemendi, et flendi nunc est, cum in exilio sumus, et inter hostes plurimos, et crudelissimos versamur.

Apostolus, et Evangelista Ioannes brevem sententiam Christi Salvatoris de necessitate gemendi protulit, sed quae longi sermonis vicem gerere possit. Sic enim loquitur: *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, et flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos vero contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora eius: cum autem peperit puerum, iam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis: iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Certe sententia haec si ab omnibus penetraretur, et ad cor omnium profunde descenderet, nemo esset, qui non toto tempore huius peregrinationis, dimissis oblectationibus cunctis, plorare, et flere, atque instar columbae dies, noctesque gemere delectaretur.

Principio in hoc distinguit Dominus discipulos suos a mundo, quod in hoc praesenti seculo discipuli plorant, mundus gaudet. Et quid interest inter discipulos Christi, et mundum? quod inter electos, et reprobos. Nam et Dominus dixit: *Pro eis rogo, non pro mundo.* Et Apostolus ad Corinthios: *Ne cum hoc mundo damnemur.* Quid ergo sequitur, nisi, ut qui cum discipulis plorat, ad sortem electorum pertineat, si tamen in fletu, et gemitu perseveret; et qui fletu a se excluso, cum mundo gaudere delectatur, cum hoc mundo damnetur, nisi prius de mundo exeat, quam de corpore? Addit postea Dominus: *Vos vero contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Ut videlicet, proposito praemio discipulos hortetur ad perseverandum in fletibus, dum vita praesens durat, cum certos illos redderet de futuro gaudio inenarrabili, et sempiterno, quod, ut paulo infra dixit, nemo tollere possit ab eis. Ac, ut eis demonstraret, tempus fletus fore brevissimum, tempus gaudii diuturnum, adducit similitudinem parturientis, quae cum venerit hora eius, tristitiam habet, *cum autem peperit puerum, iam non meminit pressurae, propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Tempus tristitiae, et fletus, horae comparatur propter brevitatem; *cum venerit*, inquit, *hora eius*; tempus gaudii comparatur annis integris, quia mulier tamdiu gaudet, quandiu proles vivit.

Aptissimam vero hanc similitudinem esse vel ex eo cognosci potest, quod officium Apostolorum, ut etiam aliorum Praelatorum Ecclesiae, est officium mulieris cum dolore parturientis, iuxta illud Apostoli: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Atque hoc est durior parturitio Praelatorum, quam foeminarum: quod istae semel parturiunt, illi saepius eumdem filium parturire coguntur. Cum quanto autem gemitu boni Praelati parturiant, demonstrat mulier illa de Apocalypsi, quae figuram gerens Ecclesiae, *clamabat parturiens, et cruciabatur, ut pareret.*

Denique quod haec omnia verissima sint, atque omnino serio dicantur a Domino, testantur verba illa, *Amen, amen dico vobis.* Considerabat enim Dominus, multos non facile credituros, necesse fore, ut electi gemant assidue, et utilius esse flere cum discipulis, quam gaudere cum mundo, et qui ad tempus cum discipulis plorant, aeternis gaudiis cumulandos; et qui ad tempus cum mundo gaudent, aeternis suppliciis cruciandos: ideo iuramentum addere voluit dicens: *Amen, amen dico vobis*; id est, in veritate, in veritate dico vobis, quod quasi iuramentum Christi sanctus Augustinus appellat. Utinam haec homines diligenter considerarent, et non paterentur tempus utilissimum sibi elabi de manibus, quo paucis lacrymis ingentia gaudia comparari possunt.

CAP. IX.

De necessitate gemituum, ex Apostolis Paulo, et Iacobo.

Apostolus Paulus in priore ad Corinthios gravissime reprehendit totam Ecclesiam Corinthiorum, quod non luxisset incestum unius Corinthii. *Auditur*, inquit, *inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ut uxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.* Tanta erat in prima illa nascente Ecclesia sollicitudo puritatis, ut vitia, praesertim ad luxuriam pertinentia, ne nominari quidem vellent inter Christianos. Sic enim loquitur idem Apostolus scribens Ephes. *Fornicatio*, inquit, *et omnis immunditia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos.* Cum igitur unus quidam ex Corinthiis in incestum cum noverca lapsus

esset, et hoc apud reliquos Christianos innotuisset, optabat Apostolus, ut tota Ecclesia peccatum illud publice lugeret. Quod quia facere neglexerunt, acriter illos reprehendit, et, ut ipse idem refert in epistola posteriore, non solum per literas eos graviter corripuit, sed multas lacrimas fudit, dum reprehensionem illam ad eos misit: *Ex multa*, inquit, *tribulatione, et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas.* Ait igitur: *Auditur inter vos fornicatio*, quasi dicat; Multa sunt in vobis reprehensione dignissima: ac primum istud est, quod nominemur inter vos fornicatio, et fornicatio iam istic perpetrata: cum tam procul ab hac immunditia abesse vos aequum fuerit, ut ipsum etiam nomen ignoraretis. *Et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Hoc est alterum peccatum, quod fornicatio istic perpetrata, non fuerit simplex fornicatio, sed fornicatio incestuosa, et apud ipsos etiam Gentiles inaudita. Quamvis enim olim apud varias gentes incestus non puniretur, tamen paulatim intelligere coeperant Gentiles, eam coniunctionem cum natura pugnare, et iam Apostoli temporibus, etiam apud gentes vix audiebatur. *Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis.* Hoc est peccatum tertium Corinthiorum, quod inflati superbia, ita contenderent inter se, ut occupati in dissensionibus suis, non cogitaverint de remedio tanto sceleri adhibendo: debuissent enim, tanto flagitio cognito, congregari in Ecclesiam negotiis aliis intermissis, et publicum luctum indicere, et communibus lacrymis misericordiam Domini implorare: et facinorosum illum; nisi mox resipisceret, de coetu suo eiicere. O quam longe recessimus ab Apostolica disciplina, et quam rara nunc est, quae olim frequentissima erat, gratia lacrymarum! Tunc uno peccante, totus populus Apostoli iussu ad fletum, et lamenta commovebatur: nunc multis peccantibus, vix invenitur, qui ob zelum honoris Dei, et perditionis animarum, lacrymas fundat.

Postremus testis ex divinis literis pro necessitate lacrymarum, sanctus Iacobus erit, eius sunt illa verba: *Miseri estote, et lugete, et plorate: risus vester in luctum convertatur, et gaudium in moerorem.* Alloquitur autem omnes homines, qui ad Ecclesiam Dei pertinent: nam, ut ipse dicit paulo superius, *In multis offendimus omnes*: cui consonat Coapostolus eius Ioannes: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* Admonet igitur omnes nos hic sanctissimus Doctor, ut miseri simus, hoc est, misericordia divina egentes nos esse intelligamus, et profiteamur; ac, ut misericordiam Domini in nos provocemus, non solum verbo et lingua clamemus ad Deum, sed lugeamus et ploremus: nec solum lugeamus et ploremus, sed risum in luctum convertamus, et gaudium in moerorem: parum enim prodest lugere et flere, si paulo post, arescente lacryma compunctionis, solvamur in risum, et seculari laetitiae nos tradamus. O quam longe absumus a doctrina Spiritus sancti. Ecce enim quanta audivimus de necessitate lacrymarum, si quis velit ad aeterna gaudia pervenire, ex libris a Deo ipso dictatis, et a sanctis Prophetis, et Apostolis sollicite, fideliterque conscriptis: et tamen plerique nostrum aures habent, et non audiunt, oculos habent et non vident, cor habent et non intelligunt. Deflent quidem inconsolabilibus lacrymis mortes charorum, aut iacturam pecuniarum, aut alia quaecunque temporalia detrimenta: quae cum spiritualibus comparata, levissima sunt. Quid enim mirum est si peritura intereunt, et si temporalia cum tempore transeunt? et si mortales moriuntur? At mortem animae, quae victura est in aeternum, et iacturam Regni caelestis, quod est maximum, et sempiternum, non deflere, imo non magnifacere, neque curare, nonne stuporis, vel amentiae argumentum est manifestum? Et tamen eiusmodi stupidorum, vel amentium, imo etiam caecorum, et surdorum, infinitus est numerus. Sed quando nos Scripturarum verba non movent, experiamur utrum saltem exempla nos moveant.

CAP. X.

De necessitate gemituum, ex Scripturarum exemplis.

In libris sanctis multa sunt exempla eorum, qui ad placandum Deum fletibus praecipue usi sunt. Ac primum occurrit exemplum totius Reipublicae Hebraeorum in libro iudicum. Siquidem Angelo Domini reprehendente peccata populi, elevaverunt omnes filii Israel voces pariter, et fleverunt. *Et vocatum est nomen loci illius, Locus flentium et lacrymarum.* Fuisse autem lacrymas illas ex corde fusas, et gratiam Domini impetrasse, docuit exitus nam post fletum illum *servierunt* filii Israel *Domino cunctis diebus Iosue, et seniorum, qui longo post eum vixerunt tempore.*

Istae igitur sunt lacrymae verae, et salutares, ad quas sequitur stabilis vitae mutatio.

Alius locus est huic similis in eodem libro iudicum, ubi sic legimus: *Omnes filii Israel venerunt in domum Dei, et sedentes flebant coram Domino: ieiunaveruntque die illo, et obtulerunt ei holocausta, et pacificas victimas.* En quam vetusta est Ecclesiae consuetudo placandi Deum lacrymis, et ieiuniis, et sacrificiis.

Deinde in libro primo Regum habemus exemplum sancti Prophetae Samuelis, qui Saulem Regem praevaricantem mandata Domini, et ab ipso Domino abiectum diutissime flevit: simul offensionem Dei, et periculum Saulis deplorans.

Tertio loco habemus exemplum David Regis, qui omni genere piarum lacrymarum copiosissime abundavit. Ac primum flevit amarissimis et copiosissimis lacrymis peccatum adulterii, et homicidii a se patrati. Sic enim loquitur ipse de se in Psalmo sexto: *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum; lacrymis meis stratum meum rigabo.* Singula verba pensanda sunt, ut, magnitudinem poenitentiae Davidis intelligamus. *Laboravi in gemitu meo.* Haec significant, tam longo tempore, et tam amaro gemitu pecca-

tum suum deflevisse Davidem, ut usque ad lassitudinem flendo, et gemendo laboraverit. Et tamen non contentus praeterito fletu, proponit adhuc pergere dicens, *Lavabo per singulas noctes lectum meum*.. Nox enim commodior est ad lacrymas coram Deo fundendas, quam dies, ob quietem communem, et negotiorum cessationem. Ego, inquit, vice somni,et quietis in noctibus singulis ubertim peccata deflebo. Notanda est autem vis verbi, *lavabo*: non enim lavari dicitur, quod una, vel altera gutta respergitur, sed quod ita largiter perfunditur aquis, ut a sordidibus eluatur.Adde quod sanctus Hieronymus ex Hebraeo recte transtulit, *Natare faciam lectum meum*; quo verbo copia lacrymarum maxima designatur. Quod idem significant verba sequentia: *Lacrymis meis stratum meum rigabo*. Rigare enim lacrymis stratum, nihil est aliud, nisi abundantia lacrymarum decurrentium instar rivorum stratum abluere. Notissimum igitur est, lacrymas primi generis, id est, poenitentiae, Davidi non defuisse. Nec solum peccata sua David flere solebat, sed etiam aliorum. Sic enim ipse ait: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam*: peccatores videlicet, ut exponunt Theodoretus, et Euthymius, de quibus etiam paulo post dicit: *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei*. Quod autem non defuerint eidem lacrymae secundi generis, id est, lacrymae amoris, et desiderii, testis est Psalmus trigesimus septimus, ubi sic loquitur David: *Domine ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus*, et apertius Psalmis quadragesimus primus, ubi leguntur haec verba: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrymae meae panes die, ac nocte,dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?* Quorum verborum hic sensus esse videtur: sustentabar lacrymis desiderii, quasi panibus, assidue gemens, et plorans, per dies, et noctes. Certe hoc exemplum Davidis speculum esse deberet omni generi hominum. Fuit enim hic vir homo doctissimus, et sapientissimus, ita ut libere dicere posset: *Super senes intellexi,et super omnes docentes me intellexi*. Proinde nemo potest lacrymas eius tribuere simplicitati; aut imperitiae. Fuit idem ipse vir secundum cor Dei, ut legimus in Actis Apostolorum concionante Paulo. Quare nemo potest suspicari, non placuisse Deo lacrymas eius. Denique fuit vir occupatissimus in Regno administrando, in bellis gerendis, et in familia propria, filiis, et famulis, uxoribus, et ancillis plenissima regenda, quales occupationes praetendi solent a plerisque hominibus, qui vivunt in seculo, et satis iuste excusari se posse arbitrantur, cur orationi,et compunctioni non vacent, et domum lacrymarum a Deo non petant. Sed in die Iudicii istos omnes condemnabit sanctus David, qui cum longe maioribus occupationibus non intermisit septies in die, et media nocte consurgere ad laudandum et orandum Deum et non frigide et aride, ut plerique facimus, sed cum gemitu, et lacrymis ardenti desiderio Deo serviendi. Et si Reges,et Principes seculi condemnabit, certe maiori ratione Episcopos et Presbyteros, Monachos, et Coenobitas idem ipse condemnabit.

Post Davidem sequitur Ieremias Propheta, qui cum sanctis lacrymis abundaret, et tamen iis satiari non posset, aiebat: *Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum et plorabo die.ac nocte?* Et paulo infra: *Deducant oculi nostri lacrymas et palpebrae nostrae defluant aquis*. Atque haec pauca ex Testamento veteri.

In novo Testamento Princeps gementium, et flentium est Christus Rex noster,de quo cum scriptum sit, quod sit ipsa Dei virtus, et sapientia, et quod sciret reprobare malum, et eligere bonum; mirum est, si quis inveniatur, qui affirmare audeat, melius esse ridere, quam flere: siquidem ipsum numquam risisse, saepe autem flevisse legimus. Exultavit quidem in Spiritu sancto aliquando laetitia spirituali perfusus, ob profectum discipulorum quia gemitus,et luctus spirituale gaudium non excludunt, quin potius finis lacrymarum sanctarum est pax et gaudium in Spiritu sancto. Itaque David post lacrymas poenitentiae cum magna fiducia loquitur, et dicit; *Auditui meo dabis gaudium,et laetitiam,et exultabunt ossa humiliata*. Flevit igitur Christus temporale excidium Hierosolymae, et perditionem aeternam multorum millium Hebraeorum, cum in die Palmarum videns civitatem, flevit super illam, ut scribit s. Lucas: Flevit etiam mortem Lazari amici sui, cum vidit Mariam Magdalenam plorantem, et Iudaeos plorantes, ut scribit s. Ioannes, nisi forte, ut aliqui pie meditantes affirmant.fleverit potius vitam eius mortalem, et laboribus, doloribusque variis obnoxiam,ad quam per resurrectionem reversurus erat ex limbo sanctorum Patrum,ubi quiescebat in pace, iuxta illud Simeonis: *Nunc dimittis servum tuum in pace*. Tertio flevit Dominus in horto cum Patri supplicaret, ut si fieri posset, transiret ab eo calix passionis.Quamvis enim Evangelistae non meminerint lacrymarum, tamen sudor sanguineus tam copiose effusus satis demonstrat, neque lacrymas defuisse.Quarto flevit in cruce, ut Apostoli Pauli verba illa testantur in epistola ad Hebraeos: *Qui in diebus carnis suae preces, supplicationesque ad eum qui posset illum salvum facere a morte, cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*. Loquitur enim Apostolus de illa Christi oratione, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*. hanc enim orationem Christus cum clamore valido emisit, dicente Evangelista Luca: *Et clamans voce magna Iesus ait, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*. Atque in hac oratione petiit liberari a morte, id est, erui a faucibus mortis, et restitui ad vitam per celerem resurrectionem. In qua petitione exauditus est pro sua reverentia, qua ipse Patrem reverebatur, sive qua ipse dignus erat ut ab omnibus afficeretur. Quamvis autem in Evangelio s. Luca nihil dicatur de lacrymis cum clamore coniunctis: tamen Apostolo Paulo fides habendae est, qui Evangelium totum ex ipsius Christi revelatione didicerat.

Sed praeter has lacrymas, omnino credibile est

cum Dominus quadraginta diebus in deserto mansit, sine dubio assidue orans; et cum frequentissime pernoctaret in oratione, ut Lucas testatur, cum ait: *Exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei*, et rursum alio loco: *Erat*, inquit, *diebus docens in templo, noctibus vero exiens morabatur in monte, qui vocatur Oliveti*. Credibile, inquam, est eas orationes cum gemitu inenarrabili coniungere solitum fuisse. Si enim Spiritus sanctus facit nos orare cum gemitibus inenarrabilibus, Apostolo teste in epistola ad Romanos: quanto magis Christus, qui spiritum non ad mensuram acceperat, et de cuius plenitudine nos omnes accepimus, et super quem spiritus in specie columbae ascendit, et super eum mansit, oravit in deserto et in montibus, gemitibus inenarrabilibus? Ergo cum Christus Magister, et Dominus noster aperte docuerit, *Beati, qui lugent: et vae vobis, qui ridetis*; et quod docuit fecerit, et quod mandavit impleverit: nostrum est, si discipuli obedientes et servi fideles sumus, a risu, et iocis, et mundi blanditiis, et deliciis abhorrere, et contra, pias lacrymas in hac lacrymarum valle diligere, in iis versari, et oblectari, easque a Deo, non sine interno gemitu postulare.

Christum secuta est imprimis s. Maria Magdalena (omitto enim B. Virginem Deiparam, non quod existimem, eam non flevisse assidue, sed quia lacrymae eius per Scripturam non innotuerint) haec enim cum primum resipiscere coepit, Christi pedes lacrymis poenitentiae lavit, et capillis suis tersit; idque in publico convivio, et multis praesentibus: quam enim non puduerat publice peccare, eamdam pudere non debuit publice poenitere. Tanta vero fuit vis lacrymarum illarum, ut continuo audire meruerit, *Remittuntur tibi peccata tua*. Neque solum remissa illi fuere peccata; sed ita in charitate confirmata, vel, ut Apostolus loquitur, fundata, et radicata fuit, ut postea iterum eiusdem Christi pedes lacrymis laverit, et capillis suis absterserit: non lacrymis amaris compunctionis, et doloris, sed lacrymis amoris dulcedine spirituali, et suavitate plenissimis; et rursum ad sepulchrum Christi viventis, lacrymis desiderii, tandiu fleverit, donec dilectum suum prima videre, et audire meruerit. O felices lacrymae, quae peccatricem in sanctam, ac pene innocentem repente mutare potuerunt, hinc enim postea Christo Agno immaculato, et Mariae Virgini purissimae, et Ioanni discipulo castitatis gratia super caeteros dilecto, individua comes semper inhaesit.

Sequitur s. Petrus, qui in passione Domini peccavit peccatum grande, non tamen ex malitia, ut Iudas proditor, sed partim ex nimia fragilitate, partim ex nimia confidentia virium suarum. Dixerat enim: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*: et tamen ad verbum ancillae dicentis, *Et tu cum Iesu Galilaeo eras*, ille negavit coram omnibus dicens: *Nescio quid dicis*, ac paulo post dicente alia ancilla, *Et Hic erat cum Iesu Nazareno*, iterum negavit cum iuramento, *quin non novi hominem*. Sed hoc peccatum tanto imbre lacrymarum diluit, ut ne quidem verbo ab ipso Domino postea reprehensus legatur. Nam (ut Evangelistae scribunt) *continuo resipiscens, flevit amare*.

Sancto Petro adiungendus est Coapostolus eius Paulus qui et ipse peccavit peccatum grande: nam Ecclesiam Dei persecutus est, et, ut idem ipse confitetur, non solum persecutor, sed etiam blasphemus, et contumeliosus fuit. Sed post conversionem, ubi abundavit de actu persecutionis superabundavit gratia lacrymarum, sic enim ipse, de se testatur in Actis Apostolorum: *Vos scitis a prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate, et lacrymis*: et infra: *Per triennium nocte et die non cessavi cum lacrymis, monens unumquemque vestrum*, et in posteriore ad Corinthios: *Scripsi vobis per multas lacrymas*. Itaque hic beatus Apostolus sive loqueretur ad Deum in oratione, lacrymas adhibebat ut audiretur; sive loqueretur ad homines in praedicatione, lacrymis potius, quam verbis persuadere nitebatur: sciebat enim, ac proprio experimento didicerat, tum apud Deum, tum apud homines, maximam esse potentiam lacrymarum.

Porro quae legimus in Scripturis de lacrymis principum Apostolorum, sine dubitatione etiam legeremus de reliquis Apostolis, si b. Lucas in Actis, aut aliquis alius auctor fidelis res gestas omnium Apostolorum scriptas reliquisset. Sed cum idem esset Magister Christus discipulorum omnium, et idem spiritus, qui postulat pro Sanctis, gemitibus inenarrabilibus, omnium corda inhabitaret, et omnes Apostoli essent principalia membra illius columbae, quae semper gemit; dubitare non possumus, quin Apostoli omnes, et omnes discipuli, denique Sancti omnes, qui ad columbam pertinent, dono lacrymarum praediti fuerint.

CAP. XI.

De necessitate gemituum, ex doctrina, et exemplis Sanctorum.

Addenda sunt iam testimonia, vel exempla sanctorum Patrum, qui doctrinam Scripturarum de necessitate gemituum libris suis, vel exemplis ad posteros transmiserunt. Et quidem quod attinet ad lacrymas poenitentium, habemus imprimis testimonium b. Cypriani Episcopi, et Martyris, qui in sermone de lapsis ita loquitur: *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Orare oportet impensius, et rogare: diem luctu transigere, vigiliis noctes, ac fletibus ducere: tempus omne lacrymis, et lamentationibus occupare, stratos solo adhaerere cineri, in cilicio volutari, et sordibus*. Qualis est hic praeco Dei? qualis concionator verae poenitentiae? Quid hoc tempore diceret, si cerneret homines peccatores sola confessione contentos, doctrinam gemituum penitus ignorare?

Sanctus Basilius in oratione in Iudictam, de gratiarum, actione: *Quando ob peccata fratrem lugentem vides*, inquit, *tu quoque misericordia motus simul luge*, et infra: *Ob peccatum uberes*

fluant lacrymae, nec singultus ex imo corde procedentes deficiant. Flebat Paulus inimicos Crucis Christi; Jeremias quoque super pereuntis peccata populi flebat: qui quoniam naturae lacrymae non satis erant, fontem lacrymarum quaerebat: tales igitur lacrymas, tales luctus verbum illud (Dei videlicet) collaudat.

Sanctus Ambrosius in libro ad Virginem lapsam, quam ad poenitentiam cohortatus, *Defluant*, inquit, *oculi lacrymas, qui masculum simpliciter non aspexerunt.*

Huius tempore Theodosius Imperator ab ipso s. Ambrosio ab Ecclesia electus ob crimen admissum, eximium exemplum poenitentiae toti Ecclesiae praebuit. Cum enim in excusationem criminis sui Davidem nominasset, qui cum Rex esset adulterio homicidium adiunxerat: audivit ab Ambrosio, *Qui sequutus es errantem, sequere poenitentem.* Ille igitur vere Christianus Imperator, sceptri, et purpurae oblitus, posteaquam multos menses facinus suum domi defleverat, ad Ecclesiam veniens coram omni populo, non stans, nec provolutus in genua, sed toto corpore prostratus, lacrymis terram rigabat, capillos vellebat, pectus feriebat, omnibus, quidem poterat modis, Deo et Ecclesiae satisfaciebat, haec apud Theodorum in historia Ecclesiastica legi possunt, qui etiam Theodoretus in Epitome divinorum decretorum de ratione poenitentiae agendae ita scribit: *Sunt*, inquit, *medicabilia etiam, quae post Baptismum fiunt vulnera; medicabilia autem, non ut olim* (in Baptismo) *per solam fidem remissione, sed per multas lacrymas, et fletus, et luctus, et ieiunium, et orationem, et laborem commissi peccati quantitati commensuratum: qui enim non sic affecti sunt eos nec admittere quidem didicimus. Atque has habet Ecclesia leges de poenitentia.* Haec Teodoretus, cui consonat sanctus Gregorius Nazianzenus in oratione secunda de Baptismo, cum ait: *Recipio poenitentes: sed si lacrymis rigatos videro.* O quam raros hoc nostro tempore Nazianzenus reciperet poenitentes!

Sanctus Gregorius Nyssenus in libro de vita Mosis. *Nec lacrymis*, inquit, *parcendum est: lacryma enim fidelis custos est eius, qui vitam instituit per virtutem.*

S. Athanasius in libro de Virginitate, sive de meditatione, prope finem. *Magna*, inquit, *vis est lacrymarum, et praeclara per eas fiunt*, et infra, *Plorat*, inquit *et lamentatur, ut vindicetur a diris poenis, atque iterum plorat, ut dignus fiat caelestium bonorum muneribus.* Eodem tempore vixit s. Antonius, cuius vitam idem ipse s. Athanasius scripsit; ac praeter caetera eius dona, virum lacrymarum fuisse demonstrat, ut supra dixi capite quarto, et infra dicemus, libro tertio extremo.

Sanctus Hieronymus in epistola ad Rusticum, multis Scripturarum testimoniis eum exhortatur ad lacrymas, et in epist. ad Sabinianum dicit se illum admonuisse, ut Dei misericordiam iugibus lacrymis imploraret. Et ipse de se in epist. ad Eustochium, de custodia Virginitatis, sic ait: *Post multas lacrymas, post caelo inhaerentes oculos, nonnunquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum.* In Epitaphio s. Paulae Romanae describens eius vitam, *In ea*, inquit, *crederes fontes lacrymarum, ita levia peccata plangebat, ut illam gravissimorum criminum crederes ream.* Denique in Epitaphio Fabiolae, posteaquam descripsit eius publicam poenitentiam, ita loquitur: *Quae peccata fletus iste non purget? quas inveteratas maculas haec lamenta non abluant?*

Sanctus Augustinus in lib. 8. Confessionum de se ipse scribit: *Ubi vero a fundo arcano alta consideratio contraxit, et congressit totam miseriam meam in conspectum cordis mei, oborta est procella ingens ferens ingentem imbrem lacrymarum*, et paulo post: *Ego sub quadam fici arbore stravi me, et dimisi habenas lacrymis et proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum*, et infra: *Dicebam haec, et flebam amorissima contritione cordis mei.* Et tamen hic beatissimus vir nondum baptizatus erat cum ita peccata sua defleret. Quid quaeso fecisset, si post lavacrum sanctum criminis alicuius reus fuisset? Quam multos Christianos baptizatos iste Catechumenus iudicabit? Vae nobis, qui post gratiam Baptismi peccata gravissima perpetramus, et lacrymas nullas fundimus. Scribit quoque Possidius in eius vita, in ultima aegritudine, voluisse sibi ante oculos collocari Psalmos Davidis, qui ad poenitentiam pertinent, eosque legere solitam, cum interim iugiter, et ubertim fleret; quamvis sanctissime vitam egisset. Hoc nimirum est sapere: hoc est cognoscere culparum magnitudinem, et medicinam morbo convenientem adhibere.

Sanctus Ioannes Chrysostomus hom. 6. in Matthaeum describens vitam hominis probi, quales erant primi Christiani. *Iste talis*, inquit, *ea, quae videntur cuncta despiciens, in compunctione continua perseverat, largo assidue fluens fonte lacrymarum, multamque hinc capiens voluptatem. Nihil quippe ita conglutinat, atque unit Deo, ut illae lacrymae, quas, et peccati dolor, et amor virtutum effundit.* Idem auctor in libro priore de compunctione cordis, prope extremo. *Et ideo*, inquit, *lugendum est, et ideo flendum, et per totam vitam plangendum, ut vel sic occupata in luctu, et lacrymis anima erubescat aliquando peccare.* Denique plenus est hic venerabilis Doctor in omnibus operibus, quae plurima sunt, encomiis lacrymarum.

S. Gregorius lib. 3. Dialogorum, *A Creatore*, inquit, *nostro cum magno gemitu quaerenda est lacrymarum gratia.* Idem beatissimus Pontifex in hom. 37. exemplum narrat s. Cassii Narniensis Episcopi, qui cum ad horam offerendi sacrificii venisset, velut totus in lacrymis defluens, semelipsum cum magna cordis contritione macerabat. Inde homiliam concludens ait: *Lavate ergo, fratres charissimi, lacrymis maculas peccatorum, eleemosynis tergite, hostiis expiate.*

S. Bernardus serm. 35. ex parvis, describit duos necessarios ad ambulandum in lege Domini: ac primum diem poni gemitum cordis. *Notandum*, inquit, *quod haec vita legis Domini consumma-*

tur sex diebus. Et prima quidem dicta est gemitus cordis, secunda, confessio oris, tertia, largitio propriae possessionis, quarta, labor corporis, quinta, abnegatio propriae voluntatis, sexta, contemptus mundi. Itaque nisi quis incipiat a gemitu cordis, id est, a vera conversione, et compunctione, frustra nititur ad maiora. Idem sermone sextodecimo in Cantica deplorans poenas gehennae, *Quis dabit*, inquit, *capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut praeveniam fletibus fletum, et stridorem dentium?* Et ibidem exhortans monachos suos ad fletum, *Et tu*, inquit, *in tua lamentatione Deum cogita factorem, cogita benefactorem: cogita patrem, cogita Dominum. Ad omnia reus es, plange per singula*, haec ille: quorum similia in omnibus Scriptoribus sacris inveniuntur: nec minus inveniuntur in omnibus Sanctis exempla gemituum, et lacrymarum.

CAP. XII.

De necessitate gemituum, ex auctoritate Ecclesiae.

Claudam hunc primum libellum auctoritate Ecclesiae universae. Ecclesia enim Catholica mater nostra in Hymnis sacris, quos decantari instituit in Officio divino, frequenter admonet, ut flendo, aut gemendo, Dominum deprecemur.

Feria tertia ad Laudes Matutinas in feriali Officio sic legimus:

Iesum clamus vocibus,
Flentes, precantes sobrie, etc.

Feria quarta ad Nocturnum in feriali Officio:

Preces gementes fundimus,
Dimitte quod peccavimus.

Feria quarta ad Laudes Matutinas:

Flendo, et canendo quaesumus.
Intende nostris sensibus.

Sabbato ad Nocturnum in feriali Officio:

Nostros pius cum canticis
Fletus benigne suscipe.

Dominica die ad Vesperas de Tempore:

Tetrum chaos illabitur:
Audi preces cum fletibus.

Feria tertia ad Vesperas feriales:

Munda virore gratiae,
Ut facta fletu diluat.

In Adventu Domini ad Laudes:

Omnes pro indulgentia,
Vocem demus cum lacrymis.

In Quadragesima ad Vesperas:

Audi benigne conditor,
Nostras preces cum fletibus.

In Quadragesima ad Officium Nocturnum:

Ploremus ante Iudicem,
Flectamus iram vindicem.

In Antiphona illa celebri, quae canitur post Laudes, et post Completorium, quae incipit, *Salve Regina*, sic legimus: *Ad te clamamus exules filii Evae, ad te suspiramus gementes, et flentes in hac lacrymarum valle.* Scio haec esse minuta, et omnibus nota: volui tamen ea consideranda proponere, et seorsim diligenter annotare: quia plurimi sic ea legunt, ut non videantur intelligere, vel cogitare quid legant; et dum se putant, Deum laudando, praemium promereri, iram in se divinam mentiendo provocant. Nam si verbis profitemur nos gemere, vel plorare, et interim corde arido verba illa sacra pronunciamus, fortasse etiam, quod absit, ridemus, aut inania cogitamus: nonne rei mendacii apud Deum sumus? Et quid nos impetraturos a Domino sperare possumus, si cum verbis non concordat affectus? merito reprehendit Propheta, vel potius Dominus per Prophetam, eos, qui labiis Deum honorant, cor autem ipsorum longe est a Deo. Sed maiore ratione nos reprehensione dignissimi sumus, si non facimus, quod nos facere dicimus, et alta voce pronunciamus, quasi Deus non sit praesens, aut non audiat, aut certe irrideri possit. Et ipsa Virgo sanctissima Deipara, quomodo feret, et quam grato animo exaudiet nos dicentes, *Ad te clamamus exules filii Evae, ad te suspiramus gementes, et flentes in hac lacrymarum valle*, si dum ista pronunciamus, neque filios infelicis Evae nos esse meminimus, neque suspiramus ad matrem misericordiae, neque gemimus, vel ploramus; sed alacriter, et gaudentes cantamus; neque de valle lacrymarum ad montem Dei ascendere desideramus, imo neque vallem lacrymarum cognoscimus, neque in exilio nos esse existimamus: et si possemus in terris semper vivere, fortasse numquam de caelesti patria cogitaremus?

Tu igitur Domine suavis, et mitis, et multae misericordiae omnibus invocantibus te, recordare quod pulvis sumus: medere languoribus nostris: flare incipiat Spiritus tuus, et fluant aquae: mitte ad nos Spiritum sanctum tuum, qui orare nos faciat gemitibus inenarrabilibus. Aut certe si iusto tuo iudicio, non adsunt nobis lacrymae oculorum, saltem non desint gemitus cordis. Et si ne hoc quidem beneficio tuo digni sumus; saltem non deficiat nobis amor gemituum, et desiderium lacrymarum.

DE

GEMITU COLUMBAE

SIVE DE BONO LACRYMARUM

LIBER SECUNDUS

CAP. I.

De primo fonte, qui est consideratio peccati.

Disseruimus libro superiore de necessitate lacrymarum : nunc de materia , ex qua nascuntur, sive de fontibus, unde profluunt lacrymae salutares , breviter disseremus. Fontes generales duo sunt, ut antea demonstravimus, malum, et bonum, sive tristitia, et gaudium, unde profluunt lacrymae amarae,et lacrymae dulces; sive lacrymae doloris, et lacrymae amoris , quae significatae sunt per fontes abyssi , et cataractas caeli , unde diluvium generale processit in diebus Noe ; et per irriguum inferius, et superius, quod Axa poposcit a Patre in libro Iosue. Sed duo isti fontes generales in duodecim dividuntur. qui significati videntur in libro Exodi per duodecim fontes aquarum , quos invenerunt in deserto filii Israel , cum primum per mare rubrum exierunt de Aegypto , ut ad terram promissionis proficiscerentur , Sic enim et Christiani,post Baptismum proficiscentes per desertum mundi ad patriam caelestem, duodecim istis fontibus necesse habent , ne ariditate deserti poenitus opprimantur.

Primus igitur fons est consideratio deformitatis peccati.Sunt autem tria veluti capita consideranda ut peccati deformitas penitus cognoscatur: primo peccatum ipsum: deinde peccatorum multitudo : denique quis ille, qui peccat, et quis ille in quem peccatur.

Quod ad primum attinet, peccatum est offensio Dei, et omnium rerum, quas fecit Deus: proinde quicumque peccat , inimicitiam sumit adversus Deum et adversus omnes res creatas. Cuius typum gessit Ismael, cuius *manus* erant *contra omnes, et manus omnium contra eum*, ut loquitur Moses in libro Geneseos. Hoc certe solum si attente cogitaretur, satis esse deberet , ut homo peccator horreret, nec auderet quocumque proposito praemio illud admittere. Et quidem quod omne peccatum lethale (nam de hoc loquimur) sit offensio Dei, ex definitione colligitur. Sic enim peccatum definit s. Augustinus, quem Theologi omnes sequuntur, *Dictum , vel factum , vel concupitum contra legem aeternam*. Est autem lex aeterna ipsa summa , et sempiterna ratio Dei , quae est ipse Deus: quamvis enim multae dicantur leges , naturales, positae, divinae, humanae, Ecclesiasticae , politicae : omnes tamen ab una aeterna Dei lege dependent. Ideo enim iusta est quaelibet lex quia conformis est aeternae legi, et ab illa derivatur, et est eius quasi quaedam adumbratio.Et ideo peccatum est , si filius non obediat parenti , vel servus domino. vel civis Magistratui , vel populus Principi, sive Ecclesiastico, sive politico; quia lex aeterna Dei iustum esse decernit, ut filii parentibus obediant, et servi dominis, et cives Magistratui, et populus Principi. Efficitur igitur , ut quicumque peccat, Deum offendat,atque ab obedientia Dei discedat; iugum eius excutiat ; adversus eum inimicitias gerat , et iustissimae eius vindictae subiiciatur. Id quod testatur Deus ipse per Ieremiam dicens homini peccatori; *A seculo confregisti iugum meum , rupisti vincula mea, dixisti: Non serviam* , et per Isaiam: *Transgressi sunt leges, mutaverunt ius,dissipaverunt foedus sempiternum: propter hoc maledictio vorabit terram*. Idem testantur supplicia , quia Deus afflixit ab initio Angelos praevaricatores , et primos parentes, et postea filios eorum per diluvium generale , et alias eiusmodi calamitates. Et denique idem testantur poenae sempiternae,quas Deus per Prophetas, et Apostolos in scripturis sanctis peccatoribus comminatur.

Neque solum Deum peccator offendit,sed omnes etiam Dei creaturas offendit, atque indignationem earum contra se provocat.Primum enim peccatum unius hominis offendit alios homines, quos exemplo suo ad malum invitat, et saepe corrumpit ; ut omittam peccata particularia , quibus unus homo alterum laedit,quae sunt innumerabilia.Deinde res alias corporales offendit , quas avertit a fine suo vero, et proprio, qui est Deus, et detorquet ad finem contrarium Deo.Creavit enim Deus elementa, plantas, animantia, et ipsa luminaria caeli, ut homini deservirent, et per obsequium homini exhibitum, ipsi Deo famularentur. Sed cum homo per peccatum a Deo avertitur, reliquae omnes creaturae, dum peccatori deserviunt, a Deo quodammodo avertuntur. Atque hoc est, quod Apostolus scribit in Epistola ad Romanos, cum ait: *Expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat: vanitati enim creatura subiecta est, non volens , sed propter eum , qui subiecit eam in spe, quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptio-*

nis in libertatem gloriae filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc. Quae omnia satis aperte demonstrant, res omnes creatas quodammodo aegre ferre et cruciari quod servire cogantur peccatoribus. Et propterea mirum non est, si in tempore novissimo facultate a Deo accepta, pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Praeterea offendit animas, quae in Purgatorio degunt, quia privat eas suffragiis, quibus refrigerari possent, si homo iustus esset. Item offendit Angelos sanctos, et animas beatas, quibus non minus displicet peccatum novum, quam placet nova conversio peccatorum : *Gaudium enim est in caelo super uno peccatore poenitentiam agente.* Offendit etiam (quod admirabile est) ipsam gehennam: quo enim magis crescit multitudo impiorum, eo crescit etiam magis supplicium ipsorum. Haec enim causa est, cur dives epulo ab Abrahamo petierit, ut mitteret Lazarum ad fratres suos, ut testaretur eis, ne et ipsi descenderent ad locum tormentorum : non enim ex charitate id petere potuit homo reprobus, sed ex amore proprio petiit, ne ex praesentia fratrum dolor ipsius cresceret. Denique offendit ipse se omnis, qui peccat, quoniam spoliat animam suam gratia Dei, ex qua remanet caecus, et nudus, et pauper et miser, et miserabilis, quamvis ex interna mentis caecitate, sibi dives, et locupletatus, et nullius egere sibi videatur, ut dicitur in Apocalypsi. En igitur quanta sit, et quam lacrymabilis deformitas, et crudelitas, et malitia venata peccati.

Vere scribit s. Io. Chrysost. neminem laedi, nisi a se ipso, quoniam omne malum, quod extrinsecus advenit, sive ab hostibus, sive ab elementis, sive a morbis, sive a diabolo, omnia cooperantur in bonum, si peccatum absit, nam cum peccatum abest, Deus adest, et, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* At cum quis animam suam peccati veneno interficit, simul omnia pereunt bona, et irruit in hominem innumerabilis turba malorum. Quare si peccator ista consideraret, vix fieri posset, quin totus verteretur in lacrymas. Sed quoniam potest homo se ipsum occidere per peccatum, sed non potest ipse se vivificare per gratiam, clamet saepe dum vivit, *Illumina Domine oculos meos, ne unquam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus, praevalui adversus eum.* Et si forte in morte iam obdormierit, et ex magna misericordia Dei, clamantem spiritum intus in corde audierit, *Surge qui dormis, et exurge a mortuis et illuminabit te Christus;* caveat, ne sinat obdurari cor suum, sed audiat vocantem a morte ad vitam: non enim gratiam vocationis donaret, nisi et vitam donare disponeret. Sequatur igitur praevenientem, ambulet cum comitante, laboret in gemitu suo, lavet per singulas noctes lectum suum: sic enim tandem respirabit in misericordiis Domini, et cantabit in viis eius, *Quia magna est gloria Domini.*

Veniamus nunc ad multitudinem peccatorum, quod erat alterum caput. Profecto si quis mentem convertat ad multitudinem peccatorum, quae ab unoquoque nostrum quotidie perpetrantur, obstupescet omnino, et horrebit. Prophela David clamat, et dicit: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.* Quasi dicere vellet, tot esse nostra delicta, ut numerari non possint: praesertim cum multa sint nobis occulta, quae oculos Dei non fugiunt, quamvis oculos nostros fugiant. Hinc beatus Apostolus etiam clamat: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum : qui enim iudicat me, Dominus est,* qui multa fortasse deprehendet, et reprehendet in me, quae ego non reprehendo, quia non deprehendo. Quis sapiens hanc tantam miseriam non vehementer deploret? Sed Prophela David pergit ad maiora, quippe qui divina luce illustratus, multa videbat, quae nostris tenebris valde minuta, aut etiam nulla esse videntur. Sic enim loquitur in alio Psalmo: *Iniquitates meae supergressae sunt caput meum, et sicut onus grave gravatae sunt super me.* Quorum verborum haec videtur esse sententia. Iniquitates meae multae sunt, et magnae; et quidem tam multae, ut me totum obruant, et super caput meum exaltentur: quo modo cum quis immersus in aquis undique aquis obruitur. Nec solum iniquitates meae undique me operiunt multitudine sua, sed etiam mole sua ita me gravant, ut importabiles mihi esse videantur. Haec videbat David, et ideo lavabat per singulas noctes lectum suum : nos ne minimam quidem partem peccatorum nostrorum cognoscimus, et ideo peccata nostra corde arido tum ipsi Deo, tum Sacerdotibus confitemur. Atque huius rei causa est, quia peccatorum multitudinem, et gravitatem pauci sunt, qui in statera seriae considerationis appendant.

Sed audiamus quid Apostoli de multitudine delictorum dicant. S. Ioannes in epistola sua: *Si dixerimus*, inquit, *quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*, et non dixit, *non habuimus*, sed, *non habemus*; ut ostendat, etiam in illa summa vitae perfectione, peccatum in se agnoscere. Et s. Iacobus adhuc clarius: *In multis offendimus omnes.* O nos vere caecos, et miseros, quis delicta nostra numerabit, si Apostoli, post acceptum Spiritum sanctum, et illo copioso imbre mundati, non mentiuntur, cum dicunt. *In multis offendimus omnes?* Et si *septies in die cadit iustus* ut Sapiens loquitur, quoties cadent iniusti, et imperfecti? nonne saltem septuagies septies?

Haec sane consideratio ita me terret, et confundit, ut videar mihi semper in luto et sordibus volutari, vel certe inter spinas, et tribulos sic ambulare, ut punctiones frequentes evitare non possim. Unde illud Isaiae mihi, et mei similibus convenienter aptari censeam: *A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas.* Et fieri poterit ut quis haec vulnera, has sordes, haec innumerabilia delicta verborum, operum, cogitationum, omissionum attente consideret, et non amarissime fleat? Fateor, mihi Virginem Deiparam ea de causa, praeter alia dona valde admirabilem videri, quod immaculata semper ambulaverit in via lutosa huius vitae, et intacta inter spinas huius deserti, et hanc eius gloriam inter illa magna numerandam imprimis esse, de quibus ipsa cecinit, *Fecit mihi magna, qui potens est.* Sed si privilegium Deiparae est, omni peccato carere, et ad culpas

abluendas lacrymis non indigere: nos tamen eniti debemus, ut ad eius puritatem quam vicinissime propinquemus. Id vero tunc facimus,cum per Dei gratiam, et eiusdem Virginis intercessionem, peccata cavemus, et culpas admissas primo quoque tempore lacrymis abluere festinamus.

Restat caput postremum, de comparatione hominis cum Deo: haec enim comparatio,si,ut oportet, distituatur, satis efficax esse poterit ad flumen lacrymarum de petra durissima cordis humani eliciendum.Quid igitur est Deus, quem homo peccator offendit? et quid est homo, a quo Deus immortalis offenditur? Deus est res quaedam ex se sufficiens, et nullius egens, iuxta illud Prophetae, *Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges.* Homo est res nihil omnino ex se habens, et omnium bonorum egens. Quale igitur monstrum est, si quod est ex se nihil, et mendicare cogitur a Deo, fonte omnium bonorum, omnia sibi necessaria;erigat manus,ut pugnet contra ipsum Deum? Quid est Deus, et quid est homo? Deus est Rex seculorum, qui semper fuit, et semper erit, et qui idem semper est, et anni eius non deficiunt, homo est vapor ad modicum parens, qui paulo ante non erat, et paulo post non erit, et nunc esse momentaneum possidet. Quomodo igitur audet homo tam fragilis Deum, qui solus habet immortalitatem ad iracundiam provocare? Quid est Deus, et quid est homo? Deus est omnipotens, apud quem nihil est impossibile, et cui nemo resistere potest: homo est vermiculus terrae, subiectus vestigiis Dei, a quo si paululum comprimatur, extinguitur. Et unde igitur tam ingens superbia huic vermiculo, ut Deum offendere non pertimeseat?Quid est Deus et quid est homo? Deus est solus sapiens, quem nulla latet cogitatio, et qui scrutatur renes, et corda. Sed cogitationes hominum timidae sunt, et incertae providentiae nostrae. Cur igitur homo tantum confidit in astutia sua, ut speret, se fallere posse omnia videntem,et omnia scrutantem Deum? Ac, ut multa praeteream, quid est Deus, et quid est homo? Deus est pater amantissimus, et beneficentissimus, qui si tolleret ab homine quae in eo posuit; nudus omnino remaneret homo, et ad nihilum plane redigeretur. Et fieri potest, ut patris tam boni reperiatur filius tam malus, qui patrem ipsum, si posset, occideret? Et tamen vere reperiuntur blasphemi, et rabidi homines, qui Deum de caelo detraherent, et conculcarent, et ad nihilum, si possent, omnino redigerent. Denique,quid est Deus, quid est homo? Deus est verus, et naturalis Dominus omnis creaturae, homo est verus, et naturalis servus Creatoris sui; et tamen invenientur tam iusti Domini tam rebelles servi, ut contra omnem naturae ordinem ab illo deficere, et creaturam in eius locum exaltare contendant? Sed verbis s.Bernardi totum hunc locum claudere volo: *Cogita*, inquit, *Patrem, cogita Dominum, ad omnia reus es: plange per singula. Ipse quidem patrem se exhibuit mihi:sed non ego me illi vicissim filium. Quanam fronte attollo iam oculos ad vultum patris tam boni,tam malus filius? Pudet indigna gessisse genere meo: pudet tanto patri vixisse degenerem. Exitum aquarum deducite oculi mei,operiat confusio faciem meam. Deficiat in dolore anima mea, et anni mei in gemitibus.* et infra: *Esto*, inquit, *quod dissimulet Pater, ignoscat beneficus: sed non Dominus et Creator. Et qui parcit filio,non parcet figmento, non parcet servo nequam. Pensa cuius sit formidinis, et horroris, tuum atque omnium contempsisse factorem, offendisse Dominum maiestatis. Maiestatis est timeri et Domini est timeri, et maxime huius maiestatis, et huius Domini. Nam si reum Regiae maiestatis, quamvis humanae, humanis legibus plecti capite sancitum est: quis finis contemnentium divinam omnipotentiam erit? Tangit montes, et fumigant: et tam tremendam maiestatem audet irritare vilis pulviculus, uno levi flatu mox dispergendus,et mirime recolligendus? Ille, ille timendus est, qui postquam occiderit corpus potestatem habet mittere in gehennam.* Haec sanctus Bernardus, cui socium adiungere placet sanctum Ioann.Chrysost. qui in libro posteriore de compunctione cordis, hortatur fideles omnes, ut non contenti sint semel deflevisse peccata: sed in corde tamquam in libro descripta gerant omnia delicta sua, maiora, et minora; et saepe saepius ea relegant, et lacrymis compunctionis lavare curent, imitantes sanctum illum Regem, qui dicebat: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae.*

CAP. II.

De secundo fonte lacrymarum, qui est consideratio gehennae.

Consideravimus malum culpae, nunc malum poenae considerare aggredimur: haec enim consideratio secundus fons lacrymarum dici potest. Quamvis autem timor,et dolor poenae minus perfectus sit, quam timor, et dolor culpae; tamen uterque bonus, atque utilissimus est, ex uno fit gradus ad alterum.Certe Dominus et Magister noster Christus disertis verbis ait:*Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, et post haec non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit,habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.* Et rursus de fletu, ad pias foeminas, quae sequebantur eum cum lacrymis ad montem Calvariae, ut ibi crucifigeretur, ait: *Filiae Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros, quoniam ecce venient dies, in quibus dicent, Beatae steriles, et ventres, qui non genuerunt, et ubera, quae non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos; et collibus, operite nos: quia si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet?* Non aegre tulit Dominus, neque prohibuit officium pietatis, quo foeminae illae passionem eius deflebant, sed indicare voluit, maiorem lugendi causam habere eas,quae genuerunt filios reprobos, quales erant plerique eorum, qui publice clamaverunt, *Tolle, tolle crucifige eum et Sanguis eius super nos, et super filios nostros:* isti enim dicturi sunt in die iudicii mon-

tibus, *Cadite super nos, et collibus, cooperite nos.* nam *si in ligno viridi*, hoc est, in Christo virente, et florente omni genere virtutis, propter aliena peccata, ignis passionis ita exarsit; *quid fiet in arido*, id est, in hominibus reprobis, in quibus omnis humor charitatis exaruit?

Ad haec duo loca Scripturae, in quibus laudatur, vel imperatur a Christo timor, et fletus, ad effugienda gehennae supplicia, addamus loca duo ex Patribus. S. Basilius oratione in psalm. 33 explicans illud, *Timorem Domini docebo vos. Cogita*, inquit, *profundum barathrum, inextricabiles tenebras, ignem carentem splendore, urendi quidem vim habentem, sed privatum splendore: deinde vermium genus, venenum immittens, ac carnem vorans, inexplebiliter edens, neque unquam saturitatem sentiens, intolerabiles dolores corrosione ipsa infigens. Postremo, quod est omnium gravissimum, opprobrium illud, et confusionem sempiternam. Hoc time, et hoc timore correptus, animam a peccatorum concupiscentia tanquam fraeno quodam reprime. Hunc timorem Domini se docturum Propheta promisit*, haec Basilius. Audiamus nunc sanctum Bernardum: hic sermone sextodecimo in Cantica, sic loquitur: *Ut paveo*, inquit, *gehennam, contremisco a dentibus bestiae infernalis, a ventre inferi, a rugientibus praeparatis ad escam horreo vermem rodentem, et ignem torrentem; fumum, et vaporem et sulphur, et spiritum procellarum: horreo tenebras exteriores. Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum, ut praeveniam fletibus fletum, et stridorem dentium?* At certe Basilius, et Bernardus, Graecus unus, Latinus alter, non erant peccatores, neque insipientes qui solo timore cessarent a peccatis; sed viri perfecti, docti, graves, qui alios docere possent, et re ipsa non populos tantum, sed etiam Clericos et Monachos instituebant, et ad perfectionis regulam informabant; et tamen timorem, et fletum gehennae causa, non solum admittunt aut permittunt; sed etiam laudant; et ad timorem concipiendum, atque ad lacrymas fundendas omnes hortantur.

Hoc igitur iacto fundamento, ostendamus breviter, quae et qualia sint gehennae supplicia. Et quoniam nolumus per res dubias, aut incertas vagari, ne videamur vana terriculamenta quaerere, quibus ab oculis simplicium lacrymas excutiamus ea solum adferemus in medium, quae in Scripturis sanctis perspicue luculenterque traduntur. Igitur octo tormentorum genera leguntur in libro Dei quae ad gehennam pertinent. Privatio beatitudinis aeternae, quae a Theologis dicitur poena damni: tenebrae, ignis, vermis, immobilitas, societas daemonum, ex quibus in damnatis sequitur fletus, et stridor dentium, quae dicuntur poenae sensus; atque horum omnium veluti condimentum amarissimum, sempiterna duratio.

Prima igitur est poena damni, aberratio ab ultimo fine, carentia visionis Dei, exilium sempiternum a caelesti patria, amissio iuris haereditarii ad regnum caelorum, denique iactura bonorum omnium in omnia secula seculorum. An haec sola nomina sufficere non deberent ad excutiendas lacrymas a cordibus lapideis? Sed ubi leguntur haec in libro Dei? Audi Regem caelorum in ultimo iudicio sententiam proferentem: *Ite maledicti; venite benedicti.* Illud reprobis dicitur, hoc dicitur electis. Audi eumdem: *Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quaerent intrare, et non poterunt. Cum autem intraverit paterfamilias, et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ostium, dicentes: Domine, aperi nobis: et respondens dicet vobis: Nescio vos unde sitis, discedite a me omnes operarii iniquitatis.* Audi Prophetam Isaiam: *Misereamur impio, et non discet iustitiam: in terra Sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Dei.* Denique si solis mundis corde promittitur visio Dei, dicente Domino, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: certe immundi corde, quales erunt omnes reprobi, Deum numquam videbunt. Neque solum Deum non videbunt, sed neque, civitatem Dei, quae est superna Ierusalem, ubi sunt omnes boni, et omnia bona, unquam videbunt, dicente Sancto Ioanne in Apocalypsi: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, et mendacium.* Et rursus. *Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitae, et per portas intrent in civitatem. Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidae, et idolis servientes, et omnis, qui amat, et facit mendacium.* Porro poenam hanc damni non magni faciunt, qui capti amore rerum temporalium, non gustaverunt bona caelestia; sed qui habent oculos mentis erectos, et puros, et vel modicum caelestia gustaverunt, poenam damni longe graviorem, et acerbiorem omnibus suppliciis, atque tormentis corporalibus esse non dubitant. Audi sanctum Ioannem Chrysostomum: *Qui*, inquit, *in gehenna uritur, et caelorum regnum prorsus amittit, quae poena certe maior est quam cruciatus ille flammarum. Novi autem, quia plurimi pertimescunt gehennam: ego tamen illius gloriae amissionem multo amarius, quam ipsius gehennae dico esse supplicium. Si vero id non possum sermone monstrare, nihil est omnino mirandum. Neque enim novimus illorum beatitudinem praemiorum, ut infelicitatem quoque de eorum amissione scire possimus. Nos autem hanc absque dubio discemus, cum experimento coeperimus edoceri. Itaque tunc aperientur oculi, tunc auferetur velamen, tunc cum ingenti dolore impii videbunt, quid inter bonum aeternum, et summum, et haec caduca, et fragilia discriminis sit*, haec ille. Itaque interim dum non possumus experimento discere, quanto intervallo superet amissio beatitudinis supplicia corporalia, credamus testimonio tanti viri; et cum certo experimento didicerimus, ustionem carnis rem esse plane intolerabilem; prudenter colligamus, amissionem felicitatis aeternae, rem esse, si sic loqui licet, plusquam intolerabilem. Et ideo dum tempus est acceptabile, et dum pretio lacrymarum amissio illa redimi potest, non parcamus utilibus lacrymis ne postea eam amissionem inutiliter deploremus,

Altera poena gehennae, tenebrae sunt exterio-

res : sic enim legimus in Evangelio : *Filii autem Regni eiicientur in tenebras exteriores*, et rursus, de eo, qui inventus est sine veste nuptiali, id est, absque vera charitate : *Mittite eum in tenebras exteriores*, et de servo, qui non multiplicavit talenta : *Inutilem servum eiicite in tenebras exteriores*. Quod idem videtur significare voluisse Iob, cum locum damnatorum vocat *terram miseriae et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*. Et ratio ipsa idem persuadere potest, cum locus reproborum sit in centro terrae, loco videlicet longissime remoto a sedibus Beatorum, qui dicitur in Scripturis infernus inferior, et cor terrae et abyssus. Iste enim locus cum sit infra superficiem terrae ad aliquot millia milliariorum, sine dubio non penetratur a Sole, neque lumen ullum admittit, aut Lunae,aut stellarum. Et quamvis ibi sit ignis,isque corporalis, ut paulo post dicemus: tamen ex sententia sancti Basilii supra citata,ignis ille Tartareus vim habet urendi, non lucendi : et si forte luminis aliquid sulphurei, et caliginosi in eo sit, ad hoc tantum erit, ut miseri illi videant partem aerumnarum suarum, ut filios, aut fratres, aut alios charos in eadem secum damnatione, culpa sua positos, aut horribiles daemonum facies, quas, si possent, a se avertere libentissime facerent.

Porro dicuntur illae tenebrae exteriores, ut distinguantur ab interioribus, quas in hac vita impii patiuntur : nunc enim impii, atque omnes seculi huius amatores apertos habent oculos cordis, et corporis ad felicitatem seculi huius: proinde nihil pulchrum existimant, et nihil amant, nisi quae sensibus carnis huius pateant ; et contra nihil oderunt, aut aversantur, nisi calamitates, atque aerumnas vitae praesentis, deque illis solis avertendis laborant. Sed quam oculati sunt ad exteriora, et corporalia, tam caeci sunt ad interna, et spiritualia, de quibus Apostolus ad Romanos, *Obscuratum est*, inquit, *insipiens cor eorum*, et ad Ephesios. *Ut iam non ambuletis, sicut gentes ambulant in vanitate sensus sui,tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a via Dei, per ignorantiam, quae est in illis, propter caecitatem cordis ipsorum*. Quemadmodum igitur reprobi habent in praesenti tempore tenebras interiores, et lucem exteriorem : sic in futuro patientur tenebras exteriores, et lucem interiorem ; non quidem lucem interiorem erga cognitionem Dei, sed erga miserias suas, ut ea lux maius tormentum illis adferat. Intelligent enim res temporales cum tempore evanuisse, et poenitentiam agent infructuosam. De quibus dicit Sapiens ; *Poenitentiam agentes, et prae angustia spiritus gementes, dicent intra se, ergo erravimus a via veritatis, et Sol iustitiae non luxit nobis*. Habebunt igitur lucem interiorem, quanta satis erit, ut cognoscant errores suos: sed patientur tenebras exteriores, ut nihil omnino cernant, quod solatium illis adferre, aut quod infelicitatem minuere queat.

Quale sit hoc tormentum, praesertim iis, qui sunt assueti delectationibus oculorum, testis esse potest senior Tobias,qui cum Angelus ei dixisset, *Gaudium tibi sit semper*: respondit; *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen caeli non video* ? Et si bonus iste Tobias nullius omnino gaudii sibi particeps esse posse videbatur, dum caecus esset ; quid de illis sentiendum est, qui per omnem aeternitatem in tenebris iacebunt ? expectabunt lucem, et non videbunt, nec ortum surgentis aurorae.

Cum aliquis nostrum iacet solus in tenebris noctis, acuto aliquo dolore somnum penitus excludente, quam longam, et quam laboriosam experitur noctem? et quam anxie horas numerat, et noctis finem expectat? Quid igitur miseri illi patiuntur, qui certi sunt in tenebris et doloribus sempiternis semper se vigilaturos,et consolationem nullam unquam habituros (

Quid iam de ignis supplicio dicam, quae est apud inferos poena tertia ? Futurum apud inferos ignis perpetui supplicium horribile, docet Evangelium multis in locis, et tam dilucide, ut nulla tergiversatio excogitari possit. Apud Matthaeum loquitur Sanctus Ioannes Baptista de Christo dicens : *Cuius ventilabrum in manu eius, et congregabit triticum suum in horreum: paleas autem comburet igni inextinguibili*. et Christus ipse de zizaniis, id est, peccatoribus ait : *Et mittet eos in caminum ignis*, et rursus: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et angelis eius*. Item apud Marcum Dominus ait : *Bonum est tibi claudum introire in vitam, quam duos pedes habentem mitti in ignem inextinguibilem*. Et apud Lucam : *Omnis arbor non faciens fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur*. Denique apud Ioannem ; *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet ; et colligentem, et in ignem mittent, et ardet*. Et in Apocalypsi ; *Et qui non inventus est in libro vitae scriptus,missus est in stagnum ignis*. et paulo post : *Timidis autem, et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne, et sulphure, quod est mors secunda*. Itaque de supplicio ignis nulla dubitatio esse potest. Neque vero existimandum est, ignem gehennae, esse ignem metaphoricum, aut spiritualem, quia praeparatus est Diabolo, et angelis eius, ut legimus apud Matthaeum. Nam s. Gregorius lib. 4. Diologorum disertis verbis affirmat,ignem illum esse corporalem, et corpora cum spiritibus crematurum, atque eum omnis schola Theologorum sequitur. Quemadmodum autem possint ab igne corporali spiritus cruciari, longam disputationem requirit. Sanctus Augustinus uno verbo rem totam absoluit, cum scribit, id fieri miris, sed veris modis. Quod idem responderi potest, si quis petat, unde suppeditentur fomenta igni perpetuo : et quomodo corpora reproborum semper urantur,et aeterno tempore non consumantur ? Ista enim omnia fieri miris, sed veris modis, Ecclesia Catholica credit, et secura credit, quia qui id facit, omnipotens est, et qui id revelavit, infinita sapientia, et prima veritas est. Sed his omissis ad nos potius pertinet, attentissime cogitare, quale supplicium sit, corpus huma-

num, sensu tagendi vere praeditum igne sulphureo, cum acerrimo dolore torreri, et numquam consumi; ut in qua voluntate peccatum numquam finietur, in eius anima, et carne cruciatus numquam finiatur.

Multa sunt ab hominibus excogitata supplicia, sed nullum acutius, nullum vehementius, nullum acrius igne. Sed quemadmodum nullum est,quod acrius torqueat, sic nullum est, quod velocius consumat, et cruciare desinat. In quo igitur statu miseri illi sunt, qui ab igne torrentur, qui acutissime cruciat, et cruciare numquam desinet? Certe si ista cogitarentur attente, et crederentur fideliter, nemo peccatorum lethalium sibi conscius posset a gemitu, et lacrymis sibi temperare. Utinam saltem qui criminum conscientia tanguntur, verba illa Isaiae, tamquam sibi a Spiritu sancto dicta, iterum atque iterum cogitarent; *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* ac si peccatoribus dicere voluisset, nolite tollere super vos onus, quod ferre minime poteritis: periculum facite, an possitis habitare cum igne vorante: extendite manum ad ignem, tentate quamdiu acerbitatem eius ferre possitis: quod si ne ad horam quidem dolorem illum sustinere valetis, quomodo habitabitis cum ardoribus sempiternis? Abstineatis igitur cor a concupiscentia mala, abstinete linguam a verbo malo, abstinete manum ab opere malo: et si quid corde, verbo, aut opere iam peccastis, diluite lacrymis, confessione, ieiuniis, atque eleemosynis: haec enim est via fugiendi ab igne devorante, et declinandi ab ardoribus sempiternis.

Sequitur poena gehennae quarta,vermis rodens quem vermem in poenis gehennae numerat Isaias Propheta, et Marcus Evangelista. Isaias in extremo libro suo de peccatoribus dicit:*Vermis eorum non morietur, et ignis non extinguetur.* Eamdem sententiam Dominus apud Marcum de supplicio gehennae disputans tertio repetit:.*Ubi vermis non moritur.et ignis non extinguitur* Et quidem Sanctus Basilius in explicatione psalmi 33. vermem istum corporalem esse futurum venenum immittens, et carnem vorans inexplebiliter edens, neque unquam saturitatem sentiens, intolerabiles dolores corrosione ipsa infigens. Sanctus tamen Augustinus in libris de civitate Dei, probabilius esse censet, ignem, qui non extinguitur,pertinere ad corpus, vermem autem qui non moritur pertinere ad animam. Atque hanc sententiam Theologi sequuntur. Iste igitur vermis, qui numquam moritur, est conscientia peccati, quae velut canis rabidus semper latrat, ac veluti vermis venenatus semper rodit. Revocat enim ad mentem,quam imprudenter,ac stulte se gesserit,cum vilissimo pretio terrenae voluptatis Regnum caelorum amisit, et cum pretio inaestimabilis mali tormentorum gehennae carnis delicias sordidissimas, atque brevissimas emit. Et quidem in hac vita eiusmodi reprehensionem conscientiae latrantis, et mordentis variis rationibus nunc dormiendo, nunc legendo, aut aliquid operando lenimus, vel mitigamus: sed apud inferos, ubi nulla somni quies, nulla lectio vel operatio aderit, vermis ille conscientiae dies noctesque sine intermissione corrodet animae viscera, et sibi ipsa anima irascetur, et tabescet, et quietem nullam inveniet. Sic enim intra se impii dicent; O tempus illud aureum, quod iam praeteriit, et in aeternum non revertetur. O nos caecos, et stultos, quis nobis mentem abstulit, quis oculos clausit, quis aures obstruxit, ut de praesentibus suppliciis nunquam cogitaremus? Et tamen non defuerunt, qui nos publicis,et privatis exhortationibus admonerent. Quid nobis iam prosunt quae fallax mundus offerebat, ut tam terribilem Deum ad iracundiam provocaremus? Sed etsi Regna, et Imperia cum omnibus divitiis, et delectationibus obtulisset, et illis ad multa annorum millia frui nobis licuisset, quid erant illa omnia, ut cum his poenis, et suppliciis aeterno tempore duraturis comparari potuissent? Cum igitur non Regna et Imperia longissimo tempore duratura, sed umbram amarissimae voluptatis nobis obtulerit, quis ita crudeliter nos fascinavit,ut in haec tempora numquam respiceremus,et bene monentes non audiremus? Haec et alia his similia verba,sine ullo fructu, iterum, atque iterum repetent miseri illi quorum vermis non morietur, et ignis non extinguetur.

Quinta poena gehennae vincula illa sunt, quibus alligati reprobi sese movere non poterunt. Sic enim legimus in Evangelio dicentem Dominum de illo, qui inventus est sine veste nuptiali: *Ligatis manibus,et pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores.* Et hoc idem de Angelis malis scribit Apostolus Iudas in epistola sua, cum ait: *Angelos qui non servaverunt suum principatum,vinculis aeternis sub caligine reservavit.* Haec alligatio manuum et pedum non significat aliud,nisi reprobos in gehenna non habituros facultatem ambulandi quocumque voluerint, sed uno in loco in aeternum mansuros; nec solum non ambulare, sed ne commovere quidem se poterunt: id enim significat alligatura non solum pedum sed etiam manuum, Et siquidem requiescere datum esset habitatoribus gehennae,tolerabile fortasse esset in uno loco semper haerere: sed cum undique stimulentur morsibus vermium, et ignis ardoribus, intolerabile omnino erit se commovere non posse.Quam crucem patiuntur aegroti,quando febribus aestuant et se loco movere non possunt? Quam crudele tormentum excogitavit impietas Gentilium, cum Marcum Arcrusium Martyrem arctissime colligatum exposuerunt nudum ad Solem melle perunctum morsibus vesparum, atque muscarum, quas nec recedendo ex eo loco, nec manibus abigere poterat? Refert hoc s. Gregorius Nazianzenus oratione prima in Iulianum, ut ostendat, quousque pervenerit diaboli astutia in Martyribus cruciandis. Sed Martyrem consolabatur brevitas temporis,quo cruciatum illum sustinere cogebatur; et perennitas gaudii, quod in caelis habiturus erat: et fortasse illud Apostoli apud se interim revolvebat: *Hoc quod in praesenti est momentaneum, et leve tribulationis nostrae,supra modum aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* Sed miseri illi, atque omni lacrymarum fonte plangendi,quos ipso-

rum mala opera ad inferos detruserunt, alligati manibus, ac pedibus, atque expositi morsibus verminum, facibus ignis ardentis, neque vermes abigere, neque incendium declinare, neque levamentum ullum, ne dicam gaudium expectare poterunt usque in aeternum.

Sexta poena apud inferos erit societas diaboli, et angelorum eius; sic enim loquitur Dominus in Evangelio; *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et angelis eius.* Quod etiam legimus in Apocalypsi cuius haec sunt verba: *Et diabolus, qui seducebat eos missus est in stagnum ignis, et sulphuris, ubi et bestia, et pseudopropheta cruciabuntur die, ac nocte,* et paulo post additur, ad idem stagnum ignis, et sulphuris mittendos omnes, qui non scripti in libro vitae.

Neque solum Scriptura sacra, quae sola sufficeret, sed etiam sancti Patres, Basilius in explicatione Psalmi tricesimitertii, s. Augustinus in Enchiridio et s. Bernardus in Cantica, et alii passim hoc docent. Quanta autem poena sit, habitare perpetuo cum hostibus crudelissimis, qui genus humanum gravissimo odio prosequuntur, et qui in Scripturis leonibus, et draconibus, aspidibus, et basilicis comparantur facile est iudicare. Pars magna felicitatis Sanctorum est, habitare cum Angelis sanctis, qui et plurimi sunt, et omnes amici, et omni sapientiae, et virtutem fulgore decori. Igitur etiam pars magna erit infelicitatis impiorum hominum habitare perpetuo cum spiritibus immundis, qui et ipsi plurimi sunt, et omnes hostes generis humani, et deformissimi atque deterrimi. Quare non mirum est si reprobi homines in profunda gehenna fleant assidue, et stridant dentibus, quae sunt duae postremae damnatorum poenae, iuxta verbum Domini: *Filii autem Regni eiicientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus, et stridor dentium* et rursum; *Discedite a me omnes operarii iniquitatis; ibi erit fletus, et stridor dentium*, et iterum: *Eos, qui faciunt iniquitatem, mittent in caminum ignis, ibi erit fletus, et stridor dentium.* Et iterum *Ligatis manibus, et pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus, et stridor dentium.* Denique alio loco: *Inutilem servum eiicite in tenebras exteriores; illic erit fletus, et stridor dentium.* Non sine causa Dominus tam crebro hanc sententiam repetivit, nimirum, ut imprimatur cordi hominum haec veritas salutaris. Siquidem fletus, et stridor dentium assiduus, et sempiternus omnia gehennae tormenta quasi in epilogo, et summa complectitur. Fletus indicat dolorem: stridor dentium horrorem, quae nascuntur ex iactura felicitatis, et igne torrente, ex verme rodente, ex carcere tenebroso, ex cohabitatione denique infernalium bestiarum. Itaque reprobi omnes, quia noluerunt hic in terris peccata sua deflere ad modicum tempus, deflebunt inconsolabiliter tempore sempiterno: et quia noluerunt horrere hic in terris, ut par erat, offensam Creatoris, horrebunt in gehenna horrore perpetuo poenarum suarum incredibilem acerbitatem. Clamaverat quidem Apostolus: *Horrendum est, incidere in manus Dei viventis*: sed illi surdi fuerunt ad hanc vocem, nunc autem veritatem eius dentium suorum stridore testantur.

Haec autem scripta sunt omnia propter nos, qui adhuc in bivio sumus. Illi enim, qui sunt in termino, spem salutis nullam habere possunt, etiamsi lacrymis poenitentiae aquas Oceani superarent. Quare anima Christiana pretio lacrymarum nunc utere, dum magni fiunt, dum acceptabiles sunt Domino Deo nostro. Noli expectare tempus, cum tempus non te expectet. Attende quam multi repentina morte rapiantur ad inferos, qui si voluissent, quando tempus erat, deflere peccata, et horrere gehennam, nunc in eo loco non essent, ubi fletus, et stridor dentium, id est, sempiternus horror, inhabitat.

CAP. III.

De tertio fonte lacrymarum, qui est consideratio Passionis Christi.

Fons tertius lacrymarum, Passio est Domini nostri Iesu Christi. Sed antequam hunc fontem aperiamus, et aquas lacrymarum hauriamus de fontibus Salvatoris removendus est obex, qui videtur impedire fontis apertionem. Posset enim alicui venire in mentem eiusmodi dubitatio, cur videlicet flenda sit Passio, quae praeteriit, et non solum praeteriit, sed etiam in gloriam maximam versa est? compassio enim non debet esse prolixior Passione: Passio Christi a multis iam annis transiit: cur ergo compassio simul non transiit? Certe cum mulier parturit, quod est exemplum Salvatoris apud Ioannem, tristitiam habet, quia venit hora doloris eius, et si qui adsint cognati, aut amici, simul cum illa tristitiam habent, quia patienti compatiuntur: sed cum peperit filium, et dolor evanuit tunc ipsa laetatur, et ipsi etiam amici, et proximi collaetantur. Atque hoc ipsum Ecclesia servat in passionibus Martyrum: dum enim Martyres paterentur, compatiebantur fideles, qui aderant; sed nunc consummato Martyrio, Ecclesia canit, et dicit: *Gaudeamus in Domino diem festum celebrantes sub honore B. Martyris, de cuius passione gaudent Angeli.* Denique sanctus Leo Papa in sermone decimo de Passione Domini, *Desiderata* inquit, *dilectissimi, et universo optabilis mundo adest festivitas Dominicae Passionis, quae nos inter exultationes spiritualium gaudiorum flere non patitur*, et paulo infra: *Quid autem inter omnia opera Dei, in quibus humanae admirationis fatigatur intentio, ita contemplationem mentis oblectat, et superat, sicut Passio Salvatoris?* Sanctus igitur Leo in Passione Domini invenit festiva gaudia spiritualem exultationem, et mentis contemplationem oblectantem animum, non tristitia, et lacrymis conficientem. Sed hunc obicem obstruentem fontem lacrymarum facile removebimus, si cogitemus, in Passione Domini utrumque reperiri, gaudium, et moerorem: exultationem, et fletum. Nam Dominica Passio tribus modis considerari potest, ut est in se, ut causa, et ut effectus. Si Passio Domini consideretur, ut in se est, ac praesertim si contemplanti animo repraesentetur,

ut praesens, fontes lacrymarum sine dubitatione scaturire faciet etiam ex corde lapideo. Si consideretur, ut causa redemptionis humani generis, nec non ut clavis aperiens credentibus regna caelorum, atque ut triumphus de Principe huius mundi; tum vero non moerorem, et lacrymas, sed gaudium, et exultationem in cordibus contemplantium excitabit. Si denique consideretur, ut effectus peccatorum nostrorum, iterum dolorem, et lacrymas ubertim emanare faciet. Quod igitur initio dicebatur de compassione, quae non est diuturnior passione, verum est, quando passio consideratur, ut praeterita, et ut causa gloriae. Et quoniam passiones Sanctorum recoluntur solum, ut praeteritae, et ut fuerunt causa meritorum, et triumphi; ideo cum laetitia, et exultatione, non cum moerore, et lacrymis recoluntur. De Christo vero seorsim Ecclesia celebrat moestitiam Passionis in triduo ante Pascha; et gloriam resurgentis in triduo post Pascha. Et primo tempore considerat Passionem in se, ac veluti praesentem; in posteriore, considerat, ut causam triumphi, atque etiam, ut vere praeteritam, non enim potest Passio praesens cum resurrectione coniungi. Neque est eadem ratio Christi, et sanctorum Martyrum. Christus enim non sibi solum meruit gloriam exaltationis, sed nobis etiam meruit redemptionem: et nunc operatur Passio Christi, ut praesens in Sacramentis; ideo celebrari debuit eius Passio, ut praesens, et ut praeterita: passio vero sanctorum Martyrum ipsis proprie solum peperit coronas. Sic enim loquitur sanctus Leo sermone 12. de Passione Domini: *Acceperunt iusti, non dedere coronas, et de fidelium fortitudine exempla nata sunt patientiae, non dona iustitiae. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo funere solvit, cum inter filios hominum solus Dominus noster Iesus Christus exiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sunt suscitati*, haec s. Leo, qui cum in alio sermone indicat Passionem Domini cum exultatione esse celebrandam, et in eius contemplatione mentem oblectari: loquitur de exultatione, et oblectatione, quam secum ferunt lacrymae sanctae. Nam ipse etiam s. Bonaventura, qui passim hortatur homines ad lacrymas in Passione Domini meditanda, coniungit cum similibus lacrymis gaudium magnum: sic enim loquitur in stimulo divini amoris: *Intuens Christum crucifixum, devotionis et compassionis lacrymis uberius irrigatur, et lacrymando suavissime delectatur.* His igitur omissis, duo breviter explicabimus, unum de Passione Christi deflenda, cum ut praesens meditantis animo repraesentatur: alterum de Passione Christi pariter deflenda, cum ut effectus peccatorum nostrorum serio consideratur.

Ac primi quidem capitis exemplum habemus Seraphici Patris sancti Francisci, qui teste s. Bonaventura in eius vita, frequenter secedebat in sylvas, aut alia deserta loca, nocturno potissimum tempore, atque ibi magnis vocibus deplorat quasi ante oculos suos positam Dominicam Passionem, quod idem nobis esse faciendum docet idem s. Bonaventura parte prima capitis secundi stimuli divini amoris: et in Meditationibus de Vita et Passione Christi serio monet, illud etiam addens, ut ad hoc negotium magnam lacrymarum copiam adferamus. Atque hoc ipsum docent quicumque de Passione Christi utiliter contemplanda, vel tractatus, vel libros, vel meditationes scriptas nobis reliquerunt. Si quis autem huius rei rationem quaerat, legat, vel audiat quae sequuntur. Amor Dei prae omnibus rebus nobis quaerendus est, tum quia Deus hoc requirit in primo, et maximo suo mandato, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; tum quia charitas Dei est Regina virtutum, qua praesente vivimus Deo, qua recedente morimur. Ipsa sola peccatum lethale secum non patitur, ipsa gignit merita, ipsa cum Deo nos ita coniungit, ut unus spiritus simus cum Deo. Denique in ipsa perfectio vitae Christianae posita est. Porro amor in hoc tempore accenditur potissimum ex consideratione beneficiorum: summum autem beneficium Dei erga homines, Christi Passio est, dicente ipso Domino, *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*, et Apostolo attestante, qui ad Romanos scribens dicit: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.*

Quomodo autem fieri poterit, ut ex hoc tam singulari Dei beneficio amorem Dei vehementem, et ardentem concipiamus, si Passionem Dominicam, ut simplicem historiam rei praeteritae, et quae iam esse desiit, consideremur? Necesse igitur est, si quis velit thesaurum amoris Dei in agro Passionis Dominicae reperire, ut attentissima consideratione quasi presentem Dominum cernat, nunc in horto agonizantem, et luctantem cum tristitia, et moerore, et non lacrymas solum, sed etiam sudorem sanguineum toto corpore fundentem: nunc in conventu Sacerdotum, et Pharisaeorum alapis caesum, ei sputis in faciem conjectis, turpiter conspurcatum: nunc vinctum ad Pilatum indignissime tractum, et ab eo ad Herodem transmissum, et rursum ab Herode ad Pilatum remissum, sed illusum, et veste alba per ludibrium indutum: nunc ad columnam alligatum, servili supplicio flagellis caesum, et paulo post cum corona spinea, purpureo vestimento, ac sceptro arundineo, ut Regni affectatorem populo demonstratum: nunc ad mortem damnatum sublata in humeros cruce sua cum latronibus comitibus procedentem: nunc denique in crucem sublatum, et cum acerbissimo dolore sanguinem ex manibus, et pedibus ubertim fundentem, et cum clamore valido, et lacrymis morientem. Ad quae spectacula singula, non brevem moram trahat, sed diligenter scrutetur, quis est ille qui patitur, qualia sunt quae patitur, qua de causa patitur, a quibus patitur: et statim aperientur ei quatuor fontes ad hauriendas aquas lacrymarum de vulneribus Salvatoris.

Sed praeter istas considerationes, quae passim explicantur ab his, qui de Passione Domini contemplanda libros conscribunt: occurrit mihi sententia illa b. Apostoli Pauli, quae in mysteriis divinis contemplandis iubet considerari longitudinem, latitudinem, altitudinem, et profundum. Se-

cundum quas magnitudinem species in alio nostro libello explicavimus, ut potuimus, attributa essentiae divinae. Sed cum ista verba satis aperte crucem designent, non erit admirandum, si per eas voces intelligamus quatuor praerogativas, quibus superat Christi Passio omnes Martyrum passiones, et quatuor virtutes principales, quae in Passione Christi mirifice splendent. Fuit igitur Passio Christi longa, lata, sublimis et profunda, atque ad eius longitudinem, latitudinem, altitudinem et profundum nulla Martyrum Passio potuit pervenire. Quid enim est in Passione longitudo, nisi duratio; et latitudo, nisi varietas; et altitudo, nisi eminentia; et profundum, nisi puritas? Explicemus singula, ac primum de longitudine dicamus.

Igitur Christi Passio praecipua, quae dici potest supplicium crucis, tribus horis duravit, ab hora videlicet sexta, usque ad nonam. Itaque Christi mors longissima fuit: non enim uno ictu finita est ut illis contingit, qui plectuntur capite, neque ad spatium paulo longius pervenit, ut iis accidere solet, qui suspendio, vel incendio, vel mersione in aquas, vel bestiarum morsibus, vel aliis consuetis suppliciis moriuntur. Sed non in sola cruci affixione Christi Passio posita fuit, sed coepit in horto Gethsemani, ubi primum prae ingenti cordis anxietate, et tristitia, sudorem sanguineum copiosissimum fudit: et pervenit usque ad horam nonam sequentis diei. Itaque vere Christi Passio sine ulla intermissione, horas octodecim complexa est, videlicet novem ad hora noctis tertia usque ad duodecimam, et novem ab hora prima diei usque ad nonam, Sed neque his horis novem nocturnis, et novem diurnis Christi Passio tota consummata est nam tota eius vita, perpetua Passio et crucis Passio dici potuit. Siquidem ab ipsa conceptionis hora cognovit, sibi crucem esse paratam, eamque libentissime acceptavit pro honore Patris, et salute hominum; et semper eam ante oculos mentis sic habuit, ut vere dici possit, toto vitae suae tempore in cruce pependisse. Hinc videlicet tam crebro de cruce sua, vel de Passionis calice loquebatur, ut apud Matthaeum: *Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus*, et rursum: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me*, et iterum: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* et apud Lucam: *Qui non baiulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus.* Ergo, anima Christiana, ex hac tam continua crucis baiulatione, collige, Dominum tuum nullam quietis horam habuisse, sed assidue dies, et noctes in salute tua operanda occupatum fuisse, et poteris sine lacrymis cogitare, te salutis tuae oblitum, multas saepe horas, in confabulatione, vel ludis otiose consumpsisse, cum Dominus tuus semper in tua salute procuranda laboraverit? Sed pergamus ad caetera.

Non solum longissima fuit, sed etiam latissima Passio Salvatoris: siquidem non uno, aut altero poenarum genere contenta, innumerabilia tormenta amplissimo sinu suo complexa est. Nam ut omittamus vincula, quibus arctissime alligatus fuit, cum primum comprehenderetur, et colaphis, et sputa, et flagella, et spinas, et maledicta, et falsa testimonia, et irrisiones, ac ludibria, quae nullo numero comprehendi possunt; attende solum, quam multas in una cruce cruces pertulerit Dominus tuus. Prima fuit clavorum in manibus, ac pedibus fixorum dolor acutissimus. Deinde sequuta est elevatio crucis in sublime, ex qua factum est, ut ex pondere totius corporis vulnera dilatata flumina sacri cruoris effunderent, et semper magis, ac magis in corpore sustentando laborarent. Accessit tertio nuditas corporis exhausti spiritibus, et sanguine, in aere frigido, ac Sole per ecclipsim inusitatam toto illo tempore cooperto, solares radios non emittente. Quarto numeranda venit incredibilis defatigatio: si quidem a fine coenae novissimae usque ad horam crucifixionis, multa itinera, eaque satis longa pedes, et sine cibo confecerat Dominus. Primum enim post coenam profectus est ad hortum Gethsemani extra civitatem positum in monte Oliveti: deinde ab horto illo vinculis constrictus reductus est in Ierusalem, usque ad domum Annae; inde ad domum Caiphae; postea ad praetorium Pilati satis longe positum; rursum a domo Pilati ad domum Herodis, et a domo Herodis iterum ad domum Pilati: denique cruce oneratus extra civitatem ad Calvariae montem, quae omnia itinera multa milliaria continent. O bone Iesu, tu aliquando quaerens animam unam, fatigatus ex itinere sedisti supra fontem: nunc autem quaerens me cum caeteris conservis meis, fatigatus ex longiore itinere, et crudelissima flagellatione, et crucis propriae gestatione, sedisti, non utique supra fontem, sed supra lignum, quod fatigationem non poterat minuere, sed augere. An non aequum esset, ut ego quoque in obsequio tuo assidue laborando defatigaret, aut certe laborarem in gemitu meo, donec fatigationis tuae fructum, per verum poenitentiae atque indulgentiae donum reportarem? Sed nondum finitus est numerus tormentorum. Quinta igitur numeranda est sitis, quae in cruce Dominum vehementissime cruciavit. Non enim sine causa Dominus, tam multis suis suppliciis praetermissis, de una siti conquestus dixit, Sitio. Sitis enim sine dubio ardentissima Dominum vexavit, tum ex longa fatigatione, tum ex copiosissima sanguinis effusione. Qui enim copiam magnam sanguinis effundunt, ita exarescunt, ut nullam poenam graviorem experiantur, quam sitis. Tu vero anima mea, si quid sapis, sitienti Domino non acetum propinabis, sed lacrymas cordis ex dolore peccatorum, et amore sponsi expressas. Ista enim est aqua, quam vehementer Dominus sitit. Iam vero sexta poena in crucifixo Domino, fuit carentia usus manuum, et pedum, ob quam cogebatur in ligno crucis immotus permanere, sic ut neque posset situm mutare, neque sanguinem abstergere neque effusionem illam prohibere. Quanta si haec poena, quae forte levior videbitur iis, qui eam experti non sunt, testari possunt illi, qui paralysi, vel podagra simul et chiragra occupati, se commovere non possunt. Septima poena numerari potest, conspectus Virginis matris, et discipuli, quem diligebat, quorum dolor, et lacrymae dolorem non

parvum Domino adferebant. Octava poena nascebatur ex verbis contumeliosis,et blasphemis,quae in ipsum Pharisaei, et Scribae, et sacerdotes faciebant:haec enim poena hominibus ingenuis gravior esse solet, quam poenae corporales;cum istae carnem, illae animum torqueant. Postrema fuit mors amara, quam ut ultimum terribilium, gustare voluit Dominus noster, ut eam in corpore suo occideret, et nos omnes ab eius imperio liberaret. Quae cum ita sint, nemini dubium esse potest, quin Passio Domini magnam latitudinem poenarum et suppliciorum sinu suo complexa sit.

Sed non est maior longitudo, et latitudo crucis Dominicae, ipsa altitudine, et profunditate. Ac ut de altitudine primum dicamus,illa dici potest Passio alta, quae supereminet passionibus aliis, ita ut sit maior, intensior, acerbior, amarior caeteris. Eiusmodi autem fuisse Dominicam Passionem, facile potest intelligi ex eo, quod Passio non improvisa Domino fuit, sed a longo tempore praevisa, et expectata. Quod enim dici solet, *iacula praevisa minus laedunt*, verum est de illis iaculis, quae averti possunt vel omnino, vel ex parte; non autem de illis, quae nulla arte impediri queunt, qualia sunt caelestia fulmina. Certe enim si quis inopinato fulmine tangatur,minorem dolorem sentiet, quam is, cui praedictum fuerit, tali hora fulmine periturum, quique ea de causa cum horrore et timore magno fulminis ictum expectar.Quoniam igitur Dominus noster toto vitae suae tempore crucem suam et tormenta singula, et eorum acerbitatem certissime noverat,in eo sine dubitatione ulla summum gradum acerbitatis, et vehementiae habuerunt. Deinde addebat ad gravitatem dolorum perfectissima sanitas; et temperamentum corporis eius: quippe quod a Spiritu sancto, cuius opera compositum, et temperatum fuerat.Quo enim temperamentum est melius, eo sunt etiam sensus omnes vivaciores; ac per hoc, non solum voluptatem maiorem ex obiectis convenientibus, sed etiam dolorem acriorem ex obiectis contrariis percipere solent. Accessit postremo, quod amator hominum Christus, ut copiosa esset redemptio, noluit paulatim suas vires, et robur ad patiendum ita diminui, ut in fine vitae nullum remaneret; sed usque ad exitum animae de corpore retinuit tantum robur, ut ipse etiam dolor integre sentiretur a principio Passionis usque ad finem. Id esse verum testatur clamor ille magnus, quo edito expiravit.Sic enim loquitur sanctus Lucas:*Et clamans voce magna Iesus ait, Pater in manus tuas commendo spiritum meum;et haec dicens expiravit.* Non solent moribundi exclamare: paulatim enim vires,et vocem amittunt. Christus autem,ut ostenderet, in potestate sua se habere mori, et non mori; et mori quando vellet, et non mori quando non vellet, clamans voce magna expiravit. Et quia rem hanc insolitam Centurio animadvertit,inquit Evangelista; *Videns quia sic clamans expirasset, ait, Vere hic homo Filius Dei erat.* Perfectum igitur fuit, Domine Iesu, opus tuum, et sacrificium pingue, et medullatum obtulisti Deo Patri, quandoquidem usque ad finem integris sensibus, et viribus exhaurire voluisti calicem Passionis, ut nulla pars amaritudinis tibi deesset. Utinam et nos servi tui, tanto proposito, exemplo discceremus opera, quae ad honorem tuum, vel salutem animarum pertinent, integre, perfecteque complere. Vel certe imperfectum nostrum coram te largis profusis lacrymis plangeremus, ut quod operi defuit, poenitentia vera suppleret, et detrimentum devotionis humilitas compensaret.

Restat profunditas Passionis, quem in eo posita est, quod Passio Christi plena, solidaque fuit, id est, tota, ac pura Passio, non admixta consolationibus ullis. Rara invenitur hic in terris consolatio non admixta desolationi, neque tristitia non admixta solatio. Sed Passio Domini „ pura Passio fuit; et ideo profunda, ac solida. Unum solet esse magnum in adversis rebus solatium, societas amicorum. Christum in ipso principio Passionis discipuli, atque domestici omnes deserverunt: sic enim scriptum est, *Tunc discipuli relicto eo omnes fugerunt.* Unus ex eis proditor inventus est; alius cum iuramento negavit, sibi notum eum fuisse: et cum falso accusaretur in multis, ex tanta turba discipulorum et amicorum nemo inventus est, qui verbum in eius defensionem loqui auderet. Itaque merito per Prophetam queritur dicens: *Circumspexi, et non erat auxiliator; quaesivi, et non fuit qui adiuvaret.* Adfuit quidem in horto Angelus Domini confortans eum: sed apparitio illa Angeli facta est ante Passionem, ut fortiter eam aggrederetur.In ipsa vero Passione nullum habuit confortantem, vel aliquo modo adiuvantem. Atque adeo hoc verum est ut ipse in cruce clamaverit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* quis enim eum non dereliqu t, quando ipse etiam Pater dereliquit? Ea vero derelictio, absit, ut significet Filium a Patre derelictum quoad praesentiam, vel benevolentiam. In eo igitur solum dereliquit Pater Filium, quod permisit eum pati dolores intolerabiles, sine aliqua consolatione. Haec autem Dominus illo tempore exprimere voluit, ne putaretur sine sensu doloris poenas illas tolerare. Viderant enim, qui adstabant, eum tanta animi aequitate, et pace omnia perpeti, ut ne gemitum quidem, aut suspirium ederet. Igitur ut intelligeremus, eum vere pati, et acerbissima pati, vocem illam emisit doloris et admirationis plenam: quasi dicere voluisset, Fieri ne potest, Deus meus, ut Filium tuum dilectissimum in hanc doloris abyssum devenire permiseris? Gratias tibi Domine,non quantas debemus, sed quantas possumus exsolvimus, quod tanto labore et dolore tuo nobis requiem, et laetitiam sempiternam parare volueris. Sed adde ad beneficia tua, ut des nobis illuminatos oculos cordis,quibus gratiam istam cognoscentes, eam magnifaciamus, et diligentissime custodiamus. Infige animis nostris memoriam perpetuam dolorum tuorum, ut illi sint nobis fraenum fortissimum ab omni malo, et stimulus acutissimus ad omne bonum.

Sed iam ad alteram considerationem dimensionum crucis veniamus.Longitudo crucis patientia est, latitudo charitas,altitudo obedientia,profunditas humilitas: atque hae sunt virtutes,quae instar lucidissimorum syderum in Christi Passione refulserunt.

Longitudo patientia est, quoniam ad patientiam pertinet longanimitas. Refulsit autem patientia in Passione Christi, quia in tot iniuriis a Iuda, a Iudaeis, a Pilato, ab Herode, a turbis, per noctem, et per diem fere totum acceptis, nulla est audita vox eius, vel irascentis, vel comminantis, vel conviciantis; sed plane ut Agnus innocens, qui portatur ad victimam non aperuit os suum. Verissime s. Petrus, *Christi*, inquit *passus est pro nobis vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius; qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem iudicanti se iniuste.*

Latitudo charitas est, quia *latum mandatum eius est nimis*, ut Propheta canit; et vere latissimum mandatum, quod extenditur usque ad inimicos. Haec autem quanto fulgore micaverit in Christi Passione, testes sunt illae voces, *Pater, dimitte illis non enim sciunt quid faciunt.* Quae maior charitas excogitari potest, quam non solum ignoscere inimicis, dum facinus eorum recens est, sed eos excusare, et Patri summo Iudici commendare, atque indulgentiam illis precari? Quis unquam audivit talem excessum charitatis? Crucifixus dum vulnera sunt recentia, dum dolor acerbissimus viget, quasi oblitus sui, recordatur inimicorum; et eis Iudicem placare nititur, dum illi coram ipso Domino crucifixo partiuntur inter se vestes eius. Hoc certe factum eiusmodi est, ut mirum sit, si non omnes laesi ab inimicis, ad exemplum Domini sui, continuo mitescant, et serio statuant acceptas iniurias condonare.

Porro altitudo, obedientia est; respicit enim semper obedientia Deum altissimum, cuius proprium est, imperare, et cuius auctoritate omnes Principes subditis suis imperant. Haec vero virtus in Passione Christi non minus, quam caeterae fulgorem clarissimum dedit. Obedivit enim Filius Patri in re omnium difficillima, dicente Apostolo; *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Et quamvis in horto Gethsemani, horror crudelissimae Passionis Christi humanitatem ita invaserit, ut precaretur Patrem, ac diceret; *Pater, si vis transfer calicem istum a me*: tamen obedientiae memor, statim subiunxit; *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* O quam singulare obedientiae documentum his verbis Dominus dedit. Hoc enim est vere abnegare seipsum; hoc est voluntatem propriam mortificare; hoc est Deo sacrificium omnium nobilissimum, et gratissimum immolare.

Denique profunditas, humilitas est, quae semper in imo residet, et recumbit in novissimo loco, et omnibus cedit, nullum sponte sua praecedit. Haec autem virtus ita chara semper Christo fuit, ut ipse proprie Doctor humilitatis haberi voluerit. *Discite a me*, inquit, *quia mitis sum, et humilis corde.* In Passione vero non modo non aegre tulit, quod Barabbae latroni, et homicidae postpositus fuerit a populo Iudaeorum: sed ipse semetipsum humiliavit factus obediens usque ad mortem. Quid hic dices, anima Christiana placebitne, hoc tanto humilitatis exemplo proposito, adversus illum hominem superbire, vel de praecedentia cum aliquo litigare? Sed haec duo verba, *humiliavit semetipsum*, quia videlicet nemo poterat eum cogere ad mortem crucis tolerandam, nisi ipse se humiliare voluisset, admonent me, ut ad alterum caput propositae tractationis accedam.

Duo capita proposuimus, ex quibus probandum erat defendam esse a nobis Christi Passionem. Unum caput erat, consideratio Passionis Christi, non ut praeteritae, sed ut praesentis. Alterum, consideratio eiusdem Passionis non ut est in se, sed ut effectus est scelerum nostrorum. Et quoniam de priore capite satis multa dicta sunt, veniendum est ad posterius caput, ac breviter demonstrandum, non fuisse ullam potestatem inter homines, quae Christum Passioni subiicere posset nisi ipse voluisset. Atque hoc quidem non est difficile demonstrare. Quis enim tantae potentiae fuit unquam, ut posset Filium Dei altissimi tot supplicis, et ipsi morti subiicere? An cohors militum, et ministri Iudaeorum? At illi audita voce Filii Dei *ego sum*, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. An Praeses Iudaeae Pilatus? At ille pulvis, et cinis est, si ad Christum, qui virtus Dei est, comparetur. An Imperator Romanus? At ille quoque vermiculus terrae erat. An potentia diaboli? At illos Christus verbo eiiciebat. An iustitia Dei? At Christus innocens erat, sanctus, impollutus, segregatus a peccatoribus, excelsior caelis, et purior Angelis. Quid igitur Dei Filium flagellavit, cruci affixit, occidit? Impietas mea, charitas Patris, et obedientia Filii. *Propter scelus populi mei percussi eum*, dixit Pater per Isaiam; et Apostolus subiunxit; *Humiliavit Filius semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Itaque peccata mea, peccata tua, peccata Adami, et omnium filiorum eius, causa fuerunt Passionis, et mortis Filii Dei. Non spinae, quamvis acutissimae, potuissent caput illud tremendum potestatibus caeli perforare, nisi superbia mea vires illis addidisset. Non flagella, quamvis plurima carnem illam atterere potuissent, nisi carnales appetitiones meae illa iuvissent. Non clavi ferrei, quamvis durissimi, manus illas, ac pedes perfodere valuissent, nisi avaritia mea, et evagationes meae illos adegissent. Denique neque mors ipsa ad vitam opprimendam accedere fuisset ausa, nisi iniquitas mea aditum illi aperuisset. Ergone peccata hominum tantas habent vires, ut in Dei Filium praevaluerint? Non ipsa peccata, sed odium Dei in peccata, et amor Dei Patris in genus humanum et obedientia Filii Dei erga Patrem, hoc fecerunt. Sed peccatis hoc tribuimus, et merito tribuimus, quia nisi illa fuissent, Passio Dominica non fuisset. Proinde vere Filius Dei peccatis nostris Passionem suam imputare posset: sed quia dulcis, et pius est, non peccatis nostris, sed charitati, et misericordiae suae Passionem imputat suam. Sic enim ipse loquitur in Evangelio; *nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam*, et Apostolus pro se, et pro nobis omnibus dicit; *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis.*

Quid ergo retribuens anima mea Domino, pro omnibus, quae retribuit ibi? nihilne offeres tanto

benefactori, qui ut deleret peccata tua, et mundaret te, tradidit semetipsum in mortem, ut esset mors eius hostia Deo pro te in odorem suavitatis? Offeram omnino cor contritum, et humiliatum, offeram lacrymas poenitentiae testimonium odii in peccatum, offeram denique promptam voluntatem ad omne, quod a me petere dignatus fuerit. Pete ergo, Domine, quia nihil iam tibi negare poterimus, quia vulnerasti cor nostrum nimia charitate tua. Et quid putas, anima, Dominum petiturum nisi salutem animae tuae? hoc enim petiit, cum in cruce dixit, *Sitio*. Itane bone Domine sic, sic superabundat charitas tua, ut qui pro nobis laborasti usque ad mortem, mortem autem crucis, non aliam mercedem requiras, nisi ut et nos cooperemur in salutem animarum nostrarum? Hoc plane est exemplar verissimae charitatis. Da ergo Domine, quod petis, et pete quod vis. Sic enim adimplebitur voluntas tua, et obedientia nostra, in salutem nostram, et gloriam tuam.

CAP. IV.

De quarto fonte lacrymarum, qui est consideratio persecutionum Ecclesiae.

Ecclesia Catholica, ut vera Columba gemens, dum est in exilio et in via ad patriam, numquam libera erit a persecutoribus, dicente Apostolo; *Omnes, qui volunt pie vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Et quidem Ecclesiae persecutiones aliae sunt menifestae, aliae occultae. Quando enim manifeste cessant, statim oriuntur occultae, quae graviores esse videntur: nam de illis exponit s. Bernardus illa verba: *Facta est in pace amaritudo mea amarissima.* Itaque Ecclesia semper gemitibus opus habet, et qui legitimi filii eius sunt, in hoc potissimum cognoscuntur, quod matri compatientes ipsi quoque a gemitibus et lacrymis non quiescunt. Percurramus, si placet, aetates Ecclesiae. Prima aetas fuit ab adventu Domini usque ad tempora Neronis Imperatoris. In ea aetate viguit persecutio Iudaeorum, quae Christum ipsum in crucem egit, ac deinde s. Stephanum lapidavit; s. Iacobum maiorem per Herodem occidit; s. Petrum carceri mancipavit; per se autem Apostolos omnes flagellavit, s. Iacobum minorem de pinnaculo templi deiecit; Apostolum Paulum quinquies flagellatum, interficere saepe tentavit; et, quod per se Iudaei non poterant, per Gentiles efficere conabantur. *Concitabant* enim *gentes adversus fratres*, ut s. Lucas in Actis testatur. Iudaeis divino iudicio severissime castigatis, et partim occisis, partim dispersis, eversa civitate Hierosolyma, et Regno ab eis omnino sublato, successit persecutio paganorum, Domitiano inchoante, ac sequentibus Imperatoribus usque ad Constantinum magnum, summa crudelitate in Christianos grassantibus. Primus quidem persecutor paganus. Nero fuit; sed is adhuc durante persecutione Iudaica, atque ante Hierosolymam eversam, Iudaeis exultantibus, Christianos persequi coepit. Sed quoniam paganorum persecutio per intervalla quaedam nunc saeviebat, nunc pacem aliquam Christianis dabat, s. Cyprianus, et Eusebius Caesariensis observarunt, in ius vallis illis semper viguisse occultam persecutionem vitiorum, quae iram Domini ita provocabat, ut Dominus ipse novam persecutionem in populum suum grassari permitteret. Sed verba ipsorum audiamus.

Sanctus Cyprianus in sermone de lapsis, *Dominus*, inquit, *probari familiam suam voluit; et quia traditam nobis divinitus disciplinam pax longa corruperat, iacentem fidem, et pene dixerim, dormientem censura caelestis erexit: cumque nos peccatis nostris amplius pati mereremur, clementissimus Deus sic cuncta moderatus est, ut hoc omne, quod gestum est, exploratio potius, quam persecutio videretur.*

Eusebius Caesariensis in historia, *Verum*, inquit, *cum nos prae nimia quadam licentia in mollitiem delicatam, et dissolutam segnitiem essemus prolapsi, cumque alii aliis invidere, maledictis insectari, et prope nos ipsi inter nos petulantibus linguis, tamquam mutuis armis, oppugnare, et aliquando verborum contumelias velut hastas unus in alium intorquere, et Praesides Ecclesiarum alter alterius vires infringere, et populus in populum seditionem concitare inciperent: cumque ficta, et adumbrata sanctitatis species, quae oratione nequit exprimi, et simulatio fronte occultata ad immensam quandam pravitatem serpsisset divina ultio, dum permagna adhuc Christianorum ubique versabatur frequentia, parcius aliquanto, et remissius coepit in nos animadvertere. Sed ubi velut sensibus orbati nulla cura incubuimus, ut divinum numen placaremus, tum demum iuxta Ieremiam obscuravit in ira sua Dominus filiam Sion*, etc.

Postea vero quam persecutio Paganorum magna ex parte cessavit, exorta est persecutio haereticorum. Quamvis enim ab initio nascentis Ecclesiae, nonnullae haereses, quasi zizania in medio tritici apparuissent: tanta fuit tamen rabies Arianorum, qui Constantini temporibus exorti sunt, ut priores haeretici vix persecutores Ecclesiae dici potuerint. Itaque eiusdem Constantini tempore bella paganorum contra Ecclesiam extincta, et bella haereticorum exorta dici possunt. Durat autem adhuc hoc bellum, et durabit usque ad Antichristum: tunc enim exurget ultima persecutio, quae, ut erit omnium brevissima, sic erit omnibus terribilior. Sed ego nostra solum tempora considerare instituo, ut videam an hoc tempore gemere nos oporteat ob aliquam persecutionem; an potius gaudere, et laetari ob tranquillitatem, et pacem temporum nostrorum. Nisi autem valde decipior, video nostri temporis Ecclesiam, non una, vel altera, sed omnibus simul persecutionibus flagellari, excepta illa una, quam Antichristus novissimus excitabit.

Primum persecutio Iudaeorum nobis non deest: nam et per usuras Hebraei ubique fidelibus nocent, et ubi possunt Christianis imponunt, eosque decipiunt, et alicubi, sub specie Christianissimi infidelitatem suam occulte propagant. Persecutio quoque Paganorum in Turcis, et Saracenis renovata, multis in locis, non solum in Asia, et Africa,

sed etiam in Europa grassatur. Nec solum deflemus quotidie damna temporalia, sed etiam spiritualia cum non pauci deficiant a Christo ad Mahumetum. Accessit denique hoc nostro tempore persecutio Iaponica, non semel renovata, quae novellam illam Ecclesiam, paganico furore grassante, Martyrum sanguine redundare fecit. Persecutio autem haereticorum nescio an unquam fuerit maior, et terribilior, sive quoad multitudinem sectarum, sive quoad sollicitudinem avertendi Catholicos a vera fide, sive quoad crudelitatem in orthodoxis praesertim Sacerdotibus inaudita saevitia vexandis, atque trucidandis. In Oriente, et Meridie, adhuc vigent haereses antiquae Nestorii, et Eutychetis, in Occidente et Septentrione praeter nuper inventas haereses innumerabiles non desunt, qui renovare pergant Arianismum, et Ebionis, et Cherinti dogmata ante annos mille trecentos extincta, atque sepulta. Itaque persecutio haereticorum, quae nostra aetate viget, videtur ipsa sola omnes antiquas persecutiones superare. Quare si pii sumus, et si in membris Columbae vivis, et veris numeratur certe necesse est, ut compassionis lacrymas, non parce sed abundantissime profundamus. Quid enim? an non multis lacrymis digna est tot millium animarum caedes, quae propter falsa dogmata quotidie ad inferos detruduntur? et in tot provinciis vel imminutus, vel omnino sublatus veri Dei cultus? Sed quid dicemus de occulta persecutione vitiorum? hanc enim occultam dico, quia movetur a persecutionibus, qui non videntur, id est, a spiritibus immundis a principibus, et potestatibus aeris huius, quorum ignita iacula tanto gravius, et frequentius feriunt, quanto magis incautos adoriuntur.

Antiquis Patrum nostrorum temporibus, ut ex Cypriano, et Eusebio audivimus, quando vigebat persecutio una, cessabat altera, quoniam Deus, in cuius manu sunt omnia, ad sedandam persecutionem vitiorum, excitabat, vel excitari patiebatur persecutionem paganorum. Nunc autem omnes simul persecutiones patimur, et tamen nondum excitamur a somno, et nondum intelligimus gravissimam Dei manum esse, quae nos premit, et flagellat. Sed fortasse non viget hoc tempore persecutio vitiorum. Utinam id posset cum veritate dici. Ego enim in hac nostra Europae parte, quae per Dei gratiam libera est a persecutione Turcarum, et Haereticorum, scio audiri non raro blasphemias in Deum, et Sanctos, quales nec inter Turcas audiuntur. Et quales crimen est blasphemia tale? est, ut gravitate omnia peccata superet, ut s. Thomas vere affirmat: et in Testamento veteri, iussu Dei, ultimo supplicio, sine ulla misericordia, puniebatur. In quibusdam locis periuria, quae non longe absunt a blasphemia, adeo sunt frequentia, et familiaria, ut multi non erubescant, etiam in rebus clarissimis, falsa testimonia cum iuramento affirmare. Horreo de carnalibus flagitiis aliquid dicere, de homicidiis, de furtis, de maledictis, in quibus omnibus impletur verbum Oseae Prophetae: *Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit.* Ubi illa vox, *inundaverunt*, significat peccatorum omnis generis abundantiam tantam, quanta esse solet aquarum, quando in alveo fluminis non capitur, sed extra ripas effunditur, et campos vicinos inundat. Illud etiam, *sanguis sanguinem tetigit*, eandem multitudinem peccatoribus designat: sanguis enim in Scripturis saepe pro peccato accipitur, et tunc sanguis sanguinem tangere dicitur quando non est hoc loco una gutta sanguinis, et altera in altero, sed rivi sanguinum ubique decurrunt, et coniuncti in unum, quasi flumen, aut lacum efficiunt. Quid de luxu, et pompis, et vanitatibus dicam? an non quotidie ista crescunt, quasi in sacro Baptismo nuncium non remiserimus diabolo, et pompis eius? Quid de cupiditate cumulandi aurum, et argentum, et augendi patrimonia, et reditus, et coniungendi, ut loquitur Isaias, agros ad agros, et domos ad domos, quasi nulli sint in mundo pauperes, quibus superflua dari possint? Legant Episcopi s. Bernardum in epistola ad Henricum Senonensem Archiepiscopum: legant Clerici eundem auctorem in Declamatione super illa verba, *Ecce nos reliquimus omnia*. Legant omnes tum Clerici, tum laici sermonem tricesimum tertium eiusdem in Cantica, et tum iudicent, quid de nostri temporis Christianis existimare debeant. Et quoniam locus postremus brevissimus est, non gravabor ipsa eius verba ponere: *En*, inquit, *tempora ista libera quidem, Deo miserante, ab utraque illa malitia*, paganorum videlicet, et haereticorum, quos significari docuit per timorem nocturnum, et sagittam volantem per diem: *sed plane foeda a negotio perumbulante in tenebris. Vae generationi huic a fermento Pharisaeorum, quod est hypocrisis, si tamen hypocrisis dici debet, quae iam latere prae abundantia non valet. Serpit hodie putida tabes per omne corpus Ecclesiae, et quo latius, eo desperatius, eoque periculosius, quo interius. Nam si insurgeret apertus inimicus haereticus, mitteretur foras, et aresceret, nunc vero quem eiiciet, aut quo abscondet se? Omnes amici, et omnes inimici: omnes necessari, et omnes adversari: omnes domestici, et nulli pacifici; omnes proximi, et omnes, quae sua sunt quaerunt. Ministri Christi sunt, et serviunt Antichristo: honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus. Regius apparatus. Inde aurum in fraenis, in sellis, et calcaribus, et plus calcaria, quam altaria fulgent. Inde splendidae mensae et cibis, et scyphis. Inde commessationes et ebrietates: inde cithara, et lyra, et tibia: inde redundantia torcularia, et promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud: inde dolia pigmentaria: inde referta marsupia. Pro huiusmodi esse volunt Ecclesiarum praepositi, Decani, Archidiaconi, Episcopi, et Archiepiscopi. Olim praedictum est, et nunc tempus impletionis advenit, Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara prius in nece Martyrum, amarior in conflictu Haereticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum*, haec sanctus Bernardus, cui comitem addere placet sanctum Cyprianum. Is in sermone de la-

psis rationem reddere volens, cur Deus permisisset persecutionem, ait ; *Studebant augendo patrimonio singuli, et obliti quid credentes, aut sub Apostolis ante fecissent, aut semper facere deberent insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in Sacerdotibus religio devota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina : corrupta barba in viris in foeminis forma fucata. Adulterati post Dei manus, oculi, capilli mendacio colorati ad decipienda corda simplicium, callidae fraudes, circumveniendis fratribus subdolae voluntates ; non iurare tantum temere, sed adhuc etiam peierare; Praepositos superbo tumore contemnere; venenato sibi ore maledicere; odiis pertinacibus invicem dissidere ; Episcopi plurimi, quos et hortamento esse oportet caeteris, et exemplo, divina procuratione contempta, procuratores rerum secularium fieri, derelicta cathedra plebe deserta, per alienas provincias oberrantes, negotiationis quaestuosae nundinas aucupari ; esurientibus in Ecclesia fratribus non subvenire; habere argentum largiter velle ; fundos insidiosis fraudibus rapere ; usuris multiplicantibus foenus augere. Quid non perpeti tales pro peccatis eiusmodi meremur ?* Haec Sanctus Cyprianus.

Perpendant igitur nostrae aetatis homines, an ea, quae deplorant sanctissimi isti viri in moribus suorum temporum, non sint omnino similia peccatis temporum nostrorum : ob quae nos quoque lugere assidue, ac gemere debeamus. Adde, quod quemadmodum veteres illi populi habuerunt suos Cyprianos, suos Bernardos, qui caeteris vita, et exemplo praelucebant, et propterea inexcusabiles erant, qui ad illa lumina oculos claudebant : sic et nos habuimus diebus nostris non paucos viros sanctissimos : quorum mores, et vita reliquis omnibus regula bene vivendi esse potuerunt. Sed nos potissimum, qui Ecclesiastici sumus, habuimus sanctum Carolum, quasi lucernam lucentem in caliginoso loco, eamque non sub modio, sed super candelabrum celsissimum, unde lucebat omnibus qui in domo Dei sunt.

Qualis autem fuerit ex comparatione eorum, quos sancti Patres Cyprianus, et Bernardus reprehendunt, facile cognosci poterit. Illi cathedram, id est, munus concionandi, Episcorum proprium relinquebant: iste cathedram non reliquit, nisi cum vita eum reliquit. Illi plebem deserentes ad temporales nundinas in aliis provinciis vagabantur : iste plebem sibi a Deo creditam numquam deseruit, nisi quando plebis suae utilitas, vel necessitas compulit. Illi fratribus pauperibus non providebant, sed argentum largiter possidere gaudebant : iste patrimonium suum, ut haberet unde pauperibus largiter subveniret, cum gaudio distribuebat. Illi non erubescebant usuris multiplicantibus foenus augere : iste miserebatur inopum, ut Domino soli foeneraretur, sciens scriptum esse, *Qui miseretur pauperum, foeneratur Deo.* Illi non multum laborabant, quod non esset in Sacerdotibus Religio devota, in ministris fides integra, in moribus disciplina : iste dies, ac noctes excubabat, ut restitueretur in Ecclesia sua pristina Cleri, ac populi ecclesiastica disciplina. Inde iam multas habemus ab ipso posteris relictas constitutiones, ordinationes, admonitiones. Atque haec ex Cypriano. Addamus pauca ex Bernardo. Episcopi, quos s. Bernardus corripit honorati incedebant de bonis Domini, qui Domino non serviebant: iste in publico utebatur vestitu, quae dignitas exigebat, sed privatim viles et attritas vestes gerebat, Domino autem ita serviebat, ut verbo Dei, et orationi semper intentus noctes insomnes non raro traduceret. Illi splendidas mensas et cibis, et scyphis habere volebant : hic vulgarem mensam, et scyphis communibus, non aureis, vel argenteis utebatur. Illi commessationibus, et ebrietati operam dabant : hic saepe ieiunans, et pane, et aqua, ut plurimum, contentus erat. Illi citharam, et lyram, et tibiam in conviviis adhibebant : istius ad mensam sola Scripturarum sanctarum verba sonabant. Illi redundantia torcularia, et promptuaria plena, et dolia pigmentaria, et praecipue referta marsupia habere gaudebant: iste modestiam, et paupertatem Christi amans, cum dives esset, egenus factus est, nec solum patrimonium in egenos consumpsit, sed etiam multa pinguia beneficia ecclesiastica, quibus a Pontifice maximo avunculo suo ditatus fuerat, novo exemplo sponte dimisit. O beatum Pontificem, ac vere Christi amantem, et imitantem discipulum ! O nos beatos, si imitari non pigeat, quem laudare delectat ! O nos vere miseros, et omni lacrymarum fonte plangendos, si tanto proposito ante oculos nostros exemplo, et quasi lucidissimo vitae perfectae speculo deformia nostra non viderimus, neque emendare diligentissime studuerimus !

CAP. V.

De quinto fonte lacrymarum, qui est consideratio ordinis Sacerdotalis.

Quamvis capite superiore generatim considerarem Ecclesiae Catholicae miserias, et pauca quaedam attigerim in particulari de Praelatis, et subditis : quia tamen magna res agitur, cum Ecclesiae morbi, et vulnera considerantur, ut ad ea curanda lacrymarum remedia pro viribus adhibeamus : visum est seorsim de singulis Ecclesiae membris ea scribere, quae Dominus inspirare dignabitur.

Tria sunt Ecclesiae membra praecipua. Primum eorum est, qui in statu perfectionis adeptae esse dicuntur, qui sunt Episcopi Ecclesiarum Principes, et magistri, quibus adiungimus Presbyteros, qui sunt minores Sacerdotes, atque eorum administros. Alterum est eorum, qui sunt in statu perfectionis adipiscendae ; id est, qui relicto seculo, et secularibus curis, profitentur se ad perfectionem vitae Christianae velle tendere, quales sunt Regulares omnes, sive Eremitae, sive Coenobitae, tam viri, quam foeminae. Tertium est laicorum, qui suscipiunt curam familiae, uxoris, liberorum, servorum; vel etiam Rempublicam administrant, et ea, quae pertinent ad pacem, vel bella procurant. Ac ut a

primo membro incipiamus, exponam breviter, quid Magister gentium requirat in Episcopis, qui sunt Apostolorum successores: ex qua doctrina unusquisque per se diiudicare poterit, an hoc membrum ita laboret, ut lacrymarum fomenta requirat. Qualis autem debeat esse Praelatus Ecclesiasticus docet Apostolus in primis illis verbis epistolae ad Romanos: *Paulus servus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei.* In his enim verbis continentur tres qualitates Apostolorum, et eorum, qui illis succedunt, videlicet Episcoporum, et aliorum, qui Episcopis vel pares sunt, vel maiores, et suo etiam modo Presbyterorum. Haec enim ratio est, cur idem Apostolus erudiens Ecclesiasticos, primum alloquitur Episcopum, deinde transit ad Diaconos; de aliis nihil dicit, quia in Episcopis erudiebat etiam Presbyteros, qui sunt secundi ordinis Sacerdotes: et in Diaconis, qui sunt principes ministrorum, erudiebat etiam Subdiaconos, et caeteros omnes ministros.

Prima igitur qualitas Episcoporum, et omnium aliorum Ecclesiasticorum, est, ut sint servi Christi, et servi Christi non quocumque modo, sed proprie, id est, toti addicti obsequio Christi, ut spoliatis omni alia cura, et sollicitudine, unum negotium sit, Christo famulari in lucro animarum. Servus enim quicquid est Domini sui est; quicquid habet, Domino suo habet; quicquid potest, Domino suo potest. Tales fuisse Apostolos perspicuum est ex illis verbis b. Petri: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te,* et ex illis b. Pauli: *Labora sicut bonus miles Christi Iesu. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* Denique ex vita et rebus gestis ipsorum. Scimus enim Apostolos non fuisse occupatos in ullis rebus temporalibus acquirendis, vel agendis, sed in sola Christi gloria, et animarum salute quaerenda laborem, et studium, et vitam ipsam impendisse. Scimus etiam Apostolos rerum temporalium, quas Ecclesia possidebat curam aliis demandasse, ut ipsi rebus spiritualibus, quae ad officium ipsorum potissimum pertinebant, possent incumbere. *Non est aequum,* inquiunt Apostoli, *nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis.* Quod ipsum faciendum esse Episcopis Apostolorum successoribus, docet Concilium Carthaginense quartum, his verbis: *Episcopi nullam rei familiaris curam ad se revocent, sed lectioni, et orationi, et verbi Dei praedicationi solummodo vacent.* De qua re s. Bernardus ita loquitur in libro de consideratione: *Quid,* inquit, *Episcopo turpius, quam incumbere supellectili, et substantiolae suae? scrutari omnia, sciscitari de singulis, morderi suspicionibus, moveri ad quaecumque perdita, vel neglecta? Non sic ille Aegyptius, qui Iosepho omnibus traditis, ignorabat quid haberet in domo sua. Erubescat Christianus Christiano sua non credens. Homo sine fide fidem tamen habuit servo, super omnia bona sua constituens eum, et hic erat alienigena. Mira res. Satis superque ad manus habent Episcopi, quibus animas credant: et cui suas committant facultates, non inveniunt. Optimi videlicet aestimatores rerum, qui magnam de minimis, parvam aut nullam de maximis curam gerant. Sed ut liquido datur intelligi, patientius ferimus Christi iacturam, quam nostram. Quotidianas expensas quotidiano reciprocamus scrutinio; et continua Dominici gregis detrimenta nescimus. De pretio escarum, et numero panum cum ministris quotidiana discussio est; rara admodum cum Presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum, Cadit asina, et est, qui sublevet eam; perit anima, et nemo qui reputet. Nec mirum, cum ne nostros quidem assiduos sentiamus defectus,* haec s. Bernardus.

Porro cur pauci ex Praelatis veri servi Iesu Christi dici possint, una ex praecipuis causa est, quia non expectant vocationem Dei, quae est secunda qualitas Episcopi, ut cum b. Paulo dicere possint, *Vocatus Apostolus*, id est vocatus a Deo ad Apostolatum: qui enim se ipsi intrudunt, aut certe quaerunt, et petunt Ecclesiis praefici, mirum esset, si quaererent, quae sunt Iesu Christi, et non potius, quae sua sunt. Qui autem quaerunt quae sua sunt, certe non servi Iesu Christi, sed suarum cupiditatum mancipia sunt. Et illi quoque qui non per se quaerunt Episcopatum, sed ab alio accipiunt, non quod sint caeteris aptiores, et digniores, et Ecclesiae, utiliores; sed quod sint propinqui sanguine, vel quod magnos viros fautores habeant, non vocantur a Deo, sed a carne, et sanguine; nec Iesu Christi, sed hominum servi fiunt: ac per hoc mirum non est, si non se totos Christi obsequio impendunt, cum non propter Christum vocati sint, sed propter opes augendas, vel familias nobilitandas. Recte igitur s. Bernardus ad monet Eugenium Papam in 4. libro de consideratione, *Alius,* inquiens, *pro alio, alius fortasse, et pro se rogat; pro quo rogaris, suspectus sit: qui ipse rogat pro se, iam iudicatus est.* Et infra: *Itaque non volentes, neque currentes assumito, sed cunctantes, sed renuentes, etiam coge illos, et compelle intrare.*

Quod autem sit officium vocatorum a Deo, explicat Apostolus in sequentibus verbis, *Segregatus in Evangelium Dei,* quae est tertia qualitas, sive conditio. Siquidem primarium Episcopi munus est Evangelii praedicatio. Id constat primum ex eo, quod Dominus Apostolis ait, *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Quorsum autem miserit Filium suum Pater, ex prophetia Isaiae declaravit ipse idem Filium dicens: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me evangelizare pauperibus misit me.* Ecce officium Christi: ecce officium eorum, qui legatione funguntur pro Christo. Et quidem hoc officio ita diligenter, ita accurate, ita assidue perfunctus est Christus, ut perpetuo discurrerit per civitates, et castella praedicans Regnum Dei. Nec solum in templo, et Synagogis, sed in campis, in desertis, in montibus, in mari, in privatis domibus, discumbens in mensa, deambulans in via, denique semper, et ubique meminerit se missum ad Evangelium praedicandum. Deinde Apostoli, quibus Episcopi succedunt, munus suum proprium declaraverunt, cum dicerent:

Nos orationi ; et ministerio verbi instantes erimus, et Apostolus Paulus in priore ad Corinthios: *Non misit me Christus* , inquit, *baptizare , sed evangelizare*, et rursus; *Si evangelizavero, non est mihi gloria : necessitas enim mihi incumbit. Vae enim mihi, si non evangelizavero*, et Timotheum Episcopum admonens ait ; *Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra . increpa in omni patientia, et doctrina.* Quid iam de beatissimo Ioanne dicam ? Is adeo necessarium sibi esse duxit officium praedicandi, ut cum iam in decrepita aetate ad Ecclesiam per manus discipulorum vix deferretur, et non posset in plura vocem verba contexere , nihil aliud soleret, per singulas proferre collectas,nisi, *Filioli, diligite alterutrum* . cuius rei testis est sanctus Hieronymus lib. 3. Commentariorum epistolae ad Galatas. Itaque dilectus Domini discipulus, et Magistri sui diligens imitator, ad ultimum usque spiritum,eo modo, quo potuit, praedicationis munere fungi voluit. Hoc ipsum declaravit Concilium Carthaginense quartum docens, Episcopum lectioni, et orationi, et praedicationi verbi Dei tantummodo vacare debere. Cui consonat sanctus Gregorius cum ait : *Episcopi est. de praedicationis ministerio semper cogitare.* Denique Episcopos veteres per multa secula hoc ipsum probe intellixis se, ipsorum scripta testantur. Maxima enim pars scriptorum Cypriani, Athanasius Basilii Nazianzeni, Chrysostomi, Ambrosii, Cyrilli, Augustini, Maximi, Leonis,Gregorii, et aliorum,nihil sunt aliud. nisi ad populum habitae conciones. Sed, inquiunt, alia nunc sunt tempora, alii mores. Ita est, alia sunt tempora, alii mores, sed non alia obligatio. Cur enim in consecratione Episcorum nunc etiam dicitur : *Accipe Evangelium, vade, praedica populo tibi commisso* ?

An non timere debent Episcopi sic ordinati, ne in iudicio audiant: Cur praedicationis officium suscepisti,si illud adimplere nolebas?Et si alia nunc obligatio esset, cur in ipso Concilio generali, nostro tempore celebrato, disertis verbis diceretur, praedicationis munus praecipuum esse inter Episcopalia munera? Et cur adhuc in Ecclesiis cathedra sublimis Episcopis erigitur , nisi ut ex edito loco populum doceant ? Non dedimus inquiunt , operam sacris literis, sed iurisprudentiae, neque in praedicatione, sed in iudiciis versati sumus. At neque sanctus Ambrosius , neque sanctus Gregorius praedicationi operam dederant , sed forensibus iudiciis. Et tamen vocati ad praefecturam Ecclesiae, continuo lectioni Scripturarum , et praedicationi verbi Dei operam dare coeperunt. Quod idem fecit nostro tempore sanctus Carolus Cardinalis , qui cum iurisprudentiae operam dedisset, et usum concionandi non haberet, et linguae quoque impedimentum paterctur: omnes tamen difficultates Christi amore , et officii sui adimplendi desiderio superavit, et assidue uberrimo cum fructu usque ad mortem Evangelium praedicavit. Denique, inquiunt,multi sunt hoc tempore praedicatores verbi Dei ex ordinibus religiosis. Verum est id quidem: sed illi vocati sunt in adiutorium Episcoporum,non ut proprium munus ipsorum impediant, neque adiuvari dicitur , qui nihil facit : et Christus ipse Apostolos duodecim, et septuaginta duos discipulos misit ad praedicandum , ut se in eo munere quodammodo iuvarent: et tamen non ideo intermisit ipse assidue praedicare, et de Pastore ait: *Vocem eius audiunt,et eum sequuntur.* Itaque si Episcopi pastores sunt , ut omnino esse debent , id quoque eos praestare necesse est, ut oves vocem eorum audiant, ipsorumque vitam, et exempla sequantur.

Ex quo etiam manifeste sequitur, ut omnino residere apud gregem suum teneantur. Quomodo enim oves audient pastorem absentem? et quomodo eum sequentur, si eum non vident? Sed est praeterea alia diligentia adhibenda Pastori , ut non cito manus imponat,de qua re idem Apostolus admonuit Timotheum. Quemadmodum enim ipse vocatus est ad munus pastoritium , sic debet ipse vocare ministros, quos idoneos censet, et non facile manus imponere. Ex facilitate enim manus imponendi factum est,ut hoc tempore sit prope infinita turba Clericorum,quorum plurimi non aspirant ad sacros ordines,ut sit Dominus pars eorum sed vel ut subtrahant se a foro seculari,vel ut subsidium quaerant vitae temporalis, vel ut ad honores Ecclesiasticos aliquando conscendant. Atque hinc fit , ut multi circumeant cum magna iactura Ecclesiasticae dignitatis sordidi , ac pene nudi stipem ostiatim mendicantes : alii vero , quod multo gravius est culpa sua etiam Sacerdotes inveniantur in publicis carceribus , vel catenis alligati in triremibus, cum ultima hominum faece ad remos trahendos , assidua fustigatione cogantur. *Imploremus*, inquit s. Gregorius, *Ieremiae lacrymas , et dicamus , Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus* ? Olim non licebat Sacerdotibus publicam poenitentiam agere ob reverentiam ordinis sacri, et si graviter castigandi erant , in monasteriis ad poenitentiam agendam mittebantur: et nunc licet eos cum facinorosis, et scelestis in carceribus publicis detinere, vel etiam ad triremes amandare. Neque haec dico , ut Iudices reprehendam . sed ut temporum nostrorum calamitatem deplorem, quae non paucos tam perditos nacta est Sacerdotes, ut opus sit, publica, et gravissima ignominia cum summo dolore coniuncta eos notare.

Sed aliud est etiam lacrymis uberrimis dignum, quod ob nonnullorum Sacerdotum incuriam, aut impietatem sacrosancta mysteria tam indecore tractentur, ut qui illa tractant,videantur non credent Maiestatem Domini esse praesentem. Sic enim aliqui sine spiritu, sine affectu, sine timore , et tremore , festinatione incredibili sacrum perficiunt, quasi fide Christum Dominum non viderent , aut ab eo se videri non crederent.Omitto quod alicubi vasa sacra, et vestes, quibus mysteria celebrantur vilia, et sordida inveniantur,indigna prorsus,quae ad tremenda mysteria adhibeantur. At forte qui haec adhibent, pauperes sunt. Id quidem fieri potest, sed si pretiosa non possunt , saltem munda, et nitida procurarent. Ego tamen cum aliquando ex itinere apud Episcopum nobilem et praedivitem hospitarer , vidi aulam vasis argenteis splen-

didam et mensam omni genere praestantium ciborum refertam,mappas quoque, et reliqua omnia nitida, et odorem suavem spirantia: sed cum die sequente summo mane ad Ecclesiam Palatio contiguam descendissem, ut sacris operarer, inveni omnia contraria, id est, vilia, et sordida, ut vix auderem in tali loco, et cum tali apparatu divina mysteria celebrare. Scio non deesse in Ecclesia Dei multos optimos, et religiosissimos Sacerdotes qui corde mundo, et nitidissimo apparatu divina mysteria celebrant, pro quibus gratiae Deo ab omnibus agendae sunt: sed simul etiam fontibus lacrymarum plangendi sunt non pauciores, qui exteriore turpitudine, et sordibus,animi sui impuritatem, sordesque testantur.

CAP. VI.

De sexto fonte lacrymarum, qui est consideratio ordinum Religiosorum.

Ordines religiosi quemadmodum in suis bonis membris materiam praebent fidelibus omnibus gloriandi, et Deum laudandi: sic etiam contra, in suis membris malis fontem nobis aperiunt inconsolabilium lacrymarum. Vere enim scripsit s. Augustinus, non se vidisse meliores iis,qui in monasteriis profecerunt, neque deteriores iis, qui in monasteriis defecerunt. Regulares enim similes esse videntur ficubus Ieremiae,inter quas,quae bonae erant,erant bonae valde, et quae malae, malae valde.Referam paucis ex testimoniis quatuor insignium Doctorum, quales fuerint olim Monachi; deinde veniam ad multorum ruinam,et casum miserabilem deplorandum.

Sanctus Gregorius Nazianzenus in Apologia de fuga sua, cum descripsisset bona Monachorum sui temporis, *Talis*, inquit, *est Christi pars,talis passionum Christi fructus, quem ipse de terra ad Patrem defert. Religionis, inquam, Christianae columen, populi decus mundi fundamentum, cum caelestibus pulchritudinibus elegantia propemodum certans.*

S. Joannes Chrysostomus sic loquitur: *Si quis nunc ad Aegypti veniat solitudinem, paradiso prorsus omnem illam eremum videbit digniorem et innumeros Angelorum choros in corporibus fulgere mortalibus.Est enim cernere tota illa regione diffusum exercitum Christi et admirabilem illum regium gregem, virtutumque, caelestium conversationem in terris micantem.*

S. Hieronymus in epistola ad Heliodorum: *O desertum*, inquit, *Christi floribus vernans! O solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas magni Regis extruitur! O eremus familiarius Deo gaudens.*

S. Augustinus in libro de moribus Ecclesiae: *Nihil*, inquit, *de iis dicam,qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu pane solo, et aqua contenti desertissimas terras incolunt,perfruentes colloquio Dei,cui puris mentibus inhaerent, et eius pulchritudinis contemplatione beatissimi, quae nisi Sanctorum intellectu percipi non potest.* et paulo post: *Hoc tam excellens fastigium sanctitatis,cui non sua sponte mirandum, et honorandum videtur, oratione nostra videri qui potest*: haec de sanctitate Anachoretarum.

Sed ne videantur soli Anachoretae omni laude dignissimi esse indicandi, addam duo testimonia pro Coenobitis. Sanctus Hieronymus in epistola ad Eustochium de custodia virginitatis, scribit totum ordinem vitae Coenobitarum, ex quo apparet angelicam plane fuisse conversationem Monachorum illius temporis. Non adscribo verba,quia longissima oratio est. Sanctus quoque Augustinus in libro de moribus Ecclesiae, postquam de Eremitis narravit quae paulo ante retulimus, de Coenobitis ita subiungit: *Sed si hoc* (vita solitaria) *excedit nostram tolerantiam, quis non illos miretur, et praedicet, qui contemptis, atque desertis mundi huius illecebris, in communem vitam castissimam, sanctissimamque congregati simul aetatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus; nulla superbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti,nulla invidentia lividi,sed modesti,verecundi,pacati concordissimam vitam et intentissimam in Deum,gratissimum ipsi munus offerunt a quo ista posse meruerunt? Nemo quicquam possidet proprium nemo cuiquam onerosus est. Patres vero non solum sanctissimi moribus,sed etiam divina doctrina excellentissimi,nulla superbia consulunt his, quos filios vocant,magna sua in iubendo auctoritate, magna eorum in obediendo voluntate.* Denique post multa alia,quae nimis longum esset hic ponere,inter quae illud est, quod sub uno Patre conveniunt ut minimum Monachorum tria millia, ita concludit: *Ilos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum si laudare velim, nec digne valeo,et vereor ne iudicare videar, per se ipsum tantummodo expositum placere non posse, si super narratoris simplicitatem, cothurnum etiam laudatoris addendum putavero.*

Quae autem sancti Patres Nazianzenus, Chrysostomus, Hieronymus, et Augustinus de Monachis sui temporis dicunt, possumus nos etiam dicere de primordiis omnium ordinum Religiosorum. Nam et sancti Benedicti, et sancti Dominici, et sancti Francisci, et omnium aliorum Sanctorum, qui religiosos ordines instituerunt, filii, et nepotes per multos annos ita sancte, pie, perfecteque vixerunt, ut vel omnes vel eorum pars maxima insigni sanctitate floruerint. Postea tamen multiplicari coeperunt regulares sine numero, et multi non a Deo vocati ad statum perfectionis, sed aliis rationibus adducti monasteria repleverunt: et impletum est illud Isaiae, *Multiplicasti gentem,non magnificasti laetitiam.* Inde nata sunt scandala gravia, et multiplicia, omnibus nota, quae materiam uberem praebent columbae gemendi,et plangendi relaxationem, ne dicam corruptionem, ordinum religiosorum. Quamvis enim nullus sit ordo religiosus, in quo non aliqui vere pii, sanctique, reperiantur; tamen negari non potest,quin magna inveniatur in quibusdam ordinibus multitudo relaxatorum. Et fortasse impletur nostris temporibus quod accidit ordini s. Pachomii.

Et quia res est tremenda valde, eamque ego sine magno horrore referre non possum, verba ipsa auctoris adducam. Auctor autem est Dionysius Exiguus Abbas Romanus, scriptor egregius, qui vitam s. Pachomii ex Graeco auctore fideliter Latinitate donavit. Is ergo in ea historia cap. 45. sic loquitur: *Monachis ad vescendum convenientibus venerabilis senex*, Pachomius, *in cellulam, ubi consueverat supplicare Domino, se recepit: et observans ostium orabat intente, et obsecrabat Dominum quatenus ei declararet statum Monachorum, qui futurus esset vel quid post eius obitum, in tanta congregatione contingeret. Et ab hora nona usque ad illud tempus, quo frater, qui nocturnis orationibus praerat, vocem mitteret, et ad preces solitas excitaret, instantiam suae supplicationis extendit. Cumque precaretur attentius, subito circa mediam noctem visionem cernit, quae eum iuxta petitionem propriam de statu posterorum suorum plenius edoceret. Nam monasteria sua vehementius dilatanda, nonnullosque pie victuros et continenter agnovit: neglectores etiam plurimos didicit, suamque salutem penitus esse perdituros*, haec ille, qui satis aperte denunciat ex maxima Monachorum multitudine nonnullos, id est, paucissimos pie victuros, et salvandos; plurimos autem neglecturos, et salutem perdituros.

Pergit deinde auctor, et visionem ipsam explicat: *Vidit*, inquit, *sicut ipse narravit, multitudinem Monachorum in valle quadam profunda satis atque caliginosa consistere, et alios exinde velle conscendere, nec valere, quia occurrebant ex adverso sibi, nec invicem dignoscere poterant nec de profundo illo, et tenebroso loco prorsus emergere: alios autem frustra conatos prae lassitudine ruere, atque ad inferos pervenire: alios autem iacentes miserabili, ac lacrymosa voce deflere: nonnullos vero cum maximo labore conscendere, quibus ascensu ipso lux protinus occurrebat, in qua constituti referebant Deo gratias, quod evadere potuissent*, haec est visio sancti Pachomii. Ex qua colligitur primum, principium relaxationis Regularium esse caecitatem mentis, ut idem Pachomius interpretatur. Ideo enim dicitur multitudo Monachorum visa esse in valle profunda, tenebrosa et caliginosa; quia multitudo ex monte perfectionis cecidit ad vallem profundam nimiae relaxationis, comitante eos caligine mentis: non enim duxit eos stella ad praesepium Christi, id est, non traxit eos divina vocatio ad humilitatem Christi sectandam, sed carnalis sensus, qui mentem excaecat, duxit illos, vel ad vitam commodiorem, cum essent pauperes, vel ad honores ambiendos in Religione, cum in seculo non invenirent, qua via possent ascendere: vel alio aliquo humano consilio vestem sanctam induerunt, sed mores non mutaverunt. Et quid mirum, si multi vestem religiosam induunt, et mores religiosos non induunt, cum non Spiritus Domini, sed carnalis sensus eos ad ordinem religiosum duxerit? Et unde contentiones pro praefecturis, et inimicitiae, ac rixae in domo Dei, quae est domus pacis, nisi quia plurimi non missi sunt ab eo, qui dixit, *Tollite iugum meum super vos; et Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde*? Quare si ii, qui praesunt ordinibus religiosis velint ordinem suum reformare, et ex valle ad montem ducere, oportet eos diligentissime vigilare in exploranda vocatione eorum, qui habitum petunt, nec tantum verbis explorare interrogando, sed etiam factis exercendo novitios suos longo tempore in mortificatione passionum. Sed pergamus in explicanda visione Pachomii. In valle illa profunda quatuor Monachorum genera sanctus Pachomius, vidit: primum est eorum, qui conabantur ascendere, sed impediebantur ab iis, qui illis occurrebant, qui inter se non noverant. Hoc significat non deesse in ordinibus relaxatis, qui cupiant ascendere ad montem perfectionis: sed impediuntur malis exemplis aliorum, qui verbis, et factis a bono proposito resilere quodammodo cogunt. Dicuntur autem isti non se invicem cognoscere, quia putantur amici et fratres, et sunt hostes, et inimici.

Alterum genus est eorum, qui multum laborant in ascendendo, sed brevi fatigantur, et corruunt usque ad inferos. Id vero significat, inveniri etiam in ordinibus relaxatis, qui non solum cupiant ascendere ad perfectionem, ac plenam regulae observantiam; sed etiam incipiunt laborare in superandis tentationibus, et extinguendis concupiscentiis: sed victi antiqua consuetudine, tandem resiliunt a bono proposito; et ad sempiternum interitum ruunt.

Tertium est eorum, qui iacentes gemunt, ac plorant, id est qui ne conantur quidem ad montem ascendere, et cum exultatione cantare canticum graduum; sed iacent in sterquilinio suo torpentes, et assidue gemunt, ac plorant, non peccata sua sed paupertatem, vel ignominiam, vel labores ad quos inviti a Praefecto coguntur. O vitae genus miserabile. Illi sine divina consolatione affliguntur et sine bono merito laborant, et sic transeunt a labore ad dolorem, et a mortificatione temporali ad mortem sempiternam; qui si vellent ea, quae patiuntur inviti, libenter pro Christo pati, iugum suave, et onus leve experirentur in terris, et ingens praemium lucrarentur in caelis.

Quartum genus eorum est, qui serio, et invicto animo aggrediuntur ascensionem de valle lacrymarum ad montem divinae consolationis; et omnes difficultates forti animo superant: ac tandem ad mortem usque, perfectionem vitae sectando, perseverant. Istis occurrit lux copiosa, quia paulatim purificatur cor eorum a nebulis errorum, et cognoscitur veritas, et veritas liberat. Sic enim loquitur Dominus; *Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos*. Qui enim purificante, et illuminante Domino, incipit intelligere, nihil esse vere magnum, nihil vere suave, nihil vere utile hominibus, nisi gratiam Dei, in hac mortali vita, et in futura vitam aeternam: liberatur facile ab amore, et timore mundano, et ingreditur viam pacis, per quam ambulat securus, et gaudens, donec perveniat ad civitatem sanctam Ierusalem caelestem. Et quoniam in ore duorum testium, praesertim omni exceptione maiorum, stat omne verbum, placet addere visionem s. Francisci, quam de progressu ordinis sui ali-

quando vidit, similem illi, quae demonstrata fuit Regi Nabuchodonosor per similitudinem statuae grandis cuius caput erat aureum, pectus argenteum venter aereus, tibiae ferreae, pedes partim ferrei, partim fictiles. In qua visione multa leguntur de insigni perfectione primorum Patrum illius ordinis et de magna relaxatione posterorum. Consulat lector Chronicum fratrum minorum. Ex quibus omnibus colligitur, agendas esse gratias Deo cum ingenti laetitia pro tot cum sanctis hominibus, quos ordines religiosi Ecclesiae Catholicae peperererunt et in dies pariunt; et simul etiam fundendas lacrymas copiosas pro deformatione, quam passa est tam illustris portio gregis Christi; et simul orandum assidue Deum, ut convertat corda patrum in filios, et relaxatos filios ad prudentiam spiritualem et fervorem cordis patrum iustorum.

CAP. VII.

De septimo fonte lacrymarum, qui est consideratio status secularium.

Restat consideratio status secularis; ex qua consideratione fons non exiguus lacrymarum erumpet, si attente cogitemus, quales esse debeant omnes Christiani, et quales hoc tempore sint. Quales esse debeant omnes Christiani, etiamsi laici sint, Scriptura docet, cum affirmat, eos sanctos esse debere, id est, puros, et immaculatos: quod enim seculares Clericis, et Regularibus dicunt, Nos in mundo sumus, et secularibus negotiis implicamur, ideo sancti esse non possumus: ad vos pertinet vita spiritualis, et sancta, qui de mundo ad serviendum Deo vocati estis, in aliquo sensu verum est. Debent enim Clerici, et Regulares maiore sanctitatis perfectione praediti esse, quam laici, qui coniugum, filiorum, et Reipublicae curam suscipiunt. Sed tamen ipsi quoque seculares et laici sancti esse debent, si partem velint habere in Regno Christi, et Dei.

Primum enim Apostolus Paulus in ipso principio epistolae ad Romanos, ita scribit; *Paulus servus Iesu Christi, vocatus Apostolus, omnibus, qui sunt Romae, dilectis Dei, vocatis sanctis*, etc. Itaque sicut de se dixerat, *vocatus Apostolus*, id est, vocatione Apostolus, sive vocatus ad Apostolatum sic de aliis Christianis dicit, *vocatis sanctis*, id est, vocatis ad sanctitatem. Id quod explicat clarius in epistola ad Ephesios; *Elegit*, inquit, *nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati*, et infra: *Fornicatio*, inquit *et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quae ad rem non pertinet.* Hic certe Apostolus non alloquitur solos Clericos, aut Monachos, sed omnes Christianos, quos tam sanctos esse debere docet, ut non solum caveant a fornicatione, et omni immunditia et avaritia, sed etiam ignorent vocabula talium scelerum, vel flagitiorum.

Similia praecipit Princeps Apostolorum Petrus cum ait; *Secundum eum, qui vocavit vos, sanctum et vos in omni conversatione sancti sitis, sicut scriptum est, Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* Deinde non soli Clerici, et Regulares debent exire de mundo, et non esse de mundo, nec diligere mundum. Scribit enim b. Paulus omnibus Corinthiis, quorum pars maxima laicorum erat: *Debueratis de hoc mundo exisse.* Et s. Jacobus; *Nescitis*, inquit, *quia amicitia huius mundi inimica est Dei? quicumque ergo voluerit amicus esse seculi huius, inimicus Dei constituitur.* Sanctus quoque Ioannes non excipit laicos, vel seculares, cum ait; *Nolite diligere mundum, neque ea, quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.*

Denique Christus Dominus omnibus loquitur, cum ait; *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.* Odisse autem patrem et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et ipsam etiam animam, id est, vitam, ad perfectam charitatem pertinet. Illa enim sola charitas est, quae potest hoc efficere, ut homo paratus sit ea alacritate vitam amittere suam, et suorum, ac si eos odisset. Quod explicat Apostolus, cum ait ad Corinthios; *Tempus breve est, reliquum est ut qui habent uxores, tamquam non habentes sint, et qui flent, tamquam non flentes; et qui gaudent, tamquam non gaudentes; et qui emunt, tamquam non possidentes; et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur, praeterit enim figura huius mundi.* Haec enim verba eo tendunt, ut hominem expediant ab omni amore minus ordinato erga uxores, et filios, et res omnes mundi huius, tamquam res caducas et fluxas, quas non decet possessorem suum impedire quo minus promptissimus sit omnia perdere, ut vitam aeternam lucrifaciat.

Habemus igitur ex doctrina Spiritus sancti per os Christi, et Apostolorum nobis praedicata, non solum Clericos, et Monachos, sed etiam laicos ad hanc perfectionem obligari, ut sancti sint, et de mundo exierint, et mundo, et concupiscentiis eius nuncium remiserint et denique tam ardenti charitate ferveant, ut parati sint propter Deum, personas coniunctas, et fortunas omnes, et ipsam vitam libenter exponere, ac si ista vel sua non essent, vel odio prosequerentur.

At quot sunt homines seculares, et laici, qui ista intelligant, vel de istis serio cogitent, ne dicam opere compleant? Vix probati Sacerdotes, et Monachi ad ista pertingunt. Quid igitur a populo a mercatoribus, ab opificibus, a rusticis expectabimus? Apostolorum tempore multi erant infirmi, multi imbecilles, multi quibus lacte opus erat, non solido cibo, et tamen pane vitae alebantur quotidie, et intuebantur heroica exempla Sanctorum. Quid ergo de temporibus nostris dicere poterimus quando magna pars populi, semel per annum corporis sacri aluntur cibo, et rarissima cernunt exempla Sanctorum? Sed quid opus est argumenta conquirere, ut probemus, vitam multorum secularium hoc tempore lacrymarum fontibus esse plangendam? An non cernimus quotidie homicidi, furta, sacrilegia, adulteria, periuria, detractiones,

dolos, fraudes? Quid dicam de luxu,de pompis,de operibus diaboli, quibus renunciavimus in Baptismo? Quid de multitudine scortorum , sive meretricum, quibus plenus est mundus? Certe in lege veteri dictum erat: *Non erit meretrix de filiabus Israel, neque scortator de filiis Israel*,et Apostolus clamat: *Tollam ergo membrum Christi, et faciam membrum meretricis? Absit*, et tamen istae sordes, ista turpitudo,iste teterrimus foetor in medio Christiani populi , longe , lateque occupat omnia.

Ex Episcopis, et Sacerdotibus multos novimus ad eam vitae sanctitatem pervenisse , ut mererentur publico Ecclesiae testimonio in Sanctis numerari, nec pauciores scimus ex Regularibus diversorum ordinum ad eamdem gloriam pervenisse.Ex laicis tam raros novimus publico Ecclesiae iudicio Sanctos declaratos , ut vix unum, aut alterum in singulis maioribus provinciis, demptis Martyribus in historiis legamus.Nostris certe temporibus partim ex Episcopis partim ex regularibus numeramus non paucos Catalogo Sanctorum adscriptos ; et non pauciores ita miraculis florent , ut sperandum sit brevi gloriam eandem assecuturos. De secularibus, et laicis mirum silentium.Utinam ista consideratio impelleret Reges , et Principes , ut sanctum Ludovicum Francorum Regem sanctum Casimirum Regem Poloniae , sanctum Eduardum Regem Anglorum, et sanctum Stephanum Regem Hungariae, et alios similes imitari cuperent,atque ad celsitudinem gloriae omnium longe maximam aspirarent. Utinam privati homines laici vitam legerent , et mores imitarentur sancti Homoboni Cremonensis, qui cum esset alligatus uxori,et paterfamilias, sic tamen vitam integre,pieque traduxit, ut ab Innocentio III. Pontifice sapientissimo , invisitato more, statim ab obitu, Beatus et sanctus declaratus fuerit. Sed ista magis optanda , quam speranda sunt.

Proinde Ecclesia instar Columbae pro omnibus gemat, et ad exemplum Annae matris Samuelis , sterilitatem suam, praesertim quoad laicos,largissimo fletu omnipotenti Deo commendet : potens enim est Dominus, non solum facere , ut sterilis pariat plurimos, sed etiam ut filii Abrahae ex lapidibus suscitentur.

CAP. VIII.

De octavo fonte lacrymarum,qui est consideratio miseriarum generis humani.

Deploravimus hactenus miserias spirituales Ecclesiae, et praecipuarum eius partium , sequitur nunc ut consideremus miserias temporales generis humani, quae communes sunt Ecclesiae cum aliis hominum congregationibus.

Tres esse videntur miseriae toti humano generi communes omnibus notae, morbus, paupertas, et servitus sive subiectio. Sed aliae tres sunt miseriae maiores, quas pauci arbitrantur esse miserias bona valetudo, ubertas opum, et imperium , sive splendor honoris, et dignitatis.Ex his omnibus, si attente considerentur, copiosus fons lacrymarum compassionis erga proximum aperietur.

Morbus, res est omnibus nota, vel proprio experimento,vel alieno.Sedes morborum sunt omnia membra corporis humani : temperamentum enim humani corporis tam est a summo opifice variis instrumentis, et quasi machinis instructum, et ornatum, ad multa, et varia opera exercenda , ut difficile sit illud diutius integrum,et incolume conservare. Et quidem Deus initio conditionis humanae, adiunxit naturali operi suo supernaturale quoddam praesidium, quo manente , dissolvi non poterat ; imo etiam neque laedi naturale temperamentum corporis humani: sed merito primi peccati sublatum est admirabile illud praesidium , quo mors, et morbus arcebatur , et rediit corpus humanum ad naturalem suam conditionem, et sic aperta est ianua morti, et morbis innumerabilibus. Sic enim Deus homini recens formato comminatus est;*Quacumque die comederis*.de vetito pomo,*morte morieris*, ac deinde cum comedisset,*Memento*,inquit *quia pulvis es , et in pulverem reverteris*. Hinc coeperunt omnia elementa , et omnia animantia hominem vulnerare. Sol ipse , qui datus erat ad vitam non solum hominum sed omnium viventium quam multos nimio suo calore saepe laedit in parte nobilissima, quae dicitur caput? Aer , elementum mollissimum, quot noxios vapores, sive exhalationes admittit , ex quibus exorti multiplices morbi humana corpora turmatim invadunt? Aqua non paucos homines, vel absorbet, et suffocat, vel nimio humore corrumpit. Terra ipsa,iam non mater sed noverca, spinas, et tribulos gignit , qui punctionibus multos laedunt ; herbas venenatas producit, quae humore noxio plurimos interficiunt. Animantia vero, quamvis hominis imperio subiecta, saepe rebellant, et aut unguibus,aut cornibus aut dentibus , aut calcibus , aut etiam solo statu homines multos vel graviter aegrotare , vel etiam vitam cum morte commutare compellunt. Ipsi etiam homines inter se bella gerunt, vulnerant, occidunt. Nec solum hostes ab hostibus , sed etiam amici ab amicis gravissima tormenta pati coguntur. Iudices enim, cum sceleratos, sive flagitiosos sive facinorosos membrorum distortione, vel distractione, ustionibus , flagellis linguae , vel manuum praecisione, aliisque tormentis puniunt; id faciunt, non ut hostes, aut inimici hominum, sed ut hostes, et inimici vitiorum , ut emendentur, si emendari possunt, sin minus, ut desinant nocere innocentibus. Itaque non odio personarum , sed amore boni communis ista faciunt. Denique Medici quot tormentis vexant aegrotos , quos tamen diligunt, et salvos esse cupiunt? Certe remedia , quae Medici adhibent ad morbos curandos, saepe sunt aegrotis magis molesta', quam morbi.

Ex his intelligi potest, quanta sit multitudo in hac lacrymarum valle aegrotorum, languentium , eiulantium, vociferantium. Multi laborant pedibus multi capite , multi ex oculis , multi ex auribus , multi ex pectore, multi ex stomacho, multi ex renibus, multi ex tibiis, multi toto corpore male affecti iacent in xenodochiis, vel in plateis , vel in campis; quorum comparatione, pauci sunt, qui ia-

cent in propriis domibus, et lectis. Itaque videtur mihi magna pars orbis terrarum similis esse probaticae piscinae,in cuius porticibus iacebat multitudo magna languentium , caecorum , aridorum, expectantium aquae motum. Quid enim expectare potest aliud tam ingens languentium multitudo , nisi motum lacrymarum ex compassione fraterna? Nam si vere omnis homo proximus noster est, ex sententia Salvatoris, imo et frater, ex eodem Patre Deo et eadem terra matre,unde invocamus,et dicimus, *Pater noster,qui es in caelis*: an non deberet unusquisque nostrum aliquando cogitatione lustrare multitudinem proximorum, et fratrum nostrorum languentium, et ciulantium,ac misericordiam implorantium, et ex corde commendare cum intimo gemitu Deo omnes, qui eiusmodi sunt?Profecto exaudiret pius Dominus lacrymas filiorum suorum , ex fonte charitatis profluentes , et illis quidem refrigerium aliquod largiretur , et nobis etiam boni operis merces non deesset. Si enim qui dederit calicem aquae frigidae proximo suo non perdet mercedem suam, multo magis, qui dederit calicem aquae calidae, id est, lacrymarum , ex fornace charitatis prodeuntium,non perdet mercedem suam. Neque hoc dico,quasi lacrymae sufficiant,quando possumus visitatione, exhortatione eleemosynis miseros adiuvare. De multitudine tantum absentium loculi sumus , quibus nisi oratione et lacrymis adesse non possumus.

Veniamus ad alteram calamitatem. Paupertas non minor fortasse calamitas est,quam aegritudo. Certe Sapiens a Deo petebat; *Mendicitatem, et divitias ne dederis mihi, sed tantum tribue victui meo necessaria.* Durissima res est , cum adest necessitas cibum capiendi, aut nuditatem cooperiendi, aut sub tectum ob iniurias caeli , aut alia imminentia pericula secedendi , ab aliorum misericordia, et voluntate pendere. Et quot sunt eiusmodi homines miserabiles super terram ? plane innumerabiles. Id vero tribus de causis accidere solet.

Primum, ex avaritia,vel effusione divitum;deinde ex vanitate, et incuria pauperum: postremo ex modica, vel nulla liducia tum pauperum , tum divitum in providentia, et charitate Dei. Ac primum divites avari immemores praeceptorum Domini , atque illius praecipue, quo iubemur diligere proximum sicut nos ipsos recondunt , quae pauperibus distribuenda fuerant: divites autem prodigi dilapidant bona sibi a Deo credita , et effundunt in meretrices, in comessationes,in vanitates,in pompas huius mundi, quibus in Baptismo renunciaverant, in vestes pretiosas, et plurimas, ac per hoc supervacaneas. Unde fit, ut nihil relinquatur pauperum necessitatibus. Deus enim providentia sua semper producit ex terra fructus tantos , quanti hominibus omnibus,et cunctis bestiis abunde sufficiunt. Sed avaritia, vel effusio paucorum facit,ut pluribus desit, unde sustentari, ac vivere commode queant. Sed audiamus quid sancti Patres de hac divitum avaritia, vel effusione dicant. Sanctus Basilius oratione ad divites in illud Evangelii. *Destruam horrea mea. At tu*, inquit, *nonne spoliator es, qui, quae dispensanda accepisti,propria reputas? est panis famelici,quem tu tenes: nudi tunica, quam tu in conclavi conservas: discalceati calceus, qui apud te marcescit: indigentis argentum, quod possides inhumatum. Quocirca tot pauperibus iniuriam facis,quot dare valeres.*

Sanctus Ambrosius serm. octogesimo primo : *Sed ais*, inquit, *quid iniustum est, si cum aliena non invadam, propria diligenter servem? O impudens dictum! propria dicis? quae? ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti?* et infra : *Non minus est criminis habenti tollere , quam cum possis, et abundes, indigentibus denegare.*

Sanctus Hieronymus in epistola ad Hedibiam quaestione prima ; *Si plus*, inquit, *habes, quam tibi ad victum vestitumque necessarium est, illud eroga, et in illo debitricem esse te noveris.*

Sanctus Ioannes Chrysostomus hom. 34. ad populum Antiochenum: *Numquid,grave quidpiam, et onerosum a nobis requirit? necessitatem excedentia vult nos facere necessaria; et quae nequicquam, et inutiliter reposita sunt, haec vult bene distribui*, et infra : *Tuarum*, inquit, *rerum es , o homo dispensator , non minus quam qui Ecclesiae bona dispensat*, et infra : *Non ad hoc accepisti , ut in delicias absumeres , sed ut in eleemosynam erogares.numquid enim tua possides? res pauperum tibi sunt creditae, sive ex laboribus iustis, sive ex haereditate paterna possideas*, haec ille, qui de superfluis loquitur, non de iis, quae ad personam, vel familiam necessaria sunt.

S. August. in Psal. 147. *Superflua*, inquit, *diviti, necessaria sunt pauperi: res alienae possidentur cum superflua possidentur.* Idem auctor in homilia 8. ex lib. 50. homiliarum sic loquitur: *Defert tibi Deus honorem , et quasi tibi dicit , Prior de communi tolle, quod sufficit necessitatibus domus tuae : quod reliquum est, da Christo.* Denique idem in tractatu quinquagesimo in Ioannem.*Tibi*, inquit, *superflua sunt, sed Domini pedibus* (pauperibus) *necessaria sunt.*

Sanctus Leo sermone quinto de collectis , sic ait: *Etiam terrenae,et corporeae facultates ex Dei largitate proveniunt, ut merito rationem eorum quaesiturus sit , quae non magis possidenda , quam dispensanda commisit.*

Sanctus Gregorius tertia parte Pastoralis curae, admonitione vicesimasecunda: *Admonendi sunt*, inquit,*qui nec aliena appetunt, nec sua largiuntur, ut sciant sollicite, quod ea, de qua sumpti sumus, cunctis hominibus terra communis est , et idcirco alimenta quoque omnibus communiter profert , et in cassum se innocentes putant , qui commune Dei munus sibi privatim vindicant.*

Sanctus Bernardus in epistola quadragesimasecunda ad Henricum Archiepiscopum Senonensem, sic ait: *Nostrum est, pauperes clamant , quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur,quod vos inaniter expenditis.* Haec ille. Neque , diversam doctrinam tradunt Doctores scholastici meliores in scholis.

Sanctus enim Thomas, qui omnibus eminet, sic

loquitur : *Res, quas aliqui superabundanter habent, ex naturali iure debentur pauperum sustentationi.* Item infra: *Dominus*, inquit, *non solum decimam partem, sed omnia superflua pauperibus iubet exhiberi.* Denique in quartum sententiarum, hanc eandem esse testatur communem Theologorum sententiam. Haec breviter adducere placuit ex doctrina sanctorum, doctissimorumque Patrum, ne quis existimaret, me nimis regide, ac severe de communicandis opibus cum pauperibus esse locutum.

Sed non minus pauperes ipsi saepe causa sunt egestatis suae, et suorum, quod enim lucrantur per hebdomadam laborando manibus, interdum festis diebus totum consumunt ludendo,et bibendo in tabernis. Deinde, quasi pudeat eos conditionis suae, et dedignentur Christum pauperem imitari, qui *propter nos egenus factus est, cum esset dives*; coniuges suas sericis vestibus induunt, et quod satis esse potuisset victui moderato, et simplici amictui,totum consumitur in vestibus pretiosis, et ostentatione vanissima.

Sed causa praecipua cur multi pauperes misera necessitate conficiantur, et multi divites pecunias suas recondant, et malint fame, sitique cruciari, quam cumulum pecuniarum diminuere; illa est, quia non confidunt in Domino, qui *dives est in misericordia.* Et vere mirabile est, quod Dominus apud Matthaeum,certissimis et clarissimis rationibus, et similitudinibus demonstravit, Deo Patri curam esse de nobis, et nihil nobis neque ad victum, neque ad vestitum posse deficere, si confidamus in eo, et tamen tam paucis persuaserit,quibus dogmata altissima, et difficillima persuasit. Quid certius, aut evidentius argumento illo Domini, Si Deus pascit volatilia caeli quae non serunt, neque metunt, et vestit lilia agri, quae non laborant, neque nent: quomodo non magis hominibus illis, quos ad imaginem suam creavit, et per Spiritum sanctum in filios adoptavit, omnia ad vitam, et victum, atque amictum necessaria suppeditabit? Et si Deus istis Regnum caelorum praeparavit, quomodo interim necessaria ad vitam transigendam denegabit? Denique veritas explorata est, posse Deum si velit, in momento non solum necessaria providere, sed etiam locupletare mendicum : id enim disertis verbis docet Spiritus s. per Ecclesiasticum, cum ait: *Facile est in oculis Dei subito honestare pauperem.* Ubi per *honestare*, intelligitur, locupletare, ut habet vox Greca : nam in eodem cap. legimus, a Deo esse vitam, et mortem, bonum, et malum, honestatem, et paupertatem; ubi opponuntur tamquam contraria honestas, et paupertas, ut vita, et mors, et bonum, et malum. Significantur autem divitiae nomine honestatis, quia honoratum, et splendidum faciunt hominem divitiae; vilem, et despectum inopia. Rursum veritas explorata est, velle Deum amicis suis in se confidentibus saltem necessaria providere, cum scriptum sit : *Non est inopia timentibus eum*, et, *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quaerens panem*,et,*Scitote, quia nullus confidit in Domino, et confusus est.* Ex quibus duabus sententiis manifeste colligitur,praecipuam causam cur tam multi pauperes misere pereant,esse,quia non confidunt in Deo, sed in astutia sua. Verum non ideo fraterna charitas continere debet aut manus a largiendo quibus potest, aut oculos a lacrymis apud Deum fundendis, pro quibus non potest: tanto enim magis multitudo prope infinita mendicorum misericordia digna est,quanto plurimi eorum non solum laborant penuria corporalium bonorum, sed etiam penuria fidei, et fiduciae, et cognitionis Dei, Patris optimi, et amantissimi, et sapientissimi,et omnipotentissimi, haec enim spiritualis inopia digna est lacrymis compassionis, multo magis, quam omnis summa, et extrema mendicitas corporalis.

Restat miseria tertia, quae est abiectio servitutis, praesertim illa, quae est mancipiorum, quae parum differunt a iumentis. Omnis quidem servitus miserabilis est, cum omnis homo nascatur liber, et libertatem rebus omnibus anteponat : sed mancipiorum,quae damnantur ad triremes, vel ad metalla, vel ad molam vertendam, vel ad pugnandum ad bestias, vel ad alios eiusdem generis labores, infinita propemodum miseria est : nam instar iumentorum omni requie,ac refrigerio carent et ad continuos, gravissimosque labores verberibus adiguntur;et interim pascuntur pane angustiae et aqua tribulationis; ac demum adhuc viventes quandam quasi gehennam, non apud inferos, sed apud superos patiuntur. Et tamen homines sunt, et saepe innoxii sunt, et noxiis tamen servire coguntur.Certe si quis mentis consideratione orbem terrarum lustrare voluerit, et attente tam intolerabilem infelicitatem fratrum suorum perpendere coeperit, non poterit, etiamsi voluerit, lacrymas continere; sed nec velle debebit, si pius sit, et communi Domino tam ingentem aerumnam, et calamitatem commendare, et sacrificium compassionis immolare voluerit.

Venio nunc ad alias tres aerumnas contrarias superioribus, valetudinem bonam, divitiarum copiam, et imperii potestatem. Et quidem non ambigo tria ista, bona esse, addo etiam esse dona Dei et posse cum pietate consistere, et ad sempiterna bona promerenda utilia esse posse non nego.Sed ea de causa inter miserias numeranda esse censui, et miserias tribus superioribus graviores, et maiores affirmare non timui nec timeo;quoniam ad vitam aeternam, quae summum bonum est, et finis ad quem creati sumus, obtinendam, et assequendam, magis impedit aliquando sanitas, quam aegrotatio, divitiae quam egestas, et Imperi potestas, quam servitutis abiectio. Confer sanitatem cum aegrotatione. Qui bene valet, raro meminit Domini sui, ut quo non multum egere videtur; promptus est ad peccata, praesertim carnalia perpetranda; exultat, ludit, iocatur, tripudiat, dulce illi est comedere, bibere, et dormire; grave, et amarum orare, ieiunare, et vigilare: contra aegrotus, qui vel decumbit in lecto debilis, et dolens, vel cum doloribus, et moeroribus luctatur, non cogitat de voluptatibus, neque de conviviis, ac multo minus de ludis, et iocis; sed de miseria vitae praesentis, et de gloria vitae futurae,de vicina morte, de ratione reddenda Deo, etiam de verbo

otioso;proinde non solum multa peccata non committit, quae sanus forte committeret; sed etiam multa bona opera facit, quae sanus fortasse non faceret. Scribit s. Gregorius in libro quarto Dialogorum,suo tempore fuisse Romae quemdam virum nomine Servulum toto corpore paralyticum, et quamdam piam foeminam nomine Romulam,simili morbo ad multos annos laborantem. De Servulo dicit, eum sic paralysi usque ad mortem laborasse ut nunquam posset vel ex lectulo surgere,vel manum ad os ducere, vel in latus aliud declinare. De Romula pariter affirmat,eam in lectulo omnium membrorum officio destitutam longo tempore iacuisse. Quantam autem segetem virtutum, et meritorum utrique attulerit tam diuturna, et tam vehemens aegrotatio, idem Gregorius demonstrat ex divinis signis, quae in utriusque morte claruerunt. Nam in obitu Servuli scribit,Angelorum cantus in eius morte auditos, et statim a morte fragrantiam miri odoris subsecutam. Sic etiam in morte Romulae refert, primum apparuisse in eius cubiculo candidissimam lucem, et simul odoris suavissimi fragrantiam caelitus emissam, ac denique duos Angelorum choros alternatim canentium ante fores cubiculi auditos. Et unde obsecro tam singularia privilegia paralyticis istis ixhibita? Certe non aliunde, nisi quia diuturna, et continua illa paralysis procul arcebat omnem peccandi occasionem, et simul praebebat materiam uberem exercendae poenitentiae, et vacandi per iugem orationem Deo, et sibi. *Ipsa*, inquit s. Gregorius, *detrimenta membrorum facta fuerunt incrementa virtutum: quia tanto sollicitius ad usum orationis exercuerant, quanto et aliud quidlibet agere nequaquam valebant.* Quod si narrare inciperem eorum exempla, qui per occasionem aegrotationis ad cor suum redierunt, et de mundi amatoribus, amatores Dei, et de peccatoribus, sancti facti sunt, nullum finem narratio inveniret. Est enim corporalis morbus, quasi flagellum salutare, quo Deus uti solet ad convertendos peccatores, iuxta illud Psalmographi: *Cum occideret eos, quaerebant eum, et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum.* et illud Isaiae: *Verumtamen sola vexatio dabit intellectum auditui.* Siquidem, ut plurimum, qui sani, et vegeti sunt, audiunt saepe a concionatoribus multa de morte, de iudicio, de gehenna; sed non videntur intelligere quid sit, quod dicitur, cum nulla subsequatur morum emendatio. Sed cum Deus vexare hominem morbo aliquo gravi, aut lethali vulnere incipit, tum vexatio dat intellectum auditui. Incipit enim aegrotus serio cogitare de morte, de iudicio, de gehenna; et saepe corporis aegrotatio parit animae sanitatem.

Quid iam de divitiis dicam? dicuntur illae quidem ab hominibus bonae, et expetendae, et augendae. Sed Spiritus sanctus, qui est spiritus sapientiae, et intellectus, tam gravem sententiam in libro Dei verissimo, atque certissimo, contra divites et divitias protulit, ut horrori mihi sit eam referre.

In libro Proverbiorum sic legimus: *Duo rogavi te, ne deneges mihi antequam moriar, mendicitatem, et divitias ne dederis mihi, sed tantum tribue victui meo necessaria.* Qui haec loquitur, de se dixit paulo ante: *Visio quam locutus est vir, cum quo est Deus,et qui Deo secum morante ait.* Itaque qui loquitur verba illa, et qui obnixe rogat, ut divitiae sibi non affluant, non est aliquis stultus, ut imperitus, sed vir illuminatus a Deo, et sapientissimus. Quis ergo sapiens audeat petere a Deo divitias, aut eas magno labore conquirere, ne dicam per fraudes, aut iniustitiam eas sibi comparare? Ecclesiasticus scriptor etiam sapientissimus, et Spiritum Dei in scribendo habens ita pronuncial: *Si fueris dives, non eris immunis a delicto.* Quam gravis,et quam tremenda haec sententia est? Quis cupiat divitias, quae tantam habent cum delicto,id est,cum inimicitia Dei coniunctionem? Poterit quidem aliquis dives esse, et simul Dei amicus esse, ut fuit Abraham, et Isaac, et Ioseph, et David: sed tanta est proclivitas divitis ad delictum, ut Sapiens absolute pronunciaverit: *Si fueris dives, non eris immunis a delicto*, quia videlicet divites facile superbiunt, facile contemnunt pauperes, quamvis se meliores; facile negligunt dare, quod superest, egenis, facile consumunt divitias in explendis cupiditatibus suis; facile cupiunt insano ardore fieri ditiores, et per fas et nefas congregare divitias. Dominus in Evangelio miraculo comparavit divitum salutem, cum ait: *Facilius est,camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in Regnum caelorum.* Atque huius sententiae tremendae tres testes habemus omni exceptione maiores, Matthaeum, Marcum,et Lucam, scriptores Spiritu sancto plenos. Erit igitur aliquis vir prudens, qui tanto periculo salutem aeternam suam exponere audeat? At, inquies, divites Dominus vocat eos, qui amant divitias,et qui habent ad fruendum eis, non ad erogandas in usus necessarios, et pios? Ita est, sed quam pauci sunt huiusmodi? Ideo saltem ob raritatem recte comparata est miraculo salus locupletum. Idem Dominus, sancto Luca teste, miseros divites appellavit, cum ait: *Verumtamen vae vobis divitibus qui habetis consolationem vestram*, illud enim,*vae*, miseriam, calamitatemque designat, et opponitur voci, *beatus*, quae felicitatem significat. Et quoniam divites saturari solent cibis delicatis, et inde iucundam, ac laetam vitam ducere, subiunxit Dominus: *Vae vobis, qui saturati: estis, quia esurietis. Vae vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, et flebitis.* En quid sentiat Magister Deus de bono divitiarum. Is, qui divitias fecit, et qui scit omnium optime quid in se habeant, egenus, et pauper esse voluit, et pronunciavit per secretarium suum. *Vae divitibus;* et per eundem, *Beati pauperes.* Et erit adhuc homo Christianus,qui perdite divitias amet? et erunt homines Christiani,qui divites beatos esse iudicent, et non potius eorum sorti misereantur,et pericula ipsorum defleant?

Sed audiamus Paulum Apostolorum qui raptus in tertium caelum, novit omnium optime, quae sunt vera bona, et utrum divitiae magis conferant

ad salutem, quam impediant iter salutis. Hic in epistola priore ad Timotheum, ita scripsit: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quae mergunt hominem in interitum, et perditionem.* Non loquitur de illis, qui divitias habent, et illis imperant, easque sibi subiiciunt, ac insumunt in operibus Deo placitis, qui pauci sunt, sed de iis, qui volunt divites fieri; id est, qui divitias amant et ideo semper eas conservare, et augere desiderant, et quasi servi, et mancipia sunt divitiarum. De his Apostolus pronunciat, quod incidant in tentationem, id est, quod sint expositi magnis tentationibus ambitionis, luxuriae, vindicandi iniurias, deprimendi adversarios, per fas, et nefas obtinendi quod libet, quamvis non liceat, ad haec enim omnia aptissima instrumenta sunt pecuniae. Et quoniam nimis difficile est, tam graves tentationes superare: pronunciat secundo Apostolus, quod divites incidant in laqueum diaboli: quicunque enim tentationi cedunt, hoc ipso captivi efficiuntur diaboli, atque ad eius imperium moventur, ut canes illigati catenis. Et quid miserabilius, quam diaboli, hostis crudelissimi, et numquam mitescentis esse mancipium? Tertio addit Apostolus, divitem sic a diabolo illigatum, et laqueo eius, ac reti constrictum, non solum permanere in praesentibus sceleribus, sed quotidie concipere nova desideria scelerum graviorum, partim inutilium, partim noxiorum. Inutilia enim sunt desideria vanitatum, pomparum, ludorum; noxia vero desideria adulteriorum, homicidiorum, defectionum, rapinarum, et aliorum id genus scelerum, et flagitiorum, quae sine rubore, et sine timore ab his diaboli mancipiis perpetrantur. Unde postremo ex Apostoli sententia, demerguntur, qui eiusmodi sunt, in interitum, et perditionem: in interitum videlicet sempiternum, per quem perduntur omnia bona praeterita, praesentia, et futura.

Quae cum ita sint, manifestum est, abundantiam divitiarum similem esse non flabilibus prosperis ventorum, qui ducuntur ad portum; sed ventis contrariis, et furentibus, qui tempestates excitant, et longe abducunt a portu, et facto naufragio demergunt navem cum vectoribus in abyssum, et perditionem. Quis igitur negaverit, divites miseros esse, et misericordiae lacrymis deplorandos, et Domino Deo nostro cum gemitibus assidue commendandos?

Restat imperium, et potestas, qua una re maxime se iactant, et efferunt homines, quasi iam supra sortem mortalium ascenderint. Sed ista ipsa potentia, quo altius evehit, eo periculosius minatur praecipitium. Sic loquitur s. Bernardus ad Eugenium suum, cum ex humili Monacho summus Pontifex factus esset: *Considero gradum, et casum vereor: considero fastigium dignitatis, et intueor faciem abyssi iacentis deorsum. Attendo celsitudinem honoris, et e vicino periculum reformido*, et infra: *Altiorem locum sortitus es, sed non tutiorem; sublimiorem, non securiorem.* Atque hoc idem de omnibus gradibus sive Ecclesiasticis, sive temporalibus dici potest. Omnes enim, qui praesunt aliis in periculo magno versantur, et dignissimi sunt, ut omnes eorum subditi, serio, et non sine magno gemitu divinum eis implorent auxilium. Audi enim quam terribiliter adversus eos intonet Spiritus sancti tuba: *Horrende et cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his, qui praesunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam: quoniam pussillum, et magnum ipse fecit, et aequaliter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio.* O si ista perpenderent homines, non tam ardenter inhiarent ad Regna, et praefecturas! Sed quae causa est, cur tam grave iudicium potentibus comminetur Deus? Illa potissimum esse videtur, quod peccata Principum soleant esse sine comparatione maiora, quam privatorum. Privati homines furantur obolos; Principes furantur castra, civitates, Regna: Privati habent fortasse concubinam unam; Principes magni plurimas habere volunt: Salomon habebat trecentas, praeter uxores septingintas; et Imperator Maxentius nullius matronae Romanae, quamvis nobilissimae, honori parcebat. Privati singulari certamine cum inimico depugnant; Principes magni exercitus magnos in hostes ducunt. Et si forte causa belli iniusta sit, quis numeret peccata, quae secum trahit bellum iniustum? Certe caedes, rapinae, depopulationes urbium, devastationes agrorum, et vinearum, incendia domorum, et templorum, sacrilegia horribilia violationes virginum, et matronarum, et sanctimonialium, et alia gravissima scelera sine ullo numero, quae ex iniusto bello sequuntur, omnia in caput eius recidunt, qui sine iusta causa bellum movit. Et quia numquam poterit eiusmodi Princeps tam ingentia damna resarcire; repetet ab illo poenas iustissimas Deus, qui solus potest invenire supplicia sceleribus omnibus paria. Ergo non mirum est, quod Spiritus sanctus clamet, et dicat, *durissimum iudicium his, qui praesunt, fiet.* Sed mirum est, quod ii, qui praesunt, non contremiscant; et magis mirum est, quod ulli sunt, qui praefecturas ambiant. Et si Deus tam graviter animadvertit in peccata Principum temporalium, multo gravius animadvertet in peccata Principum spiritualium, quanto pretiosior est coram Deo anima, quam corpus, et vita aeterna, quam vita temporalis. Quae omnia si quis attente consideret, non poterit non vehementer compati Principibus omnibus tum spiritualibus, tum temporalibus; ac pro eis sacrificium precum cum adipe lacrymarum offerre. Quod autem nos diximus, esse compatiendum magis Principibus, quam privatis, confirmari potest ex Augustini sententia, qui in libris de civitate Dei aperte scribit, magis tolerare debere Patres, quod imperent, quam servos tolerare, quod serviunt.

CAP. IX.

De nono fonte lacrymarum, qui est consideratio Purgatorii.

Animae illae, qui in Purgatorio degunt, non parum nobis adhuc viventibus super terram, lacry-

marum materiam praebent ; ut merito consideratio Purgatorii dici possit lacrymarum fons uberrimus.

Porro in poenis Purgatorii quatuor capita considerari possunt, ex quibus coniecturam facere licebit de magnitudine poenarum illarum, ut ex ea magnitudine colligi possit, merito debere fideles lacrymas fundere ob commiserationem fratrum nostrorum, qui poenis illis interim cruciantur.

Primum est, poenas Purgatorii acerbiores esse poenis omnibus, quas in hac vita experimur : alterum , poenas Purgatorii , ut plurimum diutius durare, quam poenae huius vitae durent: tertium, animas, quae in Purgatorio degunt, seipsas iuvare non posse: postremum, animas illas esse plurimas, ac pene innumerabiles. Ex his plane constat, valde miserabiles esse animas illas, et per hoc omni miseratione dignissimas : et stultissimos esse , qui in hoc tempore pro culpis suis satisfacere negligunt , et malunt ad loca illa poenalia descendere , quam in hoc tempore aliqua delectatione privari.

Primum igitur pro comperto habere debemus , poenas Purgatorii acerbiores esse poenis omnibus quas in hac vita experimur. Id enim disertis verbis docet s. Augustinus in explicatione Psalmi tricesimiseptimi, cum sic loquitur : *Domine ne in indignatione tua arguas me, non sim inter illos, quibus dicturus es, Ite in ignem aeternum. Neque in ira tua emendes me, ut in hac vita purges me, et talem me reddas, cui iam emendatorio igne opus non sit ; propter illos , qui salvi erunt. sic tamen quasi per ignem* et paulo post: *Et quia dicitur, Salvus erit, contemnitur ille igni. Ita plane, quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis. quam quicquid potest homo pati in hac vita. Et nostis, quanta hic passi sunt mali , et possint pati, tanta tamen passi sunt , quanta potuerunt pati boni, et quid enim quisque maleficus, latro, adulter, sceleratus, sacrilegus pertulit legibus, quod non pertulit Martyr in confessione Christi ? Ista ergo, quae hic sunt mala, multo faciliora sunt : et tamen videte quemadmodum ea homines ne patiantur, quicquid iusserint faciunt, quanto melius faciunt, quod iubet Deus, ne illa graviora patiantur ?* haec sanctus Augustinus, quem in hac sententia sequuntur multi Patres. Sanctus Gregorius in explicatione Psalmi tertii poenitentialis, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me ; quasi dicat, scio futurum esse, ut post huius vitae exitum alii flammis expientur purgatoriis alii sententiam subeant , aeternae damnationis. Sed quia illum transitorium ignem omni tribulatione aestimo praesenti intolerabiliorem , non solum in furore aeternae damnationis opto non argui, sed etiam in ira transeuntis timeo correptionis purgari.* Idem habent venerabilis Beda in explicatione verborum eorumdem ; et s. Anselmus in explicatione tertii cap. epistolae prioris ad Corint. et s. Bernardus in sermone de obitu Humberti.

Hos vero sanctos Patres non sequitur tantum sanctus Thomas Aquinas scribens in quartum librum sententiarum, dist. 30. quaest. 1. art. 2. sed addit, minimam poenam Purgatorii graviorem esse acerbissima quacumque poena huius mundi. Et tamen audent homines contemnere illam poenam qui praesentes dolores tolerare non possunt. Sed haec est caecitas plangenda praeter caeteras in hac valle lacrymarum.

Probat autem s. Thomas sententiam suam, quoniam veritas certa, et explorata est, poenam damni graviorem esse qualibet poena sensus: et non minus certum et exploratum est , eos omnes, qui in Purgatorio sunt, poenam damni sustinere. Sed aliquis forte obiiciet, poenam damni perpetuam , qualis est in gehenna, esse vere poenam, et poenarum gravissimam ; sed in Purgatorio carentiam visionis divinae , non videri proprie poenam , aut certe non esse poenam graviorem iis, quas in hac vita patiuntur Martyres. Nam et nos dum hic in terris vivimus, Deum non videmus, et tamen non dicimur sustinere poenam damni , quia suo tempore Deum videbimus, si cordi purgando, et mundando, ut par est , operam demus. Imo etiam veteres sancti Patres Patriarchae, et Prophetae, qui in Limbo Salvatorem expectabant , Deum non videbant, nec tamen cruciabantur poena damni, quia visuri erant tempore designato a Deo. Sic enim Abraham respondit epulone: *Memento , fili, quia recepisti bona in vita tua, Lazarus, autem mala nunc igitur ille consolatur , tu vero cruciaris.* Ubi non dixit Abraham , Lazarus cruciatur poena damni. sed consolatur, ac per hoc non torquetur. Et sanctus ille Simeon , cum ait ; *Nunc dimittis servum tuum in pace*, non existimavit per mortem se pergere ad poenam gravissimam , sed ad pacem laetissimam. Denique sanctus Gregorius in libro tertiodecimo Moralium affirmat , veteres Patres in Limbo , non tormenta ulla pertulisse , sed requiem invenisse.

Ad hanc obiectionem facile responderi potest: nos enim hic in terris non plene cognoscimus , quam grave sit , Deum non videre , tu quia per phantasmata corporalia , et sensuum ministerium obscure intelligimus quicquid intelligimus : tum quia deliniti corporalibus oblectationibus in his acquiescimus . nec de spiritualibus multum solliciti sumus. Veteres quoque Patres non cruciabantur poena damni , quamvis Deum non viderent , quia sciebant non differri se culpa aliqua sua propria , a visione Dei , sed quia tempus illius magni boni nondum advenerat. At , qui post Christi adventum damnantur ad Purgatorium , ii non possunt non gravissime cruciari, quod Deum videre nequeant : nam cum corpore , et sensibus corporalibus careant , non amplius oblectari possunt in obiectis sensibilibus , in cibo, et potu, in divitiis , et honoribus, in explenda carnali concupiscentia : sed toti aspirant ad contemplandam veritatem primam; et ad fruendum summo bono, ad quod, ut ad finem ultimum, se creatos fuisse intelligunt. Accedit, quod optime noverunt iam fidelibus aperta esse Regna caelorum, et nihil esse , quod impediat , nisi reatum poenae per ipsorum propria peccata contractum: unde sine dubio sibi ipsae irascuntur animae , et

dolent, ac torquentur, quod ipsae sibi causa sint dilationis tanti boni. Similes mihi esse videntur homini valde esurienti, et sitienti, qui ante se habeat mensam cibis optimis instructam, et vinis optimis, ac limpidissima aqua refertam; et tamen nihil attingere possit, non alia causa prohibente nisi quia ipse sibi hanc dilationem promeritus sit. Adde, quod sancti Patres Augustinus Gregorius, Beda, Anselmus, et Bernardus non de poena damni loquuntur, quam omnes fatentur esse maximam sed de poena ignis; ac de ista poena plane affirmant, eam esse atrociorem, quam sit ulla poena huius vitae. Quamvis enim non desit hic in terris poena ignis, tamen ille ignis, qui non lignis, aut oleo nutritur, sed ut instrumentum iustitiae Dei semper ardet et torquet animas, sine ulla dubitatione acerrimus est. Quare si non concederemus, poenam damni temporariam, qualis est in Purgatorio, esse graviorem omnibus poenis huius vitae: id tamen de poena ignis ex tot Patrum auctoritate concedi deberet.

Et quoniam multi non facile adducuntur, ut credant quae numquam viderunt, placuit Deo aliquando servos aliquos suos a mortuis excitare, ac eis mandare, ut viventibus annuncient quod viderunt. Ex multis autem eiusmodi testibus, ut sic loquar, oculatis, qui poenas Purgatorii viderunt, duos eligere visum est, unum, et unam, de quibus testes habemus omni exceptione maiores. Unus igitur sit Drithelmus Anglus, cuius viri historiam scribit Venerabilis Beda, qui rem narrat sibi notissimam, et quae tempore suo obstupescentibus omnibus evenit. Sic igitur scribit in libro quinto historiae gentis Anglorum: *His temporibus miraculum memorabile, et antiquorum simile in Britannia factum est. Namque ad excitationem viventium de morte animae, quidam aliquamdiu mortuus ad vitam resurrexit corporis, et multa memoratu digna, quae viderat narravit, e quibus hic aliqua breviter perstringenda esse putavi. Erat quidam paterfamilias in regione Nordam humbrorum, religiosam cum domo sua vitam gerens qui infirmitate corporis tractus, et hac crescente per dies, ad extrema perductus, primo tempore noctis defunctus est. Sed diluculo reviviscens, ac repente residens, omnes, qui corpori flentes assederant, timore immenso perculsos, in fugam convertit. Uxor tantum, quae eum plus amabat, quamvis multum tremens, et pavida. remansit. quam ille consolatus, Noli, inquit, timere, quia vere resurrexi a morte, qua tenebar; et apud homines sum iterum vivere permissus; non tamen ea mihi, qua antea consueveram, consuetudine, sed multum dissimili ex hoc tempore vivendum est. Statimque surrexit, et abiit ad villulae oratorium, et usque ad diem in oratione persistens, mox omnem, quam possederat, substantiam, in tres divisit portiones: e quibus unam coniugi, alteram filiis tradidit; tertiam sibi retentam, statim pauperibus distribuit, nec multo post seculi curis absolutus ad monasterium Malros pervenit, acceptaque tonsura locum secretae mansionis, quam praeviderat Abbas, intravit; et ibi usque ad diem mortis in tanta mentis, et corporis contritione duravit, ut multa illum, quae alios laterent, vel horrenda, vel desideranda vidisse, etiamsi lingua sileret, vita loqueretur. Narrabat enim hoc modo, quod viderat. Lucidus, inquit, affectu et clarus erat indumento, qui me ducebat, devenimus autem ad vallem multae latitudinis, et profunditatis, infinitae autem longitudinis, quae ad laevam nobis sita, unum latus flammis ferventibus nimium terribile, alterum furenti grandine, ac frigore nivium omnia perflante, atque verrente non minus intolerabile praeferebat. Utrumque autem erat animabus hominum plenum. quae vicissim hinc inde videbantur quasi tempestatis impetu iactari. Cum enim vim fervoris immensi tolerare non possent prosiliebant miserae in medium frigoris infesti et cum neque ibi quippiam requiei invenire valerent, resiliebant rursus in medium flammarum inextinguibilium. Cumque hac infelici vicissitudine longe lateque, prout aspicere poteram, sine ulla quietis intercapedine innumerabilis spirituum deformium multitudo torqueretur; cogitare coepi, quod hic forte esset infernus, de cuius tormentis intolerabilibus narrare saepius audivi. Respondit cogitationi meae ductor qui me praecedebat. Non hoc, inquiens suspiceris: non enim hic infernus est ille quem putas.*

Ac deinde explicata visione inferni, et paradisi, quam causa vitandae prolixitatis omitto subdit; *Scis*, inquit, *quae sint ista omnia, quae vidisti? respondi ego, non. Et ait; Vallis illa, quam aspexisti flammis ferventibus, et frigoribus horrenda rigidis, ipse est locus, in quo examinandae, et castigandae sunt animae illorum, qui differentes confiteri, et emendare scelera sua, quae fecerunt, in ipso tandem mortis articulo ad poenitentiam confugiunt, et sic de corpore exeunt; qui tamen, quia confessionem et poenitentiam, vel in morte habuerunt, omnes in die Iudicii ad Regnum caelorum pervenient. Multos autem preces viventium, et eleemosynae, et ieiunia, et maxime celebratio Missarum, ut etiam ante diem Iudicii liberentur, adiuvant:* His addit Venerabilis Beda, quod *cum ille incredibili austeritate corpus suum vexaret, et in fluminibus gelu concretis oraret, et psalleret, dicentibus sociis, Mirum, frater Drithelme, quod tantam frigoris asperitatem ulla ratione tolerare praevales: respondebat ille, frigidiora ego vidi. Et cum dicerent, Mirum, quod tam austeram tenere continentiam velis: respondebat, austeriora ego vidi. Sic usque ad diem suae vocationis infatibili caelestium bonorum desiderio corpus senile inter quotidiana ieiunia domabat, multisque verbo, et conversatione saluti fuit.*

Hanc historiam ego verissimam esse non dubito tum quia consentanea est Scripturae dicenti in libro Iob; *Ad nimium calorem transeunt ab aquis nivium.* Deinde, quia testem habemus Bedam virum optimum, et qui rem gestam suo tempore narrat. Denique quia secutus est ex ea visione fructus, quem Deus requirere ex huiusmodi solet, non curiositas, non vanitas, sed salus animarum multarum, per conversionem ad poenitentiam.

Venio ad testimonium foeminae mirabilis, quae Christina dicta est, cuius vitam scripsit Thomas Cantipratensis, ex ordine sancti Dominici, vir fide dignissimus, qui eius tempore vixit. Cui contestis accedit venerabilis Iacobus de Vitriaco Cardinalis pius et doctus, qui in praefatione ad libros suos de vita, et rebus gestis Beatae Mariae de Oegnies, meminit plurium sanctarum mulierum, ac praecipue Christianae mirabilis, cuius res gestas compendio ac brevissime refert. Haec igitur Virgo de se ita loquitur, cum primum a morte videntibus multis surrexit. *Statim*, inquit, *ut e corpore excessi, animam meam exceperunt lucis ministri Angeli Dei, deduxeruntque illam in locum quemdam obscurum, et horridum, animabus hominum refertum. Quae vero tormenta eo in loco conspexi ea tam immania, et acerba fuerunt, ut nullus possit sermone id explicare. Vidi illic non paucos vita functos mihi, cum viverent, non ignotos. Valde autem miserata ego animas illas miserabiles, quaerebam, quis esset ille locus, suspicabar enim tartarum esse. Responderunt mihi duces mei, locum esse purgatorii, ubi peccatores, quos in vita quidem peccasse poenituisset, sed non satis scelerum suorum meritas poenas dedissent. Inde perduxerunt me ad inferorum supplicia, in quibus itidem agnovi quosdam mihi olim in vita notos. Postea vero translata sum in paradisum, usque ad Thronum Divinae Maiestatis, ubi cum viderem gratulantem mihi Dominum ultra omnem modum laetabar, quod arbitrarer illic me deinceps cum Domino in omnem aeternitatem permansuram. At ille mox respondens desiderio meo, revera, inquit, dulcissima filia hic mecum eris, sed nunc utrum e duobus malis optionem tibi facio, vel aeternum hic nunc apud me manere, vel redire ad terras, ibique in mortali corpore absque illius detrimento poenas perferre, iisque omnes illas animas, quas in locis purgatoriis miserabaris liberare, et eripere: efficereque ut homines adhuc in corpore manentes tuae poenitentiae, et vitae exemplis ad me conversi a suis facinoribus abstineant, et resipiscant peractis omnibus, ad me tandem, multis aucta meritorum cumulis reverti. Ego vero absque ulla cunctatione sub conditione mihi proposita, dixi, me velle ad corpus redire, et pius Dominus gratulans, quod me prompta obtulissem, iubet animam suo corpori restitui. Qua in re exequenda admirari licet beatorum spirituum incredibilem celeritatem ea enim hora, cum in Missae sacrificio, quod pro me fiebat, diceretur primo, Agnus Dei, anima mea sistebatur coram throno divinae Maiestatis; cumque tertio id repeteretur, illi me corpori reddidere. Ita se habet et excessus meus et vita, et ad vitam reditus; propter hominum correctionem et emendationem ad vitam revocata sum. Itaque deinceps oro, ne vos perturbent ea, quae visuri estis in me. Excedent enim mentis humanae captum, quae, Domino volente fient in me, nec talia inter mortales quandoque comperta sunt*, haec illa. Subiungit postea auctor vitae c. 6. *Tum vero*, inquit, *coepit illa exercere quorum causa a Domino missa fuerat: ingrediebatur in ardentes clibanos, et in illis incendiis cruciabatur, ita ut prae angustia, et dolore horrendos ederet clamores. Postquam autem inde egressa fuit, vestigium nullum alicuius ustionis in eius corpore visebatur*, et cap. 7. sic pergit; *Sub aquis Mosae fluminis hyberno tempore, cum rigerent omnia gelu, crebro, et diu morabatur sex et amplius diebus in eo perdurans*, et paulo post: *Interdum in aquis orans; simul cum illis ferebatur in rotam molendini, atque ita horrendum in modum circumacta cum ipsa rota, membris omnibus mansit incolumis*, et cap. 9. *Surgebat*, inquit auctor, *quandoque mediis noctibus et totius oppidi Trudonensis canes in se concitans, ante illos ipsam insectantes instar ferae cuiusdam cursitabat; sicque per devia, et per densos vepres, et spineta agitata, adeo ab illis compungebatur, et lacerabatur, ut nulla corporis eius pars vulneris esset expers; et tamen multo sanguine fuso, nulla plagarum, aut vulnerum vestigia conspiciebantur in eius corpore.*

Haec ille, qui quam vera, et certa narraverit, perspicuum est, tum quia contestem habet, ut supra dixi, virum gravissimum Iacobum Episcopum et Cardinalem de Vitriaco: tum quia narrat res gestas suo tempore, et in eadem Provincia, quam ipse quoque incolebat, cum esset ipse quoque Episcopus, et Suffraganeus Archiepiscopi Cameracensis: tum etiam quia res ipsa publice clamabat, eam habere corpus divina virtute ita conformatum ut dolorem paleretur ab igne, et non dissolveretur, et vulnera acciperet, et sanguinem funderet, et mox vulnerum vestigia non apparerent, et non paucos dies ita vixit, sed annos duos et quadraginta post resurrectionem: tum denique quia multos convertit ad poenitentiam, et post mortem miraculis evidentibus claruit. Itaque voluit Deus ora obstruere incredulorum, qui non verentur aliquando dicere. Quis rediit ab inferis? Quis tormenta gehennae, vel purgatorii vidit? Ecce enim habemus testes fideles, marem, et foeminam, qui viderunt gehennae et Purgatorii supplicia acerbissima et maxima; ut plane inexcusabiles sint, qui ista non credunt, et magis inexcusabiles, qui credunt, et contemnunt, et pro delictis suis in ieiunio, fletu, et planctu Deo satisfacere negligunt. Sed pergamus ad alia capita.

Alterum caput erat diuturna duratio suppliciorum Purgatorii. Quamvis enim non defuerit aliquis scriptor, alioqui egregius, et magni nominis, qui opinatus sit, neminem in Purgatorio cruciari ultra viginti annos, vel ultra decennium: tamen contrarium docet usus Ecclesiae, quae anniversaria sacra celebrare solet pro animabus defunctorum non solum ad annos decem, sed etiam ad annos centum, et eo amplius. Deinde in ea visione, quam ex venerabili Beda retulimus, satis aperte indicatur, multas animas in Purgatorio cruciari usque ad diem Iudicii. Quod confirmari potest ex verbis Tertulliani auctoris antiquissimi, qui in libro de anima, capite septimodecimo, de Purgatorio loquens sub inferni nomine, ait: *In carcerem te mandet infernum, unde non dimittaris, nisi modico quoque delicto mora resurrectionis expenso.* Et

clarius s. Cyprianus de diuturnitate poenae Purgatorii loquens, in epistola secunda libri quarti, sic ait; *Aliud est, pro peccatis longo tempore cruciatum purgari diu igne: aliud peccata omnia passione purgasse.* Quod etiam confirmatur ex visione b. Ludgardis Virginis sanctissimae, et celeberrimae, cuius vitam scripsit ille idem Thomas Cantipratensis, qui scripsit vitam Christianae mirabilis. Et quoniam res est magna, et ad exemplum Praelatorum Ecclesiae prodesse potest, adscribam hoc loco verba ipsa auctoris, quae habentur libro secundo vitae s. Ludgardis apud Surium tomo tertio, ad diem Iunii sextumdecimum. *Hoc fere tempore*, inquit auctor. *Dominus Innocentius Papa tertius, post celebratum Lateranense Concilium ab hac vita migravit; moxque apparuit visibiliter Ludgardi. Illa autem, ut vidit eum ingenti flamma cinctum, quisnam sit percontatur. Respondit se esse Innocentium Papam: et illa cum gemitu, Quid hoc est, inquit, communem omnium nostrum Patrem tam dire cruciari? Respondit ille, tres ob causas ita crucior, quae etiam aeternis suppliciis me iustissime addixissent, nisi per intercessionem piissimae Matris Dei, cui Monasterium condidi, in extremis me poenituisset. Et aeternam quidam mortem evasi, sed poenis atrocissimis usque ad Iudicii diem cruciabor. Quod autem ad te suffragia petiturus venire potui mihi a suo filio Mater misericordiae impetravit. His dictis confestim disparuit. Ludgardis vero eius necessitatem sororibus, ut ei succurrerent, indicavit. Porro admodum dolens vicem eius, mirabili se cruciatu illius causa affecit. Noverit lector nos revelante Ludgarde, tres illas causas non ignorare; sed pro tanti Pontificis reverentia referre noluisse* haec ille, quod exemplum me quidem saepe maximo t more, et tremore afficere solet. Si enim tam laudabilis Pontifex, et qui in oculis hominum, non probus, et prudens solum, sed etiam sanctus, et imitatione dignissimus habitus est, tam parum abfuit a gehenna, et usque ad diem Iudicii purgatoriis incendiis atrocissimis puniendus est, quis Praelatus non trepidet? Quis non accuratissime conscientiae suae secreta rimetur? Ego enim facile mihi persuadeo, tantum Pontificem non potuisse lethalia peccata committere, nisi sub specie boni deceptum ab adulatoribus, et domesticis de quibus in Evangelio dicitur; *Inimici hominis domestici eius.* Itaque hoc tam magno exemplo, discamus omnes sollicite scrutari conscientiam nostram, ne forte erronea ea sit, cum nobis recta, et sana esse videatur. Sed ad institutum, unde digressi sumus, revertamur. Purgatorii poenas ultra decem, aut viginti annos extendi, et fortasse ultra centum, et ultra mille annos propagari posse non dubium est. Sed esto intra decem, aut viginti annos terminetur poena Purgatorii; quis poenam atrocissimam sine ulla intermissione, ac sine requie viginti annis tolerare posset? Nam poenam illam sine intermissione, et requie cruciare intelligi potest ex visione, quam ex Beda venerabili paulo ante retulimus. Sane si quis certus esset, se pedum, aut stomachi, vel capitis aut dentium, aut calculi dolore continuos viginti annos sine ulla intermissione laboraturum sic, ut neque somnum capere, neque requiescere posset, mallet ille mori potius, quam sic vivere: et si optio daretur, an vellet sic tot annos vivere, an iacturam facere omnium fortunarum, promptissimo animo, omnes fortunas abiiceret, ut a tam immani, et tam continuo dolore liberaretur. Quanto igitur magis deberet omnis homo sapiens eligere poenitentiam cum fructibus suis, qui sunt vigiliae, orationes, ieiunia eleemosinae, ac potissimum lacrymae quae sunt signa verissimae poenitentiae?

Quod si ad acerbitatem dolorum, et diuturnitatem poenarum accedat tertia calamitas, quod animae in Purgatorio se ipsae iuvare non possunt, profecto non parum excrescet infelicitas animarum earumdem, hic enim in terris vix quisquam est tam miserabilis, qui non possit, vel fugiendo, vel resistendo, vel amicos requirendo, vel appellando ad aliud iudicium, vel misericordiam iudiciis implorando, vel aliqua alia ratione se a cruciatibus aliqua ex parte liberare. At in Purgatorio nihil omnino possunt, nisi patienter supplicia tolerare. Possunt quidem viventes in carne sancti homines pro defunctis orare, et eleemosynas, atque alia satisfactoria opera pro eis offerre Domino: sed illis non licet, nisi ex privilegio particulari, quod paucis, et raro, conceditur, hominibus apparere, atque ab eis auxilium postulare.

Miserrima igitur illarum animarum conditio est quae in tantis tormentis, neque ipsae se, neque patris, aut filii, aut fratris, aut matris, aut sororis, aut coniugis, aut amici animam in purgatoriis locis, ulla ratione iuvare possunt. Sed fortasse paucae sunt animae, quae in Purgatorio degunt: proinde non magni facienda sunt earum supplicia. Imo vero innumerabiles sunt animae illae, ut solus numerus tam ingens sufficiat ad misericordiam commovendam, etiam si essent supplicia leviora. Nam paulo ante ex historia venerabilis Bedae cognovimus innumerabilem animarum multitudinem fuisse in Purgatorio a Drithemo visam: et ex vita b. Christianae pariter accepimus Purgatorii locum vastissimum refertum animarum fuisse. Neque potest aliter fieri, cum nihil coinquinatum in Regnum caelorum admittatur, sed soli illi penetrare valeant ad conspectum Dei qui lux est, in qua tenebrae non sunt ullae, atque ad locum infinitae puritatis, nisi illi, qui vere sancti et immaculati sunt, et ad gloriosam illam Ecclesiam pertinent, in qua non est macula, neque ruga. Qui autem eiusmodi sunt, rarissimi sunt: proinde caeteri omnes, qui ad electorum numerum pertinent, per ignem Purgatorii transeunt. Quae cum ita sint, necesse est, ut Columba assidue gemat pro tam multis membris suis quae ad patriam caelestem immenso ardore suspirant, et simul in igne intolerabili detinentur, et poenis acerbissimis cruciantur.

CAP. X.

De *decimo fonte lacrymarum, qui est consideratio amoris Dei.*

Amor Dei est irriguum superius, unde fluunt dulces lacrymae, quae producunt in hortulo cor-

dis humani germina omnium virtutum. De his lacrymis dicit s. Angustinus in explicatione Psalmi vicesimiseptimi, *Dulciores sunt lacrymae orantium, quam gaudia theatrorum.* Dividitur autem hic caelestis fons in tres quasi rivos, qui sunt desideria tria procedentia ex amore Dei; desiderium videlicet gloriae Dei; desiderium beatitudinis nostrae, et desiderium gratiae, per quam acquiritur beatitudo : quae tria desideria satis aperte videntur expressa in primis tribus petitionibus orationis Dominicae. Si quidem qui orat, ut sanctificetur nomen Dei, id postulat, ut Deus glorificetur, et benedicatur, et sanctificetur ab omnibus Angelis, et hominibus, et modo quodam suo, ab omnibus rebus creatis. Et qui postulat,ut adveniat Regnum Dei, id petit, ut Regnum Dei, quod commune erit Christo cum omnibus Sanctis cito manifestetur, quod fiet in die novissimo, quando complebitur beatitudo Sanctorum, adiunctis corporibus gloriosis ad animas beatas. Denique qui petit, ut fiat voluntas Dei, sicut in caelo et in terra, id petit,ut gratia nobis detur implendi mandata Dominica, quomodo Angeli sancti in caelo semper faciunt voluntatem Dei.

Incipiamus a primo desiderio, quo flagrant omnes veri amici Dei.Deus noster bonorum nostrorum non indiget quia in se habet omnia bona, et ipse est summum, et infinitum bonum. Placuit tamen bonitati eius mundum creare, ut bonitatem suam extra se quodammodo effunderet, non eam amittens, sed cum aliis communicans, quomodo fons aquae flumen producit, nihil ipse perdens. Quid ergo par erat, ut res creatae, quae paulo ante nihil erant, tam beneficio donatori tribuerent, nisi ut totae converterentur in laudes creatoris? et quidem res inanimae, vel vita, et sensu praeditae, sed absque intelligentia, et libero voluntatis arbitrio,munus suum perpetuo explent.Semper enim caeli enarrant gloriam Dei,et montes,et colles iubilant coram Deo, et reliqua omnia serviunt ei, et faciunt verbum eius. In Angelis, et hominibus, qui soli mentis intelligentia,et libero arbitrio praediti Creatorem cognoscere, et amare poterant ostendere voluit Deus, primo quid posset eorum liberum arbitrium,deinde quid posset gratiae suae beneficium, iustitiaeque iudicium: ut Sanctus Augustinus sapienter docet in libro de correptione et gratia. Et quoniam inter Angelos, non pauci cum Principe suo diabolo in superbiam elati, libertate arbitrii abusi Deum non glorificaverunt, iusto Dei iudicio damnationis aeternae sententiam non effugerunt. Reliqui Domino Deo humiliter subiecti, et pia charitate coniuncti beatitudinis gloriam adepti perpetuo eum laudant,atque sanctificant dicentes, *Sanctus,Sanctus Sanctus Dominus Deus exercituum.* Soli restant homines, quorum pars longe maxima libertate arbitrii non bene utentes, non agunt ad quod creati sunt; et quamvis non desit gratia Dei excitando, adiuvando, illuminando, tamen iusto Dei iudicio traditi in reprobum sensum serviunt creaturae potius, quam Creatori; nec desunt qui cum Deum cognoscant, non sicut Deum glorificant: neque etiam desunt,qui dicunt se nosse Deum, factis autem negant.Horum igitur causa pauci illi, qui Deum ardenter diligunt, cum ferre non possunt aequo animo tantam iniuriam Dei tantam ingratitudinem, tantam iniquitatem : fremunt prae zelo intra se, et copiosis lacrymis desiderium gloriae Dei, quo flagrant, aliquo modo mitigare, ac lenire student.Unus ex eis Propheta David, *Tabescere,* inquit, *me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei*, et paulo post: *Vidi praevaricantes, et tabescebam quia eloquia tua non custodierunt.* et alibi: *Nonne, qui oderunt te Domine oderam, et super inimicos tuos tabescebam?* Et vere, si quis attente consideret, quantis blasphemiis, periuriis,maledictis quotidie ab hominibus offendatur Deus, et quam multi legem eius immaculatam, et saluberrimam, et desiderabilem super aurum;et dulciorem super mellis favum, lacerent, violent,.transgreditur sine ullo timore, aut rubore, et quot sint adhuc pagani, vel haeretici qui Deum verum non agnoscunt, sed vel saxa, aut ligna, vel capitis sui chimaeras pro Deo venerantur, et colunt; is nullo modo poterit, si vere Deum amat animo conquiescere, sed clamabit, et dicet cum Ieremia: *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum*, ut iniurias Domini Creatoris mei, cui debetur omnis honor, et gloria, lamenter et defleam, donec lacrymae deficiant? Si enim Matathias, et filii eius (ut est in priore libro Machabaeorum) sciderunt vestimenta sua, et operti sunt ciliciis, et planxerunt valde, quia gentes prophanaverant templum Domini, et mysteria illa polluerant, quae erant umbrae rerum futurarum: quid agere deberet pius Christianus hoc tempore, quo Mahumetani et Lutherani et Calvinistae, ac caeteri hostes Dei et Ecclesiae, multis in locis, non solum Ecclesias everterunt, sed omnem cultum divinum sustulerunt, et sacrosancta mysteria publice prophanaverunt?

Iam vero divinus amor excitat ardentissimum desiderium videndi Deum,et assidue,et cum multis lacrymis orandi, ac dicendi.*Adveniat Regnum tuum.* Et quidem Regnum Dei tribus modis in Scripturis sanctis accipi solet, pro Regno, ut sic loquar, naturali, pro Regno gratiae, et pro Regno gloriae. Regnum naturae dicitur dominium, quod naturaliter habet Deus in omnes res creatas, quas semper regit, et gubernat pro arbitrio suo, neque ulla res ei resistere potest.De hoc Regno loquitur David, cum ait: *Regnum tuum Regnum omnium seculorum.* De hoc autem Regno non potest intelligi illa petitio, *Adveniat Regnum tuum*,quoniam hoc Regnum semper fuit, et erit; neque opus est a Deo petere ut veniat, quod ab exordio mundi venit. Regnum gratiae illud est,quo Deus per gratiam regnat in cordibus priorum, eaque regit, ac moderatur, ac suae divinae voluntati suaviter subiicit; de quo Regno loquitur Apostolus, cum ait: *Eripuit nos de potestate tenebrarum,et transtulit in Regnum filii dilectionis suae.* Neque de hoc Regno videtur intelligi posse illud, *Adveniat Regnum tuum.* Siquidem hoc Regnum gratiae coepit ab origine mundi, sicut et Christus dicitur Agnus occisus ab origine mundi,quia per mortem eius praevisam data est gratia omnibus, qui in omnibus aetatibus iusti fuerunt. Regnum gloriae

est aeterna beatitudo, quae inchoata est in animabus iustis a Christi morte, qui moriens latroni dixit, *Hodie mecum eris in paradiso*; sed complebitur in die novissimo, quando Beati spiritus recipient gloriosa corpora, et a Rege gloriae audient, *Venite benedicti, possidete paratum vobis Regnum.* Tunc enim vere adveniet Regnum Dei, quando sublata omni potestate mortalium, et spirituum immundorum, solus Deus regnabit, et electi eius cum illo. Atque haec est communior expositio Patrum, Tertulliani, et Cypriani in libro de oratione Dominica; Chrysostomi, et Hieronymi in caput sextum Matthaei, Cyrilli catechesi quinta mystagogica, Augustini in libro secundo de sermone Domini in monte, Ioannis Cassiani collatione nona, et aliorum.

Observat autem sanctus Augustinus concione vicesima in Psalmum centesimum decimumoctavum, ante adventum Christi omnium Sanctorum desideria fuisse in ipsius Christi Incarnationem, Passionem, Resurrectionem, Ascensionem; omnium Sanctorum desideria esse in adventum Christi gloriosum, in quo Sancti omnes ad perfectam, atque aeternam pervenient felicitatem, sic enim implebitur illud: *Et veniet desideratus cunctis gentibus.* De priorum Sanctorum desiderio sint illa: *Multi Reges, et Prophetae voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt*, et illa: *Nunc dimittis servum tuum Domine, quia viderunt oculi mei salutare tuum*, et illa: *Utinam disrumperes caelos, et descenderes.* De posteriore desiderio sunt illa: *Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus iustus iudex: non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum eius*: id est, iis, qui timore casto diligunt Sponsum, et ideo cupiunt ut cito veniat, et non tardet gloriosum adventum suum. Sed adultera, quae non diligit Sponsum suum, timet adventum eius; et vellet, si fieri posset, ut nunquam veniret. Sponsa autem in extrema Apocalypsi dicit: *Veni*, et Sponsus respondet: *etiam venio cito*, et rursum Sponsa: *Veni, Domine Iesu.* Porro David Propheta sanctus utrumque adventum ardenter sitiens, et praesertim illum, in quo Deus videbitur facie ad faciem clamat. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Fuerunt lacrymae meae panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus?* Et alib. *Unam petii, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae, et videam voluptatem Domini.* Qui enim vere, et ex corde diligit, non potest patienter tolerare absentiam dilecti; sed sive comedat, sive bibat, sive quid aliud agat, semper dilectum cogitat, et cogitando suspirat, et plorat. Et si forte dormiat, illum quoque somniando videt, et cum eo confabulatur. Et si haec accidunt iis, qui amore capti sunt rerum mortalium, et foedarum; quid illi facient, qui amore capti sunt pulchritudinis infinitae, et sempiternae? illis vere lacrymae solae sunt panes die, ac nocte, quia solis lacrymis reficiuntur, et in illis conquiescunt; caetera omnia consolatores onerosi sunt, ut loquitur sanctus Iob. Hinc b. Paulus, qui raptus in paradisum vidit, saltem ex parte, pulchritudinem Domini, et intelligebat se sola corporis macerie retineri ne Christo frueretur, clamabat dicens: *Quis me liberabit de corpore mortis huius* et apertius: *Cupio dissolvi, et esse cum Christo*, et beatus Martyr Ignatius in epistola ad Romanos: *Omnia tormenta diaboli in me veniant, dummodo Christo fruar.* Quid de Maria Magdalena dicemus? quae in coena novissima in Bethania, cum Christum a se tollendum cognovisset lacrymis rigavit pedes eius, et capillis suis tersit. Longe aliae fuerunt istae lacrymae ab illis, quibus in domo Simonis lacrymis coepit lavare pedes eius, et capillis suis tergere. Istae enim ex recordatione peccatorum, et amarissima contritione flebant: illae ex desiderio retinendi dilectum; quales etiam illae erant, quibus ad sepulchrum plorabat, quasi absentem, quem sublatum arbitrabatur. Et quales illae, quam assiduae, quam ardentes, quam suaves quas in solitudine illa fundebat, cum in sola contemplatione dilecti occupata dies iungebat cum noctibus? O si quis lacrymas desiderii divinae pulchritudinis cum Davide, cum Paulo, cum Magdalena, addo etiam cum Augustino, cum Bernardo cum Francisco aliquando gustaret, sine dubio omnia huius mundi gaudia, omnesque voluntates, et omnia oblectamenta contemneret. Sed quia esurimus, et sitimus; et panem, ac potum lacrymarum caelestium ignoramus, ideo ad carnalia desideria, et mundi huius oblectamenta convertimur.

Restat desiderium tertium ex amore divino procedens, cuius desiderii impulsu petimus, ac dicimus. *Fiat voluntas tua, sicut in caelo, et in terra.* Qua petitione gratiam Dei poscimus, qua mandata Dei observare possimus. Scriptum est enim: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Amor igitur ille, qui nos desiderare facit visionem Dei, quae est vita aeterna, et continenter gemere, donec ad eam perveniamus: ille idem cogit nos desiderare perfectam legis divinae obedientiam: perfectam autem obedientiam Deo praestant Angeli in caelo, de quibus canit sanctus David: *Benedicite Domino omnes Angeli eius: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius: Benedicite Domino omnes virtutes eius: ministri eius, qui facitis voluntatem eius.* Declarat autem hoc loco Propheta perfectam obedientiam, quam Angeli exhibent Deo. Nam cum dicit, *potentes virtute, facientes verbum illius*, significat, ut sunt vere potentissimi, sic etiam efficaciter, et celeriter facere, quae Deus iubet. Et cum addit, *ad audiendam vocem sermonum eius*, significat, Angelos obedire Deo non alia de causa, quam ut obediant, et se vere servos obsequentes exhibeant Domino. Saepe enim homines alacriter, et diligenter obediunt dominis suis, non tam ut obediant, quam ut aliquid commodi, aut honoris, aut voluptatis inde lucrentur: et propterea negligentes, et tardi sunt ad obsequium, quando nihil inde lucri proprii ipsi referunt. Procul omnino ab ista imperfecta obedientia et ab amore proprio ex torta, absunt Angeli sancti. Et ne forte existimaremus, solos Angelos ultimi chori, qui proprie dicun-

tur Angeli, sollicite et velociter implere voluntatem Dei, addit Propheta *Benedicite Domino omnes virtutes eius*. Ubi per *virtutes* intelliguntur omnes Hierarchiae, et omnes ordines, ac denique omnes exercitus eius. Sic enim habetur in codice Hebraico, et sic vertit sanctus Hieronymus; *Benedicite Domino omnes exercitus eius*. Hanc igitur perfectam obedientiam, quae omne peccatum excludit et quae prae omnibus sacrificiis Domino placet, aemulari desiderant homines, qui vere diligunt; et quia vident, id per se assequi non posse, cum gemitu dicunt, *Fiat voluntas tua, sicut in caelo, et in terra*. Desiderio desideramus tibi Domino diligenter, velociter, ac sine ulla imperfectione servire, et obedire hic in terris, quomodo ab Angelis sanctis tibi servitur, et obeditur in caelo: sed quia multa nos impediunt, cum servo tuo Augustino clamamus. *Da, quod iubes, et iube quod vis*. Et si status exilii nostri tantam perfectionem non admittit, accipe sacrificium orationis, et desiderii nostri clamantis in auribus tuis: *Fiat voluntas tua, sicut in caelo, et in terra*; et si ipsum quoque desiderium imperfectum est nimis, audi gemitum desiderantis desiderium ardens, et cum Propheta lamentantis, et dicentis: *Concupivit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore*. Qui enim concupiscit desiderare veram, et plenam obedientiam mandatorum, iam desiderat, sed desiderio imperfecto, ipsam obedientiam mandatorum: et si non fatigetur orando, et petendo cum gemitu utique, exaudietur, et impetrabit desiderium perfectum, ad quod etiam consequetur perfecta obedientia mandatorum, qualis haberi potest in terris. Unde etiam fiet, ut ad patriam caelestem perveniat, et cum Angelis sanctis, potenter, et diligenter in omnibus, et per omnia faciat verbum Domini, et adimpleat omnes voluntates eius.

CAP. XI.

De undecimo fonte lacrymarum, qui est consideratio incertitudinis salutis.

Magnitudo bonorum, quae complectitur in se foelicitas sempiterna, tanta est, ut quemadmodum spes eius acquirendae laetitiam maximam gignit: sic etiam timor amittendae dolorem tantum adferat, ut qui serio de ea re cogitat, lacrymas continere non possit. Certe enim si quis reus capitis factus, dum apud Principem causa eius agitatur, inter spem, et metum constitutus haereret, non posset omnino laetari, nec fletum comprimere, donec certior de iustitia causae suae, aut saltem de indulgentia Principis fieret. Quis igitur cessare a metu, et gemitu poterit, si cogitet, adhuc pendere iudicium aeternae salutis suae, aut mortis et infelicitatis aeternae? quamvis enim aliquis nihil sibi conscius sit, unde timere debeat damnationem aeternam, tamen dum cogitat, Deum esse, qui nos iudicaturus est, qui multa videre potest in nobis, quae nos ipsi non videmus: quomodo potest securitatem sibi polliceri? Apostolus Christi est, et vas electionis, qui de se scripsit: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui enim iudicat me, Dominus est*, et Iob. testimonio Spiritus sancti *vir erat simplex, et rectus, ac timens Deum*; et de se ipse scripsit: *non reprehendit me cor meum in omni vita mea*, et tamen iudicium Dei ita formidabat, ut diceret: *Quid faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus? et cum quaesierit, quid respondebo illi?* Ac ut exemplum unum nostri temporis adducamus, Beatus Aloysius Bertrandus, vir notae sanctitatis, non semel inventus est plenus singultuum, et lacrymarum: et cum ab eo quaereretur, quaenam esset causa tanti moeroris, et tam ingentis profluvii lacrymarum respondebat, *Cur non amarissime fleam, cum non certo sciam, an aeterna salutis compos sim futurus?* Porro causae huius incertitudinis, quae pios homines valde sollicitos habere solet duae sunt. Una est, quia nemo certus esse potest, nisi ex divina revelatione, quae rarissime haberi solet, sitne gratus Deo, et vere iustus, quamvis in oculis hominum sanctus, ac iustus appareat; et quamvis ipse quoque nihil in se inveniat, unde a corde suo, sive a conscientia reprehendatur: clarissima enim sunt verba Salomonis in libro Proverbiorum: *Quis potest dicere mundum est cor meum, purus sum a peccato?* et apertius in Ecclesiaste: *Sunt iusti, atque sapientes, et opera eorum in manu Dei, et tamen nescit homo, utrum odio, vel amore dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta*. In quem locum Salomonis ita scribit sanctus Hieronymus: *Sensus*, inquit, *est, Inveni iustorum quidem opera in manu Dei esse, et tamen utrum amentur a Deo, an non, nunc eos scire non posse et ambiguos fluctuare, utrum ad probationem sustineant, an ad supplicium. In futuro igitur scient*. Itaque cum dicitur, *nescit homo utrum odio an amore dignus sit*, non est sermo de hominibus manifeste impiis: illi enim facile scire possunt, se odio dignissimos esse; sed de hominibus, qui iusti sapientesque esse videntur; id est, de iis, quorum opera laudabilia sunt; de his ambiguum est, an odio, vel amore digni sint, cum ignoretur, an opera illa ex vera charitate prodeant. Quam sit hominibus vere piis haec incertitudo molesta, vel ex eo cognosci potest, quod cum sancto Francisco, sub initium conversionis, recogitanti annos suos in amaritudine animae suae, et culpas suas praeteritas deploranti revelata esset certitudo remissionis omnium peccatorum; incredibili laetitia subito idem Franciscus repletus est, ut sanctus Bonaventura in eius vita testatur et apertius id ipsum narratur in Chronico. Quamvis autem haec incertitudo acerba sit amatoribus Dei: tamen non sine magna sapientia Dei, et utilitate hominum a divina providentia procurata est. Hinc enim fit, ut iusti semper vigilent, et cum timore, ac tremore salutem suam operentur, neque unquam superbire audeant adversus impios; et contra, ne peccatores desperent salutem seque sceleribus sine ullo froeno, et consideratione tradant. Altera causa, cur in hac vita certi esse non possimus de vita aeterna obtinenda, est incertitudo perseverantiae: quamvis enim pro comperto haberemus, nos hodie iustos, et gratos esse Deo: tamen non scimus, neque scire possumus, nisi ex divina revelatione, quid crastina

paritura sit dies: quotidie enim videmus deficere homines a sancta conversatione ad flagitia,et peccata gravissima. Atque ut ab alto incipiamus,primus Angelus in ipsa sua creatione gratiam Dei cum sapientia, aliisque donis plurimis sine dubitatione percepit. De ipso secundum expositionem s. Gregorii scribit Ezechiel , *tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum* , et infra: *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuae,donec inventa est iniquitas in te.* Et de omnibus Angelis sanctus Augustinus apertissime scribit , in eis Deum simul condidisse naturam , et infudisse gratiam. Neque dubium est, quin Angeli , atque inprimis Angelorum princeps, noverint, se vera Dei gratia,et vera charitate praeditos fuisse. Angeli enim se ipsi vident, et omnia, quae in ipsis sunt Dei dona,ex divina illustratione cognoscunt. Iste igitur Angelorum princeps, sapientia et gratia Dei praeditus, in veritate non stetit , ac per hoc in accepta gratia non perseveravit, et tamquam fulgur, ut Dominus loquitur, id est,summa velocitate de caelo cecidit, et ex Angelo lucis in Principem tenebrarum conversus est. Hunc imitatus est primus homo , qui gratiam Dei in ipsa sua conditione cum originali iustitia consequutus , paulo post eandem amisit. Scribunt enim sanctus Gregorius Nazianzenus, et sanctus Ioannes Chrysostomus , Adamum dici potuisse Angelum terrestrem ex spiritu , et carne constantem, ex spiritu propter gratiam, et carne , propter naturam. Quod si primus Angelus, et primus homo incerti de perseverantia sua fuerunt, et re ipsa ex gratia, eaque magna gratia exciderunt: quis mirabitur, si et nos post lapsum Adami, certitudine perseverantiae careamus ? Ad haec Saul Rex primus Israelitarum, electus a Deo,cum esset humilis in oculis suis, et tam bonus,ut in toto populo non esset melior illo: tamen paulo post reprobus factus est. Quid Salomon? hic vere fuit sapientissimus, et ab adolescentia ita gratus Deo, ut de eo Deus dixerit Davidi: *Ego ero illi in patrem et ipse erit mihi in filium*,et sanctus Hieronymus in Epistola ad Paulinum de studio Scripturarum, vocat Salomonem *amabilem Domini.* Et tamen adeo non perseveravit , ut in senectute depravatus a mulieribus, adoraverit omnia illarum idola, et a non paucis auctoribus gravissimis reprobus fuisse credatur. Id quod ei disertis verbis praedixit David pater eius in priore libro Paralipomenon his verbis: *Tu autem Salomon, fili mi, scito Deum patris tui, et servito ei corde perfecto, et animo voluntario. Omnia enim corda scrutatur Deus,et universas mentium cogitationes intelligit. Si quaesieris eum, invenies: si autem dereliqueris eum, proiiciet te in aeternum.* Horrenda comminatio, et ad verbum adimpleta:dereliquit enim Salomon Deum, et Deus proiecit eum in aeternum.

Quid dicam de Iuda proditore? Nonne ille quoque electus fuit a Christo , cum esset bonus, aut certe vocatione ipsa factus est bonus , et dignus amplissimo gradu: et tamen brevi corruptus amore pecuniae, ab ipso eodem Domino diabolus meruit appellari? *Nonne ego*, inquit, *vos duodecim elegi et unus ex vobis diabolus est?* et alibi; *Bonum erat illi si natus non fuisset.* His accedunt duo doctissimi, et optimi quondam Ecclesiae Doctores, unus Graecus,Origenes; alter Latinus Tertullianus. Uterque in iuventute cupidissimus martyrii, uterque abstinentiae, et continentiae amator uterque scriptor egregius non solum adversus Gentes, sed etiam adversus haereticos: et tamen uterque in senectute lapsus est,et novas haereses excogitavit , et inter haereticos numerari meruit. Quis igitur perseverantiam sibi certo polliceri audeat, quando turres eiusmodi ceciderunt? Omitto innumerabiles alios.Unum praetermittere non possum. Is est Heron eremita,qui annis quinquaginta vixit in eremo, in summa abstinentia,et continentia, et silentio, et vitae perfectae exercitatione: et postea tamen illusus a diabolo , semet in altissimum puteum praecipitavit: quasi pro merito virtutum, ac laborum non posset ulli discrimini subiacere et semimortuus inde erutus a fratribus ne sic quidem resipiscere voluit , et in sua obstinatione vitam finivit. Testatur hoc factum Ioannes Cassianus collatione secunda , quae est de discretione , qui Cassianus tempore suo rem gestam,et plurimis notam fuisse confirmat. His exemplis satis probatum est, viros etiam probos , et sanctos non esse certos de perseverantia , ac per hoc posse etiam iacturam facere felicitatis aeternae post multa merita et labores.

Quae cum ita sint,nimis omnino parci aestimant vitam aeternam , et sempiterna supplicia , qui in incertitudine tanti discriminis positi,adhuc rident et ludunt, vel etiam stertunt in lectis , vel comessantur in mensis: quomodo enim si periculum tam grande non vident, sani sunt cerebro,aut vero homines sunt, non belluae? Si vero cognoscunt,quomodo non toto corpore horrescunt, et non toto animo contremiscunt ? quomodo non plorant ? non eiulant? non plangunt? quomodo non satagunt, ut Apostolus Petrus monet certam facere vocationem et electionem suam? Cur tanto pendente iudicio , in quo de summa rei, id est, de fortunis omnibus de existimatione, de capite imo de vita sempiterna et felicissima,vel de morte perpetua,atque aeternis cruciatibus agitur, non curant adire amicos, sollicitare advocatos, ipsum Iudicem suspiriis, et lacrymis implorare ? In hoc enim discrimine plus valet humilis, et lacrymosa oratio, et reatus nostri aperta confessio et detestatio , quam ulla, quantumvis diserta, et accurata defensio. Oportet frequenter ex corde toto, et non sine gemitu inenarrabili petere a Deo gratiam verissimae,et ardentissimae charitatis in ipsum Deum, et proximum: et simul gratiam perseverandi in bonis operibus usque ad finem: perseverantia enim quae perficit opus, et finem laboribus imponit , donum Dei est , sed non negatur iis, qui petunt, sicut oportet.Utilissimum documentum ad donum perseverantiae impetrandum tradit sanctus Augustinus exponens illa verba Psalmi sexagesimiquinti ; *Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, et misericordium suam a me: Cum videris*, inquit, *non a te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est a te amota misericordia eius,* haec

ille, qui verissime docet, donum orationis esse optimum, et infallibile signum doni misericordiae. Quibus enim Deus mandat, ut semper orent,et simul dat spiritum semper orandi,et petendi perseverantiam misericordiae divinae usque in finem, sine dubio non amovet ab illis misericordiam suam usque in finem, et misericorditer facit eos perseverare usque in finem. Quemadmodum enim si quis ex nobis inberet homini pauperi,ut a se quotidie peteret eleemosynam, non posset iuste negare petenti quotidianam eleemosynam : sic omnino liberalissimus Dominus, qui dixit, *Oportet semper orare, et numquam deficere*; et qui donat amicis suis voluntatem semper orandi, et orandi sicut oportet: sine dubio exaudiet eos,et conservabit illis misericordiam suam, donec in caelesti patria coronet eos in misericordia, et miserationibus et repleat in bonis desiderium eorum.

CAP. XII.

De duodecimo fonte lacrymarum, qui est consideratio tentationum impedientium iter ad vitam.

Restat consideratio tentationum, ex qua consideratione tanquam ex fonte non exiguus emanat lacrymarum rivus. Qui enim ardenter amat Deum et eum videre desiderat, molestissime fert tentationes varias, quae impediunt cursum ad vitam aeternam, et ideo cum assiduo gemitu laborat in iis repellendis, et quasi vim patiens cruciatur, et clamat ad Deum: *Ne nos inducas in tentationem sed libera nos a malo*. Sed ut de hoc ingenti periculo per ordinem pauca dicamus, primum de tentatoribus deinde de instrumentis, id est, retibus, et laqueis tentationum breviter disseremus. Tentatores praecipui,diaboli sunt, nec solum tentatores, sed etiam accusatores sunt. Primum enim inducunt ad perpetranda peccata : deinde apud iudicem de peccatis perpetratis reos nos faciunt : proinde hostes nostri sunt acerbissimi, et crudelissimi. Quod ipsi proprie tentatores nostri sint, testatur Evangelium, cum ait; *accessit tentator* testatur Apostolus Paulus: *Ne forte tentaverit vos* inquit, *is qui tentat*, id est,cuius est officium proprium, tentare, testatur Apostolus Petrus,*cur tentavit satanas cor tuum*? testatur Apostolus Ioannes; *Missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcere, ut tentemini*. Quod iidem ipsi accusatores nostri sint, testatur idem Apostolus, cum in Apocalypsi dicit, *Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte*, quae verba exponens sanctus Gregorius libro secundo Moralium,ait: *In die accusat cum prosperis male nos uti insinuat: in nocte accusat, cum in adversis nos non habere patientiam demonstrat*, sic accusavit s. Iob, cum dixit: *Numquid Iob frustra timet Deum? nonne tu vallasti eum, ac domum eius, universamque substantiam per circuitum, operibus manuum eius benedixisti, et possessio eius crevit in terra? Sed extende paululum manum tuam, et tange cuncta quae possidet, nisi in faciem benedicat tibi*. Quo loco vox, *benedicere*, in contraria significatione, in toto illo capite, et sequenti accipitur. Ac ut omittam visiones plurimas, in quibus visus est diabolus contendere cum Angelo sancto,et accusare hominem iam morientem in multis, notissima est apud s. Athanasium in vita beati Antonii, accusatio acerrima daemonum adversus s. Antonium, et defensio Angelorum pro eodem Antonio. Summa est, diabolum, et satellites eius humano generi hostes irreconciliabiles esse, et tunc gravius nocere, quando familiaritatem simulantes, vel thesauros occultos demonstrare, vel amoribus impudicorum hominum servire velle videntur.Isti igitur tentatores, et accusatores nostri quales, et quot sunt? Primum astutissimi,et callidissimi sunt ut nobiscum comparati, vulpes dici possint comparatae ad columbas: sive consideres naturae nobilitatem, et subtilitatem, sive usum, et exercitationem longissimam. Quare Beatus Paulus, qui non ignorabat astutias eorum, in epist ola ad Ephesios, non vocat eos astutos, aut nequam, sed spirituales nequitias in caelestibus, id est ipsam nequitiam, ipsam astutiam spirituum immundorum habitantium in caelo aereo, unde commodius speculentur quae fiunt ab hominibus in terra. Praeterea sunt spiritus isti Tartarei potentes viribus, ut, si Deus permiserit,possint maxima detrimenta fere in momento hominibus adferre. Ideo enim Apostolus loco notato vocat eos principes,et potestates, ac mundi rectores et s.Petrus vocat eos leones rugientes, et s. Ioannes in Apocalypsi draconem magnum nominat.Nullae sunt autem bestiae ferociores, et fortiores leone, et dracone. Denique in libro Iob, de diabolo dicitur ; *Non est potestas super terram, quae comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeat*. At quot sunt quaeso isti potentissimi, et callidissimi tentatores ? plane innumerabiles, plenus enim est aer iste terrae vicinus daemonibus, sic ut si corpora gererent. Solem in meridie obscurarent. Audi s. Hieronymum in Commentario ad caput sextum epistolae ad Ephesios. *Haec*, inquit, *omnium Doctorum opinio est, quod aer iste, qui caelum,et terram medius dividens, inane vocatur, plenus sit contrariis fortitudinibus*. Atque huic veterum sententiae, Beati Antonii,quas Athanasius narrat,visiones mirifice consentiunt. Quae cum ita sint, si daretur nobis oculis corporalibus terrifica illa monstra, pessime in nos animata conspicere, quis nostrum non tremeret? non expallesceret? non a ludis, et iocis omnino cessaret? quis non orationi, et lacrymis serio operam daret? Quid autem si praeter ista monstra, conspiceremus terram laqueis, vel retibus plenam, ut eam aliquando sanctus vidit Antonius, an non cresceret in immensum timor, et tremor? an non clamores, et planctus in caelum ad Deum,qui solus de tantis periculis nos eruere potest, ex omni parte consenderent? Sed non ideo, quia oculis corporis ista non videmus, minus vera aut minus credibilia sunt.

Sed quoniam de tentatoribus aliquid diximus, dicamus iam de instrumentis, id est, de laqueis, quibus nos, quasi feras, aut aviculas capiunt, aut certe capere, et illaqueare nos tentant.Tot omnino

sunt genera laqueorum, quot sunt in nobis potentiae sentientes, et intelligentes. Sed numerus laqueorum in particulari, ut supra diximus, est prope infinitus. *Omnes* enim *creaturae*, ut loquitur Sapiens, *factae sunt in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium*, et Ecclesiasticus admonet dicens: *In medio laqueorum ingredieris.* Prima potentia in homine est intelligentia, quam sequitur voluntas rationalis. Laqueus huius potentiae, honor est, neque enim bestiae, quae intelligentia carent, honore tanguntur. Qualis quaeso laqueus est honor? et quam ingens malum est superbia, quae honorem pro idolo colit? Audi Ecclesiasticum, *Sicut perdix inducitur in caveam, et ut caprea in laqueum, sic et cor superborum.* Et Apostolus in priore ad Timotheum, sollicite illum admonet, ne ad Episcopatus honorem promoverat neophytum, *ne in superbiam*, inquit, *elatus, in iudicium et in laqueum incidat diaboli.* Hoc laqueo primus omnium captus est diabolus, et propterea ut multos habeat poenae suae socios, quascumque potest, eodem ipso laqueo irretire conatur. Sed quid sapientes faciunt? fugiunt hunc laqueum, ut vere fugerunt. quantum potuerunt, SS. Patres Ambrosius Augustinus, Chrysostomus, Gregorius, quibus honor ille non fuit laqueus, sed crux, quam non ambiendo, sed obediendo susceperunt. Insipientes autem, et stulti, quorum non est numerus, non fugiunt laqueum, sed quaerunt, et competitoribus contendunt, quis eorum prior possit laqueum induere. O caecitas humana, et omni lacrymarum fonte plangenda. Vere enim praelatura, muscipula est pedibus insipientium, qui cum se ipsi regere nequeant, ad multitudines regendas anhelant, ut caecus caecis ducatum praestans, cum iis in foveam cadat.

Nec minus perniciosus est laqueus, pecunia, quae avaritiae fomentum praebet, et ad intelligentiam pertinet non minus, quam honor: bestiae siquidem contentae cibo, et potu, pecunias, et quae pecuniis emuntur, palatia, agros, vestes, et caetera generis eiusdem omnino contemnunt. Porro pecunias laqueos esse diaboli, Apostolos confirmat in priore epistola ad Timotheum, dicens: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli*, et eo usque procedere solet amor pecuniae, ut pecunia pro Deo colatur, unde ab Apostolo non semel avaritia dicta est, *idolorum servitus.* Hunc porro laqueum adeo non fugiunt homines, ut diligentissime illum quaerant, et illi feliciores existimentur, qui pluribus eiusmodi laqueis circumdati sunt. Utinam persuaderi posset hominibus, qui quaestum magnum desiderant, id quod Apostolus monet, cum ait: *Est autem quaestus magnus pietas cum sufficientia*, id est, pietas cum opinione quod sibi sufficiat id quod habet sive multum, sive parum sit, id enim significat vox Graeca αυταρχεια, qua Beatus Paulus usus est. Itaque ille valde dives est, et quaestum magnum fecit, qui pietatem possidet, id est, amorem vere filialem erga Deum. Qui enim intelligit, quid sit, filium esse Dei, Regis Regnum omnium et filiali dilectione illi adhaeret, eius praecepta adimplet, in illo confidit, in eius voluntate acquiescit: is quidquid habet, sive multum, sive parum, sibi sufficere certo credit, quia non dubitat sibi ab amantissimo Patre semper tribui, quod pro tempore sufficit, et sibi non expedire, ut vel plus, vel minus habeat. O quaestus vere magnus, sed paucis notus. Quis est enim vere dives, etiam opinione Gentilium, nisi qui nihil desiderat? Quis autem nihil desiderat, nisi qui scit se Patrem habere ditissimum. et amantissimum, et qui tribuit quantum satis est, in hoc exilio, et haereditatem plenam conservat pro eo tempore, quo nihil amitti poterit, aut corrumpi; et pro eo loco, *quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.* Sed pergamus ad laqueos, qui supersunt, explicandos. Tertius laqueus est delectatio vehemens carnalium voluptatum, per imaginationem apprehensa. Diabolus enim hoc laqueo capere nititur illos etiam, qui procul a mundo dissiti in desertis locis habitant, ubi nullos homines cernunt, neque delicias, aut oblectamenta ulla experiuntur. Et sane tanta arte diabolus ista repraesentare novit, ut pulchriora, et dulciora appareant, quam re vera sint, et saepe magis moveant imagines illae rerum, quam res ipsae moverent si coram adessent: res enim quantumvis pulchrae, et suaves, semper admistam habent aliquam foeditatem, vel amaritudinem: sed imagines artificio diaboli imaginationi oblatae, nihil foedum, nihil insuave prae se ferunt, sed totae iucundae imaginationi obiiciuntur. Unde mirum non est, si appetitionem vehementissime afficiunt. Hoc genus laquei adhibuit Tentator semper ad viros fortissimos capiendos, qui nec laqueo honoris nec retibus pecuniarum capi potuerunt. Hunc laqueum Apostolo Paulo, posteaquam is raptus fuerat in tertium caelum, tetendit satanas, Deo permittente, ad eius conservandam humilitatem; sic enim ipse loquitur; *Et ne magnitudo revelationum extollat me datus est mihi stimulus carnis meae angelus satanae, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogavi, ut auferretur a me.* Hunc laqueum tetendit Antonio magno, et probatissimo omnium Monachorum, de quo sic loquitur sanctus Athanasius in eius vita: *Posteaquam diabolus orationibus Antonii ad Deum per passionis fidem se intellexit elidi, consueta adversus omnes adolescentes arma arripiens, nocturnis eum inquietabat illecebris. Nam et ille cogitationes sordidas conabatur inserere; et hic eas oratu submovebat assiduo: ille titillabat sensus naturali carnis ardore; hic fide, vigiliis et ieiuniis corpus omne vallabat: ille per noctem in pulchrae mulieris vertebatur ornatum, nulla omittens figmenta lasciviae, hic ultrices gehennae flammas, et dolorem vermium recordans, ingestae sibi libidini opponebat.* Eumdem hunc laqueum sancto tetendit Hilarioni, de quo sic scribit sanctus Hieronymus in eius vita: *Titillabat sensus eius, et pubescenti corpori solita voluptatum incendia suggerebat. Cogebatur tyrunculus Christi cogitare quod nesciebat, et eius rei animo pompam voluere, cuius experimenta non noverat. Iratus itaque sibi, et pectus pugnis verberans, quasi cogitationes caede manus posset ex-*

cludere: ego, inquit, aselle, faciam,ut non calcitres: nec te hordeo alam,sed paleis,fame te conficiam, et sui: gravi onerabo pondere,per aestus indagabo, et frigora, ut cibum potius, quam lasciviam cogites. Haec sanctus Hieronymus, cui quoque diabolus non perpercit, sed laqueum illi tetendit similem illis, quos Antonio, et Hilarioni tetendit: sic enim ipse de se loquitur in Epistola ad Eustochium de custodia virginitatis ; *O quoties ego ipse in eremo constitutus,et in vasta illa solitudine, quae exusta Solis ardoribus horridum Monachis praestat habitaculum,putabam me Romanis interesse deliciis. Sedebam solus quia amaritudine repletus eram:horrebant sacco membra deformia, et squallida cutis situm Aethiopicae carnis obduxerat: quotidie lacrymae,quotidie gemitus: et si quando repugnantem somnus imminens oppressisset,nuda humo vix ossa haerentia collidebam. De cibis vero, et potu taceo, cum etiam languentes aqua frigida utantur, et coctum aliquid accepisse luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennae metum tali me carcere ipse damnaveram, scorpionum tantum socius,et ferarum, saepe choris intereram puellarum.pallebant ora ieiuniis, et mens desideriis aestuabat in frigido corpore, et ante hominem suum iam carne praemortua, sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus, ad Iesu iacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, et repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam*, haec ille. Similia possum adferre de sancto Benedicto,qui, teste sancto Gregorio, sordidas cogitationes a diabolo immissas,ut eiiceret, se ipse nudus in spinis volutavit, necnon de sancto Bernardo, qui teste Willelmo in eius vita, in gelido lacu sese immergens,tam diu frigus illud toleravit in corpore, donec incendium luxuriae extinxit in mente. Denique, ut alios omittam, idem referre possem de sancto Francisco, qui teste sancto Bonaventura in eius vita, immissam a diabolo in mentem suam libidinis flammam, primum crudeli verberatione, deinde nudi corporis nocturno tempore in acervum nivis volutatione compescuit.Atque haec pauca de magnis Heroibus retuli: sed si vellem ex historiis adferre numerum eorum, qui hoc laqueo capti perierunt, nullus esset finis. Quis igitur non iure lugeat aerumnas huius exilii, in quo a venatoribus infernalibus ita ludimur, et illudimur, ut neque in desertis locis homines sanctissimi ab illorum laqueis tuti esse possint? Sed neque hic est finis laqueorum imaginationis, et mentis. Alios enim diabolus capit, et torquet miserabilibus angustiis scrupulorum;alios contra sic decipit per laxam,et erroneam conscientiam,ut multi antea perveniant ad gehennam quam peccata sua cognoscere, et deflere potuerint. Utrique autem culpa sua miseri sunt: nam priores illi, qui scrupulis agitantur, deberent aliorum consilio acquiescere, praesertim Praepositorum,de quibus Dominus ait, *qui vos audit, me audit*: et non suo iudicio velle duci, praesertim, cum se in causa propria bonos iudices, et in morbo proprio bonos Medicos esse non posse facile iudicaro potuerint; posteriores vero in formanda conscientia,tamquam in re maximi ponderis, unde mors, et vita dependent, non deberent vel suo, vel hominum quorumcunque iudicio acquiescere, sed audire viros simul et doctos et pios, qui veritatem noverint, et eam aperire non timeant.

Venio ad laqueos sensuum corporalium.Magnus laqueus est formosa mulier ad oculos virorum, et formosus vir ad oculos foeminarum.Audi Ecclesiasticum, virum sapientissimum, *Lustravi*, inquit, *universa animo meo,et inveni amariorem morte mulierem, quae laqueus venatorum est, et sagitta cor eius: vincula sunt manus illius : qui placet Deo, effugiet illam, qui autem peccator est, capietur ab illa.*Et quod de muliere dicitur ad viros, idem dici potest de viro ad mulieres, non enim minus arcte capta est uxor Putipharis laqueo concupiscentiae ad aspectum sancti Ioseph, quam senes ad aspectum Susannae. Sed illud omnino miserabile, et multis lacrymis dignum est, quod iste laqueus non solum non declinatur,nisi a paucis sapientibus, sed quaeritur diligenter et saepe etiam multis pecuniis emitur. Quis hanc caecitatem, ut par est, deplorabit? Christus clamat et dicit; *qui viderit mulierem ad concupiscendum, iam moechatus est eam in corde suo*, et rursum addit: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum,et proiice abs te, melius est tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.* Et Christianus,vel non credens Christo, vel eius verba contemnens, nulli occurrit venustati, in quam oculos non defigat. Et parum esset, si solum in occurrentes oculos defigeret, nisi etiam ultro iret,ubi speraret se talem laqueum inventurum. Sed quis tolerandum putet, quod non desunt, qui in ipsa sacra aede,dum tremenda mysteria celebrantur, vel dum sacra concio habetur ad populum, laqueos oculis quaerunt, oculis loquuntur, et iuxta Domini sententiam, oculis, et corde moechantur? Sanctus Ioannes Chrysostomus cum aliquando apud Antiochiam quosdam de populo inter sacrorum solemnia collocutos inter se et subrisisse cognovisset ita exanduit, ut diceret, mirari, se, quod fulmine de caelo cadente, omnes qui in illa Ecclesia erant, non interiissent. At si fulmine digni sunt qui tempore sacrorum colloquuntur, aut rident, quo supplicio digni erunt, qui tempore eodem, oculis, et corde fornicando, vel moechando templum violant?

Transeamus ad laqueum linguae,quo capiuntur aures. Quam iure glorietur Ecclesiasticus, liberatum se fuisse a laqueo linguae iniquae,testes esse possunt, qui linguas venenatas haereticorum evaserunt. Certe de Ario testatur s. Epiphanius, eum tam dulcis eloquii fuisse, ut brevi multos Presbyteros, et Episcopos, septingentas virgines sacras, et omnis generis homines loquendo perverterit. De Fausto manichaeo scribit s. Augustinus, eum fuisse magnum laqueum diaboli, et multos ab eo fuisse captos per illecebram suaviloquentiae. Quod idem nos dicere possumus de nostri temporis haeresiarchis, ac praesertim multorum haeresiarcharum parente Martino Luthero, qui lingua sua Germanica eloquentissimus erat. Quid dicam de lingua detrahentium proximis suis? de lin-

gua blandiloqua, et adulatrice? de lingua mendaci? de lingua contumeliosa? Certe tam multa peccata oriuntur ex verbis male prolatis, ut sanctus Iacobus linguam appellaverit, universitatem iniquitatis, inquietum malum, plenam veneno mortifero, et quam nullus homo domare potest.

Porro laqueus sensus olfaciendi sunt odores, quibus delicati homines ita capiuntur, ut multas pecunias insumant in unguenta pretiosa, et aquas adoratas, quibus chirothecae, vestes et domus tota suaviter oleant. Sed quorsum isti sumptus in re tenuissima? quid enim est aliud odor, nisi fumus, aut exhalatio, quae nihil habet solidi, et continuo evanescit?

Laqueus multo periculosior sunt cibi sapidi, et vina pretiosa, quibus capitur gula, et unde existunt crapulae, et ebrietates, quae simul et corpori, et animae nocent, et rem familiarem exhauriunt. Clamat Magister noster, et Dominus, *attendite vobis, ne graventur corda vestra crapula, et ebrietate*, et non dicit corpora vestra, aut stomachus vester, aut venter vester, sed corda vestra: quia tametsi crapula, et ebrietas non parum corporis bonae valetudini noceant, tamen facile per inediam, et abstinentiam vini remedium corpori adferri potest. Sed crapula, et ebrietas gravant cor, id est, mentem, eamque deprimunt ad sola terrena cogitanda ut nimis difficile sit mentem attollere ad ea procuranda, quae necessaria sunt ad salutem. Pulcherrima similitudo est apud Salomonem in Proverbiis scribit enim Salomon, hominem addictum comessationi, et ebrietati similem esse nauclero, qui in medio mari dormiens amisso clavo, laetus, et de vino repetendo somnians sinit navem a ventis deferri ad manifestum naufragium. *Et eris*, inquit, *sicut dormiens in medio mari, quasi sopitus gubernator amisso clavo, et dices, vulneraverunt et non dolui, traxerunt me, et ego non sensi. Quando evigilabo, et rursus vina reperiam*? Haec est vera descriptio ingentium malorum, quae superveniunt iis, qui delectantur crapula et ebrietate. Obscuratur eorum iudicium, sopitur quodammodo mens, ut vulneretur anima vulnere criminis lethalis, et non advertat, spolietur gratia Dei, et non sentiat, naufragium immineat per quod omnia bona pereant, et ipse, quasi ludus quidam sit, rideat; denique morti propinquus sit, et ad gehennam festinet, et ipse de solo vino cogitans dicat, quando evigilabo, et vina reperiam? Sed o tu miser, et miserabilis, non vina reperies, sed penuriam talem omnium bonorum, ut cum epulone guttam aquae desideres, et non obtineas. Hic igitur finis est eorum, qui laqueo gulae se capi sinunt, et quorum Deus venter est. Et tamen tam stulti sunt plerique hominum, ut non expectent venatores, qui laqueum iniiciant, sed ipsi praeveniant venatorem diabolum et per se currant ad laqueum, eumque libentissime quasi torquem aureum, sibi circumdent.

Restat postremus laqueus, sed omnium funestissimus, qui ad sensum tangendi pertinet, et carnalis voluptas dici potest. Iam supra ex Ecclesiastico didicimus, mulierem laqueum esse venantium, et vel solo aspectu ligare, unde etiam de Holoferne scriptum est, quod visa Iuditha captus fuerit in oculis suis. Quod si mulier dum videtur capit quanto magis capiet, dum tangitur, et dum per complexum fornicarium ita coniungitur, ut fiant duo in carne una, et iam non sint duo, sed una caro? Hinc igitur Spiritus S. per Apostolum clamat ad homines: *Fugite fornicationes* et si fornicatio fugienda est quanto magis adulterium, incestus, sacrilegium? Sed, ut de aliis laqueis diximus, sic de isto dicere possumus, quo magis Scriptura nos admonet, ut fugiamus, eo magis plerique homines incitantur, ut laqueos quaerant, et illis implicentur et pereant. Certe si hic solus laqueus tenderetur hominibus, digna esset humana miseria fluminibus lacrymarum: nullum enim est malum frequentius, nullum communius, nullum turpius, nullum perniciosius. Dictum est olim a Mose propter hoc malum: *Omnis caro corrupit viam suam*, et quod videns Deus terram esse corruptam, dixit: *Poenitet me fecisse hominem*; diluvio horribili inundante delevit genus humanum, et terram quodammodo lavit. Hoc tam magnum argumentum irae Dei in peccata ista carnalia, et plusquam brutalia non deberet omnes terrere? non deberet cogere ad castitatem, saltem coniugalem? Et si pagani, qui Christum non noverunt, corrumpuntur in carnalibus istis flagitiis et sceleribus, an non saltem Christiani, qui Christum virginem, et Virginis filium, et puritatis amatorem ardentissimum colunt, deberent luxuriae foetores aversari, et fugere? Et si doctor gentium iubet, ut eiusmodi flagitia nec nominentur in nobis: unde fit, ut tam multi non solum de mundo, sed etiam ex iis, qui continentiae voto se obstrinxerunt, ab ista turpitudine non abhorreant? Veniet, veniet diluvium, non aquae, sed ignis, et purgabit orbem terrarum, et omnes immundi, qui baptismo lacrymarum purgati non fuerint, erunt, ut Isaias loquitur in combustionem, et cibus ignis; et ignis, ut idem ipse scribit, qui non extinguitur et in aeternum non extinguetur.

DE

GEMITU COLUMBAE

SIVE DE BONO LACRYMARUM

LIBER TERTIUS

CAPUT I.

De primo fructu lacrymarum, qui est spes certa remissionis peccatorum.

Aperuimus, aspirante Deo fontes lacrymarum duodecim : nunc ex iis fontibus rivos deducere ad areolas aromatum propositum nobis est,ut inde colligamus flores, vel fructus variorum spiritualium donorum. Erunt autem fructus duodecim, iuxta numerum fontium, et fortasse isti sunt fructus duodecim, qui nascuntur ex ligno vitae, irrigato caelesti flumine, ut legimus in Apocalypsi sancti Ioannis: vere enim caeleste flumen dici potest,flumen lacrymarum,quae a Spiritu originem ducunt. Principio igitur lacrymae poenitentiae, quae derivantur ex fonte considerationis magnitudinis peccatorum, producunt spem certam indulgentiae et reconciliationis cum Deo, ex qua oritur in animo poenitentis exultatio et laetitia incomparabilis. Quamvis enim vera contritio cordis, et syncera confessio cum proposito satisfaciendi, et absolutio Sacerdotis indulgentiam a Deo obtineant, et peccata deleant ; tamen spes quaedam viva de remissione peccati, et quasi pignus reconciliationis lacrymis debetur. Sic enim loquitur David in Psalmo sexto:*Laboravi in gemitu meo lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo*, et postea subiungit: *Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem.quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.* Ubi vides, exauditam fuisse vocem fletus magis, quam vocem verborum: efficacius enim loquuntur in auribus Dei lacrymae, quam verba. Idem colligitur ex lacrymis sanctae Mariae Magdalenae: illa enim non verbis, sed lacrymis dolorem de peccatis conceptum ostendit: lacrymis, non verbis confessa est peccata sua : lacrymis, non ieiunio aut oratione, aut eleemosynis satisfecit. Et tamen audivit : *Remittuntur tibi peccata tua, et, quia dilexit multum, remittuntur ei peccata multa.* Dilectionem autem multam lacrymae testabantur : quia enim multum detestabatur peccata, quod lacrymae demonstrabant, signum evidens erat, ab ea multum diligi Christum, qui venerat tollere peccata mundi et destruere opera diaboli,quae sunt peccata.Hanc vim esse lacrymarum, ut peccata lavent, testatur sanctus Ioannes Chrysostomus, ut alios Patres omittam, in homilia sexta in Matthaeum, ubi scribit lacrymas solvere sententiam Iudicis aeterni in peccatores prolatam,lacrymas unire animam cum Deo a quo per peccatum fuerat separata,lacrymas tranquillare animam, quae ob remorsum conscientiae conturbata erat. Idem Chrysostomus concione prima de Lazaro, et homilia quinta de poenitentia, scribit, tantam esse vim lacrymarum hominis poenitentis, ut extinguat ignem gehennae.Idem denique homilia secunda in psalmum quinquagesimum, vocat lacrymam, spongiam peccatorum, et martyrio similem: quia sicut Martyr fundit sanguinem, sic poenitens fundit lacrymas. Cui similitudini adiungere possumus, quod sicut Martyr scinditur et laceratur in corpore, sic verus poenitens scindit ipse cor suum,et conterit,iuxta praeceptum Domini: *Scindite corda vestra*, et iuxta testimonium Propheta : *Cor contritum, et humiliatum Deus non despicies.* Praeterea sicut Martyr offert Domino sacrificium gratissimum mortis suae in testimonium fidei; sic et verus poenitens offert sacrificium acceptabile Domino spiritus contribulati et cordis contriti in testimonium odii erga peccatum et charitatis erga Deum.Denique,sicut Martyr sine Purgatorio recta volat ad caelum sic et verus poenitens aliquando ex perfecta detestatione peccati, et perfecta, atque ardenti charitate in Deum fundens lacrymas copiosas, indulgentiam percipit plenissimam peccatorum, non solum quoad remissionem culpae, sed etiam quoad condonationem poenae. Habemus huius rei exemplum insigne in historia de vita s. Catharinae Senensis, quam vir gravissimus Raymundus Capuanus, eiusdem s.Virginis Confessarius, literis mandavit, et quod rem fide dignissimam esse testatur, exemplum ipsum in personam eiusdem Raymundi contigit. Igitur praedictus Raymundus aliquando a s. virgine Catharina petiit,ut precibus suis a communi Domino impetraret Bullam (sic enim loqui illi placuit) plenariae indulgentiae, per quam ipse Raymundus certior redderetur, sibi peccata omnia fuisse dimissa. s. Virgo Catharina pollicita est, se Bullam

eiusmodi a Domino postulaturam. Sequenti die, praemissa oratione ad Deum pro Bulla impetranda Raymundum adivit Beata Catharina; et dum loqueretur de ingratitudine hominum erga Deum, tactus Raymundus Spiritu sancto, intueri sibi visus est peccatorum suorum multitudinem, et magnitudinem tam perspicue, ut continuo ex amarissima contritione tantam vim lacrymarum effuderit, et in singultus, et rugitus tales proruperit, ut periculum fuerit, ne pectus, et cor eius disrumperetur. Tum virgo. *Haec*, inquit, *est Bulla indulgentiae, quam tibi Dominus misit: esto igitur gratus gratiae Dei.* Sic illa recessit et ille mirum in modum laetus cum Propheta Regio dicere potuit: *Auditui meo dabis gaudium, et laetitiam, et exultabunt ossa humiliata.* Haec est potentia lacrymarum sanctarum ex vera cordis contritione manantium, ut serenet, et tranquillet animas peccatorum post diuturnum horrorem, et pavorem; plane ad eum modum, qui post procellas ventorum, et densarum nubium obscuritatem, descendens pluvia copiosa aerem serenum, et purum relinquit. Porro causa huius rei illa esse videtur, quia per lacrymarum compunctionem Spiritus sanctus testimonium reddit spiritui nostro, quod filii Dei sumus, quippe quibus iam peccata serio displicent, et pax Dei exultat in cordibus nostris, accepto videlicet a Patre caelesti osculo pacis, et stola prima, et annulo perfectae reconciliationis.

O si gustare possent homines peccatores, quam dulcis, et quam suavis sit reconciliatio cum Deo, intelligerent profecto, nullam esse carnalem suavitatem cum ista suavitate comparandam; et cum sancto Augustino clamarent: *O quam suave mihi subito factum est, carere suavitatibus nugarum, et quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat: eiiciebas enim eas a me tu, vera, et summa suavitas, et intrabas pro eis omni voluptate dulcior, omni luce clarior, omni honore sublimior.* Haec s. Augustinus dicebat. cum amarissima contritione, et magno imbre lacrymarum peccata sua flevisset. Sed multo ante Propheta David, memor iustificationis, et reconciliationis, quam laborando in gemitu suo, et stratum suum nocturnis lacrymis rigando acquisierat, exultabat et animum suum ad agendas gratias excitabat cantans, et dicens: *Benedic anima mea Domino, et omnia quae intra me sunt, nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones eius.* Et quae sunt retributiones eius, nisi quia retribuit bona pro malis? *Qui propitiatur*, inquit, *omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia, et miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum, renovabitur, ut aquilae iuventus tua.* En quanta seges gaudiorum ex amaro fonte lacrymarum profluxit. Deus propitius factus est omnibus iniquitatibus, eas remittens et condonans sanavit omnes infirmitates, morbos omnium vitiorum curans; redemit de interitu animam, gratiam iustificantem, et vivificantem infundens; coronavit in misericordia, et miserationibus in spe videlicet corona gloriae undique circumdedit; renovabit iuventutem tuam in die novissimo, quando corpus tuum seminatum in infirmitatem, surget in gloria, instar aquilae, quae senio confecta ad iuventutem renovatur. His duobus testibus addam et tertium, ne foeminae praeteriri videantur. S. Maria Aegyptiaca cuius vitam scripsit Sophronius Episcopus Hierosolymae, et interpretatus est Paulus Diaconus mulier fuit super omnes mulieres impudicissima, quippe quae non quaerebat mercedem, ut aliae meretrices, sed ipsa mercedes dabat, ut satiare aliquando libidinem suam insatiabilem posset. Denique horror est legere, in quam profunda abysso turpitudinum, et scelerum omnis generis misera iaceret: cum autem ad se reversa de profundo illo miseriarum emersisset, abiit in solitudinem, in qua per annos quadragintaseptem hominem non vidit, atque ad eam vitae sanctissimae perfectionem eminentissimam, solo Spiritu sancto duce, per intercessionem Beatissimae Virginis Matris Dei Mariae pervenit, ut iam non mulier, sed terrestris Angelus videretur. Haec autem omnia solo pretio lacrymarum sibi comparavit. Initium conversionis a flumine lacrymarum coepit, deinde omnes tentationes, quas permultas, et horribiles in solitudine patiebatur, sola oratione cum profluvio lacrymarum extinguebat. Quantas autem a Deo consolationes acceperit quae facile vincerent praeteritas voluptates, argumento est, quod sola tam longo tempore in horrida solitudine perdurare potuerit: et quidem nemine cogente, sed ipsa sponte sua vitam illam durissimam, et supra modum asperam eligente, ubi nihil ad cibum habebat, nisi herbas terrae: ubi toto corpore nuda, Solis ardoribus urebatur aestate, et glacie, ac nive urebatur in hyeme: ubi neminem comitem habuit, praeter daemones, et feras: ubi sine lecto, sine tecto omnibus acris iniuriis semper patebat. Hi ergo testes omni exceptione maiores persuadere facile possent omnibus hominibus, ut securi peccata sua lacrymis compunctionis lavare studerent, quia sine dubitatione ulla omnis moeror in laetitiam, et omnis fletus in risum iucundissimum convertetur, in hac etiam vita, et exilio filiorum Adam: nam in patria caelesti, *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum.*

CAPUT II.

De secundo fructu lacrymarum, qui est timor gehennae.

Secundus fructus oritur ex consideratione poenarum gehennae, qui erat secundus fons lacrymarum: producit enim illa consideratio, quando seria et profunda est, et lacrymis calentibus irrigata, timorem Domini, qui unus est ex septem pretiosissimis Spiritus sancti donis. Et quidem quod gehennae consideratio timorem sanctum producat, res est per se nota, et a nobis in secundo libro, capite secundo, ex testimonio Scripturarum, et Sanctorum Patrum satis aperte demonstrata quibus testimoniis addere placet hoc loco testimonia quatuor Ecclesiae doctorum primariorum. Sanctus Ambrosius sermone vicesimoprimo in Psalmum

centesimum decimumoctavum scribit, Martyres, inter duos timores constitutos, alterum carnificum, alterum gehennae, contempsisse timorem carnificum ob timorem gehennae. Sanctus Hieronymus in epistola ad Eustochium de custodia virginitatis, scribit ipse de se: *Ego ob gehennae metum carcere isto*, id est orribilis deserti, *me ipse damnavi.* S. Augustinus in libro de gratia, et libero arbitrio capite octavodecimo, et s. Gregorius libro secundo homilia decimanona in Ezechielem, non dubitant affirmare, timorem aeternae poenae, unum esse ex septem Spiritus sancti donis.

His igitur praemissis, hoc loco duo solum explicanda sunt, quis sit ille timor, quem producit gehennae consideratio, quae, et quanta sit huius timoris utilitas. Quod ad primum attinet, quinque timores distinguuntur a Theologis, naturalis, humanus, servilis, filialis, initialis. Naturalis timor est communis hominibus cum bestiis, et neque bonus, neque malus est moraliter, sed naturaliter bonus est, atque a Deo insitus naturae ad mala, et noxia fugienda. Humanus timor, qui et mundanus dici solet, is est, quo magis timent homines malum poenae, quam culpae: vel detrimentum temporale, et corporale, quam detrimentum spirituale et aeternum, atque hic timor malus est, utpote inordinatus, et noxius, et radix malorum plurimorum. Timor servilis est, qui timet poenam, et praecipue sempiternam, et ideo retrahit a peccato: sed si poenae periculum non adesset, facile peccatum committeret, hic timor bonus est, et a Deo, quamvis in peccatore cum mala voluntate coniunctus inveniatur, videlicet peccandi, si posset impune: siquidem timor iste non est causa, neque effectus malae voluntatis, imo eam comprimit, et coercet, saltem quoad actum exteriorem, et disponit ad pietatem, et perfectam conversionem, ac de eo scriptum est: *Initium sapientiae, timor Domini.* Quartus est timor filialis, castus, et reverentialis, qui optimus est, et magnum donum Spiritus sancti: hoc enim timore culpam timemus patrare et parati sumus quidlibet pati potius, quam ut Deum offenderemus nec peccaremus, etiamsi id facere possemus impune. Dicitur autem hic timor filialis, quia est proprius filiorum, et castus, quia est sponsae, non adulterae et reverentialis, quia est amici inferioris, qui libenter colit et reveretur superiorem, quae tria nomina in eandem personam cadere possunt: sumus enim filii Dei, quia per spiritum adoptionis haeredes facti sumus, et animae nostrae sponsae Christi sunt iuxta illud Apostoli: *Desponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* et amici sumus eiusdem Christi, qui ait: *Iam non dicam vos servos, sed amicos.* Itaque timor iste filialis et castus non praevenit pietatem, ut timor servilis, sed comitatur et cum ea coniungitur ut frater germanus, natus ex eadem matre charitate, quae causa est, ut in Scripturis sanctis saepe pro eadem re accipiantur timor et pietas, ut in Psalmo illo: *Beatus vir, qui timet Dominum in mandatis eius volet nimis*, et apud Isaiam, ubi ponuntur septem dona Spiritus sancti, non sunt in Hebraeo codice nisi nomina sex sed ultimum nomen videlicet, pietas, bis repetitur. Sed noster interpres, ut ostenderet illo uno nomine res duas significari, sextum donum vocavit pietatem, septimum appellavit timorem. Quintus timor dicitur initialis qui mixtus est duobus praecedentibus: nam qui hunc timorem habet, timet culpam, et poenam sed magis culpam, quam poenam. Dicitur autem initialis quia qui hoc timore praeditus est inchoavit perfectionem charitatis, et pietatis, sed nondum pervenit ad illum altissimum perfectionis gradum qui foras mittit omnem timorem poenae de qua perfectione loquitur sanctus Ioannes in epistola prima cum ait: *Qui timet, non est perfectus in charitate*, nam *perfecta charitas foras mittit timorem*. Perfecta enim charitas ita fertur in Deum ut obliviscatur proprii commodi, et tantam confidentiam apud Deum acquirat, ut iam nihil timeat nisi offensionem Dei. Haec tam alta perfectio fuit in Virgine Deipara, in sancto Ioannem Baptista, in Apostolis Domini, et in aliquibus aliis magnis amicis Dei, sed ut plurimum iusti ac pii homines non caruerunt timore gehennae, ut perspicuum est ex iis, quae supra attulimus ex sanctis Patribus Basilio, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Gregorio, et Bernardo; imo etiam ex Davide, qui de se ait, *A iudiciis tuis timui*, et ex Iob, qui clamabat: *Quid faciam, cum surrexerit ad iudicandum Deus?* Denique si Dominus ipse futuris Martyribus consilium dabat, ut gehennam timerent, dicens: *Timete eum, qui potest corpus, et animam perdere in gehennam*: quis nostrum dicere audebit, sibi non esse opus timere sempiterna supplicia? Iam igitur, ut ad rem nostram veniamus, eum quaeritur, quis ille timor sit, quem producit gemitus, et fletus exortus ex attentissima consideratione suppliciorum gehennae facile est respondere, esse timorem servilem, et timorem initialem, quorum uterque bonus est.

Sequitur nunc, ut explicemus utilitatem huius timoris, qui ex consideratione poenarum gehennae eruitur, quae sunt omnino quatuor. Prima utilitas est quod timor etiam servilis, qui est infimus inter timores bonos, sit initium sapientiae; quae certe magna utilitas est, et si pecuniis emi posset, expediret omnia vendere et timorem hunc emere, qui ad rem pretiosissimam viam aperit. Et quidem quod timor Domini sit initium sapientiae, scripsit David in Psalmis: scripsit Salomon eius filius in Proverbiis: scripsit Ecclesiasticus ad initium libri sui. Dicitur autem timor Domini esse initium sapientiae, quia tunc homo incipit sapere, et revera uti iudicio rationis, et bene, ac sapienter intelligendo discurrere, quando incipit magnifacere res vere magnas, et parvi facere res vere parvas. Et quae sunt res vere magnae, nisi res aeternae beatitudo et gehenna? quae vere parvae, nisi res temporales divitiae, voluptates carnis, honores mundi? Audi Sapientem: *Cor sapientis*, inquit, *in dextera eius cor stulti in sinistra illius*, qui habent cor ad aeterna, quae est pars dextera, in qua erunt oves in die iudicii, illi sapiunt: qui habent cor ad temporalia quae est pars sinistra, in qua erunt hoedi, illi stultissimi sunt: quia cor ipsorum est immortale, et tamen adhaeret rebus perituris, quae quando minime cogitat ipsum deserunt. An non stul-

tissimus ab omnibus iudicaretur, qui facturus iter per integrum annum in locis desertis vel in mari, magno sumptu emeret cibos, qui statim corrumpuntur, ut carnes recentes, vel poma? ita omnino etiamsi sapiens videri posset iis, qui nesciunt in quem usum illa parata sunt, nam si saperet, pararet magnam copiam panis biscocti, et carnis salitae, et res alias, quae diu durent. O stultitiam hominum! Vivere habent in aeterna saecula, et vivere in iis locis, ubi durare non possunt divitiae pecuniarum, sed solae divitiae meritorum: et tamen ita caeci sunt, ut solum procurent divitias pecuniarum, quas secum ferre non possunt, et quas hic etiam fures effodiunt, et furantur, et de divitiis meritorum nihil solliciti sunt, quasi cum corpore extinguatur etiam animus. Et sicut de quibusdam Apostolus queritur, quod dicant, se nosse Deum, factis autem negent: sic nos de istis queri possumus, quod dicant se nosse animi immortalitatem, factis autem negent. Magna est igitur utilitas timoris etiam servilis, quia transfert cor humanum a parte sinistra ad dexteram, et sanat morbum stultitiae, qui incurabilis videri solet; et denique disponit ad iustificationem, dicente Ecclesiastico: *Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit iustificari.* Quomodo autem timor gehennae disponat ad iustificationem, et introducat charitatem, docet sanctus Augustinus tractatu nono in epistolam s. Ioannis per similitudinem sectae, et lini, sive aciculae, et fili: quando enim consuitur vestis prius intrat acus, quam filum, nec posset filum intrare, nisi acus perforando pannum, viam aperiret filo; sed acus non intrat, ut maneat, nisi enim exiret, non esset qua intraret filum. Sic igitur charitas, iustitia, pietas, res tenues, et suaves, non penetrant cor durum, et assuetum amori rerum carnalium, nisi praecedat timor poenae, quae instar acus pungit, et penetrat, et viam aperit charitati et postea exit, quia perfecta charitas foras mittit timorem. Neque solum timor gehennae pungit instar aciculae; sed etiam terret et prosternit instar fulguris, et tonitrui. Ludunt aliquando homines in plateis, et securi sedent, vel etiam dormiunt; existit repente fulgur de caelo, et sequitur tonitruum cum fulmine: continuo excitantur, ad se redeunt, signant se signo crucis, implorant auxilium Dei. Sic omnino cum aliqui dormiunt in peccatis, vel etiam ludunt, et contemnunt iram Dei, inebriati praesentibus voluptatibus, fulgurat Deus ex magna misericordia sua in corde peccatoris, et in eo lumine ostendit illi periculum mortis aeternae: et simul quasi tonitru, timore concutit animum eius, ut fugere statuat a ventura ira, et corde contrito ad Deum reverti. Sic igitur initium sapientiae est timor Domini.

Altera utilitas timoris est, quod non solum pellit peccatum iam perpetratum, et praeparat ad iustificationem, sed etiam defendit a periculo peccandi, et conservat gratiam acquisitam. Explicant ss. Patres hanc utilitatem variis similitudinibus. S. Basilius oratione in primum caput libri Proverbiorum, comparat timorem Domini acutis clavis, qui retinent hominem cruci affixum, ne se commovere possit: quia videlicet motu corporis exasperantur vulnera, et dolor crescit. Sic igitur et is, qui confixus est clavis timoris iudiciorum Dei, et tormentorum gehennae, non audet extendere manus ad opera mala, ac ne ipsum quidem oculum ad videndum, vel aures ad audiendum, vel cor ad cogitandum, hinc David dicebat; *Confige timore tuo carnes meas a iudiciis enim tuis timui.* Statim enim ac tentatio ad peccandum exurgit, exurgit etiam timor ac pungit memoriam, ut recordetur ultrices flammas, quae peccatores apud inferos expectant. Sanctus Ioannes Chrysostomus in homilia quinta decima ad populum Antiochenum, timorem Domini comparat militi armato excubanti ad fores palatii, non sinenti ingredi hostem, aut latronem, Alii comparant sali, quo carnes siccantur ad putredinem impediendam. Denique Spiritus sanctus in Scripturis suis tribuit immensas laudes timori, quasi timor omnes virtutes, et ipsam etiam beatitudinem comprehendat, sic enim loquitur Iob; *Ecce timor Domini ipsa est sapientia*, et David: *Beatus vir, qui timet Dominum*, et Salomon; *Beatus vir qui semper est pavidus*, et Ecclesiasticus; *Plenitudo sapientiae timor Domini*, et rursum; *Omnis sapientia timor Domini*, et Isaias; *Timor Domini ipse est thesaurus eius.* Denique volens Spiritus sanctus, in libro Iudith describere s. Iudith, ut foeminam omnium virtutum laudibus ornatam, ait; *Erat in omnibus famosissima, quia timebat Dominum valde.* Haec autem de timore praedicantur, non quod ipse re vera omnem sapientiam, et virtutem, et beatitudinem in sinu suo complectatur, sed quod sit initium, et custos sapientiae, et virtutum, et beatitudinis, et sine illo haberi, et conservari nequeant: denique sine illo pereant omnia, cum illo omnia custodiantur.

Tertia utilitas timoris, etiamsi servilis sit, ea est, quod liberat a tyrannide timoris humani, sive mundani. Vere enim vix invenietur morbus magis generalis, et minus curabilis, quam timor humanus. Hic nobiscum nascitur, nobiscum adolescit, nobiscum ad senium usque perseverat. Pueri vix dum rationis usum adepti discunt mentiri, metu confusionis, aut ignominiae, maiores natu non solum mentiri, sed et peierare solent, ut existimationem conservent. Assentationes omnes timor humanus parit, correptionem fraternam timor humanus impedit: et cur plurimi non audent contemnere verba contumeliosa in se prolata, vel non ulcisci iniurias, et non reddere maledictum pro maledicto, et vulnus pro vulnere, nisi ob timorem humanum, ne videlicet existimentur viles, et timidi? Et cur denique multi non se continent a ludo, a luxu, a sumptuosis conviviis, a profusione pecuniarum, et aliis huiusmodi, nisi ob timorem humanum, ne habeantur avari, vel nimis modesti, et religiosi, quasi parsimonia, modestia, pietas vitia sint, non virtutes? Hunc igitur humanum timorem, tam noxium, et tam generalem timor Dei comprimere solet, quomodo serpens Mosis devoravit serpentes Magorum Aegypti: timor enim maior vincere solet timorem minorem: timor suppliciorum aeternorum, si re vera in corde hominis locum habeat, non sinit in eodem corde morari timo-

rem amittendae existimationis humanae : et timor iudicii divini, et confusionis illius maximae, quam patientur coram omnibus Angelis et hominibus peccatores omnes in novissimo die, facile excludit timorem iudicii humani, neque cogitationem illam admittit, quid sentient, quid loquentur homines, si hoc vel illud egero, vel omisero? Haec denique causa est, cur sancti Martyres opprobria, et confusiones laeto animo tolerabant, quando implebatur verbum Domini ; *Eritis odio omnibus hominibus, et dicent omne malum adversum vos*; quia videlicet timor gehennae, et confusionis aeternae non sinebat eos attendere ad confusionem momentaneam et levem.

Quarta, eaque postrema utilitas timoris Domini est, quod cum fragilitas humana in omni loco, et tempore nos proclives reddat ad mala perpetranda et bona praetermittenda, praesertim dum sumus in hac valle lacrymarum, obsessi undique hostibus, et in medio periculorum ; timor Domini, si vere cor nostrum possideat, erit fraenum in malis, et calcar ad bona, et ideo nos hortatur Sapiens et dicit; *Beatus homo, qui semper est pavidus*, id est, qui in omni loco, in omni tempore, in omni verbo, in omni cogitatione, in omni opere timet, et cavet offensionem, quae etiam causa est cur apud Isaiam, de aliis donis dicatur; *Requiescat super eum spiritus Domini*, de timore autem, *replebit eum spiritus timoris Domini*. Quae verba quatenus ad Christum pertinent, non habent locum, quod nos dicimus de timore initiali, vel servili, qui in Christo locum non habuerunt, sed quatenus de Christi corpore, quod est Ecclesia, exponuntur a sancto Bernardo in sermonibus super Cantica, in multis Ecclesiae membris locum habent. Oportet enim, ut membra Christi infirma, et peccatis obnoxia, paulatim proficiant in timore Domini, donec penitus impleantur, ita ut oculi, aures, lingua, manus, pedes, cor, mens, omnes potentiae, omnia membra repleantur hoc timore, ut cum sancto Iob dicere possint, *Verebar omnia opera mea*. Iste enim sic plenus timore Domini, beatus erit, quia semper pavidus erit. Ac, ut cum sapientissimo Ecclesiaste hunc locum concludam, *Finem loquendi pariter omnes audiamus, Deum time, et mandata eius observa: hoc est enim omnis homo*: Omnis enim homo, si vere sit homo, et non brutum animal, finem suum, et media ad finem considerabit. Finis est vita aeterna; medium necessarium est custodia mandatorum, dicente Domino; *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Timor Domini facit impleri mandata, dicente Prophetа; *Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis*. Igitur ille vere est homo, imo etiam *beatus homo, qui semper est pavidus*.

CAP. III.

De tertio fructu lacrymarum, qui est imitatio virtutum Christi.

Ex arbore sanctae Crucis multi pendent fructus animi, dulcissimi, saluberrimi, qui tamen non reficiunt, nec nutriunt, si solum conspiciantur, nisi etiam carpantur, et ori admoveantur et ad stomachum usque demittantur. Quid est fructus sanctae Crucis conspicere, nisi meditari Dominicam Passionem, et ex compassione lacrymari? quid est fructus illos carpere et comedere, nisi virtutes crucifixi imitari, et ex earum imitatione nutriri ad vitam spiritualem, et crescere et pinguescere: id est, in virum perfectum evadere, et Christo quam simillimum fieri? Ad hanc imitationem hortatur nos Apostolus Petrus cum ait; *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius*. Ad eamdem nos hortatur Coapostolus eius Paulus dicens, *hoc sentite in vobis, quod et in Christo Iesu, qui humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Ad eandem nos hortatur Apostolus Ioannes verbis illis: *Ille pro nobis animam posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere*. Sed quid opus est testes multiplicare cum ipse Dominus per se nos omnes hortetur, cum ait; *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde*; et rursum: *Exemplum dedi vobis, ut et vos idem faciatis*, et iterum; *Qui non baiulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus*? Itaque si volumus, ut contemplatio Passionis Dominicae, et fluvius lacrymarum, qui inde tamquam ex fonte procedit, nobis vere prosit, oportet ut ad imitationem virtutum, quae in passione Domini conspiciuntur, accingamur. Et quaenam sunt virtutes, quae in crucifixo Domino potissimum emicuerunt? In superiore libro virtutes illas ostendimus, quae sunt patientia, charitas, obedientia, et humilitas, quas nobis figura ipsa Crucis facile repraesentat, si quis consideret in Cruce longitudinem, latitudinem, altitudinem et profunditatem.

Ut igitur hae virtutes in nobis nascantur, et illis adultis Dominum imitemur, oportet, ut lacrymae compassionis, quas fundimus, dum crucifixum Dominum alta contemplatione aspicimus, non in terram cadant, et pereant, sed ad extinguendum ardorem concupiscentiae, quae virtutibus illis contraria est, caute deriventur. Quomodo autem hoc fieri debeat, unctio Spiritus sancti docebit eos, qui saluti suae serio consulunt. Vos, inquit sanctus Ioannes, *unctionem habetis a sancto, et nostris omnia*, et infra; *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio docet vos de omnibus manete in eo*. Ego tamen pauca per modum exempli pro incipientibus hic addam. Considero mundi Dominum crucifixum; et quasi praesens praesentem aspicio, nudum algentem, esurientem, sitientem. Video caput spinis coronatum, vultum sputis oblitum, manus, et pedes sanguinis rivos fundentes; cerno corpus totum a planta pedis usque ad verticem capitis plagis coopertum. Attendo quid ipse interim agat, an irascatur persecutoribus, an mala illis imprecetur, an impatienter saltem tanta tormenta sustineat. Audio orantem Deum Patrem pro crucifixoribus, consolantem Matrem, et Discipulum, quem diligebat, promittentem Paradisi consortium latroni secum pendenti. Nullum impatientiae signum animadverto, nullam de hostibus, et

persecutoribus querelam, nullas minas audio.Itaque condolens doloribus, et patientiam admirans lacrymas fundo, et quaero ab ipso, unde tanta in innocentissimum supplicia : et an invitus, an volens ista patiatur? Audio respondentem; *Ego oblatus sum, quia ipse volui : nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam.* Itaque non invitus, sed volens ista perfero. Et quae causa fuit,ut innocentissimum corpus tuum tantis, et tam multis,et iam horrendis doloribus torquendum permitteres? Charitas hoc fecit, ut te a gehennae incendiis criperem et simul patientiam et charitatem, humilitatem,et obedientiam te docerem,quae sunt verae semitae ad vitam aeternam, ad quam te ab aeternitate mihi consortem destinaveram. Animadverti enim, te verbis Scripturarum mearum et vocibus nunciorum meorum non potuisse moveri,ut impatientiam et odium et superbiam et contumaciam, et concupiscentias malas, et mundi amorem exueres, ideo elegi ego ipse venire, et ex cathedra Crucis non verbis, sed exemplo te docere. Quid hic dices anima, quid respondebis, etiamsi ferrea, vel si adamantina esses, non frangereris? Placebitne igitur deinceps, ad quamlibet offensionem impatiens vindictam quaerere, an potius ex animo inimicis omnibus iniuriam facientibus libenter ignoscere, an exemplum patientiae meae non erit tibi deinceps pro omnibus rationibus, quas tibi mundus in contrarium posset adferre? Ita Domine, cedo charitati tuae, victum me confiteor ; vulnerasti cor meum, et liquefecisti incendio amoris tui: polliceor tibi fideliter me non solum non redditurum amplius mala pro bonis, sed redditurum bona pro malis: nec solum non expetiturum vindictam de persequentibus me, sed contra, oraturum pro persequentibus, et calumniantibus me, et beneficia collaturum, in quantum potero, iis, qui me oderunt, dummodo non me deserat protectio tua. Pergit amator animarum Christus ex cathedra Crucis suae exhortans, et dicens ; Ego pro te humiliavi me ipsum usque ad mortem, mortem autem crucis, tum ut te hac humilitate redimerem tum ut eundem te tantae humilitatis exemplo docerem, non superbire, non alta sapere, non ambire gradus altiores, recumbere in novissimo loco omnibus aliis cedere, haec enim est recta via ad veram celsitudinem, qua discipuli Crucis fruentur in caelis. Elige utrum vis, aut mecum humiliari in terris, ut exalteris in caelis, aut cum diabolo, qui est Rex super omnes filios superbiae, exaltari ad modicum in terris, ut in aeternum humilieris in inferis? O Domine, ante tantam humiliationem tuam potuit diabolus nos decipere, nobisque persuadere, ut exaltationem quaereremus in terris : et modis omnibus ad gradus excelsos, et magnos honores anhelaremus: sed cum tu, qui veritas, et sapientia Dei es, verbo et exemplo humilitatem docueris,nimis stultus essem,nisi me sub omnium pedibus subiicerem : tu enim es Filius Dei vivi, ego sum pulvis, et cinis: tu Rex Regum, ego servulus tuus, et filius ancillae tuae Unum te rogo, ut in hoc sancto proposito gratia tua me conservet usque ad finem, tanta enim est humana fragilitas, et tanta hostium nostrorum daemonum astutia, ut nisi vigilet super nos custodia tua, nihil audeamus nobis de nostra constantia, vel perseverantia polliceri. Sed perge obsecro Domine in saluberrima, et auribus meis dulcissima concione tua. Ego, inquit Dominus crucifixus, obediens sui Patri meo in re omnium difficillima, quae est mors crucis, nec solum Patri Deo, sed etiam Matri, et Nutritio meo, sicut scriptum est, quia eram subditus illis. Nec solum piis parentibus obedivi, sed etiam obedientiae Caesaris me sponte subieci,cum tributum illi pro me reddi volui. Denique etiam vilissimis Pilati ministris spontaneam obedientiam exhibui, cum me super crucem extendi et manus,ac pedes ad loca clavorum porrigere iubebant. Haec autem omnia feci, ut te docerem, non solum Deo, et legitimis potestatibus libenter, et prompte parere, sed etiam, si detur tibi optio,eligas semper potius obedire, quam imperare. Vera est enim sententia servi mei fidelis sancti Francisci. *In obedientia lucrum, in praelatione periculum* Ergo si amori meo vicem rependere cupis, obedientiae Dei nihil anteponas, neque terroribus, neque beneficiis adduci te sinas, ut non obedias Deo: verissime enim Apostolus meus dixit; *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus*,quando autem mandatum hominis sperioris legitimi non est contrarium mandato Dei, tum obedire debes hominibus, sicut Domino, et non hominibus, ut alter Apostolus meus non minus vere scripsit: auctoritas enim imperandi a Deo est, et ideo qui obedit Vicario Dei, obedientiam exhibet Deo; et qui spernit mandatum hominis a Deo auctoritatem habentis, non hominem spernit, sed Deum.Quod autem ex hac mea cathedra te docui de patientia, humilitate, et obedientia: id ipsum, et maiori ratione intelligi volo de regina virtutum omnium charitate. Ego enim propter nimiam charitatem meam dilexi vos homines etiam dum inimici mei essetis, et sic dilexi, ut me ipsum traderem oblationem, et hostiam Deo Patri pro vobis in odorem suavitatis: quam oblationem, et hostiam, quamvis alioqui nimis acerbam, et amaram, dulcem mihi reddidit amor ardentissimus quo salutem vestram desideravi. Volo igitur, ut et vos in hac re potissimum me imitemini, ut sicut ego non propter aliquod commodum meum, sed ex pura, et vera,et ardentissima charitate animam pro vobis posui: et non levi aliquo mortis genere animam posui, sed (ut vides) in cruce pendens, acerbissimo et longissimo dolore membrorum omnium cruciatus, et sanguine toto effuso ; sic et vos pro Deo, et pro fratribus animas ponere parati sitis: et multo magis aperta geratis viscera charitatis erga proximos omnes, et non ex tristitia, aut necessitate, neque retributionem expectantes, membra mea, id est, pauperes, aegrotos, afflictos, foveatis et in eorum angustiis non solum pecunias largiter effundatis, sed et ipsi vos impendatis. O Domine difficilia nimis, et gravia videri possent, quae nunc doces, nisi ex cathedra ista doceres : sed cum exemplo doceas magis, quam verbo tu, qui Dominus es, et magister, quomodo audebimus nos servi, atque discipuli contradicere? Verissima enim esse, quae dicis, et iustissima esse, quae iubes testatur Crux ista, unde loqueris, te-

statur sanguis iste qui copiosissime fluens, habet vocem suam, qua altissime clamat, testatur denique mors ipsa, quae si velum templi procul positum et lapides durissimos scindere potuit: quomodo non magis scindere poterit corda fidelium tuorum, et ad obediendum inclinare?

Ergo Domine, quoniam sic nos amasti, et nos redamare te cupimus, et si nondum amore tuo,qui adhuc debilis est in nobis, saltem amore amoris tui cupimus te sequi, et si trahas nos post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.Nec solum amare, et sequi te cupimus, sed mundum, et quae in mundo sunt, adiuvante gratia tua, omnino contemnere, et fugere deliberamus et firmiter statuimus, praesertim cum te ducem nostrum videamus a nativitate usque ad mortem mundi delicias contempsisse:cernimus enim te ad mortem properantem, non in lecto iacere,sed in ligno pendere,non alium cibum, et potum, quam fel et acetum gustare: et quamvis vere sis Rex, videmus tamen non alium habere thronum, quam patibulum, non aliam coronam gestare, quam spineam, non aliam purpuram indutum, quam nuditatem proprio sanguine rubricatam: non alios habere stipatores, quam pendentes duos homines miseros in patibulo. Et nos igitur tuo Regis sapientissimi exemplo provocati, mundo, et pompis, ac voluptatibus eius nuncium remittimus,et cruce in humeros sublata, te solum per viam angustam et spinis, ac tribulis obsitam sequi proponimus modo tu ipse, qui dedisti praeceptum praecurras auxilio: et qui demonstrasti exemplum,vires praebeas ad imitandum.

CAPUT IV.

De quarto fructu lacrymarum, qui est misericordia erga proximos.

Sequitur ordine fructus explicandus, qui oritur ex consideratione et commiseratione angustiarum, quas hoc tempore tolerat Ecclesia mater nostra. Quae sint illae angustiae,demonstravimus in quarto capite libri superioris. Ex hac flebili.et lugubri consideratione fructus nascitur non exiguus, si quis terram cordis sui piis lacrymis irrigare noverit accenditur enim animus ad charitatem proximi et accingitur ad opera charitatis spiritualia non negligenter obeunda, quae opera ut egentibus prosunt ad gratiam recuperandam sic bonis operariis prosunt ad meritorum, et gloriae incrementum. Et quaenam sunt opera bona,ad quae facienda Ecclesiae necessitas, et angustiae nos impellunt? praedicatio, scriptio, oratio, vitae sanctae,et salutaris exempla. Praedicatio veritatis adversus errores infidelium, et malos mores fidelium omnino necessaria est. Sed charitas,et misericordia erga pericula infimorum,et insidias perditorum,non accenditur, nisi prius in meditatione exardescat ignis et lacrymae compassionis urgeant ad succurrendum periclitantibus,vel petentibus. frigescente enim charitate, qui donum verbi habent malunt in iis locis praedicando laborare, ubi sperant favores, et honores, lucra etiam pecuniarum acquirere cum securitate vitae: quam in locis, unde non expectantur nisi conversiones animarum, sed cum persecutionibus,et angustiis, et ipsius etiam vitae corporalis periculo. Hic zelus fuit olim in Prophetis, qui pene omnes ob veritatis praedicationem a durae cervicis populo,vel Regibus interempti sunt. Isaias sectus in partes, Ieremias lapidatus, Ezechiel caesus,Zacharias inter templum,et altare occisus,denique sanctus Protomartyr Stephanus uno verbo omnia complectens ait Hebraeorum primoribus in publico concilio:*Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri. et occiderunt eos, qui praenunciabant de adventu iusti.* Eundem spiritum haereditarunt Apostoli Christi,qui omnes uno excepto s. Ioanne Evangelista, praedicantes Evangelium inter infideles, post numerosissimam conversionem animarum, et post multas persecutiones, et afflictiones caesi sunt. Neque sanctus Ioannes, quamvis morte violenta vitam non finierit, persecutiones, et angustias multas, et magnas evasit. At, inquies, non desunt hoc tempore, qui eodem Spiritu verbum praedicent.Verum est, sed ideo non desunt qui sic praedicent, quia non desunt, qui considerent Ecclesiae necessitates, et deplorent pericula animarum. Atque hic est fructus, quem producit Spiritus Dei in cordibus lugentium et flentium.Utinam inter ipsos fideles,ubi non timentur persecutiones,neque carceres,neque mortes, considerarent praedicatores verbi Dei, quam multi in scelerum, et flagitiorum sordibus iacent. qui surgerent, et salvarentur,si ipsi induri viscera misericordiae fructum potius animarum, quam populorum auram quaererent.

Alterum opus bonum quod nascitur ex flebili consideratione infidelium, vel etiam fidelium pereuntium scriptio est, qua refelluntur errores, vel corrigantur vitia vel instruuntur imperiti et hoc etiam bonum opus nunquam Ecclesiae defuit, et ideo non defuit, quia semper inventi sunt viri pii, qui charitate flagrarent. et animarum pericula miserarentur s. Hilarius Episcopus Pictaviensis iam provectae aetatis ad fidem conversus,ut ex principio libri primi de Trinitate intelligi potest, et in libris Philosophorum solum versatus, commotus tamen misericordia multitudinis pereuntium ob venenum Arianae impietatis, quae totum pene orbem terrarum invaserat, primus ex Latinis stylum adversus haeresim illam strinxit. et adiuvante Domino. qui pugiles suos non deserit, repente tantus Doctor evasit,ut scriptis suis terrori esset haereticis, et toti Galliae mirum in modum profuerit. Id ipsum de sancto Ambrosio dicere possumus, qui ad longum tempus antequam ad Baptismum accederet. in gubernandis provinciis occupatus, ubi primum ad Episcopatum invitus ascendit. miseratus et ipse multitudinem eorum. qui ab Arianis decepti. fidem Catholicam deseruerant. Scripturas sanctas evolvere coepit,et scribere aggressus totam ferme Italiam ab illa peste liberavit. Quid dicam de s. Augustino, non sine causa, malleo haereticorum nominato? nam cum ipse quoque magnam aetatis partem in profanis literis consumpsisset, et satis tarde ad fidem Catholicam a Ma-

nichaeismo conversus Baptismum suscepisset;tanto tamen Spiritus sancti zelo exarsit ut tam multa scripserit adversus Arianos, Manichaeos, Donatistas, et Pelagianos, ut admirabile sit, et tanto fructu, ut pene Africam universam ab illis tam multis et tam tetris haeresibus liberaverit.Omitto sanctos Doctores Ecclesiae Orientalis, et sanctum Hieronymum, ac sanctum Gregorium,et alios plurimos Ecclesiae Occidentalis magistros eximios, qni eodem zelo iuvandarum animarum, et eodem Spiritu incitari, non minorem utilitatem Ecclesiae attulerunt, quam ipsi sibi apud Deum meritorum cumulum pepererunt. Utinam nunc deessent inter fideles, qui libris lascivis, vel curiosis iuventutem corrumperent, et quod alii salutatibus scriptis aedificant, ipsi venenatis et mortiferis libris everterent. Sed animarum amator Christus,qui pro ipsarum salute mori voluit, proditores istos sine dubio impunitos non relinquet, sed aut in hoc tempore aut in futuro illis ostendet, quantis supplíciis digni sint, qui redemptionem animarum irritam facere crudelissima impietate contendunt.Porro preces et suspiria ad Deum pro periculo animarum,quibus haeretici non minori pene astutia, quam infernales spiritus. insidiantur,opus bonum commune est omnibus fidelibus, sive viris, sive foeminis, sive doctis, sive indoctis, sive Ecclesias publice frequentantibus, sive in coenobiis,aut solitudinibus latentibus. Sic enim scribit sanctus Augustinus in primo libro de moribus Ecclesiae, capite tricesimo primo: *Videntur nonnullis Eremitae plus quam oporteret,deseruisse res humanas, non considerantibus quantum nobis eorum animus in orationibus prosit*, et Iustinianus Imperator in novella constitutione centesimatricesimatertia dicit, Imperium, militiam, agros ipsos et quicquid habent homines seculares per orationes conservari sanctorum Eremitarum. Et nostro tempore Beata Teresia, ut habetur in secundo libro capite primo vitae ipsius, saepe largiter flebat in oratione ad Deum pro iis, qui praedicatione, vel scriptis pugnabant adversus haereses Lutheranorum et ad hoc ipsum excitabat sorores suas. Imo etiam ad hunc praecipuum finem erigebat monasteria religiosarum mulierum,ut socias haberet ad pugnandum adversus haereses, oratione et lacrymis, cum alia ratione non posset propter sexus sui infirmitatem pestem haereseos a finibus Catholicorum avertere. Denique opus bonum commune omnibus fidelibus est vita immaculata haec enim exemplo, et splendore virtutum saepe plus valet ad perditos homines in viam rectam revocandos, quam conciones,vel disputationes.*Sic luceat* inquit Dominus, *lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est*, et Apostolus Petrus in epistola sua priore: *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo.quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis* et Coapostolus eius Paulus, *Omnia*, inquit, *facite sine murmurationibus ut sitis sine querela, et simplices filii Dei sine reprehensione in medio nationis pravae, et perversae,inter vos lucetis sicut luminaria in mundo*, et rursum Apostolus Petrus de pia vita foeminarum, similiter inquit:*Et mulieres subditae sunt viris suis, ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiunt, considerantes in timore castam conversationem vestram.* Id quod in matre sua impletum fuisse scripsit s.Augustinus in libro Confessionum nono vixit enim mulier illa sancta cum viro infideli ita obedienter, et fideliter, ut exemplo vitae suae lucrifecerit, hoc est, ad fidem.et Baptismum perduxerit virum et iam non fleverit in fideli, quod in infideli pertulerat. Id ipsum dici potest de Clotilde Regina Francorum, quae cum esset Christiana et Clodovaeo pagano nupsisset, eo potissimum animo, ut Regem paganum ad Christi sacra perduceret, denique illum ad fidem Christi non tam verbo praedicationis, quam exemplo conversationis adduxit, qui postea Baptismum quoque a s. Remigio Archiepiscopo Remensi suscepit.

CAP. V.

De quinto fructu lacrymarum,qui est reformatio Cleri.

Ex quinto fonte lacrymarum, si cor Prelatorum diligenter, et assidue irrigetur, nascetur fructus eximius reformationis Cleri totius. Da enim Episcopum, qui serio in officium suum incumbere velit, et ex specula, in qua a Domino constitutus sedet, attenta consideratione speculetur, quales sint, et quid agant, primum Canonici, qui sunt consiliarii eius et fratres; deinde Parochi, ad quos cura pertinet animarum; tum reliqui Sacerdotes, qui vel ad laudes Domini in choro cum Canonicis decantandas, vel ad sacrificia divina celebranda deputati sunt; denique Diaconi,Subdiaconi, et administri reliqui, et videbis brevi tempore Ecclesiam eius deponere vitia omnia, et cunctis florere virtutibus quomodo enim fieri potest, ut Episcopus, qui diligat decorem domus Domini et speculando videat vitia,et morbos omnium membrorum Ecclesiae suae, et non excitetur ad remedia adhibenda? Origo enim malorum est, quod Episcopi aliqui (semper enim excipio bonos, qui nunquam in Ecclesia universali desunt) non speculantur quomodo se Clerus ipsorum gerat; sed vel longe absunt ab Ecclesia sua, unde ne speculari quidem possunt,cum in specula sibi assignata non sedeant vel speculantur quidem sed agros et vineas,et hortos, vel quomodo possint redditus ecclesiasticos maiores facere, vel domum suam ornare egregia suppellectile, vel propinquos augere divitiis, vel ascendere ipsi ad gradus altiores. Quid igitur mirum est, si Ecclesiae eorum totae sylvescunt? Si Deo laudes sine attentione,et devotione solvantur? Si mysteria divina in vasis, in linteis sordidis celebrentur? Si caelestia sacramenta indignis,vel indigne ministrentur? Si Parochorum negligentia plebs fidelis ignoret quae sunt ad salutem necessaria, et sic pereant animae, pro quibus Christus mortuus est? Si denique Clerus corruptis, ac depravatis moribus suis populum ad se imitandum

provocet, et hac ratione quos debuerat sanare, corrumpat? Attendant, qui scandala male vivendo praebent, quid Dominus dicat in Evangelio : *Qui scandalizaverit unum de pusillis qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, et demergatur in profundum maris.* Et si expedit unicuique de populo magis demergi in profundum maris,quam scandalizare pusillos , quid de Clerico scandalizante suis pravis moribus populum dicere poterimus, cum eundem populum a scandalis praeservare debuerit ? Certe utilius erat eiusmodi Clericis mendicare panem , vel fodiendo humum victum sibi parare , quam cum tam ingenti periculo de altari vivere, vel etiam per sacrum ordinem ad opes , et honores ascendere. Quid enim prodest homini , si universum mundum lucretur animae vero suae detrimentum patiatur ? Negotiatio sancta Clericorum, ac praecipue Sacerdotum, atque Pontificum, non est similis negotiationi mercatorum huius mundi. Possunt enim mercatores aliquando sic negotiari, ut nec lucrentur aliquid, neque iacturam aliquam patiantur. At Episcopi et Sacerdotes omnino debent vel lucrum copiosum acquirere , vel detrimentum maximum pati. Nimio enim zelo prosequitur Christus animas fidelium, pro quibus pretium sanguinis dedit: proinde qui animas fidelium sicut par est, diligenter curant , immarcescibilem gloriae coronam accipient, qui negligenter officio suo funguntur , sic ut ipsorum culpa anima una pereat: incredibile dictu est,quam atroces poenas apud inferos daturi sint. Colligant igitur omnes episcopi ex ligno vitae pretiosum fructum ardentissimi desiderii reformationis Cleri sui, maneant in specula sibi commissa,invigilent non solum super gregem laicorum, sed multo magis super coetum Sacerdotum et omnium Clericorum, ut etiam post hanc vitam colligant fructum gloriosum remunerationis amplissimae, et sempiternae.

CAP. VI.

De sexto fructu lacrymarum, qui est reformatio Regularium.

Deploravimus in libro superiore relaxationem ordinum religiosorum, nunc tempus est, ut ostendamus,quis fructus colligi possit ex ea flebili commiseratione. Fructus autem est , et quidem optimus, et suavissimus , reformatio religionum relaxatarum; sed hunc fructum ii potissimum colligere debent qui sunt capita religionum; ad eos enim pertinet officium visitandi , et purgandi vineam suam. Quamvis enim Ecclesia universa in sanctis literis comparetur vineae , de qua dicit Propheta Deo: *Visita vineam istam, et perfice eam, quam plantavit dextera tua,* et de qua multa praedixit Isaias et explicavit Dominus in Evangelio : tamen etiam ordo religiosus aptissime comparatur vineae et est pars quaedam selecta vineae magnae, quae est universalis Ecclesia. Ut igitur pro modulo meo adiuvem Praepositos vinearum istarum selectarum exponam breviter , qualis esse debeat ordo religiosus reformatus ad primam suam originem, sive institutionem. Vinea sex praecipue habere debet bonas qualitates,quibus significantur sex bona religiosorum, humilitas , paupertas , castitas , obedientia, studium orationis et perfectio charitatis. Vinea constat ex vitibus: vites autem sunt plantae omnium abiectissimae, parvae, distortae, fragiles, humi repentes , aridae ; de quibus sic loquitur Ezechiel Propheta: *Quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum , quae sunt inter ligna sylvarum? numquid tolletur de ea lignum,ut fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat in eo quodcumque vas? ecce igni datum est in escam.* Haec prima qualitas vitis significat humilitatem Christi, abiectionem, et contemptum in quo glorificari debet omnis verus regularis , qui non surda aure Christum docentem audivit: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Ideo regulares, qui ambiunt praelaturas, et qui fieri sibi putant iniuriam , quando descendere iubentur ad locum inferiorem,vel de praecedentia cum aliis regularibus, vel inter se litigant, reformandi sunt atque ad veram formam humilitatis Christi redigendi, qui nunquam legitur cum ullo homine de praecedentia contendisse: et cum orta esset contentio inter discipulos, quis eorum videretur esse maior, Dominus dixit:*Qui maior est inter vos fiat sicut minor , et qui praecessor est , sicut ministrator.* At, inquiunt, non contendimus pro honore nostro sed pro honore nostrae religionis, quae ut est antiquior tempore, sic debet esse prior in loco. Ergo si ita est , debebit esse religiosus humilis, et superba Religio. Approbo quidem, ut is, ad quem pertinet assignare loca religiosis , attribuat antiquioribus loca digniora,sed contentiones religiosorum pro huiusmodi approbare non possum. Deinde vites diligenter putandae sunt,et supervacaneis palmitibus spoliandae: sic enim et Pater caelestis, ut loquitur in Evangelio Dominus , omnem palmitem non ferentem fructum tollit , et eum, qui fert fructum,purgat,videlicet abscindendo superflua, ut fructuum plus adferat. Si quis inspiciat vites, quando putantur ab agricolis, et nesciat causam: mirabitur agricolae crudelitatem,qui sic deformatam , et mutilam vitem relinquat: sed ille scit quid faciat, et non praesentem deformitatem, sed futuram fertilitatem attendit. Haec est sancta, et Christo, atque eius matri sanctissimae amabilis paupertas, quam veri religiosi cum Croesi divitiis non commutarent. Porro paupertas religiosa in eo potissimum posita est, ut nullus proprium aliquid possideat, iuxta illud ex Actis Apostolorum: *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Quare sicut relaxatio exorta est in monasteriis, quando proprietas ingressa est: sic oportet, si reformatio vera fieri debeat, ut proprietas penitus arceatur. Et certe si cogitarent proprietarii qualem vindictam sumpsit Deus de Anania, et Saphira , qui principes proprietariorum fuerunt; et contra quantam spiritualem laetitiam degustent,et quantam habeant apud Deum repositam spem, qui dicere possunt cum Apostolo Petro: *Ecce nos reliquimus omnia, et se-*

quuti sumus te ; non difficile sibi esse ducerent toto corde ab omni proprietate abhorrere.Sed non possum hic omittere, quanti fecerint sancti Patres crimen proprietatis in Monachis. Scribit sanctus Hieronymus in epistola ad Eustochium, in monasterio quodam Nitriae repertum fuisse Monachum iam moriturum, qui nescio quot solidos sibi retinuerat: quo circa placuisse sancto Machario, aliisque sanctis congregatis in unum, ut cum mortuo pecuniae infoderentur, clamantibus omnibus, *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* S. quoque Gregorius in quarto libro Dialogorum,capite quinquagesimoquinto, scribit unum ex Monachis suis iam moriturum inventum fuisse cum tribus nummis aureis: seque imperasse ut non in sepulchro is Monachus poneretur , sed in sterquilinio cum nummis suis, clamantibus omnibus, *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Horrenda prorsus sed iusta poena proprietariorum , quae si non movet proprietarios,praesertim adiuncta morte repentina Ananiae, et Saphirae , cuius paulo ante meminimus conveniet in eos illud Exodi: *Induratum est cor Pharaonis.* Tertio, vites facillime arescunt,et ignem concipiunt. Hoc est symbolum castitatis , quam regulares omnes profitentur, et per quam ad ordinem Angelorum proxime accedunt. Angeli enim in caelis neque nubunt, neque uxores ducunt.Ad castitatem autem conservandam nihil magis utile, vel etiam necessarium est,quam humore carnali siccato ariditatem quandam per ieiunia, et alias carnis mortificationes acquirere,ut simul adipe, et pinguedine devotionis repleatur anima, et corporis castigatione quodammodo exsiccatus homo vetus, sive exterior,discat cum sancto Hilarione cibum appetere, non libidinem. Ex quo etiam fiet, ut homo sic salubriter exsiccatus , facillime inflammetur amore divino, et iam non invitus desinat cogitare carnalia sed suave illi sit cum sancto Augustino suavitatibus illis carere, inventa nimirum, et praegustata suavitate maiore , id est , caelesti. Sed interim, si reformatio vere quaeritur necesse est occasiones omnes religiosis amputare quae thesaurum castitatis in periculum possunt adducere. Quarto , vites ordine quodam in vinea collocandae sunt, ut videatur vinea, quasi castrorum acies ordinata. Nam et Poeta agriculturae magister canit,*Pone ordine vites* Hic autem ordo usque adeo necessarius, et, ut sic loquar,essentialis est in congregationibus religiosis ut ipsae congregationes, ordines nominentur. Ordo autem in eo consistit, ut omnes regulam eandem sequantur , sive scriptam, sive viventem,quae est Praepositus, sive Abbas, sive Prior, sive Minister, sive Maior , sive Pater nominentur. Illae autem vere sunt congregationes reformatae,in quibus,ut loquitur sanctus Augustinus in libro de moribus Ecclesiae, *Praepositi magna in imperando auctoritate, et subditi magna in obediendo voluntate sunt praediti*, et ut s. Bernardus scribit in libro de praecepto, et dispensatione, ubi omnes magistram regulam sequuntur , ut nihil omnino contra regulam , nihil contra Praepositi voluntatem,quae est regula vivens , a subditis fiat , nisi forte quod imperat Praepositus , contra manifestum Dei praeceptum esse delegatur: tunc enim cum Apostolis libere dicendum est, *Obedire oportet magis Deo , quam hominibus.* Quinto, vites humi repunt, nisi ulmo vel palo,vel alii stabili fulcro adiungantur.Id vero significat , debere Monachum in tam difficili , et perfecto vitae genere de suis viribus omnino diffidere, et in auxilio Domini valde confidere memorem verborum Domini, *Sine me nihil potestis facere*, et verborum Apostoli: *Omnia possum in eo, qui me confortat*, Sic enim fiet, ut semper in oratione defixus, et oculos habens ad Dominum, sub obedientiae iugo non cadat nec fatigetur , sed experiatur,iugum Domini,esse iugum suave, et onus leve. Postremo, vitis quamvis deformis , fragilis, distorta, et ad omnia fere inutilis; tamen fructum gignit valde pretiosum,et suavem,videlicet vinum, quod laetificat Deum, et homines : sed si fructum hunc non ferat,tamquam lignum inutile,ad ignem adiudicatur. Ita prorsus homo religiosus , si sit qualis esse debet, et munere suo recte fungatur , fructum profert gratissimum Deo , et hominibus ; quia in omni opere, et in omni loco , et in omni tempore Deum glorificat,et sacrificium obedientiae illi defert: obedientia enim,quae redditur Praepositis propter Deum, Deo ipsi redditur, dicente Domino: *Qui vos audit, me audit , et qui vos spernit me spernit.*Porro obedientiam sacrificium esse et sacrificium Deo gratissimum,docet Samuel cum ait, *Melior est obedientia, quam victima.*et rationem reddit sanctus Gregorius , dicens: *Quia per victimas aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur.* Cogitet igitur et expendat qui potest, quam ingentem acervum meritorum apud Deum pius religiosus acquirat, qui quicquid agit, ex obedientia agit , ac per hoc tot quotidie offert sacrificia, quot facit opera, et contra cogitet , et expendat, quantum thesaurum meritorum amittat religiosus malus , qui vel Praeposito suo invitus obedit, vel propria voluntate gaudens Praepositorum imperio, id est, Christi ipsius imperio parere detrectat.

Quae cum ita sint, omnes Praepositos ordinum religiosorum, et precor et obsecro,ut si ex animo deplorant ordinum suorum detrimenta,quae ex relaxatione proveniunt, toto animo, et omnibus viribus in reformationem incumbant, et quos primi Patres in Christo filios genuerunt , ipsi cum Apostolo Paulo iterum parturiant,donec Christus pauper et castus, et obediens reformetur in ipsis.Acquirent enim, si haec fecerint, coram Deo, et hominibus gloriam sempiternam: sin autem opus tam necessarium forte neglexerint , reddent rationem Domino: et utinam non rei fiant omnium peccatorum; quae relaxatione durante, fiunt a regularibus sibi subiectis, et omnium scandalorum, quae propter mala eorum exempla patitur populus Christianus: nec solum populum Christianus , sed etiam populi Turcarum, et haereticorum,apud quos blasphematur propter nos nomen Domini et Christi doctrina possime audit.

Ac, ut redigam in quatuor capita, eaque brevissima, quae ad reformationem necessaria sunt.Primum illud esse aio , ut non admittantur ad habitum, nisi illi,qui signa verae vocationis ostendunt.

Deinde, ut probatio maxime seria sit, et qui in probatione, divinam vocationem non probaverunt, omnino ad professionem non admittantur. Nam vitae Christianae perfectio, quanto est altior, tanto pertinet ad pauciores. Legant ii, ad quos ista pertinent, Ioannem Cassianum in libro quarto de institutis renuntiantium, cap. 31. 32. 33. et 34. Tertio, ut sex virtutes supra nominatae diligentissime excolantur et Praepositi in omni virtutis genere exemplo suo praeluceant. Denique, ut dent omnem operam ut sacrosancti Tridentini Concilii decretum illud saluberrimum, et maxime necessarium observetur, ut non plures ad ordinem admittantur quam qui sustentari possint ex redditibus, vel eleemosynis ordinariis: tunc enim Praepositi iure cogere poterunt subditos ad omnem proprietatem fugiendam, et execrandam, si ordo ipse singulis ea praebeat omnia, quae singulis necessaria sunt. *Ideo* enim, ut s. Hieronymus scribit, *non licebat Monachis antiquis aliquid petere, quia Praepositi necessitate singulorum magna providentia, et charitate praeveniebant.*

CAP. VII.

De septimo fructu lacrymarum, qui est emendatio morum in populis.

Multitudo secularium, ut est multo numerosior quam sit multitudo Clericorum, et regularium, sic etiam multo plures habent homines seculares, qui eorum curam gerant, quam habeant clerici vel regulares: habent enim Reges, et Principes, qui vel per se, vel per Iudices a se constitutos abundantiam, et pacem in populis conservent, quod postulabat a Deo David, cum diceret: *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.* Item habent eosdem Reges et Iudices, qui puniant reos et protegant, ac tueantur iustos, iuxta illud eiusdem Prophetae. *Deus, iudicium tuum Regi da, et iustitiam tuam filio Regis, iudicare populum tuum in iustitia et pauperes tuos in iudicio.* Habent praeterea Episcopos, et Pastores a quibus regantur, et pascantur in iis quae pertinent ad doctrinam fidei, et opera bona, quibus Regnum caelorum acquiritur. Habent denique Monachos, et alios regulares, a quibus per orationes et sermones et sacramentorum administrationes, tamquam Episcoporum adiutoribus, non mediocriter adiuventur. Quia tamen plurimi seculares his omnibus praesidiis vallati, perditis moribus suis et se, et alios perdunt, et materiam lacrymarum satis magnam cultoribus suis praebent: facile poterunt Principes pii et sancti Ecclesiastici, et Regulares vere religiosi fructum non exiguum ex lacrymis suis carpere, si viscera misericordiae induant, et condolentes perditioni tot millium animarum excitentur ad auxilium magna sollicitudine porrigendum. Id quod primum exemplo vitae suae, deinde vigilantia super populi mores, et facta praestabunt. Notum est, et omnium ore celebratum illud Ecclesiastici, *Qualis est Rector civitatis tales inhabitantes in ea*: et illud Poetae:

—— *Totus componitur orbis*
Regis ad exemplum.

Et si hoc verum est de Rege temporali quanto magis verum erit de Praelatis spiritualibus, quibus dicitur ab Apostolo Petro: *Forma facti gregis ex animo*, et ab Apostolo Paulo: *Te ipsum praebe exemplum bonorum operum*, et ad Timotheum, *exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate*? Incredibile dictu est, quam facile populus a luxa, a pompis, a conviviis nimium sumptuosis, a ludis alearum, vel taxillorum, a caeteris corruptelis averterentur, si Principes, et Praelatos suos viderent delectari moderatione in rebus omnibus, et aversari supervacaneos sumptus in coenis, in vestibus, in supellectili pretiosa, in vasis aureis et argenteis. Et si diebus festis viri nobiles, ac potissimum Principes, ut in quibusdam provinciis solent, nunquam omitterent, non solum in publicis templis assistere solemni celebrationi sanctissimi sacrificii, sed etiam frequentare post meridiem officium vespertinum cum multae pietatis significatione, certe populus quoque honori sibi duceret, non versari festis diebus otiosos in foro, et multo minus vacare potationi in tabernis, sed frequentare templa, orationi insistere, verbum Dei audire, et alias probi Christiani functiones obire. Denique si Principes tam Ecclesiastici, quam Politici magnam sollicitudinem gererent purgandi civitatem vitiis omnium generum, et ornandi virtutibus contrariis, corripiendi inquietos, et hortandi pusillanimes, puniendi facinorosos, proemiis afficiendi bonos, laudibus ornandi benemeritos; certe difficile non esset multos populares ad vitam salutis revocare, qui vigilantia Rectorum deficiente, turmatim ad inferos properant. Et quemadmodum Apostolus Paulus de subditis suis dicit, *Gaudium meum, et corona mea*, quoniam in spiritu cernebat incomparabile gaudium, et lucidissimam coronam sibi parari ex ea sollicitudine, qui tam multas animas Christo lucrifecerat: sic omnino boni Praelati, et boni Principes dubitare non debent quin gaudio maximo, et pretiosissima corona donandi sint a Domino, si populum eius, diligentia, et sollicitudine sua ad portum salutis adduxerint. Sed contra etiam timere eos necesse est supplicium supra quam dici potest horrendum, atque terribile, si negligentia ipsorum animae pereant, pro quarum salute Christus sanguinem fudit.

CAP. VIII.

De octavo fructu lacrymarum, qui est multiplex opus misericordiae.

Scripsimus in libro superiore, vere praesente vitam esse vallem lacrymarum, cum miseriis gravissimis, et plurimis ita redundet, ut nihil fere praeter miserias continere videatur. Quid enim est in hac vita vacuum miseria, si morbi paupertas, et abiectio, sive servitus magnae miseriae sunt, et eorum contraria, bona valetudo, divitiae, et dignitates, atque imperia miseriae sint prioribus saepe maiores? Veruntamen istae ipsae miseriae, si misericordiam in nobis excitent, quemadmodum si attente considerentur excitare solent, plurimi, et maximi inde fructus existent: pariet enim misericordia, velut arbor foecundissima, fructum elee-

mosynae erga pauperes, consolationis erga aegrotos, exhortationis erga captivos, et abiectos; preces ardentes pro periculis ingentibus, in quibus versantur divites, benevalentes, et omnes in sublimitate constituti. S. Job de se ipse dicit; *Ab infantia crevit mecum miseratio, et de utero matris meae egressa est mecum.* Audiamus nunc quos fructus pepererit ista miseratio. *Si negavi*, inquit, *quod volebant, pauperibus et oculos viduae expectare feci: si comedi buccellam meam solus et non comedit pupillus ex ea; si despexi pereuntem eo quod non haberet indumentum, et absque operimento pauperem: si non benedixerunt mihi latera eius, et de velleribus ovium mearum calefactus est humerus meus a iunctura sua cadat, et brachium meum cum suis ossibus confringatur*, et alibi; *Oculus fui caeco et pes claudo, pater eram pauperum, et causam, quam nesciebam diligentissime investigabam, conterebam molas iniqui et de dentibus illius auferebam praedam*, haec ille, qui non solum adiuvabat pauperes communicando cum illis bona sua cibum, vestes, et alia id genus, sed etiam adiuvando consiliis, id enim significat illud, *oculus fui caeco et pes claudo*: sed etiam defendendo ab oppressoribus et calumniatoribus, quasi praedam eripiendo a dentibus bestiarum. Quanti autem sint meriti apud Deum opera misericordiae, docent promissiones amplissimae in Scripturis sanctis habent enim eleemosyna testimonium a sapientibus, a Prophetis, ab Apostolis, ab Angelis, a Deo. Salomon sapientissimus, in libro Proverbiorum sic loquitur: *Qui dat pauperibus nunquam egebit.* Id quod confirmat s. Basilius in oratione ad divites eleganti similitudine puteorum ex quibus si frequenter aquae hauriantur semper copiosiores, et puriores emanant, si vero immotae conserventur putrescunt, atque decrescunt. Tobias, ipse quoque valde sapiens, *ex substantia tua*, inquit, *fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini.* Eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat et non patietur animam ire in tenebras. Deus bone, quanta est haec promissio? Sed adiungit praeterea idem Tobias: *Fiducia*, inquit, *magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam*, cui subscribit Beatus Cyprianus in sermone de eleemosyna, dicens eam esse solatium grande credentium, et securitatis nostrae salutare praesidium. Daniel Propheta Regi infideli sic loquitur: *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum forsan ignoscet Deus delictis tuis.* Isaias Propheta, *Frange*, inquit, *esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum et sanitas tua citius orietur, et anteibit faciem tuam iustitia tua, et gloria Domini colliget te. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet, clamabis et dicet ecce adsum*, haec Isaias. Quae promissio consolationem plane admirabilem continet: pollicetur enim Deus misericorditer eleemosynas largientibus, lumen divinum mentibus, quale adferre non solet oculis corporis Sol mane exoriens: item sanitatem spiritualem voluntati, id est, purgationem a morbo peccati: praeterea opera bona quae sequuntur iustificationem et gloriam ac laudem quae inde sequitur apud Deum et homines: hoc enim significant illa verba, *Anteibit faciem tuam iustitia tua et gloria Domini colliget*, id est, *circundabit te*, denique promptissimum Deum ad exaudiendas preces, quod clarius explicat editio Septuaginta Interpretum, quae sic habet: *Tunc clamabis, et Deus exaudiet, adhuc loquente te dicet, ecce adsum*, id est, antequam finem imponas orationi, aderit Deus, ut exaudiat Apostolus Paulus in priore ad Timotheum, brevi sententia multa complectitur, cum admonet divites ut facile tribuant, et communicent, et thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum ut apprehendant veram vitam, ubi eleemosynam vult esse pretiosum fundamentum verae vitae, quae post hanc vitam erit: nam thesaurizare fundamentum verae vitae, nihil aliud est, nisi acquirere paucis nummis thesaurum incomparabilem, qui satis sit ad fundamenta ponenda, vel paranda, quibus nitatur fabrica aeternitatis, seu vitae sempiternae, quae sola est vera vita; quam enim nunc ducimus, ea nihil est nisi vapor vitae ad modicum parens et protinus evanescens. Audiamus nunc testimonium Angeli Raphaelis loquentis ad Tobiam: *Eleemosyna*, inquit, *a morte liberat, et ipsa est quae purgat peccata et facit invenire misericordiam, et vitam aeternam.* Haec Angelus sanctus, qui nos decipere non potest, cum veritatem in fonte suo videat, et nos syncerissima charitate diligat. Denique Christus, qui sapientia Dei est, et Deus est, passim in Evangelio praemia maxima eleemosynae pollicetur. *Vade*, inquit, *vende, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo.* Quis capiat quale lucrum sit pro paucis panibus, vel nummis quos omnino in morte dimissuri sumus acquirere thesaurum in caelis numquam periturum? Idem Dominus in Iudicio novissimo promittit se Regnum caelorum daturum, nominatim iis, qui cibum, vel potum, vel indumentum, vel hospitium vel visitationem in aegritudine, vel in carcere tribuerunt. Ac ut intelligamus, haec opera misericordiae sibi gratissima fuisse, et mercedem incomparabilem meruisse, adiungit: *Quod uni ex minimis istis fecistis mihi fecistis.*

Haec igitur sunt testimonia divina atque certissima de promissionibus praemiorum, quae per opera misericordiae comparantur. Ex quibus intelligi potest, quantus sit fructus verae misericordiae erga proximum, quam flebilis consideratio egestatis, aegrotationis, et aliarum corporalium aerumnarum in corde meditantis excitare solet. Sed non minor existet fructus misericordiae si quis attente cogitet pericula divitum, et Principum avarorum. Siquidem erga priores illos exercenda sunt opera misericordiae corporalia: erga istos vero spiritualia, quae sunt admonitio, consilium, oratio. Isti enim, ut de Martha loquitur Dominus solliciti sunt, et turbantur erga plurima, ut vix otium inveniant legendi, vel audiendi, vel cogitandi quae ad vitam aeternam pertinent. Itaque indigent pru-

denti admonitore, qui eis opportuno tempore suggerat, quanti referat saepe mentem reflectere ad ea, quae prae manibus habent. Multi enim divites toti sunt in conservandis, et augendis opibus occupati, qui si aliquando serio cogitarent, se a conditore Deo ad longe altiora opera, id est, ad multo maiores divitias comparandas fuisse creatos, fortasse cum Salomone dicerent: *Cum me convertissem ad universa opera, quae fecerant manus meae* (videlicet ad palatia, hortos, piscinas, ad multiplicationem auri, argenti, ad armenta et magnos ovium greges, ad agros et vineas, et prata, et sylvas) *in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, et afflictionem animi, et nihil permanere sub Sole.* Multi quoque sunt Principes, tum Ecclesiastici, tum seculares, qui sic distenduntur in aliis regendis, et gubernandis, ne dicam in amplianda iurisdictione, vel imperio, ut obliviscantur animae propriae, et salutis aeternae qui si admonitorem sapientem ex Dei magna benignitate sortirentur, qualis fuit sanctus Bernardus erga Eugenium Papam fortasse et res publicas felicius gubernarent, et propriam animam diligentius excolerent et propter bona temporalia non amitterent sempiterna. Quod vero attinet ad consilium, magnum misericordiae opus est viris magnis non assentari, non loqui placentia, sed fidele consilium dare: et fortasse nulla re magis indigent viri magni, quam fideli consiliario, qui non timeat vera loqui, et qui magis formidet excidere a gratia Dei, quam a gratia Principis. De hac re sic loquitur Ecclesiasticus: *Multi pacifici sint tibi, et consiliarius sit tibi unus de mille.* Quia videlicet pauci admodum inveniuntur consiliarii, qui sciant et velint utilia dare consilia, ut idem ipse Ecclesiasticus alio loco pluribus docet. Ubi praeter alia anteponit consilium viri sancti consiliis multorum sapientium. *Animus*, inquit, *viri sancti enunciat aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.* Et in eodem loco idem auctor sapienter monet, ut non accipiamus consilia ab iis, qui ob inopiam, vel alia de causa possunt ad propriam utilitatem consilium detorquere. *A consiliario*, inquit, *serva animam tuam. Prius scito, quae sit eius necessitas: et ipse enim animo suo cogitabit*, hoc est, non sis facilis ad consilia capienda, nisi noveris integritatem consiliarii. Primum exquire, an aliqua egestate prematur, qui tibi offertur consiliarius, facile enim ille cogitabit, quomodo in rem suam consilium derivet. Itaque magnum est opus charitatis, recta consilia Principibus dare, et magna felicitas est eius Principis, qui fideles consiliarios sortitus est. Neque excusantur Principes apud Deum, si ob infidelitatem consiliariorum et administrorum, Rempublicam non bene gubernent: quia tenebantur diligenter investigare quales sint quos ad consilium, et res gerendas adhibent.

Restat oratio apud Deum, quod est opus misericordiae commune omnibus et securum et facile. De hoc officio loquitur Apostolus in priore ad Timotheum, dicens: *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam, et tranquillam vitam agamus.* Ubi Apostolus postcaquam dixerat, *pro omnibus hominibus* subiungit, *pro Regibus*, etc. quia qui orat pro Regibus, et caeteris in sublimitate constitutis, non solum orat pro utilitate, vel necessitate propria Principum, sed pro utilitate, vel necessitatibus omnium hominum. Siquidem a prudentia, et probitate Principum pendet bona gubernatio, ac per hoc quies, et tranquillitas, pax, et abundantia, pietas in Deum, et charitas in proximos, atque adeo omnis humana felicitas. Sed est praeterea specialis ratio orandi pro Principibus, sive secularibus, sive Ecclesiasticis, ingens periculum, in quo versantur omnes, qui sunt in sublimitate constituti, Nam qui in alto loco sedet, vel ambulat, facile est ut capitis vertiginem patiatur, et cadat, et quo altius est praecipitium, tanto secum trahit gravius exitium. Certe si videremus funambulum aliquem ex edita turri ad aliam aeque editam turrim per funem properare; ex naturali commiseratione clamaremus, Domine adiuva illum, et ad funambulum: Vide quomodo caute ambules. Ac ut similitudinem graviorem, et statui Principum, et Praelatorum magis accommodatam adducamus, siquis iter facere cogeretur per pontem angustissimum, et sine spondis, cui flumen profundum, et horribile subiaceret, ut esset facillimum labi deorsum, et sursum emergere difficillimum, nemo certe eiusmodi spectaculum cernere posset sine ingenti commiseratione, et horrore, et sine clamore ad illum ut caute ambularet, et ad Deum, ut eum de tanto periculo liberaret. Pons angustissimus est via iustitiae, et virtutis, virtus enim est quasi indivisibilis linea, a qua non licet ad dexteram, vel sinistram declinare cum latitudinem nullam aut vix ullam habeat: unde Dominus ipse viam ad vitam aeternam arctam esse docuit, cum ait: *Quam angusta porta est, et arcta via, quae ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam.* Porro privati homines per viam quidem angustam ambulant, sed humi positam et iacentem ut non sit periculum ventorum, qui eos deiiciant, neque vertiginis, quae caput debiliter et impellat ad casum: Praelati vero et Principes per pontem sublimem, et editum incedunt, ubi et ventus superbiae regnat, et caput gravatum nimiis curis vertigini obnoxium habent et si forte labuntur, non in vicinam terram cadunt, sed in subiectum flumen magno impetu ruunt, et tam ingentium errorum et criminum rei, ut in profundissimam gehennam facillime demergantur. Et quis igitur nisi demens omnino talem celsitudinem desiderabit? et quis nisi ferreus, vel lapideus non miserebitur statim tam periculosum? Et tamen necesse est, tam in Ecclesia, quam Republica esse homines, qui eiusmodi periculis exponantur. Proinde ad nos pertinet pro huiusmodi personis assidue gemere, et ex vera miseratione hunc fructum colligere, ut ardenti charitate pro illis clamemus ad Dominum, qui potens est eos ab omni periculo liberare, faciens eos humiles in altitudine, iustos in iudiciis, fortes in periculis, patientes in laboribus non quaerentes quae sua sunt, sed quae sub-

ditorum; denique pios erga Deum, iustos erga populos, sobrios erga seipsos.

CAP. IX.

De nono fructu lacrymarum, qui est refrigerium defunctorum.

Iam supra demonstravimus, in locis Purgatoriis animas fidelium defunctorum esse plurimas, ac pene innumerabiles; easque longissimo tempore suppliciis pene incredibilibus torqueri. Nunc fructum, qui ex ea consideratione decerpi potest, demonstrare volumus. Et quidem nemini dubium esse potest, quin ex ea consideratione, si seria et prolixa et attenta sit, et plena fide suspiciatur, exurgat vehementissima, et horroris plenissima commiseratio. Ex tali vero commiseratione dubitari non potest, quin existat in nobis desiderium ingens animas illas bonis, atque satisfactoris operibus, oratione, ieiuniis, et eleemosynis, ac potissimum sacrosancta oblatione Dominici corporis et sanguinis adiuvandi. Est autem plane admirabile, quam lucrosa negotiatio, et tamen iustissima, atque honestissima, nobis inde proveniat. Eiusmodi enim negotiatio haec est, qualis esset, si quis eamdem pecuniam pluribus mercatoribus daret ad usuram et a singulis integrum foenus acciperet. Explicemus haec breviter. Orat quis pro defunctis, ex charitate, attente, pie, cum fide et fiducia impetrandi. Hic per modum meriti acquirit pro se lucrum aeternae vitae. Est enim oratio bonum opus ac per hoc meritorium aeternae vitae, si ex charitate fiat; de quo lucro loquitur Dominus in Evangelio, cum ait; *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi*: mercedem utique quae merito respondet. Deinde haec eadem oratio per modum satisfactionis prodest animae defuncti, pro quo funditur. Nam oratio est unum ex operibus laboriosis ac per hoc satisfactoriis, et cui per intentionem secundum usum, et doctrinam Ecclesiae applicatur, illi prodest. Denique per modum impetrationis prodest eidem defuncto, cuius liberationem, aut certe refrigerium a Domino poscimus. Id enim quod iusti petunt a Deo per Christum, facile impetrant, dicente Domino; *Petite et accipietis*, et rursum; *Quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, et fiet vobis*, et iterum, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. En igitur triplex lucrum ex oratione pro defunctis. Sed addi potest etiam quartum. Siquidem animae, pro quibus oramus, non erunt ingratae, cum venerint in caelestem patriam, sed vicem reddent orando pro nobis. Porro ieiunium quoque defunctis applicatum multiplex lucrum acquirit: nam ut opus meritorium prodest ieiunanti, dicente Domino; *Tu autem cum ieiunas unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito; et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Idem ieiunium, ut opus satisfactorium applicatum defuncto eidem defuncto prodest. Non enim sine causa David, cum audisset interitum Saul Regis, et Ionathae, et magnae partis populi Dei, ieiunavit cum omnibus suis comitibus usque ad vesperam. Denique prodest alio modo homini ieiunanti, quoniam animae defunctorum, cum ad Regnum caelorum pervenient non obliviscentur benefactorum suorum, sed orabunt pro eis, et eorum oratio exaudietur, quia ex perfecta charitate procedet.

Iam vero eleemosyna triplicatum etiam lucrum adfert: nam primo prodest pauperibus, quibus dantur eleemosynae, et eos amicos nobis facimus ut cum defecerimus, recipiant nos in aeterna tabernacula. Deinde eleemosyna defunctorum animis applicata, refrigerium illis adfert, et eo beneficio ipsos quoque defunctos facimus nobis amicos, qui ius habent ad Regnum caelorum, et nos sanctis precibus suis sine dubio adiuvabunt. Tertio facit nobis eleemosyna etiam Deum debitorem, dicente per Salomonem Spiritu sancto, *Qui miseretur pauperis, foeneratur Domino*, et Christo in Evangelio confirmante, et dicente: *Te faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Denique de sacrosancto sacrificio res est notissima eam oblationem prodesse offerenti, ut donum Deo gratissimum, prodesse fidelibus viventibus, et prodesse fidelibus defunctis. Illud etiam constat ex visionibus fide dignis, nihil magis expetere, et desiderare fideles defunctos, quam ut pro refrigerio vel liberatione sua offeratur Domino caelestis oblatio corporis et sanguinis Christi: de qua re legendus est sanctus Gregorius libro quarto Dialogorum, capite quinquagesimoseptimo, et sequentibus. Legenda quoque historia Anglicana venerabilis Bedae libro quinto, capite tertiodecimo et legendae epistolae Petri Damiani ad desiderium, ac denique legenda vita sancti Nicolai de Tolentino apud Laurentium Surium, tomo quinto, ad diem Septembris decimam. Isti enim beato Sacerdoti ostensa fuit aliquando ingens multitudo animarum quae supplici et lacrymabili voce poscebat ab eo sacrosancti mysterii celebrationem tamquam poenarum Purgatorii remedium principale. Habemus igitur, lucrum incomparabile posse nos acquirere si pro defunctis orationes assidue fundamus, vel eleemosynas pro ipsorum refrigerio pauperibus largiamur, vel pro eis ieiunio, aliisque poenitentiae operibus satisfaciamus, vel sacrificium Missae pro eorum liberatione Domino offeramus. Sed multi sunt, qui prudentes sibi esse videntur, qui ista vel non credunt, vel non considerant, et ideo praetermissa hac utilissima negotiatione, pecunias vel recondunt, vel consumunt in usus malos, et hoc modo pecunias perdunt, et ipsi pereunt, et divitiae, quae poterant illis esse gradus ascensionis in caelum, fiunt gradus descensionis ad inferos. At, inquiunt, ista negotiatio imaginaria nobis esse videtur, pecuniae vero nostrae videntur, et tanguntur, et usibus humanis multis, magnisque deserviunt. Ita loqui decet homines, qui sensibus corporis omnia metiuntur. Sed rogo te, quicumque es animalis homo, quando triticum seminas, certe triticum quod vides, perdis, et fructum, quem non

vides, in messe colligendum expectas. At video, inquies, si non in re, saltem in spe : sic et ego dico tibi, pius Christianus videt in spe lucrum inaestimabile ex modica eleemosyna, quae pauperibus hic tribuitur, in hoc tamen est magnum discrimen, quod spes tua incerta est, quia potest impediri per nimiam siccitatem, per nimias pluvias, per vermes,brucos, locustas, nebulas; et triticum ipsum iam collectum et congregatum in horreum per fures rapi, per mures corrodi, per humorem corrumpi potest.Spes autem pii viri,qui foeneratur Domino, cum miseretur pauperum,certissima est, neque ullo modo corrumpi potest,nisi illam peccando ipse corrumpat. Verbum enim Domini manet in aeternum. Ac ut loquamur de negotiatione pecuniarum, si forte tribuas mercatori nummos aureos mille, ut in eis negotietur pro se, et pro te ; nonne multis periculis pecunias tuas exponis? nonne potest fieri, ut mercator ille cum omnibus mercibus mergatur in mari,vel spolietur a piratis, vel per terram iter faciens incidat in latrones, vel ipse idem spe maioris lucri te circumveniat, et ad inopiam redigat? Certe ista pericula quotidiana sunt; et non unus, aut duo,sed plurimi dum sperant ex negotiatione divitias magnas coguntur bonis cedere, et ad magnas rei familiaris angustias rediguntur. At ex negotiatione cum Deo nulla pericula timenda sunt: neque ex largitione eleemosynarum, sive ad ipsos inopes reficiendos, sive ad refrigerium defunctis afferendum, ullus unquam ad inopiam redactus fuisse legitur. Deus enim, qui se a nobis liberalitate vinci non patitur miris modis opes eorum adauget, quos pronos ad largiendum pauperibus videt. Exemplum nobis Salvator ostendit in multiplicatione panum, et piscium. Quoniam enim Apostoli quinque panes, et duos pisces, quos solos habebant, et qui eis sufficere vix potuissent, libenter obtulerunt in cibum pauperis turbae: omnipotentia sua fecit Christus, ut turbis cibo abunde refectis, superessent cophini duodecim pleni fragmentis panum, et piscium, qui discipulis ad multos dies ad cibum satis esse potuerunt. Multa exempla similia in historiis de vita Sanctorum inveniri possunt:sed instar omnium esse poterit historia Leontii Episcopi, in qua describitur vita sancti Ioannis Eleemosynarii. Videtur enim Deus cum illo sancto viro quasi certamen instituisse, utrum plus posset Ioannes pauperibus distribuere, an Deus Ioanni largiri, ut semper haberet in promptu unde distribueret. Sed haec de fructu misericordiae erga defunctos satis esse poterunt.

CAP. X.

De decimo fructu lacrymarum, qui est contemptus mundi, et amor Dei.

Ex lacrymis,quae fluunt ex amore summi boni, cum ardenter desideramus videre faciem Dei, in qua visione salus aeterna, et felicitas vera consistit: nasci solet fructus duplex,contemptus mundi et sollicitudo continua placendi Deo. Ac de contemptu quidem mundi, quod oriatur ex ardenti amore Dei, res est apertissima, atque certissima. Primum enim habemus Christi sententiam in Evangelio: *Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, et alterum diliget, aut unum sustinebit, et alterum contemnet.* Qui sint autem duo domini docet, cum adiungit: *Non potestis Deo servire et mammonae*, per mammonam vero intelligit divitias,sive potius concupiscentiam divitiarum.Quod etiam dici potest de concupiscentia carnalium voluptatum,et de concupiscentia honorum, ac dignitatum: ex his enim tribus concupiscentiis componitur mundus, non mundus, qui complectitur caelum ac terram, et res alias a Deo creatas, de quo dicitur: *Et mundus per ipsum factus est*;sed mundus de quo idem sanctus Ioannes ait:*Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae*: et paulo ante: *Si quis diligit mundum non est charitas Patris in eo.* Itaque duo domini sunt Deus, et mundus, qui diligit Deum, odit et contemnit mundum, qui diligit mundum odit, et contemnit Deum. Et potest rectissime dici de his duobus amoribus, quod sanctus Augustinus dicit de amore sui, et de amore Dei. *Fecerunt*, inquit. *civitates duas amores duo, civitatem terrenam amor sui usque ad contemptum Dei, et civitatem Dei amor Dei usque ad contemptum sui.* Amor enim sui sive amor proprius idem significat, quod concupiscentia triplex, carnis, divitiarum et honorum. Amor enim sui radix est unde tres illi venenati rami, tres videlicet concupiscentiae, oriuntur. Perspicuum est igitur ex doctrina supremi magistri, ex amore Dei nasci contemptum mundi et ex amore mundi nasci contemptum Dei. Ex quo sequitur, ut ii, qui ardenter diligunt Deum, ardenter etiam mundum oderint, et contemnant, ac nihili faciant.Hoc ipsum quod Christus docet,docent etiam exempla Sanctorum nulli enim vere Sancti fuerunt, qui mundum non valde contempserint. Christus ipse Rex,et Princeps omnium Sanctorum nihil commune cum mundo habere voluit, non divitias, non delicias non pompas, non commoda ulla sed labores assiduos, et dolores acerbissimos. Praecursor Domini sanctissimus in locis desertis habitans non modo divitias, et delicias non habuit sed neque domum, neque vestes, neque cibos hominum habuit, contentus cilicio ex pilis camelorum pro vestibus et locustis,ac sylvestri melle pro cibo. Quid Apostoli? nonne beatus Paulus de omnibus suis Coapostolis dicit: *Puto quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit tanquam morti destinatos.*Et mox: *usque in hanc horam, et esurimus, et sitimus. et nudi sumus, et colaphis caedimur, et instabiles sumus.* Et paulo post: *Facti sumus omnium peripsema*, id est, ramenta, et res vilissimae, quae proiiciuntur, et conculcantur. En quam longe aberant a gloria mundana qui tamquam purgamenta huius mundi habebantur, cum tamen essent in summo pretio apud Deum, et Angelos eius? Omitto exempla Episcoporum, sancti Martini. et aliorum, qui Christi paupertatem sectantes, nihil cum mundo voluerunt habere commune. Omitto Eremitas, Antonium, et similes,qui separati a mundo, vix necessaria ad vitam sustentandam capiebant: necnon Coenobitas,Benedictum

Franciscum, et alios innumerabiles, qui de paupertate, et humilitate inter se certare videbantur, quemadmodum de divitiis, et gloria certant, qui sunt de mundo. Omitto Sanctos caeteros, qui ex amore divino mundi delicias et gloriam libentissime contempserunt. Accedat postremo etiam ratio manifesta: nam qui aliquid valde amant, illud iis optimum, et pulcherrimum apparet, et alia omnia quasi sordent, ac si parva, et deformia, ac despicabilia essent. Scribit sanctus Augustinus de amico, et coaevo, et cive quem unice diligebat, *Suavis mihi erat super omnes suavitates istius vitae meae.* Deinde addit, quid egerit eo defuncto: *Dolore*, inquit, *contenebratum est cor meum, et quicquid aspiciebam, mors erat. Et erat patria supplicium et paterna domus mira infelicitas. Expetebant eum undique oculi mei, et non dabatur mihi, et oderam omnia, quia non haberent eum.* Haec ille qui satis aperte dicit, se ob amorem amici defuncti, odisse alia omnia, quia non habebant eum. Quod si faciebat hoc amor amicitiae, quid fecisset amor concupiscentiae violentior atque tenacior? Et si hoc facit amor rei creatae: quid faciet amor Dei, qui ipsa est pulchritudo ipsa suavitas, ipsa nobilitas, ipsa celsitudo, ipsa opulentia, ipsa bonitas? Illi experiuntur, qui remoti a negotiis, in sancto otio, puris mentibus et purgato cordis oculo radios illius lucis accipere digni inveniuntur. Neque tam miror, quod in mentis excessum rapiantur, quam quod post excessum illum, aliquid aliud videre vel cogitare sustineant. Magnus plane hic fructus lacrymarum est, qui mentem humanam liberare potest a visco tenacissimo concupiscentiae mundialis. Sed non minus pretiosus fructus est sollicitudo placendi Deo. Qui enim Deum non diligunt, aut non valde diligunt, parum solliciti sunt, an ea quae faciunt, aut loquuntur, aut operantur probet, vel improbet Deus. Ideo peccata peccatis quotidie addunt sed qui Dei gratiam magnifaciunt, atque eum ardenter diligentes, ab eo diligi vicissim cupiunt solliciti semper sunt quomodo ipsi, et omnia sua placeant Deo. Hoc Deum velle Micheas admonet, cum ait: *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te. Utique facere iudicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Virtus perfecta est miscere iustitiam cum misericordia, quia iustitia sine misericordia in crudelitatem degenerat, et misericordia sine iustitia in dissolutionem. Ut autem aliquis integre iustitiam cum misericordia servet, nihil est utilius quam sollicitum ambulare cum Deo suo, id est, semper habere Deum praesentem ante oculos cordis, et sollicite scrutari in omni verbo, et opere quid illi placeat. Hoc imperavit Dominus amico suo Abraham dicens: *Ambula coram me, et esto perfectus.* Hoc adimplebat Elias, cum dicebat: *Vivit Dominus, in cuius conspectu sto.* De hac re sollicitus erat Apostolus, cum diceret: *Bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore et praesentes esse ad Dominum et ideo contendimus sive absentes, sive praesentes placere illi.* Vere enim nihil magis excitat sollicitudinem serviendi, et placendi Domino, quam verus et magnus amor Dei, et desiderium adipiscendi illum, et in illo aeternam requiem et verissimam felicitatem.

CAP. XI.

De undecimo fructu lacrymarum, qui est timor Domini castus, et filialis.

Duo postremi lacrymarum fontes, qui sunt incertitudo praesentis gratiae, et futurae perseverantiae, producunt fructum valde salutarem timorem videlicet et tremorem, qui necessarii sunt ad beatitudinem obtinendam. Neque hoc loco loquimur de timore servili, aut initiali, sed de timore sancto et casto, quem habet sponsa, quae amat praesentiam sponsi, et timet absentiam, non qualem habet adultera, quae amat mariti absentiam, et timet praesentiam. De hoc sancto timore dicit Apostolus: *Cum metu, et tremore salutem vestram operamini.* Et multo ante Propheta David: *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.* Et alio loco: *Timete Dominum omnes sancti eius.* Et: *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis.* Neque alia de causa Deus voluit esse incertam gratiae praesentiam, et perseverantiam in bono, nisi ad excutiendum torporem et ingenerandum timorem et ad elationem vitandam, et humilitatem sectandam. De qua re sic loquitur sanctus Augustinus in libro de correptione, et gratia: *Propter huius utilitatem secreti multa dicuntur, ne forte quis extollatur, sed omnes, etiamsi bene currant, timeant, dum occultum est quo perveniant.* Sed quamquam certitudo de praesentia gratiae, et perseverantia hic in peregrinatione haberi non possit, non ideo tamen pii viri nimis anxii, et quasi desperabundi esse debent. Non enim desunt iis, qui cum bona conscientia, et sollicitudine Domino serviunt, signa, sive argumenta multa, unde confidant, et in spe gaudeant, se a Domino diligi, et finem usque cum Dei adiutorio perseveraturos. Sic enim loquitur sanctus Bernardus in sermone primo de Septuagesima: *Quis potest dicere, ego de electis sum, ego de praedestinatis ad vitam, certitudinem utique non habemus, sed spei fiducia consolatur nos.* Et in epistola ad Thomam Praepositum: *Datur*, inquit, *aliquid praesentire de sua ipsius futura beatitudine, quemadmodum ab aeterno latuit in iustificante, plenius appariturum in beatificante de qua tamen iam percepta suimet ex parte notitia, interim quidem glorietur in spe, nondum tamen in securitate.* Neque solus sanctus Bernardus in tota illa epistola mirifice consolatur eos, qui nimia tristitia quasi absorbentur ob incertitudinem gratiae, vel perseverantiae: sed etiam Spiritus sanctus in Scripturis divinis docet, ex bona conscientia, ex contritione, ex charitatis actibus, ex patientia in adversis nasci laetitiam et spem magnam salutis, et eiusmodi pignora, quae satis sint ad animum a timore nimio liberandum. Nam de bona conscientia scribit Apostolus: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae*, et s. Ioannes: *Si cor nostrum*, inquit, *non repre-*

henderit nos, fiduciam habemus apud Deum. De contritione scribit Salomon: *Cor quod novit amaritudinem animae suae, in gaudio eius non miscebitur alienus.* Vere enim incredibilis laetitia oritur ex eo, quod quis sentiat, se amarissime peccata sua deflere. Porro charitas nihil prius gignit, quam pacem et gaudium: sic enim loquitur Apostolus: *Fructus spiritus est charitas, gaudium pax.* Denique ex patientia solidissima oritur consolatio. *Tribulatio*, inquit Apostolus, *patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit.* Et: *Repletus sum consolatione superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Et s. Iacobus: *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis; scientes, quod probatio fidei vestrae patientiam operatur, patientia vero opus perfectum habet.* Et ante hos omnes Propheta David: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam.* Haec pauca adscribere volui, ut lectores intelligant, sic a nobis laudari timorem, tamquam optimum fructum lacrymarum, ut non excludamus fiduciam, et sic laudari fletum, et suspiria, ut non excludamus gaudium, et laetitiam. Spes enim, et gaudium spiritus ab eodem Spiritu sancto procedunt, a quo procedit timor Domini, et gemitus Columbae.

CAP. XII.

De duodecimo fructu lacrymarum, quae est facilis impetratio donorum divinorum.

Postremus lacrymarum fructus est earum valor, et pretium: vix enim credi potest, quantam vim habeant lacrymae apud Deum. Id primum demonstrari potest ex verbis et modo loquendi Scripturarum sanctarum. In libro primo Regum, Anna Samuelis mater post longam sterilitatem oravit ad Dominum, et impetravit prolem, eamque valde insignem, videlicet Samuelem Prophetam, et Iudicem totius populi, virum sanctissimum et nobilissimum. Ac ut indicaret Scriptura, quae fuerit potissima impetrationis, addit, *flens largiter.* Itaque non oravit solum Anna, sed oravit flens largiter, atque illa fuit pluvia, quae germinare fecit sterilem agrum. In Psalmis David saepe dicit, Deum non tam orationem audivisse, quam lacrymas vidisse, vel vocem lacrymarum audivisse, *Posuisti*, inquit, *lacrimas meas in conspectu tuo*, et alibi: *Auribus percipe*, inquit, *lacrymas meas.* In quem locum Cassiodorus scribens non timuit dicere, violentas esse in precibus lacrymas. Ezechias Rex, Isaia teste, aegrotavit ad mortem et oravit ad Dominum, et flevit fletu magno statim autem Dominus Ezechiae per Isaiam respondit: *Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas. Ecce ego adiiciam super dies tuos quindecim annos.* Sed insignis locus est apud Ecclesiasticum: *Non despiciet Deus preces pupilli: nec viduam, si effundat loquelam gemitus.* Admiranda prorsus vis lacrymarum apud Deum: cum tam aperte promittat Spiritus sanctus non contemnendam a Deo viduam, si lacrymis potius, quam verbis loquatur. Pergit ibidem Ecclesiasticus: *Nonne lacrymae viduae ad maxillam descendunt, et exclamatio eius super deducentem eas?* Hoc est, lacrymae quidem ad maxillam descendunt, sed exclamatio viduae per vocem lacrymarum ascendit ad Deum contra eum, qui viduam opprimens, ab ea lacrymas exprimit. Quod clarius habetur in sequenti versiculo, qui videtur esse superioris explicatio: *A maxilla enim* inquit *ascendunt, usque ad caelum, et Dominus exauditor non delectabitur in illis*, id est, lacrymae descendunt ad terram, sed virtus earum ascendit usque ad caelum, ad aures videlicet Domini Sabaoth, qui non delectabitur in illis; vel (ut alii codices habent) *delectabitur in illis.* Utraque enim lectio vera est, siquidem non delectatur Deus in lacrymis viduae, quatenus earum causa est crudelitas opprimentis; sed in eis delectatur, quatenus sunt orationis condimentum: qui enim orat cum lacrymis, testatur se serio orare, et adiutorium Altissimi toto corde implorare. Huc pertinet, quod Matri sancti Augustini assidue, et ubertim flenti coram Deo, ut conversionem eius ab haeresi Manichaeorum ad fidem Catholicam impetraret, quidam pius Episcopus dixit: *Vade a me, ita vivas, fieri enim non potest, ut filius istarum lacrymarum pereat*, quod illa sic accepit, quasi oraculum de caelo sonuisset. Addam postremo verba s. Athanasii in vita s. Antonii ubi describens efficaciam lacrymarum s. Antonii apud Deum, *Ad primas*, inquit, *rogantis lacrymas, in orationis loco fons ebullens erupit*, patiebantur enim Monachi penuriam aquae in eremo; sed beatus Antonius paucis lacrymis fontem aquarum continuo impetravit.

Atque haec de efficacia lacrymarum, quibus si adiungantur, quae supra scripsimus in primo capite huius libri, mirum erit, si lector non vehementissime admiretur potentiam et efficaciam lacrymarum.

Restant pauca de pretio et dignitate lacrymarum quae ex uno sancto Gregorio peti possunt. Is enim explicat in homilia postrema super Ezechielem mysteria duorum altarium, qui erant in templo Domini quorum unum erat in atrio aereum, in quo cremebantur carnes hostiarum, alterum aureum in ipso tabernaculo ante arcam, in quo cremebantur aromata. Scribit autem hic beatissimus Doctor altare aereum esse homines poenitentes, qui ex timore poenae lacrymas fundunt, altare aureum esse viros perfectos, ex quorum cordibus lacrymas exprimit amor divinus. Sed ipsum Doctorem magnum audiamus, *Quid est*, inquit, *fratres charissimi quod foris cremantur carnes, intus aromata, nisi hoc, quod quotidie videmus, quia duo sunt compunctionis genera? Quia alii adhuc per timorem plangunt, alii vero iam se per amorem in lamentis afficiunt. Multi namque peccatorum suorum memores, dum supplicia aeterna pertimescunt, quotidianis se lacrymis affligunt: plangunt mala, quae fecerunt, et incenduntur vitia igne compunctionis, quorum adhuc suggestiones in corde patiuntur. Quid isti, nisi altare sunt aereum, in quo carnes ardent, quia adhuc ab eis carnalia opera planguntur? Alii vero carna-*

libus vitiis liberi, aut longis iam fletibus securi, amor flamma in compunctionis lacrymis inardescunt, caelestis patriae praemia cordis oculis aspiciunt, supernis iam civibus interesse concupiscunt: dura eis apparet servitus longitudo peregrinationis suae: Regem in decore suo videre desiderant, et flere quotidie ex eius amore non cessant. Quid isti nisi altare sunt aureum, in quorum corde aromata incensa sunt, quia virtutes ardent? haec ille. Ex cuius verbis colligimus, lacrymas sanctas esse sacrificium acceptabile Domino iuxta illud Prophetae, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Et quidem lacrymas poenitentium esse sacrificium agnorum, et arietum in altari aereo. atque in atrio crematorum, sed lacrymas amoris, ac desiderii videndi Deum, esse sacrificium aromatum pretiosorum, in altari aureo in ipso propitiatorio incensorum. Quo sacrificio nihil est pretiosius, nihil sublimius, nihil Deo gratius, vel magis acceptum. Sacrificium enim offertur soli Deo in signum supremae illius maiestatis, et de Passione Christi, quae mundum reconciliavit Deo, dicit Apostolus, eam fuisse oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Quamvis autem omnia vera sacrificia fuerint acceptissima Deo, quippe supremam eius celsitudinem protestantia, tamen super omnia gratissimum fuit, utpote nobilissimum, et purissimum, sacrificium thuris, quod solus Pontifex semel in anno intra propitiatorium, et in altari aureo offerebat, ut Apostolus explicat in epistola ad Hebraeos. Cogita igitur, quam gratae sint Deo lacrymae poenitentium, quae sacrificiis comparantur, et cuius pretii sint lacrymae perfectorum ex amore et desiderio prodeuntes, quae cum sacrificio thymiamatis omnium nobilissimo conferuntur. Haec igitur est dignitas, haec excellentia, hoc pretium lacrymarum. Quod si mortales perpenderent, ac serio cogitarent: intelligerent profecto beatos esse qui lugent, et lacrymas sanctas pro nullis saeculi voluptatibus sive deliciis commutarent.

Claudere placet hunc librum verbis beati Laurentii Iustiniani: *Nemo ad Deum aliquando flens accessit, qui non quod postulavit acceperit. Nullus ab eo beneficia dolenter optavit, qui non impetravit. Ipse enim qui consolatur flentes, dolentes curat, poenitentes informat. O lacryma humilis, tua est potentia, tuum Regnum. Tribunal Iudicis non vereris; amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis. Non est, qui te ad Deum accedere vetet; si sola intres, vacua non redibis. Quid plura? vincis Invincibilem, ligas Omnipotentem, inclinas Filium Virginis, aperis caelum, fugas diabolum. Tu cibus animarum, roboratio sensuum, abolitio delictorum, vitiorum exterminium virtutum praevia, gratiae socia, refectio mentium, et lavacrum culparum. Tu odor vitae, sapor spiritus, gustus indulgentiae, sanitas redeuntis innocentiae, reconciliationis iucunditas, serenatae conscientiae suavitas et electionis aeternae spesvalida. Qui te orationis suae comitem habebit, gaudeat, quia post orationem securus abibit.* Amen.

DE

SEPTEM VERBIS

A CHRISTO IN CRUCE PROLATIS

LIBRI DUO

PRAEFATIO

Ecce iam quartus agitur annus, cum me ad exitum paraturus, ad locum quietis secreto a negotiis vacuus, sed non vacans a meditatione Scripturarum sanctarum, et a scriptione eorum, quae meditanti occurrunt : ut si prodesse iam voce vel scriptione longa non valeo, saltem piis libellis fratribus meis possim utcumque prodesse. Cogitanti vero mihi, quid potissimum eligerem, quod et me ad bene moriendum disponeret, et proximis meis ad bene vivendum prodesset ; occurrit mors ipsa Domini, atque illa postrema concio, quam septem brevissimis, sed gravissimis sententiis constantem ex cruce, quasi ex editissima cathedra, Redemptor mundi ad humanum genus universum habuit, siquidem in concione illa, sive in septem verbis illis, continentur omnia, de quibus idem Dominus ait: *Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.* (*Luc.* 21.) Ea quae Prophetae de Christo futura praedixerunt, ad quatuor capita revocantur; ad conciones ad populum, ad orationem ad Patrem, ad mala gravissima patienda et ad opera sublimia et admirabilia perpetranda. Quae quidem omnia in ipsa Christi vita mirifice claruerunt. Concionabatur enim Dominus frequentissime, in templo, in synagogis, in campis, in locis desertis, in domibus privatis, denique etiam de navicula ad turbas in littore consistentes. Porro noctes ut plurimum consumebat in oratione ad Deum, sic enim loquitur Evangelista: *Erat pernoctans in oratione Dei.* (*Luc.* 6. *et* 21.) Opera vero admiranda (*Matth.* 8. *Marc.* 4. *Luc.* 6. *Joan.* 6) in expellendis daemonibus, et aegrotis curandis, et panibus multiplicandis, et tempestatibus sedandis, in Evangeliis leguntur passim. Denique mala, quae reddebantur ei pro bonis, plurima erant, non solum in contumeliis verborum, (*Joan.* 8. *Luc.* 4.) sed etiam in lapidatione, et praecipitio. Ceterum haec omnia verissime consummata sunt in cruce. Sic enim concionatus est ex cruce. (*Luc.* 23.) ut plurimi redirent tundentes pectora sua; nec solum corda hominum, sed etiam petrae scissae sint. Sic etiam oravit in cruce, ut *cum clamore valido et lacrymis* orans *exauditus* sit *pro sua reverentia* ut Apostolus loquitur ad Hebraeos. (*Hebr.* 5.) Quae vero passus est in cruce, tanto maiora sunt iis quae in reliqua vita passus est, ut haec sola ad passionem proprie pertinere videantur. Denique signa et prodigia numquam maiora edidit, quam cum in cruce veluti ad extremam imbecillitatem atque infirmitatem redactus esse videretur. Tunc enim non solum ostendit signa de caelo. (*Matt.* 16.) quae antea Judaei ab eo importune petierant: sed etiam paulo post signum edidit omnium signorum maximum, cum mortuus et sepultus, propria virtute ab inferis rediit, et corpus ipse suum ad vitam, et vitam immortalem revocavit. Vere igitur in cruce consummata sunt omnia, quae scripta fuerunt per Prophetas de Filio hominis.

Sed antequam de ipsis verbis Domini scribere incipiam, visum est operae pretium, ut de ipsa cruce, quae sedes concionantis, et altare sacrificantis, et stadium pugnantis, et officina mirabilia facientis fuit, pauca dicamus. De structura igitur crucis communior veterum sententia est, quod ex tribus lignis constiterit, uno oblongo, in quo corpus crucifixi extendebatur ; altero transverso, in quo manus figebantur; tertio affixo ad partem inferiorem, in quo pedes crucifixi quiescebant, sed clavis confixi, ne dimoveri possent. Ita tradunt Patres antiquissimi, sanctus Justinus (*In Dial. cum Thyphon. lib.* 5.) et sanctus Irenaeus. (*Adversus haeres. Valent.*) Qui auctores satis aperte indicant, utrumque pedem supra scabellum stetisse, non unum pedem super alterum. Ex quo sequitur, clavos Christi quatuor fuisse, non tres tantum, ut multi existimant; qui ea de causa pingunt Christum Dominum ita cruci affixum, ut unum pedem super alterum habeat. Sed apertissime contra sentit Gregorius Turonicus. (*Lib. de Gloria Martyrum cap.* 6.) et confirmatur eius sententia ab antiquis pictoris. Vidi ego ipse Parisiis in bibliotheca Regia antiquissimos Evangeliorum libros manuscriptos, in quibus pictus erat frequenter Christus crucifixus et semper cum quatuor clavis.

Porro lignum oblongum supra transversum ab-

quantulum eminuisse, tradit sanctus Augustinus, et sanctus Gregorius Nyssenus: (*Epist.* 1. *Serm.* 1. *de Res.*) et ex Apostolo id colligi posse videtur. Cum enim Apostolus ad Ephesios scribit. *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum.* (*Eph.* 3.) satis aperte describit figuram crucis, quae quatuor habet extrema: latitudinem, in ligno transverso; longitudinem in oblongo; altitudinem in ea parte oblongi, quae extat atque eminet supra transversum, et profundum in ea parte quae sub terram absconditur. Hoc genus tormenti non casu neque invitus Dominus noster subivit, sed ab ipsa aeternitate praeelegit, ut sanctus Augustinus docet, (Epist. 120.) Idque ex illo Actorum Apostolico testimonio: *Hunc definito consilio, et praescientia Dei, traditum, per manus iniquorum affligentis intermistis.* (*Act.* 2.) Et ideo Christus ipse initio praedicationis Nicodemo dixit: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam,* (*Jo.* 3) Et saepe Apostolus de sua cruce loquens ad imitandum hortabatur, dicens: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Matth.* 16.)

Cur autem hoc supplicium Dominus elegerit, ille solus proprie novit qui elegit. Sed tamen non desunt Mysteria, quae sancti Patres excogitaverunt et nobis scripta reliquerunt. (*Lib.* 3.) S. Irenaeus libro paulo ante notato scribit, duo crucis brachia sub uno titulo convenire, in quo scriptum erat Jesus Nazarenus Rex Judaeorum, ut intelligeremus duos populos, Hebraicum et Gentilem, qui antea divisi erant, in unum corpus, sub uno capite Christo aliquando fuisse iungendos. S. Gregorius Nyssenus in Oratione de Resurrectione scribit, (*Orat.* 1.) partem crucis, quae caelum respicit, significare per crucem, quasi per clavem caelum aperiri; partem vero quae ad centrum mundi vergit, significare, spoliandum fuisse infernum a Christo, cum ad eum descendisset, duo crucis brachia, quae ad Orientem et Occidentem porriguntur, repurgationem mundi totius per Christi sanguinem futuram significare. Sancti vero Hieronymus in Epist. ad Ephesios, Augustinus ad Honoratum, et Bernardus de Consideratione, *Epist.* 120. *Lib.* 5. praecipuum crucis mysterium ab Apostolo breviter attingi docent in verbis illis, *quae sit latitudo, et longitudo et sublimitas, et profundum.* (*Eph.* 3.) Significantur autem in his verbis primum attributa Dei; in altitudine potentia, in profundo sapientia, in latitudine bonitas, in longitudine aeternitas. Deinde virtutes Christi patientis, in latitudine charitas, in longitudine patientia; in altitudine obedientia, in profundo humilitas. Denique virtutes hoc tempore necessarie iis, qui salvantur per Christum: in profundo, fides; in altitudine, spes, in latitudine charitas, in longitudine, perseverantia. Ex quibus intelligimus, solam charitatem, quae merito dicitur Regina virtutum, ubique locum habere, in Deo, in Christo, et in nobis: reliquas virtutes, alias esse in Deo, alias in Christo, alias in nobis. Proinde mirum non est, si in ipsis Christi novissimis verbis quae nunc explicanda suscepimus, primum locum obtineat charitas.

Nos igitur primum explicabimus tria prima verba, quae dicta sunt a Christo circa horam sextam, antequam sole obscurato tenebrae fierent super omnem terram. Deinde considerabimus ipsam solis defectionem; et tunc veniemus ad explicanda reliqua verba Domini, quae prolata fuerunt circa horam nonam, ut scribit s. Matthaeus, capite 27. videlicet recedentibus tenebris, et morte Christi propinquante, vel potius imminente.

DE

PRIMIS TRIBUS VERBIS

IN CRUCE PROLATIS

LIBER PRIMUS

CAP. I.

Explicatur ad litteram verbum primum, Pater dimitte illis : non enim sciunt, quid faciunt. *Luc.* 23.

Christus Jesus Verbum aeterni Patris, et de quo idem Pater aperte dixit, *Ipsum audite* ; (*Matth.* 17. *Matth.* 23.) et qui de se aperte pronuntiavit, *Magister vester unus est Christus*, ut officio suo plenissime satisfaceret, non solum vivens a docendo numquam cessavit, sed etiam moriens ex cathedra crucis verba pauca, sed ardentia, sed utilissima, sed efficacissima praedicavit, et plane dignissima, quae a Christianis omnibus in intimo cordis recipiantur, et custodiantur, et examinentur: et re ipsa ac factis adimpleantur. Prima sententia haec est: *Jesus autem dicebat* : *Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* (*Luc.* 23.) Quam sententiam, tamquam vere novam et insolitam, volvit Spiritus sanctus praedici ab Isaia propheta in illis verbis, *Et pro transgressoribus rogavit.* (*Isai.* 53.) Quam vere autem dixerit Apostolus Paulus, *Charitas non quaerit, quae sua sunt*, (1. *Cor.* 13.) ex ordine harum sententiarum facile potest intelligi. Siquidem ex numero harum sententiarum, tres bonum aliorum pertinent, tres ad bonum proprium, una est communis. Sed prima cura Domino fuit de aliis, postrema de se.

Ex primis autem tribus sententiis,quae ad alios pertinent, prima dirigitur ad inimicos, secunda ad amicos, postrema ad consanguineos. Cuius ordinis haec est ratio : quoniam Charitas primum succurrit magis egentibus; et qui tunc magis egebant, inimici erant, et nos quoque tanti Magistri discipuli, magis egebamus, ut nos institueret de dilectione inimicorum, quae difficilior, et rarior est, quam de dilectione, amicorum vel consanguineorum, quae facillima est, et nobiscum quodam modo nascitur, et nobiscum crescit, et saepe plus quam oportet, invalescit. Ait igitur Evangelista : *Jesus autem dicebat.* Illud *autem*, designat tempus et occasionem orandi pro inimicis : atque opponit verba verbis, et operibus opera; Ac si diceret Evangelista: Illi Dominum crucifigebant,et vestes eius, ipso aspiciente, inter se dividebant; alii irridebant, et infamabant, quasi seductorem et mendacem: ille autem cum haec videret et audiret et dolor atrocissimus esset ob manus et pedes recens crudelissime perforatos, reddens bona pro malis dicebat: *Pater dimitte illis.*

Patrem appellat, non Deum, aut Dominum,quia intelligebat, in hac causa opus esse benignitate Patris,non severitate Iudicis: et quia ad Deum flectendum, sine dubio iratum ob tam ingentia scelera, opus erat amabile nomen Patris obiicere.Itaque illud. *Pater*, hoc significare videtur: Ego Filius tuus, qui patior, ignosco, ignosce et tu Pater. Mihi Filio tuo dona hanc offensionem,quamvis isti non mereantur. Memento etiam, te quoque esse Patrem istorum per creationem, qua eos fecisti ad imaginem et similitudinem tuam. Ostende igitur in illos paternam charitatem tuam, quoniam etsi mali sunt, tamen filii sunt.

Dimitte. Haec vox continet summam petitionis, quam Filius Dei, tamquam advocatus inimicorum suorum Patri suo repraesentat. Potest autem illud verbum *Dimitte*, referri tum ad poenam, tum ad culpam. Si referatur ad poenam,exaudita fuit haec oratio, quia cum mererentur Iudaei propter hoc scelus statim gravissime puniri, vel igne de caelo cadente consumi, vel diluvio aquarum perire, vel ferro et fame exterminari, dilata fuit poena huius peccati ad annos quadraginta, et si interim gens illa poenitentiam egisset,salva incolumisque mansisset: sed quia poenitentiam non egit, immisit in eos Deus exercituum Romanorum,Vespasiano imperante,qui civitatem primariam evertit,et gentem Judaeorum partim fame in obsidione, partim gladio capta, civitate, necavit, partim vendidit,partim captivos abduxit, partim in varias terras et loca dispersit. (*Matth.* 20. *Matth.* 22.) Quod ipsum Dominus primum per parabolam vineae, et Regis facientis nuptias filio suo;et similitudinem ficulneae infructuosae: deinde etiam disertis verbis, in die Palmarum, flendo, et lamentando praedixit. (*Luc.* 19.) Quod vero ad culpam attinet, exaudita fuit oratio, quia multa per huius orationis meritum data est a Deo gratia compunctionis et resipiscentiae. (*Luc.* 23.) Inter quos illi sunt,qui *percutien-*

tes pectora sua revertebantur, et Centurio qui dicebat: *Vere Filius Dei erat iste.* (*Matth.* 27.) et plurimi, qui paulo post ad Apostolorum praedicationem convertebantur, et confitebantur quem negaverant, et adorabant quem despexerant. Cur autem non omnibus conversionis gratia data sit, ratio est, quia oratio Christi conformis erat sapientiae et voluntati Dei. Quod aliis verbis scribit s. Lucas in Actis apostolorum, cum dicit: *Crediderunt quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam.* (*Act.* 13.)

Illis. Per hanc vocem significantur ii, quibus indulgentiam Christus oravit. Et quidem primi videntur illi esse, qui Christum re ipsa cruci affixerunt, et eius vestimenta inter se diviserunt: deinde omnes illi, qui causa passionis Dominicae fuerunt, ut Pilatus, qui sententiam tulit, ut populus, qui clamavit: *Tolle tolle, crucifige eum*: ut Principes Sacerdotum et Scribae, qui eum falso accusaverunt, ac, ut altius ascendamus, ipse etiam primus homo, et eius omnis posteritas, qui peccando causam passioni Christi dederunt. Itaque inimicis suis omnibus veniam petiit ex cruce Dominus. Inter inimicos autem nos omnes eramus, dicente Apostolo, *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius.* (*Rom.* 5.) Itaque nos omnes, etiam antequam nati essemus, numerati sumus in sacratissimo illo *Memento*, ut sic loquar, quo summus Pontifex Christus oravit in Missa illa sacrosanctissima, quam in ara crucis peregit. Quid ergo retribues Domino, anima mea, pro omnibus, quae retribuit tibi, etiam antequam esses? vidit pius Dominus, te quoque inter inimicos suos aliquando futuram; et te non quaerente neque petente,, pro te ad Patrem oravit, ut tibi non imputaretur stultitia. An non et te oporteret semper meminisse tam dulcis patroni, et omnibus viribus laborare, ut nulla te praeteriret occasio illi serviendi? An non etiam par esset, ut tanto exemplo permotus discere et tu non solum inimicis tuis facile ignoscere, et pro eis orare. sed etiam quotquot poteris ad idem faciendum adducere? Omnino ita est, et hoc ipsum facere cupio et statuo, modo qui dedit tam insigne exemplum, porrigat etiam ex eadem pietate sua ad opus tam grande efficax auxilium

Non enim sciunt quid faciunt. Ut videretur rationabilis intercessio, extenuat sive excusat Christus delictum inimicorum suorum, eo modo quo potuit. Excusare certe non poterat iniustitiam in Pilato, neque crudelitatem in militibus, neque invidiam in Principibus Sacerdotum, neque stultitiam et ingratitudinem in populo, neque falsa testimonia in peierantibus. Hoc solum restabat, ut excusaret in omnibus ignorantiam. Vere enim, ut Apostolus loquitur, *si cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent.* (1. *Cor.* 2.) Sed quamvis neque Principes Sacerdotum, neque populus, neque ministri cognovissent, Christum esse Dominum gloriae; cognovit tamen Pilatus, illum fuisse virum iustum et sanctum, et a Principibus Sacerdotum per invidiam traditum: et agnoverunt Principes Sacerdotum, illum vere esse Christum in Lege promissum, ut s. Thomas (*In Comment. ad* 2. *cap. prioris ad Cor.*) docet, quia negare non poterant, neque negabant, eum multa signa facere, quae Messiam facturum fuisse Prophetae praedixerant. Cognovit denique populus, Christum sine causa iusta damnari, palam clamante Pilato, *Nullam causam mortis invenio in eo: et,* (*Luc.* 23.) *Innocens ego sum a sanguine iusti huius.* (*Matt.* 27.) Quamvis autem non cognoverint Iudaei, sive Principes, sive populi, Christum esse Dominum gloriae, tamen cognoscere potuissent, nisi malitia excaecasset corda illorum. Sic enim loquitur s. Ioannes. *Cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, quia dixit Isaias. Excaeca cor populi huius et aures eius aggrava, et oculos eius claude, ne forte videat oculis suis et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.* (*Ioan.* 12.) Neque vero excaecatio excusat excaecatum, quia voluntaria, et concomitans est, non praecedens. Ad quem modum illi etiam, qui ex malitiis peccant, laborant semper ignorantia aliqua, quae tamen non excusat, quia non praecedit, sed comitatur. Vere enim Sapiens dicit: *Errant qui operantur malum.* (*Prov.* 14.) Et vere etiam Philosophus dicit: *Omnis malus ignorans.* Et de omnibus peccantibus vere dici potest: *Non sciunt quid faciunt.* Nemo enim potest velle malum sub ratione mali, quia voluntatis obiectum non est res bona vel mala, sed solum bona, atque idcirco qui eligunt malum, semper eligunt sub ratione boni repraesentatum, immo etiam sub specie maximi boni, quod tunc obtineri possit. Cuius rei causa est perturbatio partis inferioris, quae offundit tenebras rationi, et facit, ut non discernat nisi id parum boni, quod est in ea re, quae appetitur. Qui enim eligit adulterium vel futurum facere, numquam eligeret, nisi attenderet ad bonum delectationis vel lucri, quod est in adulterio vel furto; et nisi oculos mentis clauderet ad malum turpitudinis vel iniustitiae, quae est in adulterio vel furto. Itaque similis est omnis qui peccat, homini, qui ex alto semetipso in fluvium praecipitare cupiens, ante claudit oculos, ac postea semet in flumen proiicit. Sic igitur omnis qui male agit, odit lucem, et ignorantia voluntaria laborat, quae non excusat, quia voluntaria est. At si non excusat, cur Dominus ait: *Dimitte illis*; *non enim sciunt quid faciunt*? Ad hoc responderi potest, verba Domini primum intelligi posse de crucifixoribus, quos probabile est, penitus ignoravisse Christi non solum divinitatem, sed etiam innocentiam: et simpliciter functos officio suo. Pro his ergo verissime Dominus dixit: *Pater dimitte illis*: *non enim sciunt quid faciunt.*

Deinde si intelligantur de nobis, qui nondum eramus; vel multis peccatoribus absentibus, qui vere nescientibus quid tunc Ierosolymis ageretur; verissime Dominus dixit; Non sciunt quid faciunt. Denique si intelligantur de iis, qui praesentes erant et Christum esse Messiam, vel innocentem hominem non ignorabant, tunc dicendum erit: Christi charitatem tantam fuisse, ut peccatum inimicorum suorum extenuare voluerit, eo modo quo poterat. Quamvis enim ignorantia illa simpliciter non excuset: tamen rationem aliquam quamvis tenuem, ex-

cusationis habere videtur; quia gravius peccassent si omni prorsus ignorantia caruissent. Et quamvis non ignoraret Dominus excusationem illam non tam excusationem,quam umbram excusationis esse: voluit tamen illam afferre , ut ex ea intelligeremus bonam eius voluntatem erga peccatores, et quam avide arripuisset , excusationem meliorem etiam pro Caipha et Pilato, si ulla melior et rationabilior inveniri potuisset.

CAP. II.

De primo fructu primi verbi in cruce prolati.

Explicavimus quae sit sententia primi verbi a Christo in cruce prolati; nunc fructus aliquos,eosque optimos, et nobis omnibus utilissimos ex eo verbo decerpere meditando curabimus. Primum omnium ex hac prima parte concionis Christi in cathedra crucis habitae discimus,charitatem Christi ardentiorem fuisse , quam nos intelligere vel cogitare possimus. Atque hoc est, quod Apostolus ad Ephesios scribens ait: *Scire etiam supereminentem scientiae charitatem Christi.* (*Eph.* 3.) Significat enim eo loco Apostolus, per mysterium crucis, posse nos discere, magnitudinem charitatis Christi tantam esse, ut supereminet scientiam nostram; cum sit maior , quam ut nos eam cognitione apprehendere valeamus. Nos enim cum uno aliquo gravi dolore cruciamur, sive dentium , sive oculorum, sive capitis, sive alterius membri , ita in illo uno tolerando occupamur, ut nihil aliud cogitare possimus: ideo neque visitationes amicorum , neque negotiorum tractatores admittimus. Christus autem crucifixus,coronam spineam in capite gerebat , ut satis aperte docent antiquissimi scriptores, (*Lib. contra Judaeos* c. 13.*Tract.* 25) Tertullianus Latinus libro contra Iudaeos, et Origenes Graecus in Matthaeum: proinde caput ad crucem sine dolore applicare sive admovere non poterat. Manus eius et pedes clavi tenebant, ex quorum terebratione dolorem acerbissimum et continuum Dominus hauriebat. Corpus nudum , et multa flagellatione et longis itineribus fatigatum , ad ignominium et frigus publice expositum,et pondere suo manuum et pedum vulnera cum immani et perpetuo cruciatu divexans, pio Domino multos simul dolores, et quasi cruces plurimas afferebat. Et tamen, o charitas vere scientiam nostram superans, his omnibus contemptis, quasi nihil ipse pateretur, de sola inimicorum suorum salute sollicitus,et impendens illis periculum avertere cupiens ad Patrem clamat, *Pater dimitte illis.* Quid faceret, si scelesti illi homines persecutionem iniuste paterentur, non facerent? si amici,si consanguinei si filii, non hostes, non proditores , non scelestissimi parricidae fuissent? Vere, benignissime Jesu, charitas tua scientiam nostram vincit. Video enim cor tuum, inter tot procellas iniuriarum et passionum, quasi scopulum in medio mari fluctibus undique assidue pulsatum;immotum tamen et pacificum. Aspicis enim hostes illos tuos, crudeles, qui post tot mortalia inflicta vulnera patientiam tuam irrident , et laetantur cum malefecerint: aspicis , inquam, non ut inimicus inimicos ferocientes; sed ut pater filios vagientes , vel ut medicus aegrotos ex gravi morbo delirantes; ideo non eis iracceris , sed eorum misereris; et omnipotenti Patri curandos sanandosque commendas. Haec enim vis est verae charitatis, ut cum omnibus pacem habeat , nullos reputet inimicos,sed et cum iis,qui oderunt pacem, vivat pacifice.

Atque hoc est, quod in Cantico amoris de virtute perfectae charitatis praedicatur : *Aquae multae non potuerunt extinguere charitatem , nec flumina obruent illam.*Aquae multae passiones multae sunt,quas nequitiae spirituales,quasi tartareae procellae , per Iudaeos et Gentiles, quasi nubes odiorum gravidas, in Christum effuderunt: sed tamen diluvium istud aquarum,idest poenarum,non potuit extinguere incendium charitatis , quod ardebat in pectore Christi. Ideo Christi charitas in diluvio illo aquarum multarum eminebat, et ardebat, dicens: *Pater dimitte illis*: Nec solum aquae illae multae non potuerunt extinguere charitatem Christi;sed neque deinceps flumina persecutionum obruere potuerunt charitatem membrorum Christi. Ideo paulo post charitas vere Christiana ardens in pectore sancti Stephani non potuit extingui ab imbre lapidum, sed exarsit, et clamavit: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* (*Act.* 7.) Ac deinceps Christi perfecta atque invicta charitas , propagata in multis millibus sanctorum Martyrum et Confessorum, ita pugnavit adversus flumina persecutorum tum invisibilium, tum visibilium, ut vere dici possit usque ad mundi consummationem , neque flumina passionum obruent incendium charitatis.

Ac ut ab humanitate Christi ad divinitatem eius ascendamus, magna fuit Christi hominis charitas erga crucifixores suos; sed maior fuit erga eosdem et postea erit usque ad mundi consummationem charitas Christi Dei, et Patris eius, ac Spiritus sancti erga homines, qui cum ipso Deo inimicitias gerunt; et si possent, deturbarent eum de caelo, et in crucem agerent, atque occiderent. Quis cogitando assequi poterit charitatem Dei erga homines ingratos et malos? Angelis peccantibus non pepercit Deus , neque locum poenitentiae indulsit : (2. *Petr.* 2.) homines peccantes et blasphemantes, et ad diabolum hostem Dei deficientes patienter saepe tolerat : nec solum tolerat, sed interim pascit ac nutrit, quin etiam sustentat ac portat: *in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus,* (*Act.* 17.) ut Apostolus loquitur. Nec solum boni ac iusti, sed etiam ingrati et mali , ut Dominus loquitur apud Lucam. (*Luc.* 6.) Nec solum bonus Dominus noster nutrit et pascit, sustentat et portat inimicos suos; sed etiam saepe cumulat beneficiis , ornat ingenio, divitiis auget, evehit ad honores , sublimat ad Regna : atque interim patienter expectat , ut revertantur a via iniquitatis et perditionis.

Ac ut cetera omittamus , quae infinitam orationem desiderarent, si de charitate Dei in homines malos, atque inimicos divinae maiestatis, omnia , quae dici possent , enumerare vellemus , Christi beneficium solum, de quo nunc agimus, consideremus. Nonne *sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret?* (*Joan.* 3.) Mundus

inimicus Dei est, *nam in maligno positus est*, ut loquitur s. Ioannes, (1. *Ioan.*5.) et *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo*, ut idem ipse testis est, et, *Amicitia huius mundi inimica est Dei.* (1. *Joan.* 2.) et, *Quicumque voluerit amicus esse saeculi huius, inimicus Dei constituitur*, (*Iac.* 4.) ut scribit sanctus Iacobus, Deus igitur diligens mundum, inimicum suum dilexit; sed ut faceret amicum. Nam ideo misit ad illum Filium suum, qui est *Princeps pacis* (*Isai* 9.) ut per eum reconciliaretur mundus Deo. Ideo enim nascente Christo cecinerunt Angeli *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax*: (*Luc* 2.) Itaque Deus dilexit mundum inimicum, ut per Christum offerret illi reconciliationem, et reconciliatus evaderet supplicium debitum inimico. Mundus Christum non recepit, auxit culpam, insurrexit in Mediatorem;inspiravit Deus Mediatori ut redderet bona pro malis, et rogaret pro persecutoribus: rogavit, *exauditus est pro sua reverentia* (*Hebr.* 5.) Expectavit Dei patientia, ut mundus per Apostolorum praedicationem poenitentiam ageret: et qui poenitentiam egerunt, indulgentiam acceperunt, qui non egerunt, tandem post longam Dei patientiam iusto Dei iudicio exterminati sunt.Vere igitur ex hoc primo Christi verbo discimus supereminentem scientiae charitatem Christi: discimus quoque supereminentem scientiae charitatem Dei Patris,qui *sic dilexit mundum,ut filium suum unigenitum daret*; *ut omnis, qui credit in eum,non pereat, sed habeat vitam aeternam.* (*Jaan.* 3.)

CAP. III.

De altero fructu eiusdem primi verbi a Christo in cruce prolati.

Alter fructus,et quidem valde salutaris omnibus gustantibus eum erit. si discant homines acceptas iniurias facile condonare, ac per hoc amicos sibi ex inimicis facere. Ad hoc autem persuadendum satis magnum argumentum esse deberet exemplum Christi,et Dei. Nam si Christus crucifixoribus ignovit, et pro eisdem oravit: cur id non faciet Christianus? Si Deus creator, qui posset, ut Dominus et Judex, statim ultionem sumere de peccatoribus tamen exspectat ut peccator ad poenitentiam redeat; et ad pacem et reconciliationem invitat, paratus ignoscere iis, qui maiestati suae iniuriam fecerunt: cur id non faciet creatura? Adde, quod iniuriae condonatio non caret ingenti praemio. Scriptum est in historia de vita et obitu sancti Engelberti Archiepiscopi Coloniensis, (*Vide apud Sur die* 7. *Novembris.*) quod cum ille in itinere positus ab inimicis suis occideretur, et ille in corde suo diceret; *Pater ignosce illis*, revelatum de eo fuit, quod ob illam unam actionem, Deo supra modum gratam, non solum anima illa subito ad Angelis suscepta in caelum delata fuerit; sed etiam inter choros Martyrum acceperit, et multis post obitum miraculis claruerit.

O si scirent homines Christiani, quam facile possent, si vellent, incomparabilibus thesauris ditari; et quam illustres bonorum et gloriae titulos promereri, si vellent perturbationibus animi sui dominari,et breves ac parvas iniurias excelso animo praeterire: certe non tam duri et inexorabiles essent ad iniurias condonandas, vel tolerandas. Sed, inquiunt, videtur omnino iuri naturae adversari, quod quis iniuste se conculcari,et verbis aut factis violari patiatur: videmus enim animantia bruta, quae solo naturae instincta ducuntur,in bestias inimicas, ubi eas conspexerint, acriter insilire, easque morsibus vel calcibus interimere. Experimur et ipsi in nobis, cum forte in inimicum nostrum incidimus, continuo accendibilem ebullire sanguinem, vindictae cupiditatem naturaliter exoriri. Fallitur omnino qui sic ratiocinatur, et confundit iustam defensionem cum ultione iniusta.

Defensio iusta reprehendi non potest: et hoc est quod natura ipsa docet, vim vi repellere; non acceptam iniuriam vindicare. Repugnare ne iniuria sibi fiat,nemo prohibet: sed acceptam iniuriam ulcisci, Lex divina vetat. id enim non ad privatos homines, sed ad publicum magistratum pertinet, et quia Deus Rex Regum est, ideo clamat et dicit: *Mihi vindicta, et ego retribuam*; (*Deut.*32 *Rom.* 12. *Heb.* 0.)

Quod autem bestiae in bestias inimicas naturaliter irruant, ex eo nascitur quod bestiae sint, et discernere nequeant inter naturam, et vitium naturae. Homines autem, qui ratione praediti sunt, separare debent naturam, sive personam, quae a Deo creata bona est, et vitium sive peccatum,quod malum est, et a Deo non prodiit. Proinde debet homo, cum iniuriam accepit, diligere personam, et odisse iniuriam;nec tam irasci homini inimico, quam misereri, et imitari medicos, qui diligunt aegrotos, et ideo diligentissime curant, sed odio habent morbum, et ad eum expellendum et destruendum, atque ad nihilum redigendum, pro viribus incumbunt. Atque hoc est, quod Magister et Medicus animarum Christus docuit, cum ait; *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos.* (*Matth.* 5.) Neque similis fuit Magister noster Christus Scribis et Pharisaeis,qui sedentes super cathedram Moysi docebant. (*Matth.* 23.) et non faciebant: sed se lens in cathedra sanctae crucis, quod docuit, fecit: dilexit enim inimicos suos, et pro iis oravit dicens:. *Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* Quod vero etiam in hominibus sanguis bullire incipiat, cum eos, a quibus iniuriam acceperunt, vident, ratio est, quia sunt homines animales, et nondum didicerunt motus partis inferioris,quae nobis cum bestiis communis est, fraeno rationis coercere: Qui enim spirituales sunt et motibus corporis non subiacere sed praeesse noverunt, non irascuntur, inimicis, sed misereutur, et beneficiis illos ad pacem atque concordiam allicere student.

At hoc, inquiunt, nimis difficile est et durum, praesertim hominibus, qui nobiliter nati, de honore solliciti esse debent. Immo vero facile est: (*Matth.* 11.) nam iugum Christi, qui Legem istam sectatoribus suis imposuit, suave est, et onus eius leve,ut Evangelia testantur: *et mandata eius gravia non sunt*, ut sanctus Joannes affirmat. (2.

*Joan.*3.) Quod si difficilia et gravia nobis videntur id nobis accidit,quia charitas Dei modica aut nulla in nobis est: nihil enim est difficile charitati, dicente Apostolo: *Charitas patiens est, benigna est omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* (1. *Cor.* 13.) Neque solus Christus inimicos dilexit, quamvis in hac re super omnes emineat: nam in Lege naturae Sanctus Patriarcha Iosephi inimicos suos, a quibus venditus fuit, mirifice dilexit. (*Gen.* 45.) Et in lege scripta David Saulem inimicum patientissime tulit, a quo longo tempore quaesitus est ad mortem, et ipse contra, cum posset Sauli necem inferre,semper abstinuit. (1. *Reg.* 4.) In lege autem gratiae, Christi exemplum sequutus est Stephanus protomartyr,qui cum lapidaretur, orabat dicens: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* (*Act.* 7.) et sanctus Jacobus Apostolus, et Episcopus (*Eusеb. in hist. lib.* 2.*cap.* 21.) Jerosolymae, qui a Judaeis de loco sublimi defectus, ac morti proximus clamabat: *Domine, da illis veniam, quia nesciunt quid faciunt.* Et Apostolus Paulus (1. *Cor.* 4.) de se, et de Coapostolis suis dicit: *Maledicimur, et benedicimus, persecutionem patimur, et sustinemus: blasphemamur, et obsecramus.*Denique Martyres plurimi et innumerabiles alii, Christi exemplum sequuti, hoc mandatum facile impleverunt. Sed inquiunt adhuc alii; Non nego, ignoscendum esse inimicis; sed tempore suo, cum videlicet recesserit memoria acceptae iniuriae, et animus a turbatione illa conquieverit. Sed quid, si interim rapiar ex hac vita, et sine veste charitatis inveniaris, et dicatur tibi, *quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* (*Matth.* 22.) nonne tunc obmutesces, et audies sententiam Domini dicentis?*Ligatis manibus, et pedibus eius proiicite in tenebras exteriores,ibi erit fletus et stridor dentium*: quin potius solerter attendis, et imitaris exemplum Domini tui, qui illo ipso tempore, quo accipiebat iniuriam, et stillabant manus et pedes eius recenti sanguine, et totum corpus eius acerbissimis doloribus torquebatur, dicebat Patri: *Pater, dimitte illis.* Hic est verus et unicus magister, quem omnes audire debent, qui in errorem induci non volunt: de hoc Deus Pater de caelo pronuntiavit: *Ipsum audite.* (*Matth.* 17.) In hoc sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei: (*Col.* 1.) Certe si Salomonem consuluisses, satis tuto consilium eius vel iudicium sequereris, *et ecce plusquam Salomon hic.* (*Matth.* 12).

Sed audio adhuc nescio quem reclamantem, et dicentem: Si velimus reddere bonum pro malo, beneficium pro iniuria, benedictionem pro maledicto, insolescent improbi, audaciores fient grassatores, opprimentur iusti, conculcabitur virtus. Non ita est: nam saepe, ut Sapiens loquitur, *Responsio mollis frangit iram* (*Prov.* 15.) nec raro patientia iusti admirationi fuit persecutori, et de hoste amicissimum reddidit. Neque desunt in terris Magistratus politici, et reges ac Principes, quibus cura est,ut secundum severitatem legum coerceantur impii, et detur opera, ut iusti quietam et tranquillam vitam ducant. Sed etiamsi aliquando dormitaret alicubi humana iustitia, vigilat semper providentia Dei, quae nullum malum impunitum, et nullum malum impunitum, et nullum bonum irremuneratum relinquet: et admirabili ratione facit, ut improbi dum se iustos opprimere arbitrantur,illos exaltent et illustratores reddant. Sic enim loquitur Sanctus Leo: *Saevisti persecutor in Martyrem, saevisti,et auxisti palmam dum aggeras poenam. Nam quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem transierunt triumphi etiam instrumenta supplicii?* (*Serm. de S. Laur.*) Quod idem dicere possumus de omnibus Martyribus, necnon etiam de veteribus sanctis. Nihil enim magis illustravit et exaltavit Josephum patriarcham, quam persecutio fratrum. (*Gen.*37.) Dum enim per invidiam illum Madianitis vendunt, causa illi fuerunt ut totius Aegypti, et fratrum suorum Princeps fieret. (*Ibid.* 41).

Sed, his omissis, colligamus in summa, quanta et quam ingentia detrimenta patiantur,qui, ut umbram dedecoris apud homines fugiant, iniurias ab inimicis acceptas obstinato animo ulcisci volunt. Primum stultos se produnt cum velint maiori malo tollere minus malum: est enim principium omnibus notum et ab Apostolo declaratum, cum ait: *Non sunt facienda mala, ut veniant bona* (*Rom.* 3.) sicut etiam non sunt facienda maiora mala, ut tollantur mala minora. Qui iniuriam accipit, incidit in malum poenae: qui vindictam facit, incidit in malum culpae. At sine ulla comparatione maius est malum culpae, quam poenae, siquidem poenae facit hominem miserum, sed non malum: culpa facit miserum et malum: poena privat hominem bono temporali; culpa privat bono temporali et aeterno. Itaque similis est is qui, ut medeatur malo poenae, incidit in malum culpae, et qui ut accommodet calceum nimis brevem, abscindit sibi partem pedis: quae manifesta insania est. Sed non inveniuntur, qui in rebus temporalibus ita insaniant: inveniuntur tamen homines plane excaecati qui non metuunt Deum gravissime offendere, ut umbram, ut dixi humani dedecoris fugiant, vel ut honoris fumum apud homines conservent. Isti enim incidunt in iram atque odium Dei; unde nisi mature resipiscant; et seriam poenitentiam agant, sempiterno opprobrio, et supplicio mulctabuntur, et gloriam ac decus aeternum amittent. Deinde diabolo et angelis eius, qui hostes illorum ad iniuriam inferendam incitarunt, hac ipsa de causa ut rixae et inimicitiae orirentur, rem gratissimam faciunt. Quam turpe autem sit inimico saevissimo generis humani potius gratificari, quam Christo, piorum omnium iudicio et considerationi relinquo. Praeterea non raro accidit, ut qui iniuriam accepit et ulcisci illam parat,inimicum suum graviter vulneret, vel occidat: et ex sententia Principis confiscatis bonis, vel interimatur ipse,vel solum vertere cogatur, unde et ipse, et filii, et domus eius tota infelicem vitam ducere cogatur. Sic diabolus ludit et illudit eos, qui mancipia falsi honoris magis esse cupiunt, quam Christi Regis optimi,servi et fratres, et cohaeredes Regni amplissimi et sempiterni. Quare cum tanta, et tam gravis iactura maneat stultos homines, qui contra praeceptum Domini inimicis reconciliari recusant: omnes, qui

sapiunt, (Matth. 5.) Christum, magistrum omnium in Evangelio docentem, et de cruce factis doctrinam suam confirmantem, audiant et sequantur.

CAP. IV.

Explicatur ad litteram verbum secundum. Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso. *Luc.* 23.

Alterum verbum, sive altera sententia a Christo in cruce prolata, teste Sancto Luca, fuit illa magnifica promissio ad latronem secum in cruce pendentem, *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* 23.) Occasio huius sententiae fuit, quod cum duo latrones cum eo crucifixi fuissent, unus a dextris, et alter a sinistris; unus ad peccata sua praeterita adiecit, ut Christum blasphemaret, et imbecillitatis argueret, dicens: *Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, et nos.* Scribunt quidem Sanctus Matthaeus (*Matth.* 27.) et Sanctus Marcus, (*Marc.* 15.) latrones cum Christo crucifixos imbecillitatem illi exprobrasse. Sed omnino credibile est, Matthaeum et Marcum accepisse numerum multitudinis pro numero singulari, quod frequens est in Scripturis sanctis, ut Sanctus Augustinus observavit (*Lib.* 3. *cap.* 16.) in libris de Consensu Evangelistarum. Nam et Apostolus ad Hebraeos scribens, de Prophetis dicit; *obturaverunt ora leonum, lapidati sunt, s eti sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis:* (Heb. 11.) et tamen qui obturavit ora leonum, unus fuit Daniel, et qui lapidatus est, unus Ieremias fuit, et qui sectus est, unus Isaias. Adde, quod Matthaeus et Marcus non diserte scribunt, utrumque latronem exprobrasse Christo, sicut Lucas diserte scribit, *Unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum.* (Luc. 23.) Accedit quoque, quod nulla est ratio, cur idem latro nunc blasphemabat, mutasse sententiam, et Christum laudasse, quando audivit eum dicentem: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt,* repugnat Evangelio manifeste, Sanctus enim Lucas narrat, Christum pro persecutoribus suis orasse Patrem, antequam latro deterior inciperet blasphemare. Itaque sequenda est sententia s. Ambrosii (*In Luc.* 13.) et s. Augustini, qui (*Lib.* 3. *de consensu Evang.*) ex duobus latronibus unum solum blasphemasse, et alterum laudasse et defendisse Christum sentiunt. Igitur latroni blasphemanti respondit alter: *Neque tu times Deum, quod in eadem condemnatione es?* Felix iste latro ex consortio crucis Christi, et ex luce divina, quae ei affulgere coeperat, fratrem suum corripere, atque ad meliorem mentem convertere satagit. Verborum autem eius haec sententia est: Tu quidem Iudaeos blasphemantes imitari voluisti: sed illi nondum iudicium Dei timere didicerunt; quia vicisse se credunt, et de victoria sua exultant, cum Christum cruci affixum cernunt: se autem liberos et solutos, et nihil mali patientes vident. Tu autem qui propter delicta tua suspensus in cruce ad mortem properas, quare non incipis Deum timere? cur addis peccata peccatis? Deinde proficiens in opere bono, et luce gratiae Dei auctus, confitetur peccata sua, et Christi innocentiam praedicat, *Et nos quidem,* inquit, *iuste* damnati sumus ad crucem, *nam digna factis recipimus, hic vero nihil mali gessit.* Postremo, crescente lumine gratiae, addit: *Domine memento mei, cum veneris in Regnum tuum.* Admiranda prorsus Spiritus Sancti gratia in corde huius latronis illuxit. (*Joan.* 18.) Apostolus Petrus negat; latro cruci affixus confitetur: Discipuli euntes in Emmaus, dicunt: *Nos autem sperabamus.* (*Luc.* 24.) hic autem confidenter loquitur, dicens: *Memento mei, dum veneris in Regnum tuum*: Thomas Apostolus, nisi videat Christum resurrexisse, negat se crediturum, latro in cruce Christum cruci affixum aspiciens, Regem post mortem futurum non dubitat. (*Joan.* 10.)

Quis latronem istum mysteria tam alta docuerat? Dominum vocat, quem nudum, vulneratum, dolentem, palam irrisum et despectum, secum pendere considerat: dicit venturum post mortem in Regnum suum. Ex quo intelligimus, illum non somniare Christi Regnum temporale in terris futurum quale Judaei expectant; sed aeternum Regem post mortem futurum in caelis. Quis illum ista tam sublimia sacramenta docuerat? nemo omnino, nisi spiritus veritatis, qui praevenit (*Ps.* 20.) eum in benedictionibus dulcedinis. Dixit post resurrectionem suam Apostolis Christus: sic scriptum est, et sic *oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam.* (*Luc.* 24.) Sed latro miro modo hoc ipsum praenovit, et confessus est eo tempore, quo nulla erat in Christo similitudo regnantis. Reges enim regnant dum vivunt, cum autem vivere desinunt, regnare etiam desinunt, latro vero aperte dixit, Christum per mortem iturum ad Regnum. Id, quod in parabola quadam Dominus exposuit, cum ait: *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti.* (*Luc.* 15*J*) Haec Dominus dixit proximus passioni, significans, se per mortem iturum in regionem longinquam, idest, ad alteram vitam, sive ad caelum, quod longissime distat a terra: iturum autem, ut acciperet sibi Regnum maximum et sempiternum ac postea rediturum in die Judicii, ut redderet omnibus quod in hac vita meruerant, sive praemium sive poenam. De hoc igitur Regno Christi quod statim a morte accepturus erat, latro sapiens dicit, *Memento mei, cum veneris in Regnum tuum.* At nonne Christus Dominus etiam ante mortem Rex erat? omnino: nam ideo Magi clamabant: *Ubi est, qui natus est Rex Judaeorum?* (*Matth.* 2.) et Christus ipse Pilato dixit: *Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati.* (*Joan.* 18.) Sed tamen Rex erat in hoc mundo, quasi peregrinus inter hostes, et ideo non agnoscebatur, ut Rex nisi a paucis, et contemnebatur, et male excipiebatur a plurimis. Itaque ideo dixit in parabola supra citata, se iturum *in regionem longinquam, accipere sibi Regnum* nec dixit. *acquirere* quasi alienum, sed *accipere* suum, et reverti: et latro sapienter dixit: *Cum veneris in regnum tuum.*

Porro Christi Regnum hoc loco non intelligitur potestas regia, vel dominium, hoc enim ab initio habuit, iuxta illud Psalmi: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum*

eius.(*Psalm.* 2.) Et alio loco:*Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* (*Psalm.* 21.) Et Isaias dicit: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis: et factus est principatus super humerum eius.* (*Isai.* 9.) Et Ieremias:*Et suscitabo David germen iustum, et regnabit Rex et sapiens erit: et faciet iudicium et iustitiam in terra.* (*Jerem.* 23.) Et Zacharias: *Exulta satis, filia Sion, iubila, filia Jerusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, et Salvator: ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinae.* (*Zach.* 9.) Non igitur de hoc Regno loquitur Christus in parabola de Regno accipiendo, neque bonus latro, cum ait: *Memento mei, cum veneris in Regnum tuum*: sed loquitur uterque de perfecta beatitudine, per quam homo eximitur ab omni servitute et subiectione rerum creatarum; et soli subiicitur Deo cui servire regnare est, et ab ipso Deo constituitur super omnia opera eius. Hoc Regnum, quod attinet ad beatitudinem animae, Christus habuit ab initio conceptionis suae: sed quantum ad corpus, non habuit de facto, sed solum de iure, nisi post resurrectionem. Dum enim peregrinaretur in terris, subiectus erat fatigationi, fami, siti, iniuriis, vulneribus, et ipsi morti, quia tamen illi debebatur gloria corporis, ideo post mortem intravit in gloriam suam, quae videlicet illi debita erat. Sic ipse Dominus loquitur post resurrectionem, *Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* (*Luc.* 21.) quae quidem gloria ideo etiam dicitur sua, quia potest eam aliis etiam dare; et inde quoque dicitur.*Rex*, (*Psalm.* 23.) et *Dominus gloriae*, (1. *Corint.* 2.) et *Rex Regum*, (*Apocal.* 10.) et ipse dicit Apostolis, *Ego dispono vobis Regnum*: (*Luc.*22.) nos enim gloriam et regnum accipere possumus, sed non dare et dicitur nobis: *Intra in gaudium Domini tui*; (*Matt.* 25.) non, in gaudium tuum. Hoc igitur est Regnum.de quo bonus latro dicit : *Cum veneris in Regnum tuum.*

Sed praetereundae non sunt eximiae virtutes, quae micant in oratione istius sancti latronis, ut minus mirentur, cum responsionem Christi Domini audiemus: *Domine* inquit, *memento mei, cum veneris in Regnum tuum.* Dominum appellat,quo titulo se famulum.vel mancipium potius emptitium esse fatetur, et Christum ut redemptorem agnoscit. Addit, *Memento mei*, quod est verbum plenum fide, spe, dilectione, devotione, humilitate. Nam ait. Si poteris: quoniam credit, cum omnia posse. Non dicit, si placebit tibi: quia de charitate eius et pietate plane confidit. Non dicit, Cupio Regni consortium; quia humilitas eius id non ferebat. Denique nihil in particulari petit, sed tantum, *Memento mei*, ac si dicere vellet, si solum dignaberis meminisse mei, si in me oculum tuae benignitatis declinare volueris, id mihi satis est, quia de tua potentia et sapientia certus sum, et de pietate et charitate omnino confido. Adiungit postremo: *Cum veneris in Regnum tuum*, ut ostendat, se nihil fragile aut caducum petere, sed ad sola sempiterna et sublimia suspirare.

Sequitur, ut responsionem Christi audiamus: *Amen*, inquit, *dico tibi;Hodie mecum eris in paradiso*, illod. *Amen*,est vox Christo solemnis,qua utebatur, cum aliquid serio affirmare vellet. Certe sanctus Augustinus (*Tract.*41 *in Joan.*) non timuit dicere, istam vocem esse quasi iuramentum Christi: non est enim proprie iuramentum, quia cum Dominus apud Matthaeum dixerit:*ego autem dico vobis,non iurare omnino.*(*Matth.*5.) et paulo post: *Sit autem sermo vester, est, est : Non, non: quod autem his abundantius est, a malo est*; non est ullo modo credibile, Dominum toties iuravisse, quoties pronuntiavit *Amen*,cum vocem illam *Amen* frequentissime usurpaverit,et apud sanctum Ioannem non solum *Amen*, sed *Amen.* Recte igitur sanctus Augustinus non dixit, *amen* esse iuramentum, sed quasi iuramentum, Christi. Significat enim ea vox ; vere : et cum quis ait, vere dico tibi; serio affirmat, quod est proprium iuramenti. Christus igitur optima ratione latroni dixit, *Amen dico tibi*; idest omnino affirmo, et tantum non iuro: quoniam tribus de causis potuisset latro ambigere de promissione Christi, nisi tam asseveranter affirmaret. Primum ratione personae propriae,quae non videbatur ullo modo tanto praemio vel tanto munere digna. Quis enim suspicare potuisset, latronem de cruce ad Regnum repente posse transire ? Deinde, ratione personae Christi promittentis. qui tunc videbatur ad extremam inopiam et debilitatem et calamitatem redactus. Potuisset enim latro sic ratiocinari:Si iste non potuit vivens aliquid amicis suis praestare, quomodo poterit mortuus? Denique ratione rei promissae: promittebatur enim paradisus: atqui paradisus,ut tunc notus erat, non ad animas, sed ad corpora pertinebat. Siquidem paradisi nomine, terrestris paradisus apud Hebraeos significabatur. Credibilius erat latroni, si Dominus dixisset.Hodie mecum eris in refrigerii loco cum Abraham, Isaac, et Iacob. Ob istas igitur causas iure Dominus praemisit illa verba. *Amen dico tibi.*

Hodie. Non dicit, In die Judicii cum iustis ad dexteram te locabo, non ait, post al quot annos purgatorii, ad refrigerium te perducam: non. post aliquot menses vel dies te consolabor: sed *Hodie*, antequam sol occumbat, mecum transibis de patibulo crucis ad delicias paradisi. Mira liberalitas Christi, mira felicitas peccatoris. Non sine causa sanctus Augustinus in lib. de Origine animae, (*Lib.* 1. *cap.* 9.) sanctum Cyprianum secutus existimat latronem illum posse vocari martyrem: et ideo sine purgatorio transivisse de hoc mundo ad patriam.Martyrem autem ideo posse vocari bonum latronem, quia publice confessus est Christum, quando ne ipsi quidem Apostoli verbum de eo facere audebant. Itaque ob liberam confessionem, habitam fuisse apud Deum mortem illius cum Christo, ac si eam pertulisset pro Christo. Illud autem *Mecum eris*, quamvis nihil promitteretur aliud, magnum praemium latroni fuisset, nam ut scribit sanctus Augustinus,*ubi male poterat esse cum illo? et ubi bene esse poterat sine illo?* (*Tractat.* 51. *in Ioan.*) Non enim parvam mercedem promisit Christus iis, qui eum sequuntur, quando dixit: *Si quis mihi ministrat, me sequatur: et ubi sum*

ego illic et minister meus erit. (*Ioan.* 12.) Sed non societatem suam solum promisit, sed addidit *in paradiso.*

Quid hoc loco paradisus significet, etiamsi nonnulli ambigere videantur, non videtur in quaestionem revocari posse. Certum enim est, Christum ea die post mortem fuisse cum corpore in sepulchro, cum anima apud inferos, id enim disertis verbis symbolum fidei tradit. Certe autem neque sepulchro neque inferis nomen paradisi caelestis aut terrestris attribui potest. Non sepulchro quod illud angustissimus fuerit locus, et solis cadaveribus recipiendis aptus: ut omittam, quod in eo sepulchro solum Christi corpus, non enim latronis, positum fuerit, proinde si de eo loco ageretur, non fuisset adimpleta promissio, *Hodie mecum eris.* Neque vero inferis ulla ratione paradisi nomen aptari potest. Paradisus enim significat hortum deliciarum. Et quidem in paradiso terrestri erant arbores florigerae et fructiferae, erant aquae limpidissimae, erat aeris amoenitas maxima. In paradiso caelesti erant et sunt deliciae immortales, lumen indeficiens, sedes beatorum. Apud inferos vero, etiam in ea parte, ubi ss. Patrum animae morabantur, nulla erat lux, nullae deliciae: non quidem illae animae torquebantur, sed contra potius consolabatur eas et exhilarabat spes redemptionis futurae, et visitatio Christi ad eos venturi. Sed tamen in obscuro carcere quasi captivae detinebantur. Sic enim loquitur Apostolus Prophetam exponens: *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem.* (*Ep. 4. Psal.* 67.) Et Zacharias ait: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* (*Zach.* 9.) Ubi vocabula illa, *vinctos tuos, et de lacu, in quo non est aqua*, non paradisi amoenitatem, sed carceris obscuritatem significant. Igitur nomen paradisi hoc loco nihil significat aliud, nisi beatitudinem animae, quae in visione Dei posita est: illa enim vere paradisus deliciarum est, non corporalis aut localis, sed spiritualis et caelestis. Atque haec est ratio, cur petenti latroni, ac dicenti: *Memento mei, cum veneris in Regnum tuum.* Christus non responderit *Hodie mecum eris* in Regno meo, sed *in paradiso*, quia non fuerat Christus ea die futurus in Regno suo, idest, in perfecta felicitate corporis et animae, sed in die resurrectionis ad Regnum illud perventurus erat, quando corpus habiturus erat immortale, impassibile, gloriosum, ac nulli omnino servituti vel subiectioni obnoxium. Neque in hoc Regno socium habiturus erat bonum latronem usque ad communem resurrectionem, atque ultimi Judicii diem. Verissime autem et proprie illi dixit: *Hodie mecum eris in Paradiso*, quoniam illa ipsa die communicaturus erat tum animae boni latronis, tum animabus omnium Sanctorum apud inferos degentium, gloriam visionis Dei, quam ipse ab ipsa conceptione acceperat, haec enim est gloria sive felicitas essentialis, atque id bonum, quod est praecipuum in caelesti Paradiso. Et est sane admiranda proprietas verborum Christi. Non enim dixit, Erimus hodie in Paradiso, vel Adibimus hodie Paradisum, sed *Mecum eris hodie in Paradiso.* Quasi dicere voluisset: Tu mecum es hodie in cruce, sed non es mecum in Paradiso, in quo ego sum, quoad portionem animae superiorem, sed paulo post, hac ipsa die, mecum eris non solum extra crucem, sed etiam intra Paradisum.

CAP. V.

De primo fructu verbi secundi.

Ex verbo secundo in cruce prolato aliquot eosque eximios fructus colligere possumus. Primus fructus est consideratio immensae misericordiae et liberalitatis Christi, et quam bonum atque utile sit illi servire. Christus oppressus doloribus, potuisset latronem orantem non audire, sed charitas maluit oblivisci dolorum acerbissimorum, quam miserum peccatorem confitentem non audire. Idem Dominus ad maledicta et exprobrationes Sacerdotum et militum omnino obmutuit, sed ad clamorem pauperis poenitentis et confitentis charitas obmutescere non potuit. Ad maledicta obmutuit, quia patiens est, ad confessionem non obmutuit, quia benigna est, sed de liberalitate quid dicemus? Qui serviunt temporalibus dominis saepe multum laborant, et modicum est, quod lucrantur. Certe non paucos videmus quotidie, qui in aulis Principum aetatem contriverunt, et in senio postea domum redeunt pene mendici. Christus autem Princeps vere liberalis, vere magnificus, nihil accepit ab isto latrone, nisi pauca verba bona, et bonum illi obsequendi desiderium; et ecce qualem mercedem accepit. Ipsa die, primum dimittuntur ei debita multa, quae toto vitae tempore peccando contraxerat, deinde admiscetur principibus populi sui, Patriarchis videlicet et Prophetis, denique assumitur ad consortium mensae suae, dignitatis suae, gloriae suae, atque adeo omnium bonorum suorum: *Hodie*, inquit, *mecum eris in paradiso.* Et quod dixit, fecit, neque distulit mercedem eius ad alteram diem sed illa ipsa die (*Luc.* 6.) mercedem plenam, confertam, coagitatam, superefluentem dedit in sinum eius.

Neque cum solo latrone isto Christus hoc fecit. Reliquerunt Apostoli naviculas, aut telonia, aut domunculas suas, ut Christo servirent, ille vero constituit eos *Principes super omnem terram*, (*Psalm.* 44.) subiecit (*Matth.* 10.) eis daemonia et serpentes, et omnia morborum genera. Dedit aliquis, ut Christo obsequeretur, pauperi cibum, aut vestes: (*Matth.* 25.) audiet in die iudicii, Esurivi, et dedisti mihi panem, nudus eram, et vestisti me, accipe ergo et posside Regnum sempiternum. Denique, ut alia praetermittam, audi liberalitatem Domini plane incredibilem, nisi Deus esset, qui promittit: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit.* Explicant autem sanctus Hieronymus et alii sacri Doctores hanc promissionem, (*In Comment: ad cap. Matth.*) ut haec sit eorum verborum sententia, qui rem aliquam temporariam pro Christo in praesenti vita dimiserit, duplicem mercedem ac-

cipiet, et utramque incomparabiliter maiorem, quam sit res illa pro Christo dimissa. Primum enim accipiet spirituale gaudium,sive spirituale donum in hac vita,centuplo maius ac pretiosus quam sit res illa pro Christo dimissa,sic ut recto iudicio malit vir ille spirituale illud bonum sibi retinere, quam illud cum centum domibus, vel agris, vel aliis rebus similibus commutare.Deinde ac si merces ista exigua aut nulla fuisset, accipiet felix ille mercator in futuro saeculo vitam aeternam; qua voce immensa bonorum omnium copia significatur.

Haec videlicet est Christi Regis maximi liberalitas in eos, qui serio se ipsius servitio mancipare non dubitant. An non igitur stulti sunt, qui, Christo dimisso, mammonae, aut gulae, aut luxuriae servire cupiunt? Sed, inquiunt,qui Christi divitias non noverunt, ista verba sunt, nos enim videmus Christi famulos plerumque pauperes, sordidos, abiectos, tristes: istud vero centuplum, quod magnificas, numquam vidimus. Ita est, carnalis homo non vidit umquam illud centuplum,quod Christus promisit, quia non habet oculos, quibus videri potest;neque umquam solidum illud gaudium gustavit, quod pura conscientia et vera charitas in Deum degustare solet. Sed exemplum afferre volo, ex quo utcumque carnalis etiam animus spirituales delitias et divitias suspicari possit.Legitur in libro exemplorum de illustribus viris ordinis Cisterciensis, (*Dist.* 3. *exemp.* 26.) Arnulphum quemdam virum nobilem et divitem relictis omnibus factum esse monachum Cisterciensem sub Abbate sancto Bernardo. Hunc Deus flagellis durissimis variorum morborum, praesertim circa finem vitae, exercuit. Sed cum doloribus acrius torqueretur, coepit magna voce clamare,ac dicere: *Vera sunt omnia, quae dixisti, Domine Iesu.* Interrogantibus, qui astabant, cur ista diceret, ait: *Dominus in Evangelio suo dicit, qui reliquerit divitias, et omnia, quae habet propter ipsum,cum acceperum centuplum in hac vita, et postea vitam aeternam.Ego vim huius promissionis,nunc demum intelligo et fateor, me nunc centuplum accipere omnium quae dimisi:siquidem immensa huius doloris acerbitas adeo mihi sapit propter spem divinae miserationis, quae in ea reposita est mihi, ut hac ipsa caruisse me nolim, pro centuplicata mundi substantia, quam reliqui. Vere enim spirituale gaudium, quod modo est in spe,centies millies exuperat gaudium saeculare, quod nunc est in re:* haec ille. Perpendat Lector haec verba, et postea iudicet,quanti facienda sit spes certa divinitus infusa, beatitudinis aeternae iam obtinendae.

CAP. VI.

De secundo fructu verbi secundi.

Alter fructus est eiusdem secundi verbi, cognitio potentiae gratiae Dei, et imbecillitatis voluntatis humanae.Ex qua cognitione discere poterimus optimum esse confidere plurimum in auxilio Dei, et diffidere plurimum de viribus propriis. Cognoscere cupis potentiam gratiae Dei? respice latronem bonum. Hic fuerat insignis peccator, et in statu illo deterrimo perseverat usque ad supplicium crucis, id est, paulo minus quam usque ad mortem: et non aderat illi in tanto periculo damnationis aeternae ullus, qui vel consilio, vel auxilio eum iuvaret: quamvis enim vicinissimus esset Salvatori tamen audiebat Pontifices et Pharisaeos affirmantes illum esse seductorem, ambitiosum, Regni alieni affectatorem: audiebat latronem socium suum similia Christo improperantem. Nemo erat, qui pro Christo verbum aliquod loqueretur; ac ne ipse quidem Christus blasphemias illas et maledicta refellebat. Et tamen aspirante gratia Dei cum hic nullum ad salutem subsidium habere videretur, et gehennae vicinissimus esset, et a vita aeterna quam longissime abesset, in momento, illustratus, et ad meliora conversus,confitetur Christum esse innocentem et Regem futuri saeculi: et quasi praedicator effectus, corripit sodalem suum suadet illi poenitentiam; et coram omnibus, commendat se devote et humiliter Christo.Denique ita se gerit, ut quod supererat poenalis cruciatus in ligno, converteretur illi in purgatoriam poenam, et mox a morte intraret in gaudium Domini sui. Ex quo intelligimus, nullum debere desperare salutem, quando iste, qui venit ad vineam Domini hora fere duodecima, mercedem accipit cum iis, qui venerant hora prima. Contra vero latro alter,ut ostendatur infirmitas humana, non est correctus ex tam insigni charitate Christi, qui non crucifixoribus suis tam amanter oravit; (Luc. 23.) neque ex proprio supplicio suo, neque ex admonitione et exemplo socii,neque ex insolitis tenebris, et scissione petrarum; neque exemplo eorum, qui, Christo mortuo, revertebantur percutientes pectora sua. Quae omnia contigerunt post conversionem boni latronis, ut intelligeremus, latronem alterum sine his subsidiis converti potuisse; alterum cum his omnibus non potuisse, vel potius noluisse.

At cur, inquies, Deus uni gratiam conversionis inspiravit, alteri non inspiravit? Respondeo, sufficientem gratiam neutri defuisse, et si alter eorum periit, culpa sua periit, si alter conversus est,gratia Dei conversus est,non sine cooperatione liberi arbitrii. Sed cur inquies non dedit utrique Deus gratiam illam efficacem, quae a nullo duro corde respuitur? Istud ad secreta Dei pertinet, quae nos admirari, non scrutari decet, cum illud nobis satis esse debeat, non esse iniquitatem apud Deum, ut Apostolus loquitur.(*Rom.*9.) et iudicia Dei occulta esse posse,iniusta esse non posse,ut loquitur sanctus Doctor Augustinus. (*Epist.* 105.) Illud magis ad nos pertinet, ut ab his exemplis discamus non differre conversionem usque ad vitae finem. Nam etsi uni contigit, in extrema hora Dei gratiam invenire; alteri contigit iudicium inveniri. Et si quis vel historias legat, vel casus quotidianos observet inveniet profecto, rarissimos fuisse, qui feliciter de hoc mundo exierint, cum per totum vitae suae cursum perdite vixerint, et contra plurimos fuisse qui post vitam negligenter actam, ad poenas aeternas rapti fuerint. Quemadmodum e contrario paucos omnino numerari, qui bene sancteque vi-

xerint, et tamen infeliciter misereque perierint, et contra plurimos numerari, qui post vitam sancte pieque ductam, ad gaudia sempiterna pervenerit. Nimis omnino audaces sunt, nimisque temerarii, qui in re tanti momenti, cum de vita sempiterna, vel de sempiternis suppliciis agitur, audent vel unum diem in peccato lethali haerere, cum singulis momentis de vita praesenti abire queamus, et post mortem nullus sit amplius locus poenitentiae, et in inferno nulla sit redemptio.

CAP. VIII.

De tertio fructu verbi secundi.

Fructus tertius ex eodem verbo Domini colligi poterit, si quis adverlat, tres fuisse in loco eodem et hora eadem crucifixos: innocentem unum, videlicet Christum, alterum poenitentem. latronem bonum. tertium obstinatum in peccato.latronem malum. Vel si magis placeat, tres fuisse uno tempore cruci affixos: Christum semper et excellenter sanctum,latronem unum,semper et eximie improbum latronem alterum, aliquando scelestum, aliquando sanctum. Ex qua re intelligere possumus, neminem in hac vita sine cruce posse vivere,et frustra niti illos, qui crucem omnino fugere se posse confidunt; illos vero sapientes esse, qui de manu Domini crucem suam accipiunt, eamque usque ad mortem non solum patienter, sed etiam libenter ferunt. Quod omnes boni crucem suam habeant, ex verbis Domini potest intelligi: *Si quis vult*, inquit, *post me venire, abneget semetipsum. et tollat crucem suam, et sequatur me.* (*Matth.* 10.) et alibi: *Qui non baiulat crucem suam. et venit post me, non potest meus esse discipulus.* (*Luc.* 14.) Quod idem Apostolus aperte docet, cum ait: *Omnes,qui pie volunt vivere in Christo Iesu.persecutionem patientur.* (2. *Timoth.*3.) cui concordant sancti Patres, Latini et Graeci.ex quibus,causa brevitatis. duos tantum adducam, Sanctus Augustinus in Commentario Psalmorum, *Vita ista*, inquit, *parva tribulatio est: si non est tribulatio, non est peregrinatio, si autem peregrinatio est, aut parum patriam diliges, aut sine dubio tribularis.* (*ad Psalm.* 137.) et alio loco: *Si putas te nondum habere tribulationes. nondum coepisti esse Christianus:* (*ad Psal.* 11.) Sanctus Joan. Chrysostomus in Homilia quadam ad populum Antiochenum, sic loquitur: *A Christiani vita insolubile vinculum est tribulatio.* (*Hom.*65.*ad pop.*) Idem Doctor, *Non potes*, inquit. *dicere, quia iustus est aliquis, qui expers tribulationis existat.* (*Hom.* 29. *in Epistol.ad Hebr.*) Denique id ipsum ratio manifeste probat. Res enim contrariae sine mutua concertatione simul esse non possunt.Ignis et aqua, donec inter se distant, omnino quiescunt cum in unum locum conveniunt, continuo aqua fumare, salutare. stridere incipit, donec vel aqua consumitur, vel ignis extinguitur. *Contra malum bonum est*, inquit Ecclesiasticus, *et contra mortem vita, sic et contra virum iustum, peccator.* (*Eccles.* 33.) Justi sunt igni similes, lucent,ardent sursum ascendunt, semper operantur, et efficaciter agunt quidquid agunt. Iniusti contra similes sunt aquae, frigidi, per terram labentes, lutum ubique facientes. Quid ergo mirum, si omnes boni persecutionem a malis patiuntur? Quia vero usque ad mundi consummationem permixta erunt (*Matt.* 13.) triticum et zizania, in eodem agro, palea et frumentum in eadem area, (*Matth.*3.) boni et mali pisces in eodem reti; (*Matth.* 13.) id est, homines probi et improbi non solum in eodem mundo,sed etiam in eadem Ecclesia; ideo fieri non potest, ut probi et sancti viri ab improbis et sceleratis tribulationem non patiantur.

Sed nec improbi sine cruce in hoc mundo vivunt. Quamvis enim a viris piis impii persecutionem non patiantur,patiuntur tamen ab aliis impiis patiuntur a propriis vitiis, patiuntur a mala conscientia. Certe sapientissimus Salomon, qui si ullus alius, felicissimus fuisse visus est, crucem se portare negare non potuit.cum ait: *Vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi.* (*Eccles.* 2.) et paulo infra: *Et idcirco taeduit me vitae meae, videntem mala universa esse sub sole. et cuncta vanitatem et afflictionem spiritus.* Et Ecclesiasticus, vir quoque sapiens valde, generalem sententiam protulit, dicens: *Occupatio magna creata est omnibus hominibus et iugum grave super filios Adam.* (*Eccles.* 40.) Sanctus Augustinus in Psalmos. *inter omnes*, inquit,*tribulationes.nulla est maior, quam conscientiae delictorum.* (*In Psalm.* 45.) Sanctus Ioannes Chrysostomus in Homilia de Lazaro docet multis verbis,non posse improbos cruce sua carere. (*Hom.*3.) nam si pauper est, paupertas illi crux est; si abest paupertas, adest cupiditas, quae magis affligit: si ex morbo decumbit, in cruce iacet,si liber a morbo est,inflammatur ira, quae ipsa quoque crux est. Sanctus vero Cyprianus ex ipsa nativitate demonstrat,omnem hominem ad crucem et tribulationem nasci, eamque naturaliter fletu suo praedicere: *Unusquisque nostrum*, inquit, *cum nascitur et hospitio mundi huius excipitur. initium sumit a lachrymis. Et quamvis adhuc omnium nescius et ignarus; nihil aliud novit in illa ipsa prima nativitate, quam flere: providentia naturali lamentatur vitae mortalis anxietates et labores, et procellas mundi quas ingreditur, in exordio statim suo ploratu et gemitu rudis anima protestatur.*(*Serm. de patientia.*)

Quae cum ita sint, nemini dubium esse potest, quin sit crux bonis malisque communis. Illud restat ut demonstremus, crucem piorum esse brevem, levem. et frugiferam, et contra, crucem impiorum esse diuturnam, gravem, et sterilem. Ac de cruce quidem piorum, quod sit brevis dubitari non potest, cum ultra tempus vitae huius extendi non possit: morientibus enim iustis *iam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis.*(*Apoc.* 14.) et quod *abstergit Deus omnem lachrymam ab oculis eorum* (*Apoc.*21.) Vitam autem praesentem esse brevissimam, quamvis, dum fluit, videatur esse prolixa. Scriptura divina non obscure significat, cum dicit: *Breves dies hominis sunt* (Iob. 14.) *et homo, natus de muliere,brevi vivens tempore,*(Ibid.) *et Quae est vita vestra? vapor est ad*

modicum parens, et deinceps exterminabitur. (Iac. 4.) Apostolus autem, qui gravissimam crucem portasse videtur, et tempore satis longo, ab adolescentia videlicet usque ad senectutem, tamen sic loquitur in Epistola ad Corinthios: *Momentaneum hoc, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis* (2. *Cor.* 4.) Ubi momento indivisibili comparat annos tribulationis supra triginta et levem tribulationem dicit, esurire, sitire, nudum esse, (1. *Cor.* 4.) colaphis caedi, persecutionem assidue pati, ter virgis fuisse caesum a Romanis, (2. *Cor.* 11.) quinquies flagellatum a Judaeis, semel lapidatum fuisse, ter naufragium fecisse. Denique versatum in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. Quae igitur tribulationes graves dici poterunt, si istae leves vere dicuntur et sunt? Quid, si addam, iustorum crucem non solum levem esse, sed etiam suavem et dulcem, ob superabundantem divini spiritus consolationem? Christus ipse de iugo suo, quod et crux dici potest, ita pronuntiat: *Iugum meum suave est, et onus meum leve.* (*Matt.* 12.) et alibi: *plorabitis, et flebitis vos mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium: et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* (*Ioan.* 16. Et Apostolus. *repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* (2. *Cor.* 7.) Denique crucem iustorum non solum brevem et levem esse, sed etiam frugiferam, altissimam, foecundissimam fructuum optimorum esse negari non potest, cum Dominus noster apertissime dicat apud sanctum Matthaeum: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est Regnum caelorum* (*Matth.* 5.) et Apostolus in epistola ad Romanos clamet: *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* (*Rom.* 8.) Cui concordat coapostolus eius Petrus, cum ait: *Communicantes Christi passionibus gaudete, ut in revelatione gloriae eius gaudeatis exultantes.* (1. *Petr.* 4.)

Iam vero quod crux improborum sit longissima durissima et sine ullo praemio vel fructu, nullo negotio demonstrari potest. Certe crux mali latronis non cum temporali vita finem accepit, ut crux latronis boni; sed usque ad hanc diem apud inferos *non morietur et ignis eorum non extinguetur* (*Isa.* 66.) Et crux divitis (*Luc.* 16.) Epulonis, id est, sitis cumulandarum opum, quas dominus (*Matth.* 13.) cum spinis verissime comparavit, quae sine molestia tractari et conservari non possunt, non in morte finita est, ut crux Lazari mendici: sed ad inferos eum comitata perpetuo urit ac torquet, ac dicere cogit. Utinam aquae gutta linguam meam refrigeraret, *quia crucior in hac flamma.* (*Luc.* 16.) Itaque crux improborum finem nullum inveniet. Et in hoc ipso tempore, quam sit gravis et aspera, testantur voces illorum, quos liber Sapientiae lamentantes introducit: *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles.* (*Sap.* 5.) Quid? an non sunt viae difficiles, ambitio, avaritia, luxuria? non sunt viae difficiles, quae illa vita comitantur, irae, rixae, invidiae? non sunt viae difficiles, opera, quae ex his vitiis nascuntur, proditiones, convitia, contumeliae vulnera, mortes? ista certe eiusmodi sunt, ut non raro adigant homines, ut desperantes ipsi sibi vitam auferant, et ut crucem unam effugiant, ipsi crucem graviorem accersant.

Sed quid tandem lucri crux improborum parit? quem fructum affert? certe boni aliquid afferre non potest, quia non faciunt spinae uvas, nec tribuli ficus. Iugum Domini quietem affert, dicente ipso Domino: *Tollite iugum meum super vos, et invenietis requiem animabus vestris.* (*Matt.* 11. Jugum diaboli, quod est Christi iugo contrarium, quid afferre potest, nisi sollicitudinem, et anxietatem? Et quod omnium gravissimum est, crux Christi gradus est ad sempiternam felicitatem: *Oportuit* enim *pati Christum, et ita intrare in gloriam suam.* (*Luc.* 24.) Crux diaboli gradus est ad aeterna supplicia, sic enim dicet in iudicio Dominus: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et angelis eius.* (*Matth.* 25.) Qui ergo sapiunt, non quaerant de cruce sua descendere, si cum Christo crucifixi sunt ut stulte malus latro quaesivit, sed potius cum latrone bono lateri Christi libenter inhaereant, et patientiam postulent a Deo, non de cruce descensum. Sic enim Christo compatientes, Christo etiam conregnabunt, dicente Apostolo: *Si compatimur et conglorificabimur.* (*Rom.* 5.) Qui vero crucem diaboli patiuntur, si sapiunt, eam primo quoque tempore permutare satagant: mutent, si aliquid luminis in ipsis est, quinque iuga boum (*Luc.* 14.) cum uno Christi iugo. Iuga boum quinque nihil aliud significare videntur, nisi labores et dolores, quos tolerant homines improbi ut quinque sensibus carnis suae deserviant. Tum vero cum uno Christi iugo suavi ac levi, quinque iuga boum commutantur, cum homo labores, quos peccando tolerabat, in labores augendae poenitentiae, Deo iuvante permutat. Felix anima, quae carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigere novit, et quas pecunias in explendis cupiditatibus insumebat, in eleemosynis faciendis insumere assuescit: et quas horas perdebat in comitandis aut visitandis magnis viris, molestissima ambitione cogente, eas in oratione vel sacra lectione consumit, ambiendo gratiam Dei et Principum curiae Caelestis, sic enim crux mali latronis cum Christi cruce, id est, crux gravis et sterilis, cum cruce levi et fructuosa mutatur.

Prudenter omnino apud sanctum Augustinum miles honoratus cum suo commilitone de cruce mutanda sic disserebat, *Die quaeso te, omnibus istis laboribus nostris, quo ambimus pervenire? quid quaerimus? cuius rei causa militamus? maior ne esse poterit spes nostra in palatio, quam ut amici Imperatoris simus, et ibi quid non fragile, plenumque periculis? et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum, et quamdiu istud erit? Amicus autem Dei si voluero esse, ecce nunc fio.* (*Lib.* 8. *Confess. cap.* 6.) haec ille, qui prudentissime iudicavit, labores in ambienda gratia Imperatoris gravissimos, et longissimos, et sae-

pe infructuosos, utilissimum esse mutare in labores suaviores, et breviores, et sine dubitatione utiliores in ambienda amicitia Dei. Id, quod etiam felices illi milites continuo fecerunt, uterque enim relicta militia saeculari soli Deo servire coeperunt. Et quod eis gaudium duplicavit, fuit quod ambo sponsas habebant, quae hoc audito, libentissime etiam ipsae virginitatem suam dicaverunt Deo.

CAP. VIII.

Explicatur ad litteram verbum tertium: Ecce mater tua. Ecce filius tuus, *Ioan.* 9.

Postrema sententia ex tribus illis, quae ad charitatem proximi proprie pertinent, illa sunt: *Ecce mater tua, Ecce filius tuus.* Sed antequam ad haec verba veniamus, explicanda sunt verba Evangelistae praecedentia; sic enim loquitur sanctus Joannes: *Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius Maria Cleopha, et Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Iesus matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suae, Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: ecce mater tua. Et ex illa hora, accepit eam discipulus in sua.* (*Ioan.* 19.) Ex tribus mulieribus, quae cruci Domini astabant, duae notissimae sunt. Maria mater Domini, et Maria Magdalene. De Maria Cleophae nonnulla quaestio est; vulgo enim fertur Mariam Cleophae fuisse germanam sororem b. Virginis Deiparae, ex Anna matre procreatam, quibus addunt et tertiam sororem, Mariam Salome. Sed haec opinio penitus explodenda est. Nam neque credibile est, tres sorores eodem nomine appellatas fuisse, et satis constans eruditorum et piorum sententia est, b. Annam solius Virginis Mariae matrem fuisse, neque ulla est Maria Salomone in Evangeliis. Ubi enim scribit sanctus Marcus, *Maria Magdalene et Maria Iacobi, et Salome emerunt aromata*; vox, *Salome*, non est casus secundi, quasi significet, Mariam Salome ut paulo ante dixit, Mariam Jacobi: sed est casus primi, et est generis faeminini, ut manifestum est ex Graeco textu, Σαλωμη. Denique Salome uxor erat Zebedaei, et mater Jacobi et Ioannis Apostolorum, ut inteiligi potest ex sancto Matthaeo cap. 27, et Marco cap. 15. sicut Maria Iacobi, sive Cleophae, erat uxor Cleophae, et mater Jacobi minoris, et Iudae, sive Thaddaei. Vera igitur sententia est, Mariam Cleophae appellatam fuisse sororem Virginis Deiparae, quia Cleophas frater erat sancti Iosephi sponsi Virginis Mariae, coniuges enim duorum fratrum, recte dici possunt inter se sorores. Qua ratione etiam Jacobus minor dictus est frater Domini, consobrinus videlicet, quia erat filius Cleophae, fratris, ut diximus, Iosephi. (*Lib.* 2. *cap.* 1. *et lib.* 9. *cap.* 12.) Hanc historiam scribit Eusebius Caesariensis in Historia Ecclesiastica et adducit fidelem auctorem Egesippum, qui tempora Apostolorum attigit. Quod idem confirmat sanctus Hieronymus in libro adversus Helvidium.

Alia etiam litteralis quaestio hic breviter dissolvenda est, quomodo dicat sanctus Ioannes, tres sitas mulieres stetisse iuxta crucem Domini, cum Marcus cap. 15. et Lucas c. 23. scribant eas longe stetisse. Concordat haec testimonia sanctus Augustinus in lib. 3. de Consensu Evangelistarum, (*S. Augustinus*) quod sanctae istae mulieres dici possint et longe a cruce, et iuxta crucem fuisse. Longe, si conferantur ad milites et satellites, qui tam prope erant, ut crucem tangerent. Iuxta vero, quia vocem Christi facile poterant exaudire, ob vicinitatem: quod non poterant turbae, quae longissime aberant. Posset etiam dici, tres illas sanctas mulieres, cum fieret crucifixio, longe admodum stetisse, impediente turba et militibus, sed paulo post crucifixione completa, multisque recedentibus, tres istas mulieres cum sancto Joanne propius accessisse. Ex quo solvitur alia quaestio, qua ratione potuerit sancta Virgo et sanctus Ioannes de se intelligere verba Domini: *Ecce filius tuus, Ecce mater tua*, cum turba frequens adesset, et Christus neque Virginem, neque discipulum appellasset ex nomine. Respondemus enim, tres illas mulieres et sanctum Joannem prope crucem astitisse ut facile posset Dominus oculis designare personas, ad quas loquebatur, praesertim cum certum esset illum loqui ad suos, non ad extraneos, inter suos autem nullum fuisse virum, cui dici posset, *Ecce mater tua*, nisi sanctum Joannem, et nullam ibi fuisse mulierem, quae per mortem orbaretur filio, nisi Virginem matrem. Dixit igitur matri, *Ecce filius tuus*, et discipulo, *Ecce mater tua*, quorum verborum haec sententia est, ego quidem transeo de hoc mundo ad Patrem, et quoniam novi te matrem meam neque parentes habere, neque virum, neque fratres, aut sorores, ut non relinquam te omni humano auxilio destitutam, commendo te Ioanni discipulo meo charissimo, ille erit tibi in filium, et tu eris illi in matrem. Quod salubre consilium vel imperium Christi, utr que valde placuit et uterque, ut credibile est, capite inclinato annuit et de se sanctus Joannes ait. *Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua*: hoc est, continuo paruit, et enumeravit eam inter personas, quorum cura et providentia ad se pertinebat, quales erant parentes eius iam senes, Zebedaeus et Salome.

Sed occurrit hoc loco nova quaestio litteralis. Sanctus enim Joannes unus ex illis erat, qui dixerant: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* (*Matth.* 19.) et inter ea quae reliquerant, Dominus ipse numerat patrem et matrem, fratres et sorores, domum et agros: et de isto ipso sancto Ioanne et fratre eius sancto Iacobo scripsit sanctus Matthaeus: *Illi autem statim relictis retibus et patre, secuti sunt eum.* (*Matth.* 4.) Cur igitur, qui reliquerat unam matrem, iterum accipit aliam Matrem? Sed responsio facilis est. Apostoli enim ut Christum sequerentur, dimiserunt patrem et matrem, quatenus illis impedimento esse possent ad evangelium praedicandum, et quatenus inde commodum vel delectationem carnalem percipere possent. Sed non dimiserunt sollicitudinem, quam ex iustitia exhibere tenebantur parentibus aut filiis, directione vel subsidio indigentibus. Quae ratio est (ut passim Doctores (*S. Thom.* 2. 2. *q.* 189. *art.* 6.) affirmant) ut non possit filius ingredi ordinem religiosum, qui patrem habet vel

senio confectum, vel egestate ita pressum, ut sine ope filii vitam sustentare non possit. Sic igitur sanctus Joannes reliquit patrem et matrem, quando eius opera non indigebant: curam vero et sollicitudinem Virginis matris, Christo iubente, suscepit, quoniam destituta erat omni humano subsidio. Poterat quidem Deus sine humano labore, per Angelos matri suae, quae ad vitam illi necessaria erant facile procurare: nam et ipsi Christo in deserto Angeli (*Matth.* 4.) ministrabant: sed voluit id fieri per Joannem, ut simul et Virgini prospiceret, et Ioannem honoraret et adiuvaret. Nam et Eliam Deus misit apud viduam sustendandum, non quod non posset per corvos alere, ut antea fecerat, sed ut viduae benediceret, ut sanctus Augustinus (*Serm. 26. de verb. Domini*) admonuit. Sic igitur placuit Domino matris sollicitudinem Discipulo demandare, ut ipsum maximo beneficio afficeret, ac vere sibi dilectum praeter ceteros esse demonstraret. Vere enim in hac mutatione matris, impletum est illud: *Qui reliquerit patrem, aut matrem, etc. centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.* (*Matth.* 19.) Vere enim centuplum accepit, qui reliquit matrem, uxorem piscatoris, et accepit in matrem, matrem Creatoris, mundi Dominum, gratia plenam, benedictam inter mulieres, et exaltandam paulo post super choros Angelorum ad caelestia regna.

CAP. IX.

De primo fructu verbi tertii.

Ex hoc tertio verbo multi fructus colligi possunt si quis omnia diligenter observet. Ac primum colligi poterit infinitum in Christo fuisse desiderium pro nostra salute patiendi, ut plenissima et copiosissima esset redemptio. Nam ceteri homines cavent in morte, et multo magis in morte violenta, et plena dedecoris et infamiae, ne propinqui praesentes adsint, ne dolor et tristitia ab eorum praesentia duplicetur. Christus autem non contentus passione propria, eaque atrocissima, doloris et dedecoris plena, voluit etiam ut propria mater, et discipulus, quem diligebat, adessent, et prope ipsam crucem astarent, ut dolor compassionis charorum, dolorem passionis propriae duplicaret. Erat Christus in cruce, quatuor quasi fontes sanguinis copiose diffundens: voluit ut astarent mater et discipulus, nec non Maria soror matris eius et Magdalena, quae praeter ceteras sanctas mulieres eum ardentissime diligebant, ut ex illis quatuor fontes lachrymarum erumperent, ut pene minus ipse torqueretur ex propria sanguinis effusione, quam ex copioso imbre lachrymarum, quem dolor astantium ex eorum cordibus exprimebat. Videor mihi dicentem Christum audire: *Circumdederunt me dolores mortis:* (*Ps.* 17.) sed non minus cor meum lancinat et disrumpit gladius ille a Simeone praedictus, (Luc. 2.) qui matris meae innocentissimae animam cum incredibili dolore pertransit. Siccine separas amara mors, non animam solum a corpore; sed etiam matrem, et talem matrem a filio, et tali filio? Ideo enim non permisit amor, ut dicerem, *Mater*, sed, *Mulier ecce filius tuus.* Sic Deus dilexit mundum, ut pro eius redemptione Filium suum unigenitum daret: et sic Filius unigenitus dilexit Patrem, ut pro eius honore sanguinem proprium large profunderet, et non contentus dolore passionis, addidit et dolorem compassionis ut esset pro peccatis copiosissima satisfactio. Itaque Pater et Filius commendant charitatem suam in nobis, ineffabili ratione et modo, ut non pereamus, sed ut vitam aeternam habeamus: et tamen cor humanum adhuc tantae charitati resistit, et mavult iram omnipotentis Dei viventis experiri, quam dulcedinem misericordiae degustare, et charitati divini amoris cedere. Vere ingratissimi sumus, et omni supplicio digni, si cum Christus tanto nos amore dilexerit, ut pro nobis pati voluerit multo amplius, quam necesse esset, et cum ad redemptionem nostram gutta una sanguinis eius sufficeret, ipse totum sanguinem fundere, et innumerabilia supplicia sustinere voluerit, nos pro eius dilectione et nostra salute, vix quod satis sit, tolerare velimus. Causa huius tantae socordiae et stultitiae non alia est, nisi quia Christi passionem et dilectionem serio et attente, ut oporteret, non cogitamus, et tempora et loca apta ad tantum negotium non eligimus: sed breviter et cursim Christi passionem legimus, vel audimus. Ideo Propheta sanctus monet: *Attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus.* (*Thren.* 1.) et Apostolus ait: *Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.* (*Hebr.* 12.) sed veniet tempus, quando nostrae huius tantae ingratitudinis erga Deum, et negligentiae erga propriam salutem nos frustra poenitebit. Multi enim sunt, qui in novissimo die erunt *poenitentiam agentes, et prae angustia spiritus gementes*, (Sap. 5.) ac dicentes. *Ergo erravimus a via veritatis, et iustitiae lumen non luxit nobis.* Neque tunc primum incipient, sed etiam ante diem iudicii, cum primum clauserint per mortem oculos corporis, aperientur illis oculi cordis, et videbunt quae, quando tempus erat, videre noluerunt.

CAP. X.

De secundo fructu verbi tertii.

Alter fructus huius tertii verbi colligitur ex mysterio trium feminarum, quae stabant iuxta crucem Domini. Maria enim Magdalena personam gerit poenitentium, ac per hoc incipientium, Maria Cleophae, proficientium, Maria Christi mater et virgo perfectorum, cum qua merito iungere possumus sanctum Ioannem, qui et ipse virgo erat, atque perfectus brevi futurus, si nondum erat. Isti enim omnes et soli iuxta crucem Domini inveniuntur, qui enim in peccatis vivunt, et de poenitentia non cogitant, longe absunt a cruce, quae scala est ad salutem. Praeterea omnes illi non sine causa stant iuxta crucem, quia indigent auxilio Crucifixi. Poenitentes enim sive incipientes, bellum gerunt cum vitiis et concupiscentiis, et egent valde auxilio Ducis nostri Christi, ut animentur ad pugnam.

dum vident eum colluctantem cum antiquo serpente, neque descendentem de cruce, donec de illo felicissime triumphaverit. Sic enim loquitur Apostolus in Epistola ad Colossenses: (Col.2.) Expoliavit *principatus, et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Et paulo ante, *Affigens cruci chirographum decreti, quod erat contrarium nobis.* Proficientes significat per Mariam Cleophae, quae erat mulier coniugata,et pariebat filios,qui dicebantur (Matth. 12.) fratres Christi egent ipsi quoque auxilio crucis,ne curae et sollicitudines huius saeculi, (*Luc.* 5.) quibus necessario implicantur, suffocent in eis bonum semen, vel per totam noctem laborantes nihil capiant. Itaque debent laborare in proficiendo, et intueri Christum in cruce, qui non contentus bonis operibus multis et magnis, quae ante fecerat, voluit, per crucem ad maiora procedere, et non descendere, nisi hoste devicto et profligato. Nihil enim magis nocet proficientibus, quam si fatigentur in cursu, et desinant progredi. Siquidem *in via virtutis non progredi regredi est*, ut s.Bernardus recte docet in epistola ad Garinum: (*Epist.* 25.) in qua ponit exemplum scalae Iacobi, ubi omnes ascendunt vel descendunt, nulli autem stant. Denique ipsi etiam perfecti, qui sunt in statu caelibatus, ac praecipue si virgines sint, quales erant Virgo mater Christi, et s.Joannes discipulus Christi, atque ea de causa super omnes magis dilectus: isti, inquam perfecti,multum egent auxilio Crucifixi: qui enim in altiore gradu sunt, valde timere debent a vento superbiae, nisi fundati et radicati sint in profundissima humilitate. Quamvis autem Christus saepe se magistrum humilitatis ostenderit, ut cum dixit: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde:* (*Matth.* 11.) Et cum rursus ait: *Recumbe in novissimo loco:*(*Luc.*14.) et cum toties repetivit: *Qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur:* (*Luc.* 16) tamen numquam Doctorem humilitatis magis se ostendit quam in cathedra crucis, quod Apostolus declaravit, cum ait; *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem . mortem autem crucis.* (*Phil.* 2.) Quae enim maior humilitas cogitari potest, quam ut ille, qui est omnipotens, permittat se ligari,et cruci affigi? et *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* (*Col.* 2.) Dei,permittat se ut insanum ab Herode et eius exercitu reputari, et illudi alba veste indutum? et *qui sedet super Cherubim* (*Psalm.* 98.) permittat se in medio latronum crucifigi?Certe qui in speculo crucis se ipso serio intuitur, nimis erit indocilis, si non discet, et fateatur, se a vera humilitate, quantumcumque profecerit, adhuc longe abesse.

CAP. XI.

De tertio fructu verbi tertii.

Discimus tertio loco ex cathedra crucis, et verbis ad matrem et discipulum dictis, quod sit officium parentum bonorum erga filios, et bonorum filiorum erga parentes. Incipiamus a priore. Debent parentes boni diligere filios, sic tamen, ut amor filiorum non impediat amorem Dei. Atque hoc est, quod Dominus in Evangelio dicit: *Qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus* (*Matth.* 10.) Hoc plane accuratissime observavit Virgo beata: stabat enim iuxta crucem cum summo dolore, et cum summa constantia. Dolor testabatur amorem summum erga filium in cruce pendentem, constantia testabatur observantiam maximam erga Deum in caelo regnantem. Moleste ferebat, filium innocentem, quem vehementer amabat, doloribus acerbissimis affligi, sed non ideo verbo aut facto cruciatus illos prohibuisset, quamvis potuisset, quia sciebat, *definito consilio et praescientia Dei* (*Act.* 2.) Patris illos omnes cruciatus a filio tolerari. Mensura doloris est amor proinde Mater valde dolebat,cum filium suum tam crudeliter vexari cernebat, quia multum amabat. Et quo modo filium suum Virgo mater non ardentissime diligeret, cum optime omnium sciret, filium illum et omnibus filiis hominum omni genere laudum excellere, et eumdem illum filium magis ad se pertinere, quam pertineant ulli alii filii ad matres eorum? Ratio enim, cur feminae filios diligant, duplex esse solet,una quod ipsae eos genuerint, altera,quod insigni aliqua laude excellant alioqui enim non desunt matres, quae filios aut parum ament, aut etiam oderint, si forte nimis deformes, aut nimis improbos, aut in parentes impios et ingratos experiantur. Jam vero Virgo mater filium suum propter utramque causam magis diligebat, quam ulla alia mater filium suum umquam dilexerit. Primum enim mulieres aliae non solae filios generant, sed in generatione filii socium habent maritum: Virgo beata sola filium generavit, nam virgo genuit, et virgo peperit, et quemadmodum Christus Dominus in generatione divina habuit Patrem sine matre, sic in generatione humana matrem habuit sine patre. Et quamvis vere dicatur idem Christus de Spiritu sancto conceptus, non tamen Spiritus sanctus est Pater Christi, sed effector et fabricator corporis Christi: neque ex propria sua substantia Spiritus sanctus Christi corpus formavit, quod proprie ad Patrem pertinet, sed ex purissimis Virginis ipsius sanguinibus fabricavit.Vere igitur Virgo sanctissima sola sine patris consortio filium suum genuit, sola solum et integrum sibi vendicabit, proinde magis diligebat filium suum,quam ulla alia mater prolem suam unquam dilexerit. (Psalm.44.) Quod vero attinet ad aliam causam, filius Virginis nostrae non solum speciosus fuit et est prae filiis hominum, sed etiam omni genere laudis hominibus et Angelis omnibus antecellit. Sequitur igitur, ut Virgo beata, quae filium suum plus omnibus amavit,eius passionem et mortem plus omnibus defleverit. Atque adeo hoc verum est ut Sanctus Bernardus in Sermone (*Serm. in illud. signum magnum*) quodam affirmare non dubitaverit, dolorem b.Virginis de filii passione conceptum dici posse martyrium cordis, iuxta illud Simeonis; *et tuam ipsius animam pertransibit gladius* (*Luc.* 2.) Et quia martyrium cordis acerbius esse videtur quam marty-

rium corporis, sanctus Anselmus in libro de Excellentia Virginis, (*Cap.* 5.) scribit dolorem Virginis acerbiorem fuisse quolibet martyrio corporali. Certe quidem Dominus noster, cum orans in horto Gethsemani martyrium cordis pateretur, attente considerans omnes dolores et cruciatus, quos die sequenti passurus erat; et simul moerori et pavori habenas quodammodo laxans, tam vehementer cruciari coepit, ut ex toto corpore sudorem sanguineum funderet, quod in passione corporali illi accidisse non legitur. Igitur Virgo beata ex gladio illo doloris animam eius transverberante, gravissimam sine dubio passionem atque poenam acerbissimam pertulit, et tamen quia plus honorem et gloriam Dei, quam carnem filii diligebat, stabat iuxta crucem constantiae plena, et sine ullo impatientiae signo patientem filium intuebatur. Non cecidit in terram semimortua, ut quidam fingunt, non laceravit capillos, non muliebriter eiulavit, sed fortiter tulit, quod ex voluntate Dei tolerandum erat. Amabat enim valde carnem filii sui, sed magis amabat honorem Patris, et salutem mundi quae duo ipse etiam filius magis amabat, quam incolumitatem corporis sui. Praeterea fides resurrectionis filii sui post tertiam diem futurae, in qua numquam haesitavit, addebat cordi eius ingentem constantiam, ut non egeret consolatione humana. Sciebat enim mortem filii similem futuram somno brevissimo, iuxta illud Prophetae: *Ego dormivi, et soporatus sum et exurrexi, quia Dominus suscepit me.* (*Psalm.* 3.)

Hoc exemplum imitari deberent fideles omnes, ut amarent filios suos, sed non anteponerent Deo, qui Pater est omnium, et qui diligit eosdem multo magis et melius quam nos amare noverimus. Ac primum amare debent Christiani filios suos amore virili ac prudenti, non blandientes illis cum male fecerint, sed educantes in timore Dei, et corripientes verbis, et flagello etiam coercentes, cum vel Deum ostendunt, vel studia litterarum negligunt. Haec enim est voluntas Dei, quam in Scripturis sanctis revelavit: sic enim loquitur Ecclesiasticus: *filii tibi sunt? erudi illos et curva illos a pueritia illorum.* (*Eccl.* 7.) et de Tobia (*Tob.* 1.) legitur, quod filium suum *ab infantia timere Deum docuit et abstinere ab omni peccato*, et Apostolus (*Col.* 3.) admonet patres, ut non provocent filios ad indignationem, ne pusillo animo fiant, (Eph. 6.) sed educent illos in disciplina et correptione Domini, hoc est, ut tractent eos, non ut servos, sed ut liberos. Qui enim nimis sunt erga filios austeri, sic ut illos perpetuo obiurgent et flagellent, etiam pro minimo errato, ii tractant ut mancipia, et efficiunt ut vel pusillo animo fiant, vel fugiant: qui vero nimis sunt indulgentes, vitiosos illos efficiunt, et non Regno caelorum, sed gehennae nutriunt.

Recta ratio educandi filios est, ut parentes erudiant filios in disciplina, ut discant libenter obedire parentibus et magistris, et cum errant, eos paterne corripiant, sic ut intelligant, se ex amore, non ex odio corripi. Deinde si forte Deus filios alienius ad Clerum, vel ad ordinem religiosum vocet, non audeant impedire, ne forte Deo, qui primus pater est, repugnare videantur: sed dicant cum sancto Iob: *Dominus dedit, Dominus abstulit sit nomen Domini benedictum* (Job. 1.) Denique si forte immatura morte filii parentibus subtrahantur, quod beatissimae Virgini in primis accidit, considerent iudicia Dei, qui saepe rapit aliquos, ne malitia immutet bonam mentem eorum, (*Sap.* 4.) et pereant in aeternum. Certe si scirent aliquando parentes, quo consilio Deus ista faciat, non modo non flerent, sed etiam gauderent. Et si fides resurrectionis vigilaret in nobis, ut in Sanctissima Virgine vigilabat, non magis contristaremur cum aliquis ante senium moritur, quam contristamur, si quis ante noctem dormire incipiat, mors enim fidelis hominis, somnus quidam est, ut Apostolus monet in Epistola priore ad Thessalonicenses: *Nolimus*, inquit, *vos ignorare fratres de dormiéntibus, ut non contristemini, sicut et ceteri, qui spem non habent.* (1. *Thess.* 4.) Meminit autem spei potius quam fidei, quoniam non de resurrectione quacumque, sed de beata et gloriosa loquitur, quae est ad veram vitam, qualis fuit Christi resurrectio. Qui enim certo credit, futuram carnis resurrectionem, et sperat filium suum immatura morte sublatum, resurrecturum ad gloriam, non est, quod tristetur, sed magis gaudeat, quod salus eius in tuto sit posita.

Venio nunc ad officium filii erga parentes, quod Christus moriens erga parentem suam cumulate praestitit. Officium enim filiorum est, *mutuam vicem reddere parentibus.* (1. *Tim.* 5.) ut Apostolus monet. Reddunt autem filii parentibus vicem mutuam, quando senescentibus parentibus ea, quae necessaria sunt, procurant, quemadmodum ipsi parentes procuraverunt filiis parvis, et non valentibus sibi victum et vestitum quaerere. Christus igitur senescenti matri, et neminem habenti, qui mortuo filio, eius curam gereret, dedit illi s. Joannem in filium, dicens: *Ecce filius tuus*: et ipsi Joanni: *Ecce mater tua.* (*Ioan.* 19.) Functus est autem Dominus cumulate officio filii erga matrem multis modis. Primum enim assignavit Virgini matri Joannem in filium, qui erat Christi ipsius coaetaneus, vel potius anno uno iunior, ac per hoc aptissimus ad matrem Dei sustentandam. Deinde assignavit illum ex duodecim discipulis, quem ipse Dominus maxime diligebat, et a quo sciebat se vicissim valde diligi, proinde confidere poterat de fide et diligentia eius in adiuvanda parente. Praeterea assignavit illum, quem sciebat diutissime victurum, ac per hoc matri sine ulla dubitatione supervicturum. Denique non defuit Christus matri suae, etiamsi importuno tempore cogitationem illam suscipere deberet. Erat enim in perferendis doloribus totius corporis et iniuriis inimicorum accipiendis, et in amarissimo calice propinquae mortis hauriendo occupatus, ut de nulla re alia cogitare posse videretur. Vicit tamen charitas matris, et se neglecto, de consolanda et adiuvanda matre cogitationem consiliumque suscepit, neque fefellit eum expectatio de promptitudine ac fidelitate Joannis: (*Ioan.* 19.) nam ex *illa hora accepit eam in sua.*

Hanc providentiam, quam de parente sua Christus habuit, maiori ratione debent omnes filii de

parentibus suis habere: Christus enim minus debuit parenti suae, quam ceteri homines suis parentibus debeant. Ceteri homines tantum parentibus debent, quantum referre non possunt, debent enim vitam parentibus, quam illis certe referre non possunt. *Memento*, inquit Ecclesiasticus, *quoniam nisi per illos natus non fuisses.* (*Eccles.* 7.) Christus autem, isque solus, excipitur ab hac regula. Accepit enim a Virgine matre vitam unam, humanam videlicet, sed dedit illis tres vitas, vitam humanam, quando eam cum Patre et Spiritu sancto creavit, vitam gratiae, quando eam in benedictionibus dulcedinis praeveniens, creando iustificavit et iustificando creavit: vitam gloriae, quando eam ad gloriam aeternam evexit, et super choros Angelorum exaltavit. Quare si Christus qui beatae matri suae plus dedit quam ab ea nascendo accepit, legem observare voluit, ut ei tamquam parenti mutuam vicem redderet, quanto magis ceteri homines ad hoc solvendum parentibus debitum tenebuntur? Adde, quod quamvis honorando parentes faciamus, quod debemus, tamen benignitas Dei praemium addidit, in lege: *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram.* (*Exod.* 20.) et per Ecclesiasticum (*Eccles.* 3.) addidit Spiritus sanctus: *Qui honorat patrem suum jucundabitur in filiis, et in die orationis suae exaudietur.* Nec solum praemium addidit Deus honorantibus parentes, sed etiam poenam non honorantibus. *Nam Deus dixit* (*Matt.* 15) inquit Dominus, *qui maledixerit patri vel matri morte moriatur* et Ecclesiasticus (*Eccles.* 3.) addit: *est maledictus a Deo, qui exasperat matrem.* Atque hinc discimus, maledictionem parentum in filios vim magnam habere, quoniam confirmat eam Deus. De qua re extant in historiis exempla non pauca quorum unum valde insigne narrat Sanctus Augustinus in libris, (*Lib.* 22. *cap.* 8.) de Civitate Dei. Summa haec est: Apud Caesarem Cappadociae, decem filii, septem mares, et tres feminae, a matre maledicti, continuo divinitus coerciti tali poena sunt, ut horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum in qua foedissima specie oculos suorum civium non ferentes, quaqua versum cuique ire visum est, toto ferre vagabantur orbe Romano; duo ex illis tandem per reliquias Sancti Stephani Protomartyris, Sancto Augustino praesente, curati sunt.

CAP. XII.

De quarto fructu verbi tertii.

Onus et iugum impositum a Domino Sancto Joanni, ut Virginis matris curam ac sollicitudinem gereret vere fuit iugum suave et onus leve. Quis enim non libentissime cohabitaret matri illi, quae Verbum incarnatum in utero novem mensibus portavit, et illi totos triginta annos devotissime dulcissimeque cohabitavit? Quis non invideat dilecto Domini, qui in absentia Filii Dei praesentiam obtinuit matris Dei? Sed nisi fallor, possumus et nos a benignitate Verbi nostri causa incarnati, et ex dilectione nimia, nostri causa crucifixi, precibus impetrare, ut dicat et nobis: *Ecce mater tua*; et matri suae de nobis dicat: *Ecce filius tuus.* Non est avarus pius Dominus gratiarum, dummodo ad thronum gratiae eius cum fide et fiducia, et non ficto corde, sed vero et sincero accedamus. Qui nos coheredes esse voluit Regni Patris sui, non dedignabitur certe nos coheredes habere amoris matris suae. Sed nec ipsa Virgo benignissima gravabitur multitudine filiorum, cum sinum amplissimum habeat, et valde cupiat, nullum perire ex his quos filius suus eam pretioso sanguine et tam pretiosa morte redemit. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae Christi, et suppliciter, nec sine lacrymis ab eo petamus, ut de unoquoque nostrum matri suae dicat: *Ecce filius tuus*, et unicuique nostrum de matre sua dicat: *Ecce mater tua.* Quam bene nobis erit sub praesidio tantae matris, quis nos detrahere audebit de sinu eius? quae nos tentatio, quae tribulatio superare poterit confidentes in patrocinio matris Dei, et nostrae? Neque nos primi erimus in tanti consecutione beneficii. Multi nos praecesserunt, multi, inquam, ad singulare et plane maternum patrocinium tantae Virginis accesserunt, et nemo confusus aut tristis dimissus est, sed omnes hilares et gaudentes, freti patrocinio tantae matris. De qua enim scriptum est. *ipsa conteret caput tuum.* (*Gen.* 3.) in ea confidunt, se quoque fidenter ambulaturos *super aspidem et basiliscum.* (*Psalm.* 90.) et conculcaturos *leonem et draconem.* Audiamus de multis paucos, eos potissimum, qui singularem fiduciam in protectione Virginis matris se posuisse testantur, ut credibile sit, illos esse de numero illorum, quibus dictum sit a Domino, ecce *mater tua*, et de quibus dictum sit matri: *ecce filius tuus.*

Primus sit Sanctus Ephrem Syrus. Pater antiquus et tantae celebritatis, ut s. Hieronymo teste, (*Lib. de scriptoribus eccles.*) libri eius legerentur in Ecclesiis publice post Scripturas sanctas. Hic in Sermone de Laudibus Deiparae, *intemerata*, inquit, *prorsusque pura Virgo Deipara Regina omnium spes desperantium*, et infra: *Tu portus procellis vexatorum, solatium mundi, carcere clausorum liberatrix, tu orphanorum susceptio, tu captivorum redemptio, tu aegrotantium exultatio, et omnium salus*: et infra: *Sub alis tuis custodi me, et protege, miserere mei, qui sum luto inquinatus*, et infra: *Non mihi alia fiducia, o Virgo sincera. Ave pax, gaudium et salus mundi.* Huic addamus s. Ioannem Damascenum, qui fuit unus ex iis, qui Virginem sanctissimam in primis coluerunt, et in eius patrocinio speraverunt, Hic in Oratione de Nativitate b. Virginis. *O Joachim*, inquit, *et Anna filia, et Domina, peccatoris orationem accipe, ardenter tamen amantis, et colentis, teque solam spem gaudii habentis vitae antistitem, in gratiam cum filio tuo reducentem, firmamque salutis arrham, peccatorum sarcinam discute, tentationes comprime, pieque ac sancte vitam meam guberna, atque ad caelestem beatitudinem fac te duce perveniam.* Addam duos ex Patribus Latinis, s. Anselmus in lib. de Excellentia Virginis alicubi dicit: *Itaque cui saltem ita concessum fuerit, saepe dulci studio pos-*

se cogitare de illa, magnum promerendae salutis indicium esse coniecto. (*De Excel. Virg. cap.* 3.) et infra: *Velocior est nonnumquam salus memorato nomine eius,* (Virginis matris) *quam invocato nomine Domini Jesu, unici filii sui. Et id quidem non ideo fit, quod ipsa maior et potentior eo sit: nec enim ipse magnus et potens est per eam, sed illa per ipsum. Quare ergo promptior salus in recordatione eius quam filii sui saepe percipitur? Dicam quod sentio. Filius eius Dominus est, et Iudex omnium discernens merita singulorum. Dum igitur a quovis suo nomine invocatus, non statim exaudit, profecto id iuste facit. Invocato autem nomine matris, et si merita invocantis non merentur ut exaudiatur, merita tamen matris intercedunt ut exaudiatur.* (*Ibid. cap.* 6.) Sed S. Bernardus miro modo describit sanctissimae Virginis pium ac plane maternum affectum in homines sibi devotos; et contra eximiam et filialem pietatem eorum, qui B. Virginem matrem agnoscunt. In Sermone secundo super *Missus est Angelus*: *O quisquis,* inquit, (*Bern.*) *te intelligis in hujus saeculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare, quam per terram ambulare, ne avertas oculos a fulgore hujus sideris* (*Mariae stellae maris*) *si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationem, si incurras scopulos tribulationum; respice stellam, voca Mariam. Si jactaris superbiae undis, si ambitionis, si detractionis, aemulationis; respice stellam, voca Mariam. Si criminis immanitate turbatus, conscientiae foeditate confusus, Judicis horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiae, desperationis abysso; cogita Mariam: in periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non disperas, ipsam cogitans non erras.* Idem in Sermone de Nativitate B. Mariae, sive de Aquae ductu: *Altius,* inquit, *intuemini, quanto devotioni affectus a nobis Mariam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria: ut proinde si quid spei nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare*: et infra: *Totis ergo medullis cordium et votis omnibus Mariam veneremur quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam*: et rursum: *Filioli, haec peccatorum scala, haec mea maxima fiducia est, haec tota ratio spei meae.* His duobus sanctissimis Patribus addam etiam duos de schola Theologorum aeque sanctos. S. Thomas in opusculo (*Opusc.* 8.) de Salutatione Angelica sic loquitur: *Benedicta in mulieribus, quia ipsa sola maledictionem sustulit, et benedictionem portavit, et ianuam paradisi aperuit. Et ideo convenit ei nomen Maria, quae interpretatur stella maris, quia sicut per stellam maris navigantes diriguntur ad portum, ita Christiani diriguntur per Mariam ad gloriam.* Sanctus Bonaventura in sua Pharetra sic ait: *Sicut, o beatissima, omnis a te aversus et a te despectus, necesse est ut intereat, ita omnis ad te conversus et a te respectus, impossibile est ut pereat.* (*Luc.* 2. *cap.* 5.) Idem sanctus in Vita beati Francisci, de fiducia S. Francisci in beatam Virginem, *Matrem,* inquit, *Domini nostri Jesu Christi indicibili complectebatur amore, eo quod Dominum majestatis fratrem nobis effecerit, et per eam simus misericordiam consecuti. In ipsa post Christum fidens, eam sui ac suorum advocatam constituit, et ad honorem ipsius, a festo Apostolorum Petri et Pauli usque ad festum Assumptionis devotissime jejunabat.* (*Cap.* 9.) His omnibus addere placuit Innocentium Papam III, qui insignis cultor fuit virginis Deiparae, nec solum in sermonibus eam magnifice praedicavit, sed etiam ad ejus honorem Monasterium exstruxit: et quod magis est admirandum excitans populum ad spem in Sanctissima Deipara constituendam quasi praescius futurorum, ea dixit, quae felici experimento postea comprobavit. Sic enim ait in Sermone secundo de Assumptione: *Qui jacet in nocte culpae, respiciat lunam, deprecetur Mariam, ut ipsa per filium cor ejus ad compunctionem illuminet. Quis enim de nocte invocavit eam, et non est exauditus ab ea?* Consulat Lector, quae scripsimus de Innocentio Papa III. in lib. II. cap. IX. de Gemitu columbae. Ex his igitur satis aperte colligitur, ex signis electionis ad gloriam, non esse ex postremis devotionem singularem ad Virginem Dei matrem. Neque enim videtur posse perire is, de quo dictum sit Virgini a Christo, *Ecce filius tuus,* dummodo et ipse non surda aure audiat, quod ei Christus dixerit, *Ecce mater tua.*

DE

SEPTEM VERBIS

A CHRISTO IN CRUCE PROLATIS

LIBER SECUNDUS

CAP. I.

Explicatur ad litteram verbum quartum: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me: *Matt.* 27.

Exposuimus libro superiore tria prima verba, quae Dominus noster ex cathedra Crucis pronuntiavit circa horam sextam, cum recens cruci fuisset affixus. Exponemus in hoc posteriore libro alia quatuor verba, quae post tenebras et silentium trium horarum idem Dominus ex cathedra eadem, iam morti pro inquus, clamans magna voce pronuntiavit. Sed necessarium esse videtur, breviter antea declarare, quales fuerint illae tenebrae, et unde, et ad quem finem exortae, quae inter priora tria verba et quatuor posteriora interiectae sunt: sic igitur loquitur Sanctus Matthaeus: *A sexta autem hora tenebrae factae sunt super universam terram, usque ad horam nonam: et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens: Eli, Eli: lammasabacthani? hoc est Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* (*Matth.* 27.) Quod autem tenebrae factae sint ex deliquio Solis, expresse notat S. Lucas, *Et obscuratus*, inquit, *est sol.* (*Luc.* 23.)

Sed tres sunt hoc loco enodandae difficultates: nam Sol deficere solet in novilunio, quando inter Solem et terram media invenitur Luna. Id, quod in morte Christi fieri non potuit cum Luna non esset conjuncta cum Sole, quod fit in novilunio: sed esset opposita Soli, quod fit in plenilunio; erat enim tunc Pasca Judaeorum, quod secundum Legem fieri incipiebat quartadecima die mensis primi. Deinde etiamsi fuisset in passione Christi Luna conjuncta cum Sole, non tamen poterant tenebrae fieri per tres horas, id est a sexta ad nonam, siquidem eclipsis Solis diu durare non potest, praesertim si plena sit eclipsis, ut Solem totum abscondat, et ejus obscuritas tenebrae dici possint. Luna enim celerius movetur quam Sol, secundum motum sibi proprium; ac per hoc non nisi brevissimo tempore totum Solem obumbrat; statim enim recedere incipiens, liberum Solem relinquit, ut possit terram fulgore solito illuminare. Denique numquam accidere potest, ut ob conjunctionem cum Luna, Sol universam terram in tenebris relinquat. Luna enim minor est quam sit Sol, et quam sit etiam terra, proinde non potest interpositione sui corporis Luna Solem ita tegere, ut universa terra in tenebris relinquatur. Quod si quis dixerit, Evangelistas loqui de universa terra Palaestinae, non de universa terra absolute, ista sententia facile refelli potest testimonio S. Dionysii Areopagitae, qui in epistola ad Sanctum Polycarpum, testatur se vidisse defectionem illam Solis et tenebras horribiles in civitate Heliopoli quae est in Aegypto. Et Phlegon Historicus Graecus et Gentilis meminit hujus deliquii, dicens: *Quarto anno ducentesimae secundae Olympiadis, magna et excellens inter omnes quae antea acciderant, defectio Solis est facta: dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus est ut stellae in caelo visae sint.* Iste autem Historicus non in Judaea scripsit: citans istum auctorem Origines contra Celsum, (*Lib.* 2.) et Eusebius in Chronico ad annum Christi trigesimum tertium. Idem testatur Lucianus Martyr, dicens: *Perquirite in annalibus vestris, et invenietis temporibus Pilati fugato Sole interruptum tenebris diem.* Refert haec sancti, Luciani (*Lib.* 9. *cap.* 6.) verba Ruffinus in Historia Ecclesiastica Eusebii, a se in linguam Latinam translata. Tertullianus quoque in Apologetico, et Paulus Orosius (*Apolog. Orof. lib.* 7. *cap.* 4.) in Historia sua: et omnes loquuntur de aliis mundi partibus, non ex sola Judaea. Sed hae controversiae non difficulter explicari possunt. Nam quod initio dicebatur de deliquio Solis, quod in novilunio, non in plenilunio accidere solet, verum est, quando naturale deliquium accidit. Sed in morte Christi deliquium fuit singulare et prodigiosum, quod ab eo solo fieri potuit, qui fecit Solem et Lunam, et caelum et terram. Scribit enim, S. Dionysius loco notato, a se et Apollophane visam circa meridiem insolito, eoque velocissimo cursu venisse ad Solem seque ei subjecisse, atque eo modo subjectam haesisse usque ad horam nonam, ac tum demum per eamdem viam ad locum suum ad partem Orientis rediisse. Et ad id, quod addebatur, non potuisse deliquium Solis ad tres horas ita permanere, ut toto illo tempore tenebrae super terram essent, responderi potest, id verum esse in deliquio naturali et consueto. Sed hoc deliquium non regebatur a legibus naturalibus, sed a volun-

tate Omnipotentis creatoris, qui sicut potuit Lunam deferre insolito more ab Oriente cursu velocissimo ad Solem, et post tres horas reducere ad locum suum in Oriente : sic etiam potuit efficere, ut sub Sole tres illas horas quasi immota duraret Luna ; ut neque lentius, neque celerius, quam Sol ipse, moveretur. Denique quod addebatur, non potuisse fieri ut deliquium Solis in universa terra conspiceretur, cum Luna sit minor quam terra, et minor etiam multo quam Sol, verissimum esse non dubitamus ex interpositione solius Lunae: sed quod Luna facere non potuit, fecit Creator Solis et Lunae, tantum non cooperando cum Sole in illustranda terra. Nihil enim res creatae facere possunt non adjuvante et cooperante Creatore : nam quod aliqui dicunt: per terras et densas nubes factum esse ut tenebrae fierent super omnem terram, verum esse non potest, cum ex testimonio veterum constet, tempore illius deliquii et illarum tenebrarum fulsisse stellas in caelo, siquidem densae nubes non solum obscurare possunt ac solent ipsum Solem, sed etiam Lunam, et stellas.

Cur autem voluerit Deus hoc signum tenebrarum existere in passione Christi, variae reddi solent causae ; sed duae sunt praecipuae. Prior ad demonstrandam excaecationem maximam populi Judaici : quam rationem S. Leo reddit in Sermone decimo de Passione Domini : quae caecitas adhuc durat, et durabit, juxta vaticinium Isaiae. (*Isai.* 60.) qui de principio Ecclesiae dicit : *Surge illumina-re Jerusalem, quia venit lumen tuum et gloria Domini super te orta est, quia ecce tenebrae operient terram, et caligo populos* : tenebrae videlicet densissimae operient terram Judaicam ; et caligo, quae levior est et facile dissipari potest, operiet populos Gentilium : posterior causa est, ad demonstrandum magnitudinem delicti Judaeorum, ut S. Hieronymus docet. (*Comment. in Matth.*) Antea siquidem homines mali persequebantur, et vexabant, atque occidebant homines bonos : nunc Deum ipsum humana carne indutum ausi sunt homines impii persequi, et in crucem agere. Antea cives cum civibus lites habebant, et ex litibus ad jurgia, ex jurgiis ad vulnera et caedes deveniebant: at nunc servi et mancipia adversus Regem hominum et Angelorum insurrexerunt, et cum cruci incredibili audacia affixerunt. Ideo mundus totus inhorruit ; et Sol ipse tantum facinus aversatus, radios suos subtraxit, et aerem totum tenebris horribilibus texit.

Veniamus nunc ad verba Domini : *Eli, Eli, lammasabacthani.* Verba sunt ex principio Psalmi vigesimi primi deprompta, *Deus meus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?* Illud enim, *respice in me*, quod est in medio versus, additum est a Septuaginta Interpretibus, et in ipso Hebraico textu non habentur verba nisi quae Dominus protulit. Illud unum est discriminis, quod verba Psalm. sunt omnia Hebraica, verba a Christo prolata sunt ex parte Syriaca, quali tunc lingua utebantur passim Hebraei : nam et verba illa *Talitha cumi*, puella surge, *et Ephpheta*, adaperire, et si qua sunt alia in Evangeliis, Syriaca sunt, non Hebraica. Queritur ergo Dominus, se a Deo derelictum, et queritur clamans voce magna. Utrumque breviter explicandum est. Derelictio Christi a Patre quinque modis intelligi potest, quorum unus tantum est verus. Siquidem quinque erant in Filio Dei conjunctiones, una naturalis et aeterna personae Patris cum persona Filii in essentia : altera nova, naturae divinae cum natura humana in persona Filii, sive quod idem recidit, personae divinae Filii cum natura humana. Tertia fuit unio gratiae et voluntatis, fuit enim Christus homo plenus gratiae et veritatis, et, (*Joan.* 1.) Quae placita erant Deo, faciebat semper, ut ipse testatur apud Joannem. (*Joan.* 8.) et de ipso Pater non semel dixit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* (*Matt.* 3. *et* 17.) Quarta fuit unio gloriae : vidit enim anima Christi Deum ab ipsa conceptione. Quinta fuit unio protectionis, de qua loquitur ipse, cum ait: *Qui me misit, mecum est. et non reliquit me solum.* (*Joan.* 8.) Prima unio est omnino inseparabilis et perpetua, quia est unio in essentia divina, de qua dicit ipse : *Ego et pater unum sumus*, (*Joan.* 10.) et ideo non dixit Christus, Pater meus, ut quid dereliquisti me? sed, *Deus meus, ut quid dereliquisti me*? Pater enim non dicitur Deus Filii, nisi post incarnationem, et ratione incarnationis. Altera quoque unio numquam dissoluta est, neque dissolvi potest ; quod enim semel assumpsit, numquam dimisit, nam Apostolus dicit : *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* (*Rom.* 8.) et Apostolus Petrus: *Christus passus est pro nobis.* (1. *Petr.* 2.) et *Christo passo in carne.* (1. *Petr.* 2.) Quae omnia demonstrant, non esse purum hominem, sed verum Dei Filium, et Dominum Christum, qui crucifixus est. Tertia unio pariter semper manet, et manebit, *mortuus est* enim *justus pro injustis*, ut loquitur S. Petrus : (1. *Petr.* 3.) nihil omnino profuisset nobis Christi mors, si unio gratiae dissoluta fuisset. Quarta unio disrumpi non potuerat, quia beatitudo animae amitti non potest, cum omnium bonorum aggregationem complectatur. Erat autem Christi anima secundum partem superiorem verebeata. Vides S. Thomam 3. p. q. 46. art. 8.

Restat igitur sola unio protectionis, quae ad breve tempus disrupta fuit, ut locum haberet oblatio sacrificii cruenti pro redemptione generis humani. Poterat quidem Deus Pater multis modis protegere Christum, et impedire passionem ejus, enim in oratione, quam habuit in horto, Christus dixit: *Pater omnia tibi possibilia sunt : transfer calicem hunc a me, sed non quod ego volo, sed quod tu.* (*Marc.* 14.) et ad Petrum : *An putas*, inquit, *quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum* ? (*Matth.* 26.) Poterat quoque ipse Christus, ut Deus, protegere carnem suam, ne pateretur, ideo enim dicit : *Nemo tollit* (*Joan.* 10.) animam meam *a me, sed ego pono eam a meipso*, quod multo ante Isaias (*Isa.* 53.) praedixit, cum ait: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Potuit denique anima Christi beata transmittere ad corpus domum impassibilitatis et incorruptionis : sed placuit Verbo, placuit Spiritui sancto, ad exequendum

commune decretum, permittere, ut vis humana in Christum ad tempus praevaleret: haec enim fuit illa hora, de qua Dominus dixit ad eos, qui venerant ad eum capiendum: *Haec est hora vestra, et potestas tenebrarum.* (*Luc.* 22.) Sic igitur Deus Filium dereliquit, quando permisit ut humana caro Filii sui absque ulla consolatione dolores acerbissimos pateretur. Porro clamans, voce magna Christus, hanc derelictionem manifestavit, ut omnes intelligerent magnitudinem pretii redemptionis, nam usque ad illam horam tam incredibili patientia, et tanta aequitate animi tulerat omnia, ut credi posset sensu carere. Non quaestus est de Judaeis, qui eum accusaverant; non de Pilato, qui sententiam mortis in eum tulerat; non de satellitibus, qui eum cruci affixerant: non ingemuit, non clamavit, non ullo signo dolorem manifestavit. Ut igitur, cum esset jam morti vicinus, intelligeret genus humanum, ac praecipue ut nos servi ejus non essemus ingrati tantae gratiae, et pretium redemptionis magni faceremus, voluit ut dolor passionis ejus publice innotesceret. Quare verba illa, *Deus meus, ut quid dereliquisti me?* non sunt verba accusantis, vel indignantis, vel conquerentis; sed, ut dixi, magnitudinem passionis jure optimo et opportunissimo tempore declarantis.

CAP. II.

De primo fructu verbi quarti.

Exposuimus breviter ea, quae ad verbum quartum secundum historiam pertinebant. Nunc ut fructus aliquos ex arbore crucis decerpamus, prima se offert illa consideratio, quod Christus exhaurire voluit calicem passionis plane totum usque ad ultimam guttam. Mansurus eratin cruce tribus horis, a sexta usque ad nonam. Mansit tribus horis, integris, plenis et superplenis: nam ante horam sextam cruci affixus fuit, et post nonam emisit spiritum. Id vero hac ratione persuaderi potest: nam deliquium Solis caepit hora sexta, ut tres Evangelistae docent, Matthaeus, (*Matt.* 27.) Marcus, et Lucas, et disertis verbis Marcus ait: *Et facta hora sexta, tenebrae factae sunt per totam terram usque in horam nonam.* Verba autem Domini tria dicta sunt in cruce ante initium tenebrarum, et antequam facta esset hora sexta: et quatuor verba postrema dicta sunt post tenebras, ac per hoc post horam nonam. Sed praeterea S. Marcus clarius rem totam explicat, cum dicit: *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum*, et postea subjungit: *Et facta hora sexta tenebrae factae sunt.* Cum autem dicit hora tertia Dominum fuisse crucifixum, significat, horam tertiam nondum fuisse completam, quando crucifixus est Dominus, ac per hoc horam sextam nondum fuisse inchoatam: numerat enim Sanctus Marcus horas principales, quae tres horas ordinarias continere solent. (*Matt.* 20.) Ad quem modum Paterfamilias vocavit operarios ad vineam, hora prima, tertia, sexta, nona, undecima, et nos horas Canonicas numeramus Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, et Vesperas, quae est undecima. Igitur apud. S. Marcum hora tertia crucifixus fuisse dicitur Dominus, quia nondum venerat hora sexta. Itaque calicem passionis bibere voluit Dominus in mensura plena et superefluente, ut nos doceret amare calicem amarum poenitentiae et laborum, non amare calicem consolationum et deliciarum saecularium Nos ex lege carnis et mundi, optamus exiguas poenitentias, et magnas indulgentias: parum laboris, et multum consolationis: brevem orationem, et longam consolationem. Sed vere nescimus quid petamus: nam ut Apostolus admonet Corinthios, *unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum labrum.* (1. *Cor.* 3.) et *non coronatur, nisi qui legitime certaverit.* (2. *Tim.* 2.) Certe felicitas sempiterna digna fuisset sempiterno labore; sed quia si labor sempiternum necessarius esset ad felicitatem sempiternam numquam perveniremus; ideo pius Dominus contentus fuit, ut in hac solum vita, quae fugit velut umbra, pro viribus in operibus bonis et in obsequio ipsius Domini laboremus: proinde sine corde sunt, sine mente, sine consilio, non tam pueri quam infantes, qui brevem hanc vitam otiando, vel quod est multo deterius, graviter peccando, atque Deum ad iram provocando, consumunt: nam si *oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam*: (*Luc.* 24.) quo pacto nos ludendo, et tempus in oblectanda carne amittendo intrabimus in gloriam alienam? si Evangelium valde esset obscurum, et non posset sine magno labore intelligi excusationem forsitan aliquam haberemus: at Evangelium ab illo, qui edidit, exemplo vitae propriae clarissime declaratum est, ut caecis etiam patere queat. Neque solum ab ipso Christo explicatum illud habemus: sed tot commentaria, quae ad sensum parent, clarissima extant, quod sunt Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, Sancti denique, quorum per singulos fere dies praeconia et triumphos celebramus. Omnes enim isti clamant, non per multas oblectationes, sed *per multas tribulationes* oportere *nos intrare in Regnum caelorum.* (*Actor.* 14.)

CAP. III.

De secundo fructu verbi quarti.

Alter fructus, isque valde pretiosus, colligi potest ex consideratione silentii Christi in tribus illis horis, quae fluxerunt ab hora sexta usque ad nonam. Quid enim, quaeso te, anima mea, fecit Dominus tuus in illis tribus horis? horror et tenebrae mundum involverant universum; et Dominus tuus non in lecto molli quiescebat, sed in cruce nudus, doloribus plenus, sine ullo consolatore pendebat. Tu, Domine, qui solus hoc nosti, doce servulos tuos ut intelligant quantum tibi debeant, et saltem piis lacrymis compatiantur tibi, et discant in hoc exilio pro amore tuo aliquando, si tibi placitum fuerit, omni consolatione carere. Ego, fili, numquam in toto vitae meae mortalis decursu, qui nihil fuit nisi labor, et dolor, majores angustias expertus sum, quam in illo trium horarum decursu: neque umquam libentius dolores pertuli,

quam in illo eodem spatio temporis. Tunc enim ex lassitudine corporis semper magis ac vulnera dilatabantur, et doloris acerbitas augebatur. Tunc ex ispa Solis absentia frigus aeris auctum, corpori meo ab omni parte nudo dolorem augebat. Tunc ipsae tenebrae, quae conspectum caeli, et terrae, et rerum ceterarum adferebant, cogebant quodammodo animam, ut sola corporis sui tormenta cogitaret: ita ex hac parte tres illae horae tres mihi anni esse videbantur. Sed quoniam desiderium, quo pectus meum ardebat honoris paterni, et obedientiae ejus adimplendae, et salutis animarum vestrarum procurandae, tale erat, ut quo magis dolor corporis augebatur, eo magis ignis ille desiderii mitigaretur: videbantur mihi tres horae illae tria parva momenta temporis prae amoris patiendi magnitudine. O piissime Domine, si res ita se habet, valde ingrati sumus, quibus grave est unam horulam in istis tuis doloribus cogitandis insumere, cum tibi grave non fuerit, tribus horis integris cum tenebrarum horrore, in frigore et nuditate, in ardentissima siti, in cruciatibus acerbissimis pro salute nostra procuranda in cruce pendere. Sed, quaeso te, amator hominum, responde mihi utrum dolorum vehementia facere potuerit, ut illo tam longo trium horarum silentio, cor tuum ab oratione cessaverit. Nos enim cum in tribulatione versamur, praesertim si membra corporis aeri dolore pungantur, non sine magno labore animum ad orandum applicare valemus. Non ita ego, fili, sed in carne infirma spiritum promptum ad orationem gerebam. Immo totas illas tres horas, in quibus nihil per linguam locutus sum, cordis ore ad patrem pro vobis orando et clamando consumpsi. Neque solum orabam corde sed etiam vulnera et sanguine. Quot erant in corpore meo vulnera, erant autem plurima, tot erant ora clamantia pro vobis ad Patrem; et quot erant sanguinis guttae, tot erant linguae petentes et postulantes misericordiam vobis ab eodem Patre meo, et vestro. Nunc vero, Domine, plane confundis impatientiam servi tui, qui si forte labore fatigatus, vel dolore gravatus ad orandum eccedat, vix potest mentem ad Deum attollere ut pro se oret; vel si per gratiam tuam attollat, non potest diu attentionem continuare, quin mentem ad laborem vel dolorem suum reflectat. Miserere igitur, Domine, servi tui secundum magnam misericordiam tuam, ut tam magno proposito exemplo patientiae tuae, discat vestigia tua sequi, et perexiguas molestias suas saltem in orationem contemnere

CAP. IV.

De tertio fructu verbi quarti.

Cum Dominus in cruce clamans dixit, *Deus meus, ut quid dereliquisti me*? non ideo dixit, quod revera nesciret, cur eum Deus dereliquisset. Quid enim nesciret, qui omnia novit? sic enim Apostolus Petrus respondit Domino quaerenti: *Simon Joannis amas me*? *Domine*, inquit, *tu omnia nosti, tu scis quia amo te* (*Joan.* 21.) et Apostolus Paulus de Christo loquens addit: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae.* (*Col.* 2.) Non igitur quaesivit ut disceret, sed ut nos ad quaerendum hortaretur, et ut quaerendo et inveniendo, multa nobis utilia, vel etiam necessaria disceremus. Cur igitur Deus Filium suum in laboribus, et doloribus acerbissimis dereliquit: Quinque mihi occurrunt causae, quas in medium adducam, ut sapientioribus occasionem praebeam meliora et utiliora investigandi.

Prima igitur mihi esse videtur magnitudo et multitudo offensionum generis humani in Deum, quas Filius in suo corpore expiandas suscepit, *Peccata nostra*, inquit sanctus Petrus, *ipse pertulit in corpore suo super lignum; ut peccatis mortui, justitiae vivamus, cujus livore sanati estis.* (*1. Petr.* 2.) Porro magnitudo offensionis, quam Christus passione sua delendam suscepit, est quidem aliquo modo infinitae dignitatis et excellentiae, quae fuit offensa: sed etiam persona satisfacientis, quae est Filius Dei, est etiam infinitae dignitatis et excellentiae, ac per hoc quaelibet poena a Filio Dei sponte suscepta, etiamsi una tantum fuisset sanguinis gutta, satis esse potuisset ad satisfactionem. Atque hoc quidem verum est, sed ut copiosa esset redemptio, et quia non unica fuit offensio, sed prope innumerabiles; non enim solius Adae peccatum primum, sed omnium hominum super se accepit Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, ideo placuit Deo, ut poenas innumerabiles, easque gravissimas, Filius ejus portaret, atque hoc in illa derelictione significatur, de qua Filius ad Patrem dicit: *Quare dereliquisti me*? Altera causa fuit, magnitudo et multitudo poenarum gehennae, quam ut nobis notam faceret, voluit eam Filius Dei tam ingenti poenarum suarum imbre restinguere. Quanta sint autem gehennae incendia, docet Isaias Propheta cum ea dicet esse plane intolerabilia, cum ait: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante*? *quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis*? (*Matth.* 12) Gratias igitur ex toto corde agamus Deo qui derelinquere voluit Filium suum unigenitum in doloribus maximis ad tempus, ut nos liberaret ab ardoribus sempiternis. Gratias quoque Agno Dei ex intimo corde reddamus, qui derelinqui maluit a Deo sub gladio jugulante, quam ut relinqueret ille nos sub dentibus bestiae infernalis, quae semper rodit, et numquam rodendo satiatur. Tertia causa est magnitudo pretii gratiae divinae, quae est illa margarita pretiosa, (*Matth.* 13.) quam mercator sapientissimus Christus, venditis omnibus, quae habebat, emit, nobisque restituit. Gratia Dei, quae nobis in Adamo data fuerat, et quam Adamo peccante perdidimus, tam pretiosa margarita erat, ut et mirifice nos ornaret, et Deo gratissimos redderet, et pignus esset felicitatis aeternae. Hanc margaritam, quae summa erat divitiarum nostrarum, serpentis astutia nobis ademptam, nemo erat, qui recuperare posset, nisi Filius Dei, qui sapientia sua vincit malitiam diaboli; sed cum gravissimo incommodo suo, exponens ipse se laboribus, et doloribus plurimis, vicit pietas Filii, qui se itineri laboriosissimo ac molestissimae peregrinationi commisit, ut margaritam il-

lam nobis recuperaret. Quarta causa fuit magnitudo eminentissima Regni caelorum, ad quod nobis aditum immensis laboribus et doloribus suis aperuit Filius Dei, de quo Ecclesia gratissimo animo canit: *Tu devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus Regna caelorum.* Atque ut mortis aculeum vinceret, opus illi fuit durissimo praelio cum morte luctari : in quo praelio Pater cum dereliquit, ut gloriosius triumpharet. Quinta causa fuit amor ingens, quo Patrem Filius prosequebatur. Optabat enim, ut in redemptione mundi, et abolitione peccati, honori Patris aeterni copiosissime et cumulatissima satisficret. Id vero fieri non poterat, nisi Pater Filium derelinqueret. id est, pati sineret tormenta omnia, quae a diabolo excogitari, et ab homine tolerari, queunt. Si quis igitur quaerat, ut quid Deus Filium in cruce extrema quaeque patientem dereliquit? responderi poterit, ut appareat magnitudo peccati, magnitudo gehennae, magnitudo gratiae divinae, magnitudo vitae aeternae, et magnitudo charitatis Filii Dei erga Patrem suum. Ex quibus causis alia quoque solvitur quaestio, (*Vide Ruffinum Hist Eccles. cap.* 36.) cur videlicet multis Martyribus Deus sic admiscuit calicem passionis cum ingenti copia spiritualium consolationum, ut Martyres illi maluerint calicem passionis cum admistiones illarum consolationum. quam sine illis consolationibus carere calice passionis: et Filium suum dilectissimum permiserit sine ulla consolatione calicem amarissimum usque ad faeces, ut sic loquar, exhaurire. Hujus enim rei ratio est, quia in sanctis Martyribus nulla earum causarum locum habebat, quas in passione Christi enumeravimus.

CAP. V.

De quarto fructu verbi quarti.

Addi potest etiam alius fructus, non tam ex ipso quarto verbo, quam ex circumstantia temporis in quo dictum est, videlicet ex horrendis tenebris, quae verbum illud proxime praecesserunt. Siquidem tenebrae illae aptissimae sunt ad gentem Hebraeorum illuminandam, et ad Christianos ipos in vera fide confirmandos, si advim demonstrationis, quam ex tenebris illis deductam nunc proponemus, animum serio applicare velint. Demostratio ex quatuor veritatibus nullo negotio colligi potest.

Prima veritas est, Christo crucifixo Solem obscuratum esse plane totum, ut stellae in caelo conspicerentur, ut noctu conspici solent. Haec veritas quinque testibus fide dignissimis, et qui diversarum erant nationum, et diversis temporibus, et in locis diversis erant, cum scriberent libros suos, ut non potuerint ex collatione vel conversione inter se facta scribere. Primus est sanctus Matthaeus, (*Matth.* 27.) Hebraeus, qui in Judaea scripsit, et unus ex illis est, qui Solem obscuratum viderunt. Et certe hic vir gravis et prudens, numquam hoc in Judaea, et, ut credibile est, in ipsa civitate Jerosolyma, scripsisset, si verum non esset quod scripsit. Quoniam alioqui potuisset ab omnibus illius civitatis et regionis incolis reprehendi et derideri, quasi scripsisset, quae omnes scirent esse falsissima. Alter testis est sanctus. (*Marc.* 15.) qui Romae scripsit, et ipse quoque eclipsim illam vidit, quia tunc in Judea erat cum aliis discipulis Domini. Tertius est sanctus Lucas. (*Luc.* 23.) qui Graecus erat, et in Graecia scripsit, et ipse quoque vidit eclipsim Antiochiae in patria sua. Nam cum eam viderit Heliopoli in Aegypto sanctus Dionisius Areopagita, facilius eam videre potuit sanctus Lucas ex Antiochia, quae vicinior est Jerosolymae, quam Heliopolis. Quartus testis, et quintus, sunt Dionysius et Apollophandes, qui Graeci erant, et eo tempore gentiles: et disertis verbis testantur, eam eclipsim a se visam et consideratam cum summa admiratione. Hi sunt quinque testes, qui de visu proprio testantur. His accedunt annales Romanorum veterum, et Phelegon chronographus Adriani Imperatoris, ut supra monuimus in primo capite. Itaque prima veritas nullo modo sine ingenti temeritate negari potest a Judaeis, vel a paganis. Nam apud Christianos veritas haec ad Fidem Catholicam pertinet.

Altera veritas est, praedictam eclipsim non potuisse fieri, nisi per omnipotentiam Dei ; ac per hoc non a daemonibus ullo modo, vel ab hominibus auxilio daemonum procurari potuisse ; sed de speciali providentia et voluntate Dei creatoris et gubernatoris mundi esse profectum. Haec veritas hac ratione demonstratur: nam Sol non potest deficere, nisi uno ex tribus modis : vel per interpositionem Lunae inter Solem, et terram; vel per ingentem et densissimam aliquam nubem ; vel per radiorum Solis retractionem, sive extinctionem, Primo modo non potuit naturaliter illa interpositio fieri, quia cum tunc esset pascha Judaeorum. Luna inveniebatur opposita Soli ; proinde necesse fuit, vel sine interpositione Lunae illam eclipsim fieri, vel inusitato et maximo miraculo, Lunam paucis horis iter fecisse quod quatuordecim diebus factura erat. ac deinde simili miraculo retrocessisse tanta velocitate. ut spatio trium horarum conficeret sursum iter dierum quatuordecim. Illa autem, quae ad caelestes orbes pertinent, extra controversiam est, non posse fieri, nisi a Deo: neque enim daemones ullam potestatem habent nisi infra Lunam. Ideo enim Apostolus daemonem appellat *Principem potestatis aeris:* (*Eph.*) Secundo modo non potuit fieri deliquium illud Solis, quoniam ut supra diximus. nubes densa et crassa non potest eripere nobis adspectum Solis, nisi etiam auferat aspectum stellarum: constat autem ex testimonio Phlegontis, deficiente Sole in passione Christi, visas fuisse stellas in caelo, eo plane modo, quo videntur in noctibus. Tertio denique modo notissimum est, non posse Solis radios retrahi, vel extingui, nisi a Deo, qui Solem creavit. Igitur secunda veritas non minus certa est quam prima neque minori temeritate potest negari quam prima.

Tertia veritas est, tenebras illas, de quibus nunc agimus, Christi crucifixi causa exortas, atque a divina providentia procuratas fuisse. Haec veritas ex eo demonstrari potest, quod tenebrae illae tamdiu perseveraverunt in aere, quamdiu Christus Dominus vivus pependit in cruce: id est, ab hora sexta

usque ad nonam. Id attestantur quotquot hujus deliquii meminerunt. Neque casu fieri potuit, ut tenebrae plenae miraculis cum Christi passione coinciderent. Quae enim miraculo fiunt, non casu sed divina providentia fiunt. Neque ullu auctor est, ego sciam, qui aliam causam hujus tam admirandi deliquii assignare potuerit. Qui enim Christum noverunt, ejus causa deliquium illud factum esse confessi sunt: qui Christum non noverunt, ignorantiam suam fassi admirantes permanserunt.

Quarta veritas est, tenebras illas tam prodigiosas nihil aliud indicare potuisse, nisi sententiam Caiphae et Pilati injustissimam fuisse, et Jesum esse verum et proprium Filium Dei, verissimumque Messiam Judaeis promissum. Haec enim potissima causa fuit, cur Judaei Christum ad necem postulaverint. Nam in Consilio Pontificum et Sacerdotum, Scribarum, et Pharisaeorum, cum viderent Pontifex testimonia adversus Christum nihil probare; surrexit, et ait: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei.* (*Matth.* 26.) Consentiente autem Domino, et confitente se esse, *scidit vestimenta sua* Pontifex *dicens: Blasphemavit: quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam: quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis.* Ac deinde coram Pilato, qui Dominum liberare a morte cupiebat, Pontifices et ministri dixerunt: *Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit.* (*Joan.* 19.) Haec igitur potissima causa fuerit, quod praedictum fuit a Daniele Propheta dicente: *Occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* (*Daniel.* 9.) Atque haec ipsa causa fuit, cur Deus in passione Domini horrendas illas tenebras in mundum effuderit, ut apertissime testaretur, erravisse Pontifices, erravisse populum, erravisse Pilatum, erravisse Herodem: et illum, qui pendebat in cruce, esse verum Filium suum, et Messiam promissum. Quod ipsum Centurio, animadversis caelestibus signis, clamavit: *Vere Filius Dei erat iste.* (*Matth.* 27.) et rursum: *Vere hic homo justus erat.* (*Luc.* 23.) Cognovit enim Centurio signa illa caelestia esse quasi vocem Dei retractantis sententiam Caiphae et Pilati, et affirmantis, hominem illum contra omne jus morti traditum fuisse, cum sit auctor vitae, verus Dei Filius, et Christus in lege promissus. Quid enim significare potuit Deus tenebris illis, addita scissione petrarum, et veli Sanctuarii, nisi aversum se jam esse a populo quondam suo, et iratum iracundia maxima, propterea quod non cognoverit tempus visitationis suae, ut Dominus illis manifeste praedixit apud Lucam. (*Luc.* 16.)

Certe si Judaei ista considerarent, et simul animadverterent, se ab illo tempore dispersos esse inter varias nationes et neque Reges habere, neque sacrificia, neque miracula divina, neque responsa Prophetarum; plane intelligerent, se a Deo derelictos: et quod est longe miserius datos esse in reprobum sensum, et non impleri in eis, quae Isaias futurum praedixit, cum Dominum dicentem introduxit: *Vade, et dices populo huic: Audite audientes, et nolite intelligere: et videte visionem, et nolite cognoscere. Excaeca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude: ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.* (*Isai.* 6.)

CAP. VI.

De quinto fructu verbi quarti.

In primis tribus verbis commendavit nobis magister noster Christus tres eximias virtutes, charitatem ad inimicos, misericordiam ad miseros, et pietatem ad parentes. In quatuor sequentibus verbis commendat virtutes quatuor, non quidem excellentiores, sed nobis non minus necessari necessarias; humilitatem, patientiam, perseverantiam, et obedientiam. Et quidem humilitatem, quae proprie virtus Christi dici potest, cum ejus nulla fiat mentio in scriptis sapientium hujus mundi, in toto vitae suae decursu re ipsa et factis ostendit: sed praeterea disertis verbis ejus virtutis se magistrum professus est, cum ait: *Discedite a me quia mitis sum, et humilis corde.* (*Matth.* 11.) Sed nunquam clarius hanc virtutem, et simul etiam patientiam, quae separari ab humilitate non potest, nobis commendavit, quam ait: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* his enim verbis Christus ostendit, permittente Deo, omnem suam gloriam et excellentiam in conspectu hominum obscuratam quod ipsum etiam tenebrae illae demonstrabant. Non potuit autem Dominus sine eximia humilitate et patientia obscurationem ejusmodi tolerare.

Gloria Christi, de qua loquitur sanctus Joannes in principio Evangelii, cum ait: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigenti a Patre, plenum gratiae, et veritatis.* (*Joan.* 1.) posita erat in potentia, sapientia, probitate, majestate regia, beatitudine animae et dignitate divina, quam habuit, ut verus et naturalis Filius Dei. Haec omnia passio obscuravit: et hanc obscurationem illa verba significant, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Potentiam passio obscuravit, quia cruci affixus nihil omnino posse videbatur; et ideo Principes Sacerdotum, et milites, et ipse etiam latro exprobrabant illi impotentiam dicentes: *Si filius Dei es, descende de cruce.* (*Matt.* 27.) et, *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Quanta patientia, quanta humilitas necessaria fuit, ut nihil ad ista responderet, is, qui vere erat omnipotens? Sapientiam passio obscuravit, quando coram Principibus Sacerdotum, coram Herode, coram Pilato ad multas interrogationes, quasi consilii omnis expers, nihil respondebat: (*Luc.* 23.) ex quo factum est, ut cum Herodes indutum veste alba spreverit, et exercitus ejus. Quanta humilitas, quanta patientia necessaria erat ad ista toleranda ei, qui, non solum Salomone sapientior, sed ipsa Dei sapientia erat? Probitatem vitae passio obscuravit, cum in medio latronum cruci affixus penderet, quasi seductor populorum et Regni alieni usurpator esset. Atque hanc innocentiae gloriam magis adhuc obscurare videbatur, dicens: *Cur me de-*

reliquisti ? Deus enim non probos viros, sed improbos derelinquere solet. Certe superbi omnes valde cavent, ne aliquid dicant, unde possint, qui audiunt suspicari, indignitatem aliquam suam eos ipsos confiteri. Sed humiles et patientes, quorum Rex Christus fuit, libentes occasionem omnem arripiunt humilitatis et patientiae, modo nihil falsi dicant. Quanta igitur humilitas, quanta patientia necessaria fuit ad ista toleranda illi, de quo Apostolus dicit : *Talis decebat ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior caelis factus ?* (*Hebr.* 7.) Porro regiam majestatem passio sic obscuravit, ut pro diademate aureo spineam coronam, pro sceptro arundinem, pro tribunali patibulum, pro regio comitatu duos illi latrones adjunxerit. Quanta igitur humilitas, quanta patientia necessaria fuit illi, qui vere erat Rex regum et Dominus dominantium, et Princeps regum terrae ? Quid jam dicam de beatitudine animae, quam vere Christus habuit ab ipsa sua conceptione, et quam potuisset, si voluisset, in corpus etiam transfundere ? quam vehementer gloriam istam passio obscuravit, cum eum fecerit *despectum, et novissimum virorum virum dolorum et scientem infirmitatem*, (*Isai.* 53.) juxta Isaiam, et cum ipse clamet prae magnitudine passionis *Deus meus ut quid dereliquisti me ?* Denique celsissimam divinae personae dignitatem passio sic obscuravit, ut qui supra omnes, non homines tantum, sed etiam Angelos sedet, propter passionem dicat : *Ego autem sum vermis, et non homo : opprobrium hominum et abjectio plebis* (*Psal.* 21.)

Ad hunc igitur locum novissimum Christus in passione descendit : sed haec discensio non sine ingenti merito et exaltatione fuit. Quod enim idem Dominus verbo saepissime promisit, dicens : *Omnis qui se humiliat, exaltabitur.* (*Matth.* 23.) in ipsius persona impletum fuisset, Apostolus testatur, cum ait : *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen ; ut in nomine Jesu omne genuflectatur, caelestium, terrestrium, et infernorum.* (*Phil.* 2.) Ita qui fuit novissimus, declaratus est primus ; et humiliatio brevissima et quasi momentanea fuit, sed exaltatio sempiterna. Quod idem videmus accidisse Apostolis et Sanctis omnibus, nam Apostolos, scribit B. Paulus, fuisse *tamquam purgamenta hujus mundi, et omnium peripsema,* (1. *Corinth.* 4.) id est res vilissimas, quae ab omnibus projiciuntur et conculcantur, haec fuit humilitas Apostolorum. Sed quae exaltatio ? (*Hom.* 32. *in Epist. ad Rom.*) Sanctus Joannes Chrysostomus docet, cum ait, Apostolos nunc caelo prope ipsum thronum Dei assistere, ubi Cherubim Deum glorificant, ubi Seraphim volant : id est, cum primis Principibus Regni caelorum locum tenere, a quo loco numquam excident. Certe si homines attente considerarent, quam honorificum sit humilitatem Filii Dei hic in terris imitari ; et simul aliquo modo suspicari possent, quanta sit exaltatio, ad quam humilitas ipsa perducit, paucos omnino superbos inveniremus ; sed quia sensibus carnis et humana cogitatione plerique omnia metiuntur, ideo mirum non est, si rara sit humilitas in terris, et superborum infinitus sit numerus.

CAP. VII.

De verbo quinto, Sitio, *ad litteram.*

Sequitur verbum quintum, quod habetur, apud sanctum Joannem, et est, vere verbum unum, videlicet, *Sitio* Sed ut intelligatur, necesse est addere verba Evangelistae praecedentia et sequentia : sic igitur loquitur sanctus Joannes ; *Postea sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit ; Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus.* (*Joan.* 19.) Quorum verborum haec sententia est : Dominus noster adimplere voluit omnia, quae de vita et morte ejus Prophetae, Spiritu sancto pleni, praenoverant et praedixerant, et quoniam, omnibus aliis adimpletis, adhuc unum restabat, ut acetum in siti sua gustaret, juxta illud Psalmi sexagesimi octavi, *In siti mea potaverunt me aceto*, dixit clara voce *Sitio* : et qui astabant, obtulerunt ori ejus spongiam aceto plenam, et calamo impositam. Dominus igitur noster dixit, *Sitio* ut impleretur Scriptura. Et quare ut impleretur Scriptura ? cur non potius dixit, *Sitio*, quia revera sitiebat, et restinguere sitim cupiebat ? non enim Propheta praedixerat, ad hoc ut fieret, quod praedixit ; sed ideo praedixerat, quia praeviderat futurum ; et futurum praedixerat, quia res vere futura erat, etiamsi non praevideretur. Itaque praevisio et praedictio non est causa rei futurae ; sed res futura causa est cur possit praevideri vel praedici Magnum hoc loco mysterium aperitur. Vere enim Dominus siti gravissima laboravit a principio crucifixionis, et ea sitis crevit semper magis ac magis, ita ut unum fuerit, ex majoribus tormentis, quae Dominus in cruce pertulit. Siquidem emissio magnae copiae sanguinis exsiccat, et sitim provocat. Novi ego personam quae multis effecta vulneribus, ex quibus ingens copia sanguinis fluxerat, nihil nisi potum desiderabat ; quasi nihil nisi mali pateretur praeter ardentissimam sitim. Idem legitur in vita sancti Emmerammi martyris : (*Vide Surium ad diem* 22. *Septemb.*) qui ligatus ad palum, et plurimis vulneribus acceptis, de siti tantummodo querebatur. Christus igitur, qui post longam defatigationem multum sanguinis in flagellatione fuderat : et postea crucifixus quatuor quasi fontes in corpore suo patentes gerebat, ex quibus ingens sanguinis copia longo jam tempore fluxerat ; quomodo fieri potest, ut non siti ardentissima cruciaretur ? Et tamen longum hunc cruciatum per tres horas silentio presserat, et potuisset etiam premere usque ad mortem, quae jam tunc erat in januis. Cur igitur tanto tempore silentio texit cruciatum tam immanem, et jam jam moriturus illum manifestans dicit, *Sitio* ; nisi quia voluntas Dei erat, ut nos omnes novum hoc tormenti genus Christo non desuisse sciremus ? Et ideo idem Pater caelestis

a Propheta praedici voluit in persona Christi ; et ipsi Domino Jesu Christo inspiravit, ut ad exemplum patientiae fidelibus suis notum faceret hunc novum et acerbissimum cruciatum. Dixit ergo, *Sitio*, id est, deficit jam in carne mea humor omnis: aruerunt venae, aruit lingua, aruit palatum, aruerunt fauces, aruerunt interiora omnia : si quis me refocillare cupit, potum offerat.

Audiamus nunc quem potum illi obtulerint, qui cruci astabant. *Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus.* O consolationem ! o refrigerium ! Erat ibi vas aceto plenum, quod noxium est vulneribus, et mortem accelerare solet, atque ea de causa ibi conservabatur, ut mortem cruci affixis acceleraret. Certe sanctus Cyrillus ad hunc locum ita scripit: *Pro juvante et jucundo potu, nocentem et acerbum obtulerunt.* (*Lib.* 22. *cap.* 35. *in Joan.*) Et hoc ideo credibilius redditur, quod sanctus Lucas scribat in Evangelio: *Illudebat autem ei et milites ac cedentes, et acetum offerentes ei.* (*Luc.* 23.) et quamvis hoc scribat sanctus Lucas de Christo recens cruci affixo ; tamen credibile est, illos ipsos milites, cum audiverunt clamantem, *Sitio*, tunc acetum per spongiam et calamum dedisse, quod antea illudentes obtulerant. Summa est, ut initio paulo ante cruci affixionem, obtulerunt vinum felle mistum ; sic in exitu vitae acetum noxium vulneribus obtulerunt, (*Matt.* 27.) ut a principio usque ad finem tota Christi passio fuerit simplex et vera passio, nulla consolatione admixta (*Joan.* 19.)

CAP. VIII.

De primo fructu verbi quinti.

Scripturae Testamenti veteris plerumque per Scripturas Testamenti novi declarari solent : sed in hoc mysterio de siti Domini, verba Psalmi sexagesimi octavi haberi possunt pro commentario Evangelii. Siquidem in Evangelio non aperte declaratur, an qui obtulerunt acetum Domino sitienti, id fecerint ut ei gratificarentur, an ut eum magis affligerent, id est, ex amore, vel odio. Nos cum sancto Cyrillo in malam partem accipimus, factum illorum, qui Domino sitienti acetum propinaverunt. Sed verba Psalmi apertiora sunt, quam ut explicatione indigeant : atque ex eis hunc fructum colligemus, ut discamus sitire cum Christo, quae vere et salubriter sitienda sunt. Haec verba Prophetae, *Sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit, et qui consolaretur, et non inveni, et dederunt in escam meam fel, sed et in siti mea potaverunt me aceto.* (*Psal.* 68.) Itaque qui dederunt Christo Domino, paulo antequam crucifigeretur, vinum cum felle mixtum ; et qui crucifixo Domino acetum obtulerunt, de illis erant, de quibus queritur, dicens : *Sustinui qui simul contristaretur : et non fuit, et qui consolaretur, et non inveni.*

Si posset aliquis quaerere ; An non beatissima Virgo Mater Domini, et soror matris ejus Maria Cleophae, et Maria Magdalena cum Apostolo Joanne, stantes juxta crucem vere et ex corde simul contristaretur ? (*Luc.* 23.) An non etiam mulieres illae, sequebantur Dominum ad montem Calvariae plangentes eum, vere, simul cum eo contristabantur ? denique, nonne Apostoli omnes passionis tempore tristabantur, cum eis Christus ipse praedixisset. *Quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit ?* (*Joan.* 16.) Omnino contristabantur : sed non simul cum Domino contristantur; quia non eadem erat tristitiae causa vel ratio in Christo, et in aliis. Dominus enim ait : *Sustinui qui simul contristaretur, et non fuit : et qui consolaretur, et non inveni.* (*Psal.* 68. Illi tristabantur de passione et morte Christi corporali : ille non de hac re tristabatur, nisi ad breve tempus in horto, ut se vere hominem demonstrare : immo dicebat : *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar.* (*Luc.* 22.) et alio loco : *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem.* (*Joan.* 14.) Quaenam igitur erat causa tristitiae Domino, in qua simul contristantes non invenit ? perditio animarum, pro quibus patiebatur. Et quae erat causa consolationis, in qua consolantem non invenit, nisi salus animarum ; quam sitiebat ? Hanc unam consolationem quaerebat, hanc optabat, hanc esuriebat, sed datum est ei fel in escam, et acetum in potum. Fellis enim amaritudo peccata significat, quibus nihil est amarius ei, qui sensum gustandi habeat non infectum vel depravatum: aceti vero acrimonia vel acerbitas, obstinationem significat in peccato : proinde merito Christus tristabatur quia videbat, pro uno latrone converso, non solum alterum latronem in obstinatione mansisse, sed multos alios item obstinatos manere : et ex Apostolis ipsis omnes fere scandalum passos, Petrum negasse, Judam desperasse.

Si quis igitur velit Christum in cruce esurientem, et sitientem, et inde valde contristatum et dolentem consolari, atque reficere, primum ipse, se offerat vere poenitentem, et peccata propria detestantem; deinde simul cum Christo tristitiam magnam in corde suo concipiat, quod tanta animarum multitudo quotidie pereat, cum tam facile possent omnes homines salvari, si redemptionis pretio uti vellent. Vere Apostolus Paulus unus erat ex iis, qui cum Christo tristabantur, cum ait in Epistola ad Romanos : *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto : quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem ; qui sunt Israelitae, quorum ademptio est filiorum.* ec. (*Rom.* 9.) Non poterat Apostolus magis amplificare desiderium suum erga salutem animarum, quam illa exaggeratione. *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo.* Significat enim ex sententia sancti Joannis Chrysostomi de Compunctione cordis; et in Epist. ad Romanos. (*Lib.* 1.) se adeo vehementer tristari de damnatione Judeorum, ut si fieri posset, cuperet ipse separari a Christo, propter Christum; non quidem a charitate Christi separari cupiebat, de qua dixerat paulo ante : *Quis nos separabit a charitate Chri-*

sti? (*Rom.* 8.) sed a gloria Christi, malens ipse gloria caelesti privari, quam ut Christus privaretur tanto fructu passionis suae, quantus appareret in conversione multorum millium Judeorum. Iste igitur vere tristabatur cum Christo, et consolabatur dolorem Christi sed paucos habet hoc tempore imitatores. Primum enim Pastores animarum non pauci magis tristantur, si proventus Ecclesiae suae diminui aut etiam perire videant, quam si multus animarum numerus ex ipsorum absentia vel negligentia pereat. *Patientius*, inquit sanctus Bernardus de Episcopis loquens, *ferimus Christi jacturam, quam nostram. Quotidianas expensas quotidiano reciprocamus scrutinio, et continua Dominici gregis detrimenta nescimus.* (*Lib.* 4. *de Confid. cap.* 9.) Non satis esse debet Praelato, si ipse pie vivat, et Christi virtutes privatim imitari satagat, nisi etiam subditos suos, vel potius filios suos, pios efficiat, et per Christi vestigia ad vitam aeternam ducat; proinde si Christo compati, et cum illo tristari, eiusque dolores consolari cupiunt, vigilent super gregem suum, non deferant oviculas suas, verbo dirigant, exemplo praecedant.

Sed etiam de privatis hominibus jure queri potest. Christus, quod cum illo non contristentur, neque dolorem suum consolentur. Et si cum in cruce pendebat, merito querebatur de perfidia et obstinatione Iudaeorum, a quibus videbat tantum suum laborem doloremque contemni, et tam pretiosam medicinam sanguinis sui tamquam a phreneticis respui: quid nunc dicere potest, cum non jam de cruce, sed de caelo videat, ab his, qui in eum credunt, aut credere se dicunt, nihil fieri passionem suam sacrum sanguinem conculcari; et nihil nisi fel et acetum sibi offerri, id est, sine consideratione divini judicii, et sine metu gehennae multiplicari peccata? *Gaudium est in caelo super uno peccatore paenitentiam agente*; (*Luc.* 15.) sed si paulo post ille, qui per fidem et Baptismum natus videbatur in Christo, et qui per poenitentiam a morte revocatus videbatur ad vitam, iterum peccando moritur; nonne gaudium vertitur in tristitiam, et lac in fel et vinum vertitur in acetum? Certe *mulier*, quae *cum parit, tristitiam habet*, si vivum pariat puerum, *jam non meminit pressura propter gaudium, quia natus est homo in mundum*: (*Ioan.* 16. sed si forte puer continuo moriatur, aut etiam mortuus nascitur, nonne duplici dolore torquebitur? sic etiam multi laborant confitendo peccata, fortasse etiam in jejuniis et eleemosynis non sine labore versantur: sed quia per conscientiam erroneam, vel ignorantiam non probabilem ad indulgentiam non perveniunt; nonne isti laborant in parturiendo, et tamen abortum faciunt, et se ipsi, et pastores suos duplici moerore conficiunt? Similes sunt eiusmodi homines viro aegrotanti, qui amarissimo pharmaco, unde sanitatem sperabat, sibi ipse mortem accelerat: vel agricolae, qui post multos labores in vinea vel in agro colendo consumptos, improvisa grandine superveniente, proventus omnes, id est labores suos omnes amittit. Ista igitur sunt mala jure deflenda, et qui ista defiet, et de his contristatur, is cum Christo in cruce contristatur: et cum in istis depellendis malis pro viribus laborat, is Christi patientis in cruce labores ac dolores mirifice consolatur, et cum Christo vicissim in caelo gaudente gaudebit, et cum regnante regnabit.

CAP. IX.

De secundo fructu verbi quinti.

Alia, nec parum utilis consideratio mihi occurrit, dum sitim Christi in cruce pendentis attente considero. Videtur enim mihi Dominus in eum sensum dixisse, *sitio*, quo dixit mulieri Samaritanae, *Da mihi bibere.* (*Joan.* 4.) Nam paulo post aperiens mysterium verbi sui, adjunxit, *Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere: tu forsitan petisset ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.* Quomodo enim sitiet, qui est fons aquae vivae? an non de se loquebatur, cum diceret in Evangelio: *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat*? (*Joan.* 7.) et nonne ipse est petra illa, de qua loquitur Apostolus ad Corinthios: *Bibebant de consequente eos petra, petra autem erat Christus*? (1. *Cor.* 10.) Denique nonne ipse, qui loquitur ad Iudaeos per Jeremiam, *Me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas*? (*Jer.* 2.) Videor igitur mihi videre Dominum in cruce tamquam in sublimi specula, respicientem orbem terrarum plenum hominibus sitientibus, et languentibus prae siti: et occasione sitis suae corporalis, eumdem Dominum miseratum communem illam sitim generis humani, clamavisse, *sitio*, hoc est, Vere quidem sitio propter exhaustum jam atque exsiccatum humorem corporis mei: sed haec sitis in momento finietur: magis autem sitio, ut homines ex fide cognoscere incipiant, me esse verum fontem aquae vivae et veniant ad me, et bibant, et deinceps non sitiant in aeternum.

O nos beatos, si concionem istam Verbi incarnati attentissimo corde audiremus! An non enim homines fere omnes sitiunt siti concupiscentiae ardentissima et insatiabili aquas labentes et turbidas rerum transeuntium et defluentium, quae vulgo dicuntur bona, pecunias, honores, voluptates? Et quis umquam istam aquam bibens, non sitivit iterum? Et quis umquam Christum magistrum audiens gustare coepit aquam vivam sapientiae caelestis et charitatis divinae, qui non continuo extincta siti rerum terrenarum, respirare coeperit in spem aeternae vitae, et deposita mordaci cura acquirendi et cumulandi terrena, non coeperit desiderare et sitire caelestia? Haec aqua viva, non ex terra ascendens, sed de caelo descendens, quam Dominus fons aquae vivae nobis dabit, si eam ab illo ardentibus precibus et non sine fonte lacrymarum postulabimus; non solum sitim sedabit rerum terrenarum, sed etiam erit nobis cibus et potus indeficiens toto tempore nostrae peregrinationis. Sic enim loquitur Isaias Propheta: *Omnes sitientes venite ad aquas.* Et ne forte putes simplicem esse aquam, vel magno pretio emendam, subjungit: *Properate, venite, et emite abs-*

que argento, et absque ulla commutatione vinum et lac. (*Isai.* 55.) Aqua emenda dicitur, quia non sine aliquo labore, id est, dispositione propria acquiritur ; sed absque argento, et absque ulla commutatione, quia gratis datur ; neque ullum aequale pretium inveniri posset; et quam paulo ante vocaverat aquam, nunc appellat vinum vel lac, quia res quaedam est preliosissima, quae simul comprehendit virtutem sive perfectionem aquae, vini, et lactis.

Haec est vera sapientia et charitas, quae dicitur aqua, quia refrigerat aestum concupiscentiae; vinum, quia calefacit, et inebriat mentem ebrietate maxime sobria ; lac, quia nutrit dulci pabulo praecipue infantes in Christo, juxta illud Apostoli Petri, *sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite* (2. *Pet.* 2.) haec eadem vera sapientia et charitas, concupiscentiae carnis contraria, est *jugum* illud *suave.* (*Mat.* 11.) *et onus leve*, quod qui libenter humiliterque suscipiunt, inveniunt requiem veram et solidam animabus suis, ut non amplius sitiant, neque opus habeant aquas ex terrenis puteis haurire. Haec dulcissima requies animorum operuit solitudines, implevit monasteria, reformavit Clerum, ipsos etiam conjugatos ad moderationem non exiguam revocavit. Certe palatium Theodosii junioris Imperatoris, (*Socr. lib.* 7. *cap.* 22. *Vide Sur. tom.* 5. *die* 27. *Sept.*) non absimile magno monasterio videbatur, et domus Comitis Elzearii parvi monasterii formam prae se ferebat. In utroque loco nulla jurgia, nullae contentiones audiebantur, sed Psalmi et cantica sacra frequentissime resonabant. Haec omnia Christo debemus, qui siti sua sitim nostram extinxit, et tamquam fons vivus aquis jugiter manantibus agros cordium nostrorum ita rigavit, ut siccitatem non timeant, nisi ab ipso fonte corda nostra (quod absit) inimico instigante recedant.

CAP. X.

De tertio fructu verbi quinti.

Tertius fructus, qui ex verbo quinto decerpi potest, est imitatio patientiae Filii Dei. Quamvis enim in verbo quarto claruerit humilitas cum patientia; tamen in verbo quinto, tamquam in proprio loco, summa et sola patientia Christi fulsisse videtur. Porro patientia non solum una ex magnis virtutibus est, sed etiam praeter ceteras valde necessaria; sic enim loquitur Sanctus Cyprianus: *Non invenio, inter ceteras caelestis disciplinae vias, quid magis sit vel utilius ad vitam, vel majus ad gloriam, quam ut qui praeceptis Dominicis obsequio timoris ac devotionis innitimur, patientiam maxime tota observatione tueamur.* (*Serm. de bono patientiae.*) Sed antequam de necessitate patientiae aliquid dicamus; (*Vide s. Aug. l. de Patientia cap.* 1. 2. 3.) necesse est patientiam veram a falsa distinguere. Vera patientia est, quae tolerare jubet mala poenae, ut non cogatur facere mala culpae. Talis fuit patientia Martirum, qui maluerunt tormenta subire carnificum; quam Christi fidem abnegare, et malnerunt jacturam omnium bonorum pati, quam diis falsis cultum adhibere.

Falsa vero patientia est, quae suadet mala omnia tolerare, ut legi concupiscentiae pareatur; et amittere bona sempiterna, ut temporalia conserventur. Talis est patientia martyrum diaboli, qui facile tolerant famen et sitim, frigus et aestum, et jacturam nominis boni, et quod admirabilius est, Regni caelorum, ut opes adaugeant, vel carnis concupiscentiae satisfaciant, vel ad gradus honorum ascendant.

Jam vero patientia vera id habet proprium, ut omnes virtutes perficiat et conservet : atque hoc est, quod Sanctus Iacobus praedicat in laudibus patientiae, cum ait: *Patientia opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.* Virtutes enim ceterae sine patientia non diu subsidere possunt, propter difficultates, quae in earum actibus inveniuntur : sed quando comitem habent patientiam, facile superant omnes difficultates : patientia enim convertit prava in directa, et aspera in vias planas. Atque hoc adeo verum est, ut Sanctus Cyprianus (*Serm. de Patientia.*) de ipsa etiam Regina virtutum charitate dicat : *Charitas fraternitatis vinculum est, fundamentum pacis, tenacitas ac firmitas unitatis ; quae spe et fide maior est; et martyria praecedit, quae nobiscum semper aeterna apud Deum in regnis caelestibus permanebit: tolle illi patientiam, et desolata non durati tolle sustinendi tolerandique substantiam, et nullis radicibus ac viribus perseverat.* Quod idem facilius probat idem Cyprianus de castitate, de justitia, de pace cum proximis : *Sit fortis*, inquit, *et stabilis in corde patientia, et nec adulterio sanctificatum corpus et Dei templum polluitur, nec justitiae dicata innocentia contagione fraudis inficitur, nec post gustatam Eucharistiam manus gladio et cruore maculatur*: haec ille, qui a contrario sensu significare voluit, neque castitatem adulterio resistere posse sine patientia, neque justitiam fraude vacare, neque sumptam Eucharistiam ab homicidio liberare.

Hoc autem, quod scribit Sanctus Jacobus de virtute patientiae, aliis verbis docent Propheta David, et ipse Dominus, et Apostolus ejus, David in Psalmo nono. *Patientia*, inquit, *pauperis non peribit in finem;* quia videlicet opus perfectum habet, ut per hoc fructus ejus numquam marcescet, Dicitur enim patientia non perire, quia fructus ejus et merces semper manebit. Quomodo dicere solemus, labores agricolae perire, quando fructum non ferunt; et non perire, quando ferunt. Additur autem vox illa, *pauperis*, quae hoc loco humilem significat, qui se pauperem agnoscit, et sine adjutorio Dei nihil posse vel facere vel pati. Sit Sanctus Augustinus (*Cap.* 15.) exponit in libro de Patientia; neque enim soli pauperes, sed etiam divites veram patientiam habere possunt, dummodo non in seipsis confiant, sed in Deo, a quo, ut veri pauperes donorum divinorum, patientiam petant et accipiant. Hoc idem dominus ipse significare voluit, cum ait in Evangelio : *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* (*Luc.* 21.) Illi enim soli vere possidebunt animam, id est vitam suam, ut propriam, et quae a nullo subripi possit, qui

patienter tolerabunt omnes afflictiones, et ipsam etiam corporis mortem, ut non peccent in Deum. Quamvis enim moriendo vitam videantur amittere; tamen non amittunt, sed in aeternum custodiunt eam. Mors enim justorum non mors, sed somnus, isque admodum brevis, dici potest. Sed impatientes, qui ut vitam corporis non amittant non dubitant, vel Christum abnegando, vel idola colendo, vel libidini succumbendo, vel aliud quodcumque scelus perpetrando ; illi videntur quidem ad tempus conservare vitam suam, sed perdunt in aeternum vitam corporis et animae : et sicut veris patientibus recte dicitur, *Capillus de capite vestro non peribit*: (*I Ibid.*) sic impatientibus dici debet, Membrum de corpore vestro immune a gehennae incendio non manebit.

Denique hoc idem confirmat Apostolus, dicens: *Patientia vobis necessaria est, et voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* (*Hebr.* 10.) ubi patientiam non utilem, sed necessariam omnino, esse pronuntiat, ut voluntatem Dei semper faciamus, et voluntatem Dei facientes reportemus promissionem, id est, *corona* gloriae *quam repromisit Deus diligentibus se*, (*Joc.* 1.) et mandata sua custodientibus. *Si quis* enim *diligit me, sermonem meum servabit* : et, *qui non diligit me, sermones meos non servat.* (*Joan.* 14.) Itaque vivemus, totam Scripturam sibi ipsi cohaerentem praedicare fidelibus patientiae necessitatem. Haec igitur causa est, cur Christus voluerit in exitu de hac vita, testificari omnibus invisibilem quamdam, et acerbissimam, et longissimam passionem suam, sitim videlicet, ut hoc tanto exemplo proposito, accenderemur ad patientiam in omni afflictione servandam. Fuisse autem Christi sitim poenam vehementissimam, paulo ante in explicatione verbi, *Sitio*, demonstravimus. Quod vero longissima fuerit, nullo negotio demonstrari potest.

Ac ut incipiamus a flagellatione, cum Christus flagellaretur, jam fatigatus erat ex oratione prolixa, et agonia, ac sanguinis effusione in horto: deinde ex multis itineribus, quae illa ipsa nocte et die sequente confecerat, ab horto ad domum Annae, a domo Annae ad domum Caiphae, a domo Caiphae ad domum Pilati, a domo Pilati ad domum Herodis, a domo Herodis ad domum Pilati quae itinera multa milliaria continent: neque Dominus a coena hesterna cibum, vel potum, vel somnum gustaverat ; sed vexationes multas et gravissimas in domo Caiphae acceperat, ad quas omnes accessit durissima flagellatio, quam sitis vehemens comitata est: et flagellatione finita, sitis non finem sed incrementum accepit. Successit coronatio et illusio, ac nova vexatio, quam etiam sitis comitata est ; et coronatione finita, sitis non extincta sed aucta est. Inde crucis patibulo oneratus, quamvis ex tot itineribus et laboribus fessus, et sitibundus, processit ad montem Calvariae. Itinere illo confecto, oblatum est, ei vinum cum felle mistum, quod cum gustasset, noluit bibere. Itaque iter accepit, sed sitis, quae toto itinere pium Dominum cruciaverat, sine dubitatione incrementum accepit. Secuta est crucifixio, et ex quatuor vulneribus, quasi ex fontibus quatuor sanguine defluente, unusquisque per se cogitare potest, quam vehementer sitis creverit. Denique tribus horis sequentibus a sexta usque ad nonam horam in horribilibus illis tenebris, vix credi potest, quo sitis ardore sacratissimum illud corpus confectum fuerit. Et quamvis acetum ministri obtulerint ori ejus; tamen quia non vinum vel aqua, sed acetum, id est, aspera et ingrata potio fuit, et valde modica, cum ex spongia guttas sorbere deberet, et jam moriturus esset, verissime affirmare licet, Redemptorem nostrum a principio passionis usque ad obitum gravissimum hoc tormentum patientissime toleravisse. Quantum sit autem hoc tormentum, rari apud nos experiuntur, cum passim occurrant aquae, quibus sitis sedari possit ; sed qui multos dies iter faciunt per loca deserta, illi experiuntur, quale sit tormentum sitis.

(*Lib.* 7. *de Reb. gestis Alexand.*) Scribit Curtius, aliquando Alexandro Magno per desertum cum exercitu iter faciente, occurrisse post longam aridilatem et sitim fluvium quemdam ; tanta vero aviditate coepisse milites aquam illam bibere, ut multi intercluso spiritu statim extincti fuerint ; et addit; *multoque major horum sic extinctorum numerus fuit, quam ullo amiserat bello.* Itaque ardor ille sitis tam erat intolerabilis, ut non possent milites illi sibimet imperare, ut inter bibendum aliquantulum respirarent : sic periit maxima pars exercitus Alexandri : inveniuntur etiam, qui prae magnitudine sitis suavem putaverunt aquam luto admixtam, oleum, sanguinem, et alia sordidiora et horribiliora, quae nemo hauriret, nisi extrema necessitate coactus. Hinc discere debemus, quam acerba fuerit Christi passio, et quanta in ea patientiae virtus eluxerit, quae nobis Deo volente innotuit, ut eam imitemur, et ita Christo compatiamur, ut simul cum illo glorificemur.

Sed audire mihi videor pias quasdam animas, quae libenter discerent, qua ratione possent ad hoc pervenire, ut patientiam Christi serio imitarentur, et cum Apostolo dicere possent : *Christo crucifixus sum cruci.* (*Gal.* 2.) et cum Sancto Martyre Ignatio: *Amor meus crucifixus est.* (*Epist. ad Rom.*) Res haec non est adeo difficilis, ut multi existimare videntur. Non enim necesse omnibus est humi cubare. flagellis ad sanguinem usque corpus proprium caedere, jejunare quotidie in pane et aqua, cilicium asperum vel ferreum ad nudam carnem quotidie gerere, et alia id genus ad carnem edomandam, et cum vitiis et concupiscentiis crucifigendam facere. Illa enim laudabilia et utilia sunt, cum fiunt ab iis, qui possunt, et non sine consilio magistri spiritualis : sed ego rationem exercendae patientiae, et Christum patientem imitandi demonstrare piis Lectoribus cupio, quae omnibus conveniet, et nihil insolitum, nihil novum nihil quod ad popularem auram captandam fieri ullus suspicari possit.

Primum igitur ajo, oportere patientiae amatorem in illis laboribus et doloribus libenter versari, quae certum sit voluntati divinae placere, juxta illud Apostoli: *Patientia vobis necessaria, est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* (*Hebr.* 10.) Quid autem velit Deus nos pa-

tienter subire, non est difficile discere vel docere. Primum enim pro comperto habemus, ea quae nobis mandat Mater Ecclesia, quamvis dura vel difficilia sint, obedienter et patienter perficienda esse. Quid nobis mandat Ecclesia? jejunia Quadragesimae, Quatuor Temporum, et Vigiliarum: ista si suscipiantur ut oportet, non sine patientia perfici possunt. Nam si quis velit in diebus jejuniorum exquirere delicatas epulas, et in coena una, sive prandio uno, tantum cibi sumere, quantum in prandio simul et coena capere solitus erat; et horam anticipare, et postea sub vesperum coenulam sumere tam copiosam, ut coena dici possit; iste certe non facile esuriet, neque sitiet, neque patientia opus habebit, sed si serio statuat, non anticipare horam, nisi morbus aut alia necessitas cogat: vulgares et viles epulas poenitentiae agendae accomodatas sumere, easque in ea mensura, quae refectionem unam, eamque ordinariam non excedat, et quod in alia perfectione sumeretur, si dies jejunii non esset, dare pauperibus, ut sit juxta B. Leonem, *refectio pauperis, abstinentia jejunantis* et alibi: *Esuriamus paululum delictissimi; et aliquantulum, quod juvandis possit, prodesse pauperibus, nostrae consuetudini subtrahamus.* (*Serm.* 11. *de Jejun.* 10. *mensis. Serm.* 9. *de Jejun.* 7. *mensis.*) et denique sub noctem coenula, quae sumi a multis solet, vere sit coenula: tum sine dubio patientia necessaria erit ad esuriem et sitim tolerandam: et sic jejunando, Christi patientiam utcumque saltem imitabimur; et Christo confixi erimus cruci, saltem ex parte. At ista non sunt omnia necessaria. Ita sit, sed ad patientiam exercendam, et ad Christi passionem imitanda necessaria sunt. Deinde Mater Ecclesia jubet Ecclesiasticos et Regulares recitare vel canere septem Horas canonicas: et ut fideles omnes saltem orando legant Dominicam orationem, et Angelicam salutationem. Ista sacra lectio et oratio, si fiat eo modo, quo posset et deberet fieri, sine dubio patientiae auxilio indigebit: sed non desunt multi, qui ut patientiae suffragio non indigeant, tollere satagunt omnes difficultates. Primum, quasi onus aliquod grave gerere debeant, velocissime percurrunt omnia, ut videlicet ab illo onere brevissime se expediant: deinde non erecti et stantes, vel flexis genibus, sed sedentes, vel deambulantes Horas canonicas legunt; videlicet ut taedium lectionis, et orationis sedendo minuatur, vel deambulando levetur. Loquor autem de iis, qui privatim Horas legunt, non de illis, qui in Choro Psalmos decantant. Praeterea ne somnum interrumpere cogantur, non solum Horas diurnas, sed etiam nocturnas sole fulgente decantant. De attentione et mentis elevatione, cum Deus laudatur vel oratur, nihil dico, quia plerique nihil minus cogitant, quam id, quod canunt vel legunt, itaque sublata difficultate consumendi longum tempus in lectione et oratione, necnon surgendi ad Horas nocturnas; et omisso labore standi, vel flectendi genua, et animum coercendi, ut non huc atque illuc divagetur, sed totus sit in iis, quae legit, mirum non est, si multi patientiae subsidio egere non videantur. Sed isti audiant, qua sollicitudine canonicas Horas Sanctus Franciscus legebat, et tunc intelligent, hoc pium officium sine patientiae auxilio peragi non posse. Sic igitur loquitur S. Bonaventura in Vita sancti Francisci. *Solitus erat vir sanctus Horas canonicas non minus timorate Deo persolvere, quam devote, nam licet oculorum, stomachi, splenis, et hepatis aegritudine laboraret; nolebat tamen muro vel parieti inhaerere, dum spalleret; sed Horas semper erectus, et sine caputio, non gyrovagis oculis, nec cum aliqua syncopa persolvebat. Si quando esset in itinere constitutus, figebat tunc temporis gressum hujusmodi consuetudinem reverentem et sacram ob pluviarum inundantiam non omittens. Graviter etiam se putabat offendere, si quando orationi deditus vanis phantasmatibus interius vagaretur. Cum aliquid tale accideret, non parcebat confessioni, quin illud protinus expiaret. Psalmos cum tanta mentis attentione dicebat, quasi Deum praesentem haberet: et cum nomen Domini in eis occurreret, prae suavitatis dulcedine, labia sua lingere videbatur.* (*Cap.* 10. *Vitae S. Francisci.*) Certe si quis conari velit sic Horas canonicas legere, et noctu etiam surgere ad nocturnas Horas persolvendas, experietur omnino, sine labore et patientia se non posse divino Officio satisfacere. Multa sunt alia, quae Mater Ecclesia de voluntate Dei, ex Litteris sacris edocta, praecipit, quae sine patientia recte peragi non possunt; qualia sunt, dare superfluum opum pauperibus, ignoscere peccantibus in nos, et satisfacere iis, quos nos offendimus; confessio peccatorum omnium saltem annis singulis; perceptio sacrosanctae Eucharistiae, quae non parvam exigit praeparationem, quae sine patientia recte peragi non possunt; sed ego pauca ista per modum exempli ponere volui.

Alterum est, in quo divina voluntas cernitur, et sine patientia perfici nequit, id totum, quod ad nos vexandos vel daemones vel homines faciunt. Quamvis enim homines mali, et daemones pessimi, cum nos exerceant, nihil boni cogitent: tamen Deus, sine quo illi nihil agere possunt, illam vexationem non permitteret, nisi nobis utilem esse judicaret: proinde omnis illa vexatio de manu Domini suscipienda; ac per hoc patienter et libenter toleranda est. Sic Job simplex et rectus, non ignorabat stragem illam, quam passus est; cum una die perdidit omnes opes et omnes filios, ac deinde totius corporis sanitatem, a diaboli invidia processisse: dixit tamen: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* (*Job.* 1.) quia noverat, stragem illam sine Dei voluntate fieri non potuisse. Non haec dico quasi velim homines ab hominibus vel a daemonibus afflictos non posse, aut non debere resarcire damna, medicinam adferre corpori, seque resque suas defendere: sed hoc tantum admoneo, non esse cogitandum de ultione contra homines malos, neque reddendum malum pro malo, sed patienter tolerandum, quod Deus nos tolerare voluerit, ut voluntatem Dei facientes reportemus promissionem.

Postremum illud est, ut omnia, quae casu vel fortuito accidere videntur, ut nimiam siccitatem,

nimiam pluviam, pestilentiam, penuriam, et alia id genus, intelligamus, non sine providentia et voluntate Dei contingere, ac per hoc non queramus de elementis, vel de ipso Deo, sed agnoscamus flagellum Dei, et peccata nostra et subjecti Deo, in humilitate vera patienter feramus omnia : sic enim fiet, ut placatus Deus relinquat post se benedictionem, et nos ut filios paterna pietate castiget, non ut adulterinos haereditate caelesti privet. Addam ex S. Gregorio exemplum unum, ex quo intelligi possit, quanta sit merces patientiae. In Homilia trigesima quinta super Evangelia narrat, quemdam Stephanum adeo fuisse patientem, ut eos sibi prae ceteris amicos crederet, qui sibi molestiam aliquam irrogassent, et gratias pro contumeliis redderet ; damna sibi illata, lucra maxima existimaret; adversarios omnes in adjutoribus numeraret. Hunc sine dubitatione mundus amentem et stultum esse censuisset ; sed ipse Apostolum Christi non surda aure audiverat dicentem: *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc saeculo, stultus fiat, ut sit sapiens* (1. *Corinth.* 3.) nam, ut in eodem loco S. Gregorius dicit, huic morienti Angeli multi visi sunt adfuisse, qui ejus animam in caelum recta deferrent, et ipse sanctus Doctor hunc Stephanum inter Martyres sanctos, ob ejus patientiam eximiam, numerare non dubitavit.

CAP. XI.

De quarto fructu verbi quinti.

Adhuc superest fructus unus, isque dulcissimus qui ex verbo *sitio* decerpi potest, Sanctus enim Augustinus enarrans Psalmum sexagesimum octavum, exponens verbum *sitio*, dicit, eo verbo significatum fuisse non solum desiderium potus corporalis ; sed etiam desiderium, quo Christus flagrabat, fidei et salutis inimicorum suorum. Sed possumus nos, occasione accepta ex sancti Augustini sententia, paulo altius ascendere, ac dicere; Christum sitivisse gloriam Dei, et salutem hominum: nos autem sitire debere gloriam Dei. honorem Christi, salutem nostram, et salutem fratrum nostrorum. Et quidem, quod Christus sitierit gloriam Patris, et salutem animarum, dubitari non potest: id enim clamant omnia opera ejus, et omnes conciones ejus, et omnes passiones ejus, et omnia miracula ejus. Nobis potius cogitandum est, ut non simus ingrati tanto benefactori, qua ratione sic inflammari possimus, ut vere sitiamus honorem Dei, qui *sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*: (*Joan.* 3.) et simul Christi gloriam vere atque ardenter sitiamus, qui *dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* (*Ephes.* 5.) necnon, ut sic vere compatiamur fratribus nostris, ut salutem ipsorum ardentissime sitiamus. Sed illud nobis est maxime necessarium, ut salutem propriam ita vere et exanimo sitiamus, ut sitis illa cogat nos omnia pro viribus cogitare, et loqui, et agere, quae ad salutem nostram consequendam expediunt. Si enim nos neque honorem Dei, neque Christi gloriam, neque salutem, proximorum sitiamus; non propterea vel Deus honore debito carebit, vel Christus gloria sua privabitur, vel proximi salutem non consequentur: sed nos ipsi vere peribimus aeternum, si salutem propriam sitire neglexerimus. Ex quo mihi saepe vehemens admiratio subit, unde fiat, ut sciamus, Christum salutem nostram tam ardenter sitivisse: et nos ipsi, qui certo credimus, Christum esse Dei sapientiam, non moveamur ad ejus exemplum imitandum in re, quae nobis super omnia necessaria est. Nec minus admiror, quod nos ipsi temporalia bona tam ardenter sitiamus, quasi essent bona sempiterna; et salutem vere sempiternam tam negligenter quaeramus, et non solum non sitiamus, sed vix leviter desideremus, quasi res esset momentanea et levis. Adde quod temporalia non sunt pura bona, sed admixta malis plurimis, et tamen sollicite et anxie appetuntur : salus aeterna nullum malum habet admixtum, et tamen sic negligitur, sic leviter appetitur, ac si nihil solidi contineret. Illumina Domine oculos meos interiores, ut inveniam aliquando tam noxiae ignorantiae causam.

Amor certe desiderium parit, desiderium vero cum ardere vehementer incipit, sitis appellatur. Sed quis potest non amare salutem propriam, praesertim aeternam, et ab omni malo immunem ? et si non potest non amari res tanta, cur non vehementer desideratur? cur non ardenter sititur? cur non totis viribus quaeritur? Fortasse ratio est, quia salus aeterna non cadit sub sensum, ideoque neque experimentum ejus habemus, quale plane nobis adest de salute corporali, proinde istam sitimus; illam frigide desideramus. Sed res ita se habet, unde David, qui homo mortalis erat, tam ardenter visionem sitiebat Dei, in qua visione salus aeterna consistit, ut clamaret : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam, et apparebo ante faciem Dei* ? (*Psalm.* 41.) Ubi Propheta adhuc in terris manens, visionem Dei, quae est ipsa salus aeterna, ardentissime sitiebat. Quod idem non soli contigit Davidi, sed viris plurimis sanctitate insignibus, quibus res omnes terrenae sordebat, et insipidae videbantur : et sola vehementissime sapiebat, et dulcissima esse videbatur memoria vel recordatio Dei. Non igitur causa, cur nos non ardenter sitiamus beatitudinem sempiternam. ea est, quod ea sub sensum non cadat : sed quod non attente et assidue cum plena fide cogitetur. Cur autem non ita, ut oportet, cogitetur, causa est, quia nos spirituales non sumus, sed animales. *Animalis* enim *homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei.* (1. *Cor.* 2.) Quare si cupis. anima, sitire salutem tuam, et aliorum. et multo etiam magis honorem Dei. et gloriam Christi, audi B. Jacobum dicentem : *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo. qui dat omnibus affluenter, et non improperat: et dabitur ei.* (*Jac.* 1.) Neque enim ista tam sublimis sapientia in scholis mundi reperitur, sed in solo auditorio Spiritus Dei, qui hominem animalem convertit in

spiritualem; neque satis est semel et frigide petere, sed oportet perseverare pulsando, et inenarrabili gemitu clamare ad aures Patris. Si enim pater carnalis ploranti filiolo et panem poscenti denegare non solet *quanto magis*, inquit Dominus, *Pater vester de coelo dabit spiritum bonum petentibus se?* (*Luc.* 22.).

CAP. XII.

Exponitur ad litteram verbum sextum, Consummatum est, *Joan.* 19.

Verbum sextum a Domino in cruce prolatum, refertur ab eodem sancto Joanne, ut pene conjunctum cum quinto. Statim atque Dominus dixerat. *Sitio*, et acetum sibi oblatum biberat, addidit sanctus Joannes; *Cum ergo accepisset Jesus acetum dixit: Consummatum est.* (*Joan.* 19.) Et quidem ad litteram nihil est aliud *consummatum est*, nisi, consummatum ac perfectum est opus passionis. Siquidem opera duo injunxerat Pater Filio: unum, praedicandi Evangelium; alterum, patiendi pro genere humano. De priore opere dixit Dominus apud Joannem: *Opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam: manifestavi nomen tuum hominibus.* (*Joan.* 17.) Haec dixit Dominus post ultimam et longissimam concionem habitam ad discipulos post coenam. Proinde tunc consummavit primum opus, quod ei Pater injunxerat. Alterum opus erat bibendi calicem passionis, de quo Dominus ait: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* (*Matth.* 20.) et alibi: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* (*Joan.* 18.) De hoc igitur Dominus proximus morti, ait: *Consummatum est*, calicem enim exhausi totum usque ad faeces: nihil jam superest, nisi ut abeam ex vita. *Et inclinato capite tradidit spiritum.* (*Joan.* 19.).

Sed quoniam neque Dominus ipse, neque Sanctus Joannes, brevitati consulentes, explicaverunt quid esset illud quod consummatum est; data est nobis occasio ad plura mysteria, non sine ratione et fructu, illud applicandi. Primum igitur S. Augustinus in commentario hujus loci, refert vocem illam, *consummatum est*, ad impletionem Prophetiarum, quae de ipso erant. *Sciens* enim *Jesus*, inquit Evangelista, *quia jam omnia consummata erant, ut consummaretur scriptura, dixit: sitio*: et paulo post, accepto aceto, *consummatum est*, id est, impletum est illud, quod supererat adimplendum. Ex quo intelligimus, etiam illum voluisse dicere, consummata et adimpleta jam esse, quae de ipsius vita et morte praedicta a Prophetis fuerant. Vere enim omnia praedicta fuerant. Conceptio: *Ecce virgo concipiet.* Nativitas in Bethlem: *Et tu Bethlem Ephrata* etc. (*Isa.* 7.) *ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel.* (*Mich.* 2.) Apparitio novae stellae: *Orietur stella ex Jacob.* (*Num.* 24.) Adoratio Regum. *Reges Tharsis et insulae munera offerent.* (*Psalm.* 71.) Praedicatio Evangelii: *Spiritus Domini super me, ad annuntiandum mansuetis misit me.* (*Isa.* 61. *Isa.* 35.) Miracula: *Deus ipse veniet, et salvabit vos: tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut cervus, claudus; et aperta erit lingua mutorum.* Sessio super asinam et pullum ejus: *Ecce Rex tuus veniet tibi justus, et Salvator; ipse pauper, et ascendens super asinam, et pullum filium asinae.* (*Zach.* 9.) Denique passio tota per partes descripta est a Davide in Psalmis; (*Psalm.* 21. 68.) et ab Isaia, (*Is.* 53.) Jeremia, (*Jerem.* 11.) Zacharia, (*Zachar.* 12.) et aliis. Atque hoc est, quod ipse Dominus iturus ad passionem dicebat: *Ecce ascendimus Jerosolymam: et consummabuntur omnia quae scripta sunt per Prophetas de filio hominis.* (*Luc.* 18.) De illis igitur, quae consummanda erant, nunc dicit, *Consummatum est*; id totum videlicet, quod consummandum, idest implendum erat, ut Prophetae fideles revenirentur.

Deinde, *Consummatum est*, significat ex sententia Sancti Joannis Chrysostomi, consummatam fuisse in morte Christi potestatem, quae permissa erat hominibus et daemonibus in Christum; de qua potestate Christus ipse dixit ad Principes Sacerdotum, et magistratus Templi, et seniores: *Haec est hora vestra, et potestas tenebrarum*: (*Luc.* 22.) Haec igitur hora, et hoc tempus totum, quo Deo permittente potestatem habuerunt impii in Christum, finitum est, cum Dominus dixit, *consummatum est*: tunc enim finem accepit peregrinatio Filii Dei inter homines, quam praedixit Baruch, cum ait: *Hic est Deus noster, et non aestimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinae, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* (*Baruch.* 3.) Et simul cum peregrinatione finem accepit vitae mortalis conditio, secundum quam esuriebat, sitiebat, dormiebat, fatigabatur, injuriis et flagellis, volneribus et morti obnoxius erat. Itaque ubi dixit Christus in cruce, *consummatum est: Et inclinato capite tradidit spiritum*: consummatum est iter, de quo dixerat: *Exivi a Patre, et veni in mundum: iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* (*Joan.* 16.) Consummata est peregrinatio laboriosa, de qua dictum erat a Jeremia. *Expectatio Israel, Salvator ejus in tempore tribulationis: quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum?* (*Ier.* 14.) Consummata est mortalitas humanitatis ejus, et consummata est potestas omnium inimicorum ejus in ipsum. Tertio, consummatum est sacrificium omnium sacrificiorum maximum, et in quod omnia sacrificia veteris Legis, tamquam figurae et umbrae, in sacrificium verum et solidum intuebantur. Sic enim loquitur sanctus Leo. *Traxisti Domine omnia ad te, quoniam scisso templi velo, Sancta Sanctorum ab indignis Pontificibus recesserunt, ut figura in veritatem, Prophetia in manifestationem, et Lex in Evangelium verteretur.* (*Ser. 8. de Pass. Dom.*) et paulo post: *Nunc carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, una corporis et sanguinis tui implet oblatio.* In hoc enim Christi sacrificio sacerdos est Deus homo: ara, crux: sacrificium; Agnus Dei: ignis ho-

locausti, charitas; fructus sacrificii, mundi redemptio. Sacerdos, inquam, fuit Deus homo, quo nullus major excogitari potest : *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* (*Ps.* 209.) et vere secundum ordinem Melchisedech, quia Melchisedech sine patre, sine matre, sine genealogia legitur in Scripturis: et Christus sine patre fuit in terra, sine matre in caelo, sine genealogia, quia *generationem ejus quis enarrabit?* (*Isai.* 53.) quippe ante luciferum genitus. *et egressus ejus* (*Psalm.* 109.) *ab initio, a diebus aeternitatis.* (*Mich.* 5.) Ara fuit crux, quae quanto vilior fuit antequam Christus eam subiret, tanto postea illustrior et nobilior facta est, et in novissimo die apparebit in caelo sole splendidior. De cruce enim intelligit Ecclesia, quod dicitur in Evangelio. *Tunc parebit signum Filii hominis in caelo :* (*Matth.* 24.) sic autem cantat Ecclesia, *Hoc signum crucis erit in caelo, cum Dominus ad judicandum venerit.* (*Hom.* 77. *in cap.* 24. *Matth.*) Quod idem confirmat sanctus Joannes Chrysostomus, illud etiam observans, quod quando *sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum*, tunc in caelo crux apparebit ipso sole lucidior. Porro sacrificium fuit Agnus Dei prorsus innocens et immaculatus. De quo Isaias: *Sicut ovis ad occisionem ducetur et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.* (*Isai.* 53.) Et Praecursor Domini, *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* (*Joan.* 1.) et Apostolus Petrus; *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, et incontaminato,* (1. *Petr.* 1.) Qui etiam dicitur in Apocalypsi, (*Apoc.* 13.) Agnus occisus ab origine mundi, quia pretium ejus a Deo praevisum proderat etiam illis, qui Christi tempora praecesserunt. Ignis holocaustum cremans sacrificiumque perficiens est charitas immensa, quasi fornax vehementer accensa, quae flagrabat in corde Filii Dei, et quam aquae multae (*Cant.* 8.) passionum extinguere non potuerunt. Denique fructus sacrificii fuit expiatio peccatorum omnium filiorum Adam, sive mundi totius reconciliatio. Sic enim loquitur sanctus Joannes in Epistola sua prima : *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* (1. *Joan.* 2.) Quod idem significant verba S. Joannis Baptistae: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* (*Joan.* 1.)

Una sola restat quaestio, ad quem modum Christus idem potuerit esse sacerdos et victima : Sacerdotis enim officium est, mactare victimam : Christus autem non se ipse mactavit ; neque potuit id jure facere, quia sacrilegium perpetrasset, non sacrificium obtulisset. Sed vere Christus non se ipse occidit, et tamen vere sacrificium obtulit: quia libens et volens se mactandum obtulit, ad gloriam Dei, et expiationem peccati. Neque enim potuissent umquam milites aut satellites eum comprehendere vel tenere, neque clavi manus eius pedesque transfigere, neque mors ad eum quantumvis crucifixum accedere potuisset, nisi ipse voluisset. Itaque verissime dicit Isaias: *Oblatus est, quia ipse voluit.* (*Isai.* 53.) et ipse Dominus: *Ego pono animam meam, nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso.* (*Ioan.* 10.) et apertissime Apostolus Paulus, *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* (*Ephes.* 5) Admirabili igitur ratione et modo, quod mali, sive peccati et sceleris fuit in passione Christi, id totum ad Iudam et Iudaeos, ad Pilatum et milites pertinet : et isti non sacrificium obtulerunt, sed sacrilegium perpetrarunt: neque sacerdotes, sed sacrilegi dici meruerunt. Quod in eadem passione fuit boni, religiosi, et pii, id totum Christi est, qui ex affluentissima charitate sua, ut iram Dei placaret, et mundum Deo reconciliaret, et iustitiae divinae satisfaceret, et genus humanum non periret, obtulit se ipse victimam Deo ; non se occidendo, sed mortem, et mortem crucis patientissime tolerando. Quod paucissimis verbis sanctus Leo expressit, cum ait, *Admisit in se impias manus furentium, qui dum proprio incumbunt sceleri, famulati sunt Redemptori.* *Serm.* 10. *de Pass.*)

Quarto in Christi morte consummatum est praelium ingens Christi cum Principe huius mundi : de quo praelio loquitur Dominus ipse apud Ioannem, dicens : *Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi, eiicietur foras: et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* (*Ioann.* 12.) Hoc vero praelium judiciale fuit, non militare: qualia sunt praelia litigantium, non qualia sunt praelia militum. Litigabat enim diabolus cum Filio Dei de possessione mundi, id est, generis humani. Diabolus a longo tempore intruserat se in possessionem mundi, quia vicerat primum hominem, et servum suum illum fecerat cum universa eius progenie. Itaque ipse etiam B. Paulus daemones vocat *principes et potestates mundi, et rectores tenebrarum harum.* (*Eph.* 6.) Et Christus ipse, ut paulo ante diximus vocat diabolum *principem mundi huius.* Nec solum diabolus se mundi principem haberi volebat, sed etiam Deum, unde est illud Psalmographiae : *Dii gentium daemonia, Dominus autem coelos fecit.* Passim enim diabolus in sculptilibus Gentium adorabatur, et sacrificiis arietum et vitulorum colebatur. (*Hebr.* 1.) Ab altera parte Filius Dei, ut verus et legitimus haeres universorum, mundi principatum sibi repetebat. Hoc igitur praelium in cruce tandem consummatum est, et lata sententia in favorem Domini nostri Jesu Christi: quia Dominus in cruce plenissime satisfecit iustitiae divinae pro culpa hominis primi, et omnium filiorum eius. Reddita enim est obedientia Patri a Filio, maior quam fuisset inobedientia servi ad Dominum, et humiliatus est Filius Dei usque ad mortem in honorem Patris, magis quam in superbiam elatus fuisset servus in iniuriam Dei. Ita Deus reconciliatus in gratiam Filii generi humano, eripuit illud de potestate diaboli, *et transtulit in regnum filii dilectionis suae.* (*Colo.* 1.)

Est et alia ratio, quam adducere solet B. Leo, nam verbis illius reddemus: *Si crudelis*, inquit, *et superbus inimicus consilium misericordiae Dei nosse potuisset, Judaeorum animos mansue-*

tudine potius temperare, quam iniustis odiis studuisset accendere, ne omnium captivorum amitteret servitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem, (*Serm.* 80. *de Passione.*) Egregia omnino ratio: aequum enim fuit, ut diabolus imperium amitteret in eos omnes, quos per peccatum servos sibi fecerat; quia in Christum, qui servus eius non erat, et quem ad peccandum numquam induxerat, extendere manus, eumque ad mortem usque persequi non dubitaverit.

Sed si res ita se habet, si praelium consummatum est, si victoria penes Filium Dei steit, et ipse *omnes homines vult salvos fieri* (1. *Tim.* 2) cur tam multi usque ad hanc diem mancipia diaboli sunt in hac vita, et ad tormenta gehennae rapiuntur in alia? Uno verbo respondeo: Quia sic ipsi volunt. Christus enim a praelio victor regrediens, duo quaedam ingentia beneficia humano generi praestit: Unum, ut Iustis paradisi ianuam aperiret, quae a primi hominis lapsu usque ad eam diem clausa fuerat; et illo ipso die victoriae suae dixit; *Hodie eris mecum in paradiso,* (*Luc.* 23.) latroni, qui merito sanguinis eiusdem Christi per fidem spem, et charitatem, iustificatus fuerat: unde canit exultans Ecclesia: *Tu devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus Regna caelorum.* Alterum, ut Sacramenta instituerel, quae vim haberent remittendi peccata, et gratiam conferendi; et praecones in omnes partes mundi mitteret, qui alta voce praedicarent: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* (*Marc.* 16.) Itaque victor in praelio Dominus, viam stravit omnibus ad libertatem gloriae filiorum Dei. Quod si multi nolunt eam viam ingredi, culpa sua pereunt, non impotentia vel negligentia Redemptoris.

Quinto demque, *Consummatum est,* rectissime potest intelligi de consummatione aedificii, quod est Ecclesia. Perfectionem enim aedificii, consummationem dici, auctor est ipse idem magister noster Christus, qui ait apud Lucam: *Hic homo caepit aedificare, et non potuit consummare.* (*Luca* 14.) Porro Ecclesiam in passione Christi fuisse consummatam, quae in eius baptismo fuerat inchoata, docent sancti Patres. Epiphanius in libro tertio adversus haereses, (*Lib.* 3. *haeres.* 78.) et sanctus Augustinus (*Lib.* 22. *cap.* 17.) in libro ultimo de civitate Dei, qui docent, Evam de costa Adami ipso dormiente aedificatam, typum fuisse Ecclesiae, quae ex Christi latere, dum ipse dormire coepisset per mortem, aedificata est: et notant, non sine mysterio dixisse Scripturam, Evam fuisse aedificatam, non formatam. Quod autem a baptismo Christi aedificari coeperit Ecclesia, probat sanctus Augustinus (*Lib.* 27. *de Civit. cap.* 8.) ex Psalmo ubi dicitur: *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* (*Psal.* 71.) Regnum enim Christi, quod est Ecclesia, coepit a baptismo Christi, in quo ipse baptismum Ioannis accipiens, aquas consecravit, et baptismum suum instituit; quod est ianua Ecclesiae, et tunc manifeste innotuit, voce Patris audita de caelo, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* (*Matth.* 3. et 17.) Et ex eo tempore Dominus coepit praedicare, et congregare discipulos, qui fuerunt primi, qui ad Ecclesiam accesserunt. Quamvis autem apertio lateris Christi post mortem facta sit, et tunc exierint sanguis et aqua, quae significant duo precipua Sacramenta Ecclesiae, Baptismum, et Eucharistiam: tamen a Christi passione virtutem accipiunt omnia Sacramenta: et quod de latere Christi iam defuncti fluxerint sanguis et aqua, declaratio fuit mysteriorum, non institutio. Rectissime igitur dicitur consummatio aedificii Ecclesiae tunc facta, cum Christus dixit: *Consummatum est,* quia tunc nihil supererat nisi mors, quae statim consecuta est, et redemptionis pretium consummavit.

CAP. XIII.

De primo fructu verbi sexti.

Non pauci fructus ex verbo sexto decerpi possunt, si quis huius verbi foecunditatem attente consideret; ac primum ex eo, quod diximus *Consummatum est,* intelligi debere de impletione vaticiniorum, deduxit sanctus Augustinus altissimum documentum. (*In Psal.* 76.) Nam quemadmodum certi sumus ex ipso eventu rerum, vera fuisse, quae Prophetae sancti tanto antea praedixerunt: ita certi esse debemus, omnino futura esse, quae idem Prophetae futura praedixerunt, quamvis adhuc impleta non sint. Prophetae siquidem non humana voluntate, sed Spiritu sancto inspirante locuti sunt: (2. *Petr.* 1.) et quia Spiritus sanctus Deus est, et non potest ullo modo fieri ut fallatur vel mentiatur Deus, ideo certissimi sumus omnino esse adimplenda, quae futura denuntiata sunt, et impleta non sunt. *Sicut usque ad hodiernam diem* (inquit sanctus Augustinus) *omnia evenerunt, sic et quae restant, eventura sunt: timeamus diem Iudicii; venturus est Dominus; qui venit humilis, veniet excelsus.* Sed nos argumenta maiora tenemus, quam antiqui tenuerint, ut in fide rerum futurarum non haesitemus. Qui enim Christi tempora praecesserunt, sine experimento ullo multa credere tenebantur; nos ex iis, quae scimus impleta, facile credere possumus adimplenda, quae restant. Qui temporibus Noe audiebant futurum esse diluvium generale, hoc ipsum praedicante Noe Propheta Domini, non verbo solum, sed etiam magno illo labore, quo arcam sollicite fabricabat: non erant faciles ad credendum, quia diluvium eiusmodi numquam viderant, et ideo repentina super eos ira divina descendit. Nos vero, qui scimus impletum fuisse, quod Noe Propheta praedixit, cur non facile credemus futurum diluvium ignis, et eo destruenda omnia, quae nunc tanti facimus? Et tamen revera pauci sunt, qui ista futura ita credant, ut desiderium a rebus perituris avocent, et ibi figant corda ubi vera, et sempiterna sunt gaudia.

Sed hoc ipsum est praedictum ab ipso Domino, ut inexcusabiles sint futuri, qui ex impletione praeteritorum vix adduci possunt ut credant adimplenda esse futura; sic enim Dominus loquitur: *Sicut in diebus Noe, ita erit adventus Filii hominis: sicut enim erant in diebus ante diluvium come-*

dentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam et non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes : ita erit et adventus Filii hominis. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit : (*Matt.* 24 et Apostolus Petrus : *Adveniet* inquit *dies Domini, ut fur, in quo coeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur : in terra autem, et quae in ipsa sunt opera, exurentur.* (2. *Petr.* 3.) Sed, inquiunt, ista procul absunt. Esto, procul absint, si tamen procul absunt : certe mors tua non procul abest, et hora eius incerta est, et certum est tamen, in iudicio etiam particulari, quod non procul abest, reddendam esse rationem de verbo otioso : (*Matt.* 12.) et si de verbo otioso, quid fiet de verbo pernicioso ? de blasphemia, quae tam multis familiaris est? et si de verbis, quid de furtis ? de adulteriis? de fraudibus in emendo et vendendo? de caedibus? de incendiis? de peccatis aliis etiam gravioribus?Itaque res praedictae iam impletae nos inexcusabiles reddent, nisi certissime credamus esse omnino implenda, quae restant : neque satis est credere, nisi fides nos efficaciter moveat ad facienda vel fugienda, quae fides docet facienda esse vel fugienda. Si dicenti architecto domum minari ruinam, et qui intus sunt, fidem se habere architecto dicant, et tamen non exeant, et ruina domus se opprimi sinant; quid dicemus de illa fide ? id, quod Apostolus de similibus ait, *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* (*Tit.* 1.) Et si iubenti medico, ne aegrotus vinum bibat, aeger assentiatur medicum utilia praecepisse, atque interim vinum postulet, et irascatur nisi detur; quid dicemus ? certe vel aegrotum phraenesi laborare, vel medico fidem non habere. Utinam non essent plurimi inter Christianos, qui futurum iudicium Dei, et alia id genus dicant se credere, factis autem negent!

CAP. XIV.

De secundo fructu verbi sexti.

Alter fructus colligi potest ex secunda explicatione verborum Christi: *Consummatum est.* Diximus enim cum sancto Joanne Chrysostomo, consummatum fuisse in morte Christi iter laboriosum peregrinationis ipsius Christi. Quae quidem peregrinatio, negari non potest quin fuerit supra modum aspera: sed tamen asperitas illa brevitate et fructu, gloria et honore compensata est. Duravit annis triginta tribus: sed quid est labor annorum triginta trium ad quietem aeternitatis comparatus? Laboravit Dominus in fame et siti, in doloribus multis, in iniuriis sine numero, in plagis, in vulneribus, in ipsa morte, sed nunc torrente voluptatis potatur, quae voluptas non deficiet in aeternum. Denique humiliatus est, factus *opprobrium hominum, et abiectio plebis* ad breve tempus : (*Psalm.* 21.) sed *Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, caelestium terrestrium, et infernorum.* (*Phil.* 2.) Contra vero Judaei perfidi exultaverunt ad horam in passione Christi : Judas avaritiae mancipium exultavit ad horam in lucro paucorum nummorum ; Pilatus exultavit ad horam, quia non amisit amicitiam Augusti, et recuperavit amicitiam Regis Herodis: sed iam ad annos fere mille sexcentos cruciantur in gehenna, et fumus eorum ascendet in saecula saeculorum. (*Apoc.* 21.) Ex his discant omnes servi crucis, humiles, mites, patientes, quam bonum et faustum sit, crucem suam tollere in praesenti vita, et Christum ducem sequi ; nec ullo modo invidia ut iis, qui felices esse videntur in hoc saeculo. Vita enim Christi, et sanctorum Apostolorum et Martyrum, verissimus commentarius est verborum Magistri omnium magistrorum: *Beati pauperes, beati mites, beati, qui lugent, beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam isporum est Regnum caelorum* (*Matt.* 9.) et contra ; *Vae vobis divi tibus, quia habetis consolationem vestram : vae vobis, qui saturati estis, quia esurietis? vae vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis.* (*Luc.* 6.) Et quamvis non solum verba Christi, sed etiam vita et mors Christi, id est, non solum textus, sed etiam commentarius a paucis intelligatur et capiatur in gymnasiis huius mundi : tamen si quis exire voluerit de mundo, et ad cor suum intrare et serio meditari ac sibi ipse dicere: *Audiam quod loquatur in me Dominus Deus*: (*Psal.* 84.) et simul humili prece et gemitu columbino pulsare voluerit ad aures magistri, cuius est liber et commentarius ; non difficulter intelliget omnem veritatem, et veritas liberabit eum ab erroribus universis: ut jam non sit difficile, quod antea impossibile videbatur.

CAP. XV.

De tertio fructu verbi sexti.

Jam fructus tertius, quem ex verbo sexto colligere possumus, ille est, ut discamus ipsi nos ut Sacerdotes spirituales *offerre Deo Spirituales hostias*, (1. *Petr.* 2.) ut loquitur sanctus Petrus, vel exhibere *corpora* nostra *hostiam viventem sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium* nostrum. (*Rom.* 12.) ut nos docet Apostolus Paulus. Nam si verba illa, *Consummatum est*, significant, sacrificium Summi Sacerdotis in cruce fuisse complectum, aequum est, ut discipuli Crucifixi, Magistrum imitari cupientes, eo modo quo possunt, id est, pro sua tenuitate et paupertate offerant et ipsi sacrificium Deo, et quidem Apostolus Petrus docet, omnes Christianos esse Sacerdotes, non proprie dictos, quales sunt, qui ab Episcopis in Ecclesia Catholica ordinantur ad offerendum sacrificium Corporis Christi; sed Sacerdotes spirituales, ut ipse declarat, ad offerendas spirituales hostias; non hostias proprie dictas : quales erant, in Testamento veteri, oves, et boves, et turtures et columbae : et in Novo, Corpus Christi in Eucharistia: sed hostias mysticas, quae ab omnibus offerri possunt, ut orationes et laudes, nec non opera bona,

jejunia, et eleemosynas, de quibus dicit Apostolus Paulus : *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus.* (*Hebr.* 13.) Idem vero Apostolus in Epistola ad Romanos (*Rom.* 12) accuratissime nos docet mysticum sacrificium offerre Deo ex corporibus nostris, ad similitudinem veterum sacrificiorum Legis antiquae. Quatuor enim leges sacrificiorum erant ; Prima, ut in sacrificio adesset hostis, id est, res Deo sacrata, quam nefas esset in usum profanum converti. Altera, ut ea esset res vivens, ut ovis, capra, vitulus. Tertia, ut esset sancta, id est, munda. Erant enim apud Hebraeos animalia munda et immunda: animalia munda censebantur oves, boves, caprae turtures, passeres, columbae. Reliqua censebantur immunda, ut equus, leo, vulpes accipitres, corvi, et alia. Quarta, ut hostia incenderetur, et odorem suavitatis emitteret. Atque haec omnia Apostolus numerat, cum ait: *Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam Deo, placentem.* (*Rom.* 12.) et addit, *rationabile obsequium vestrum*, ut cum intelligamus non exhortari nos ad sacrificium proprie dictum, quasi velit corpora nostra instar ovium sacrificii, vere occidi et comburi : sed ad sacrificium mysticum et rationabile , similitunarium, non proprium : spirituale, non corporale. Hortatur igitur nos Apostolus, ut quemadmodum Christus in cruce ad nostram utilitatem obtulit sacrificium corporis sui per veram et propriam mortem ; sic nos offeramus ad ejus honorem corpora nostra, quasi hostiam quamdam, eamdem viventem, et sanctam, et perfectam, ac per hoc Deo bene placentem, quae spirituali quodam modo occidatur, et concremetur.

Explicemus ordine singulas conditiones. Primum debent esse nostra corpora hostiae, id est, res Deo sacrae, quibus utamur ad honorem Dei, non ut rebus nostris, sed ut rebus Dei: cui consecrati sumus per Baptismum, et qui nos emit pretio magno, ut dicit idem Apostolus ad Corinthios. (*Corinth.* 6.) Nec solum hostia Dei esse debemus, sed Sancti. Qui enim per peccatum mortui sunt, non sunt hostiae Dei, sed diaboli, qui mortificat animas, et in ea re mirifice delectatur. At Deus noster qui semper vivit, et est fons vitae, non vult cadavera foetentia sibi offerri, quae ad nihil utilia sunt, nisi ut projiciantur ad bestias. Proinde necesse est, ut vitam animae diligentissime conservemus, ut hoc modo rationabile obsequium Domino nostro exhibeamus.Sed neque satis est ut hostia sit viva, nam praeterea requiritur ut sancta sit. *Hostiam*, inquit Apostolus, *viventem sanctam.* Sancta dicitur hostia, cum ex animantibus mundis offertur, non ex immundis. Erant autem animalia munda, ex quadrupedibus, ut supra diximus, oves, caprae, boves: ex avibus, turtures, passeres, et columbae. Priora animantia significant vitam activam ; posteriora contemplativam. Proinde, qui vitam activam inter fideles ducunt, si semetipsos hostiam sanctam exhibere volunt Deo, imitari debent simplicitatem et mansuetudinem ovis, quae laedere proximum nescit. Item labores et gravitatem bovis, qui non otiatur, non leviter discurrit ; sed jugum suum ferens, et aratrum trahens, in terra colenda laborat assidue. Denique etiam caprae velocitatem in ascensione montium, et oculorum acumen in rebus longe conspiciendis ; neque enim, qui in Ecclesia Dei vitam activam ducunt, sola mansuetudine et justis laboribus contenti esse debent ; sed oportet eos etiam per crebras orationes alta conscendere ; et quae sursum sunt, mente conspicere. Quomodo enim opera sua ad Dei gloriam referent, et incensum sacrificii sursum emittent ; si de Deo numquam aut raro cogitent? si Deum non quaerant? si in amorem ejus per contemplationem non exardescant? Vita enim Christianorum activa non debet a contemplativa omnino esse disjuncta, ut neque contemplativa ab activa, ut mox dicemus. Itaque qui non imitantur oves, et boves, et capras, quae domino suo assidue utiliterque deserviunt; sed quaerunt, quae sua sunt, id est, sola commoda sua temporalia consectantur : ii non offerunt Deo hostiam sanctam, sed similes sunt bestiis rapacibus et carnivoris, lupis, canibus, ursis milvis, vulturibus, corvis, quae suo ventri deserviunt, et leonem illum sequuntur, qui semper *rugiens circuit, quaerens, quem devoret.* (1. *Petr.* 2.) Jam vero Christiani homines, qui vitam contemplativam elegerunt, se et ipsi se hostiam viventem et sanctam Deo exhibere satagunt, imitari debent solitudinem turturis, puritatem columbae, et prudentiam passeris. Solitudo turturis ad monachos maxime et eremitas pertinet, qui nihil commune cum saecularibus habere student, et toti contemplationi et Dei laudibus intenti sunt.Puritas columbae cum foecunditate coniuncta Episcopis et clericis necessaria est, qui cum hominibus versantur, et filios spirituales gignere et nutrire ex officio proprio debent, qui nisi crebro ad supernam patriam per contemplationem volent, et ad necessitates hominum per charitatem descendant, aegre poterunt puritatem cum foecunditate coniungere : sed vel soli contemplationi dediti steriles erunt, vel soli procreationi filiorum intenti, pulvere terreno inquinabuntur, et dum alios lucrari volent, ipsi (quod absit) fortasse se perdent.Porro utrisque, tum vitae contemplativae deditis, tum vitae activae addictis, passeris prudentia multum omnino prodesse potest. Sunt enim passeres montani, et passeres domestici. Passeres montani incredibili solertia fugiunt laqueos et retia venatorum : passeres domestici in civitatibus habitant, et super tecta Pomorum nidificant, sed ita cum hominibus versantur, ut nulli homini familiares fiant, neque facile ab eis apprehendi se sinant. Sic igitur omnibus quidem Christianis, sed praesertim clericis et Monachis prudentia passerum necessaria est, ut a laqueis daemonum sibi caveant, et cum hominibus versentur, ut eis prosint, sed consuetudinem ipsorum, ac praesertim feminarum, vitent, confabulationes fugiant, comessationes declinent, ludis et spectaculis non intersint, nisi capi velint a laqueo venantium daemoniorum.

Restat lex ultima sacrificiorum ut sint hostiae non solum viventes et sanctae, sed etiam bene placentes,id est, odorem suavissimum sursum mittentes. Id quod Scriptura significat, cum ait : *O-*

doratusque est Dominus odorem suavitatis. (*Genes.* 8.) et de ipso Domino: *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* (*Ephet.* 5.) Ut autem hostia odorem emittat gratissimum Deo, necesse est ut occidatur et cremetur. Id fit in sacrificio mystico et rationabili de quo loquimur cum Apostolo, quando carnalis concupiscentia vere mortificatur, et igne charitatis incenditur, Nihil enim est, quod carnalem concupiscentiam efficacius, celerius, perfectiusque mortificet, quam sincerus Dei amor. Ipse est enim Rex et Dominus omnium affectionum cordis, et omnes ab eo reguntur, et pendent, sive timor, sive spes, sive desiderium, sive odium, sive ira, sive quaecumque animi peturbatio. Ipse autem amor non cedit nisi amori maiori: ac per hoc, quando divinus amor cor humanum intime possidet et incendit, tunc demum carnales concupiscentiae quiescunt. Inde ignita desideria, et purissimae preces ad Deum ascendunt, instar aromatum, in odorem suavitatis. Hoc est igitur sacrificium, quod requirit Deus, et quod promptissime exhibendum hortatur Apostolus.

Sed quia oblatio ista res est ardua et gravis, et difficultate plenissima, ideo B. Paulus efficacissimo argumento utitur, ut eam nobis persuadeat, argumentum est in verbis illis. *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra.* (*Rom.* 12.) etc. In Graeco codice legitur in numero multitudinis, *Obsecro vos per miserationes Dei.* Et quae sunt, et quot miserationes Dei, per quas nos Apostolus obsecrat? Prima est creatio, qua nos fecit esse rem aliquam cum nihil essemus. Secunda, cum fecit nos servos suos, cum nostra opera non indigeret, sed ut haberet quibus benefaceret, Tertia, cum fecit ad imaginem suam, ac per hoc capaces cognationis suae, et amicitiae suae. Quarta, cum fecit per Christum filios suos adoptivos, et cohaeredes Unigeniti sui. Quinta, cum fecit nos membra sponsae suae, et corporis sui, quibus est caput. Denique sexta, quod obtulerit *semetipsum* in cruce *oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis,* (*Eph.*5.) ut nos redimeret a servitute, et lavaret a maculis, *et exhiberet ipsi sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam.* Haec sunt miserationes Domini, per quas nos Apostolus obsecrat, quasi diceret, Tanta Dominus contulit vobis, nec merentibus, nec petentibus: cur grave vobis videri debeat, si vos ipsi hostiam Deo viventem, sanctam, et beneplacentem offeratis? Certe, si quis ista attente cogitare voluerit, non solum non grave, sed leve, et facile, et iucundum ac dulce illi videbitur, tam bono Domino toto corde et toto tempore vitae suae servire: eique se totum, ad exemplum eius, hostiam et oblationem, atque adeo holocaustum in odorem suavitatis offerre.

CAP. XVI.

De quarto fructu verbi sexti.

Fructus quartus sumi potest ex quarta explicatione verborum illorum, *Consummatum est.* Si enim verum est; ut est verissimum, Christum iusto iudicio Dei transtulisse nos a servitute diaboli in Regnum filii dilectionis suae; quaeramus diligenter, et non desistamus donec inveniamus, quae causa sit, cur tantus hominum numerus malit hosti humani generis iterum se in servitutem tradere; ut cum eo ardeat in aeternum in gehennae camino, quam Christo Principi benignissimo deservire, immo cum illo felicissime certissimeque regnare. Ego certe nullam invenio causam nisi quia in obsequio Christi inchoandum est a cruce, et necesse est carnem crucifigere cum vitiis et concupiscentiis. Haec amara potio, atque hic calix absynthii homini naturaliter aegro nauseam facit, et saepe causa est ut malit aegrotare, quam eo modo curari. Et si quidem homo non homo, sed bestia esset, aut certe homo delirus et mente captus esset; concedi illi posset, ut sensu et appetitione regeretur: sed cum homo ratione sit particeps, certe intelligit, vel intelligere potest, eum, qui iussit carnem crucifigi cum vitiis et concupiscentiis, non solum instare praecepto, sed etiam iuvare, immo praevenire auxilio gratiae suae: quo modo sapiens medicus amarum poculum sic tempore novit, ut non difficulter hauriatur. Deinde si unusquisque nostrum primus esset, cui diceretur; Tolle crucem tuam, et sequere me: fortasse posset haerere, ac diffidere de viribus suis, nec audere crucem attingere, quam se portare posse non crederet: at cum tam multi ante nos, nec solum viri, sed, etiam pueri et puellae, crucem post Christum fortiter tulerint, et constanter portaverint, et carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixerint, quid nos timemus? cur haeremus? Hoc argumento sanctus Augustinus superatus carnalem concupiscentiam vicit, quam insuperabilem longo tempore reputaverat. Constituit enim sibi ante oculos mentis ex memoriae promptuario multos et multas continentes, multos et multas virgines, ac sibi dicebat, *Cur non poteris, quod isti, et istae? isti, et istae non in se potuerunt, sed in Domino Deo suo.* (*Lib.* 8. *Confess. cap.* 12.) et quod de concupiscentia carnis dicimus, idem dici potest de concupiscentia oculorum, quae est avaritia, et de superbia vitae, nullum enim est vitium, quod adiuvante Deo crucifigi non possit; neque periculum est ne Deus iuvare non velit, cum sanctus Leo dicat; *Iuste instat praecepto, quia praecurrit auxilio.* (*Serm.* 16. *de Pass. Dom.*) Vere igitur miseri sunt, ne dicam amentes et stulti, qui cum possint iugum Christi suave ac leve subire, et requiem animae suae in hac vita reperire, (*Matth.* 11.) et cum eodem Christo in futura regnare; (*Luc.* 14.) malint quinque iuga boum, diabolo iubente, portare, et sensibus carnis non sine labore et dolore servire: et ad extremum apud inferos cum ipsos suo domino diabolo perpetuo cruciari.

CAP. XVII.

De quinto fructu verbi sexti.

Quintus fructus ex verbis illis decerpendus erit, quatenus haec verba significant, Ecclesiae aedifi-

cationem in cruce consummatam fuisse, et ipsam Ecclesiam, ut alteram Evam, ex latere Christi morientis, tamquam ex costa Adami dormientis prodiisse. Hoc porro mysterium docet nos, ut crucem amemus, crucem honoremus, cruci vehementer afficiamur. Quis anim locum non amat, unde mater ipsius prodiit? Certe fideles omnes miro modo afficiuntur erga sacratissimam domum Lauretanam, quia ibi nata est Virgo Deipara, et ibidem natus est, non quidem extra uterum, sed in utero virginali Iesus Christus Deus noster. Sic enim loquitur Angelus ad Josephum: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* (*Matth.* 1.) Hinc etiam et ipsa Ecclesia memor nativitatis suae, crucem ubique locat, in fronte, in templis, in domibus; neque ulla Sacramenta peragit sine cruce, neque aliquid benedicendo sanctificat sine cruce; sed amorem praecipuum tunc cruci deferimus, cum patienter propter amorem Crucifixi toleramus adversa; hoc enim est in cruce gloriari, id facere, quod Apostoli faciebant, cum *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti* erant *pro nomine Iesu contumeliam pati* (*Actor.*5.) et Apostolus quid sit in cruce gloriari, explicat cum dicit: *Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* (*Rom.* 5.) Unde concludit ad Galatas scribens: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* (*Galat.* 6.) Hic est vere triumphus crucis, si mundus cum suis pompis et oblectationibus sit animae Christianae et Christum crucifixum diligenti veluti mortuus; et anima ipsa Christiana sit ipsi mundo veluti mortua, amans tribulationem et contemptum, quae mundus odit, et odio prosequens carnales voluptates et gloriam temporariam, quae mundus diligit: sic perficitur et consummatur servus Dei, ut de ipso quoque dici possit, Consummatus est.

CAP. XVIII.

De sexto fructu verbi sexti.

Postremus restat fructus ab exemplo perseverantiae Domini in cruce utilissime colligendus, siquidem ex verbo illo, *consummatum est*, intelligimus Dominum consummasse opus passionis suae ab initio usque ad finem, ut nihil desiderari posset. (*Deut.*32.) inquit Moyses: et quemadmodum Pater die sexto perfecit opus creationis, et die septimo requievit; sic et Filius die sexto consummavit opus redemptionis et die septimo requievit. Frustra clamabant Judaei ante crucem, *Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credemus ei.* (*Matt.* 27.) Rectius dicit sanctus Bernardus: *Immo quia Rex Israel est, titulum regni non deseruit.* (*Serm.* 1. de *Resur.*) et paulo infra. *Non tibi dabit occasionem surripiendae nobis perseverantiae, qua sola coronatur. Non faciet obmutescere praedicatorum linguas consolantium pusillanimes, et dicentium singulis, Tu locum tuum ne deseras, quod sine dubio sequeretur, si respondere possent, quia Christus suum deserit.* Christus igitur perseveravit in cruce usque ad vitae finem, ut consummaret opus suum sic, ut nihil ei deesset, et nobis exemplum perseverantiae prorsus admirabile derelinqueret. Facile siquidem est perseverare in locis amoenis, et in actionibus, quae voluptatem adferunt: sed in labore et dolore diutius perseverare difficillimum est. Sed si cognoverimus, quid Christum perseverare fecerit in cruce; fortasse discemus et nos crucem nostram perseveranter ferre; et si opus etiam fuerit, in illa perseveranter ad mortem usque pendere. Si quis ad solam crucem oculos admoveat, non poterit non horrere funestae mortis instrumentum. Sed si oculos, non tam corporis quam mentis ad illum erigat, qui crucem nos portare iubet, et ad locum, quo illa perducit, et ad fructum, quem eadem ipsa producit, tum non difficile et arduum, sed facile et iucundum erit, perseverare in baiulanda cruce, vel perseveranter pendere de cruce.

Quod igitur Christum fecit tam perseveranter sine querela de cruce pendere usque ad mortem? Prima causa fuit amor Patris, *Calicem*, inquit, *quem dedit mihi Pater, non bibam illud?* (*Joan.* 18.) Amabat Christus Patrem amore prorsus ineffabili: et ab illo pari amore diligebatur. Cum igitur videret calicem illum sibi dari a Patre optimo et amantissimo, ut nullo modo suspicari posset sibi dandum nisi ad finem optimum, et sibi ipsi gloriosissimum, quid mirum, si calicem illum libentissime totum exhausit? Deinde Pater filio nuptias fecit, (*Matth.* 22.) et sponsam illi dedit Ecclesiam, sed sordidatam, et rugosam, quam tamen, si vellet, in balneo calente sanguinis sui diligenter abluere, facile redderet gloriosam, *non habentem maculam, aut rugam*: (*Ephes.* 5.) Adamavit igitur Christus sponsam a Patre sibi coniunctam, et non grave illi fuit, sanguine suo illam abluere, ut formosam et gloriosam efficeret. Nam si Jacob propter Rachelem annis septem laboravit in pascendis gregibus Laban, sic ut aestu ureretur et gelu, et fugeret somnus ab oculis eius; et visi sunt illi tam multi anni *pauci dies prae amoris magnitudine.* (*Gen.* 29.) Si, inquam, pro una Rachele Jacob nihili fecit laborem annorum septem, et rursum aliorum septem: quid mirum si filius Dei pro Ecclesia sponsa, quae multorum millium sanctorum Dei filiorum mater futura erat, tres horas in cruce perseverare voluerit? Denique Christus non amorem solum Patris et Sponsae respiciebat, cum passionis calicem bibiturus esset; sed etiam eminentissimam illam gloriam, et numquam finiendam laetitiae magnitudinem, ad quam per crucis patibulum ascensurus erat: dicente Apostolo: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genuflectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum.* (*Phil.* 2.)

Addamus ad Christi exemplum, exemplum Apostolorum. Paulus cruces suas et aliorum Aposto-

lorum enumerans in Epistola ad Romanos, ait : *Quis ergo, nos separabit a charitate Christi tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* (*Rom.* 8.) (*sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die aestimati sumus sicut oves occisionis.*) (*Psalm.* 43.) et respondet, *sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos.* Ut durarent et perseverarent in cruciatibus, non cruciatus attendebant, sed amorem Dei, qui nos dilexit, et Filium suum pro nobis dedit ; vel etiam, quia Christum ipsum considerabant, qui dilexit nos, et *dedit semetipsum pro nobis.* (*Tit.* 2.) Idem Apostolus scribens ad Corinthios, *Repletus sum*, inquit, *consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* (2. *Corinth.* 7.) Unde consolatio tanta, unde gaudium tantum, quod tribulationem quasi sentiri non patiatur? Responderet alio loco, quia *quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* (2. *Corinth.* 4.) Itaque contemplatio gloriae sempiternae, quam ante oculos mentis gerebat, causa erat, cur tribulatio momentanea et levis illis videretur. *Has cogitationes*, inquit sanctus Cyprianus, *quae persecutio potest vincere? quae possunt tormenta superare?* (*Libro de Exhort. Martyr.*) Hic addi potest exemplum sancti Andreae, qui crucem, in qua biduo pependit, non ut crucem aspexit, sed ut amicam salutavit: et cum populus eum deponendum curare vellet, nullo modo permisit, sed in cruce usque ad mortem perseverare voluit, neque erat iste homo imprudens, sed sapientissimus, et Spiritu sancto plenus.

Ex his exemplis Christi et Apostolorum eius, discere possunt omnes Christiani, quo modo se gerere debeant, cum de cruce sua descendere, id est, de tribulatione liberari sine peccato non possunt. Eiusmodi sunt in primis Regulares omnes, quorum vita votis paupertatis, castitatis, et obedientiae adstricta, similis martyrio esse censetur. Idem coniugati, cum divina providentia maritus uxorem querulam, morosam, iracundam, ac pene intolerabilem fortius est : vel uxor maritum non minus difficilem habet, qualem fuisse sanctae Monicae virum testis est sanctus Augustinus in libris Confessionum. (*Lib.* 1. *cap.* 9.) huiusmodi sunt etiam mancipia, quae libertatem amiserunt, addicti perpetuo carceri, vel alligati triremibus : aegroti denique, qui morbo incurabili laborant : et pauperes, qui nisi fortis vel latrociniis ad divitias aspirare non queunt. Hi omnes, et si qui sunt alii, si perseverare in ferenda cruce cum gaudio spirituali et ingenti mercede cupiunt, non respiciant crucem, sed eum, qui crucem humeris illorum imposuit. Is enim sine dubio Deus fuit, qui Pater noster amantissimus est, et sine eius providentia nihil in hoc mundo geritur. Beneplacitum autem Dei sine dubitatione ulla optimum est, et nobis gratissimum esse debet. Proinde cum Christo dicere debent omnes : *Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* (*Joan.* 18.) et cum Apostolo : *In his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos.* (*Rom.* 8.) Deinde possunt etiam ac debent omnes, qui crucem suam deponere sine peccato nequeunt, non tam praesentem laborem considerare, quam futuram mercedem, quae sine dubitatione ulla superat omnem laborem et dolorem vitae praesentis, dicente Apostolo : *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* (*Rom.* 8.) et alibi de Mose loquens, *Maiores divitias aestimans thesauro Egyptiorum, improperium Christi ; aspiciebat enim in remunerationem.* (*Rom.* 11.)

Denique addere possumus ad consolationem eorum, qui crucem gravem et longo tempore gestare coguntur, exempla duorum, qui perseverantiam perdiderunt, et crucem sine comparatione graviorem invenerunt. Judas Christi proditor, cum in se reversus proditionis crimen detestaretur, non ferens confusionem, qua suffundi eum necesse erat, si cum Apostolis vel discipulis aliis versari voluisset, laqueo se ipse suspendit, sed mutavit, non evasit crucem confusionis, quam fugiebat. Maior enim confusio illum sequetur in die Judicii coram omnibus Angelis et hominibus, quando non solum Christi proditor, sed etiam homicida sui ipsius declarabitur. Et quanta caecitas illa fuit, vitare confusionem modicam apud gregem pusillum et mansuetum discipulorum Christi, qui omnes illum ad bene sperandum de misericordia Salvatoris erexissent, et non vitare infamiam et confusionem proditionis Christi et proprii suspendii apud theatrum omnium hominum et Angelorum? Alterum exemplum desumi potest ex Oratione sancti Basilii in Quadraginta Martyres: summa haec est: In persecutione Licinii Imperatoriis, milites quadraginta cum in fide Christi perseverare statuissent, damnati sunt, ut subsidio nudi, tempore et loco frigidissimo, totam noctem consumerent, et eo modo longissimo acerbissimoque martyrio ex congelatione perirent. Aderat autem paratum balneum calidum, ut si qui fidem abnegare vellent, in eo reciperentur. Ex iis triginta novem non tam ad poenam congelationis praesentem et brevi finiendam, quam ad coronam gloriae sempiternae mentis oculis aspicientes, facile in fide perseveraverunt, et coronas splendidissimas de manu Domini meruerunt. Unus, qui totus defixus erat in poena sua consideranda et appendenda, perseverare non potuit, et ideo in tepefactum balneum insiluit. Sed continuo defluentibus carnibus iam congelatis, animam exhalavit, et ad inferos, ut Christi abnegator, ad perpetua tormenta descendit. Sic mortem fugiens mortem invenit, et crucem brevem et levem cum sempiterna et gravissima commutavit. Horum igitur duorum infelicium hominum imitatores sunt, quotquot crucem Ordinis religiosi deserunt; qui iugum suave et onus leve proiiciunt: et quando minime cogitant, inveniunt se iugo longe graviori alligatos, cupidatum variarum, quas explere numquam poterunt, et oneribus peccatorum gravissimis pressos, ut respirare non possint. Eadem ratio est de omnibus aliis, qui crucem suam cum Christo ferre recusant, et crucem diaboli peccando ferre coguntur.

CAP. XIX.

Explicatur ad litteram verbum septimum, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. *Luc.* 23.

Pervenimus ad postremam Christi vocem, quam in cruce moriturus non sine magno clamore emisit, dicens, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Explicabimus ordine verba singula. *Pater*, inquit, merito Patrem vocat, quia filius illi fuit obediens usque ad mortem; ideo dignissimus qui audiatur. *In manus tuas.* Manus Dei dicuntur in Scripturis, intelligentia et voluntas, sive sapientia et potentia; sive quod in idem recidit, intellectus omnia sciens, et voluntas omnia potens. His enim duabus, quasi manibus, Deus omnia facit, neque indiget instrumentis, quia ut loquitur sanctus Leo, *in Deo voluntas potentia est.* (*Serm.* 2. *de Nativit.*) Itaque velle apud Deum est facere: *Omnia quaecumque voluit fecit.* (*Ps.* 113.) in coelo et in terra. *Commendo*, quasi in depositum trado, ut cum fide restituatur, quando restituendi tempus advenerit. *Spiritum meum.* De hac voce non parva quaestio est. Solet enim spiritus et pro anima quae forma substantialis corporis est, et pro vita ipsa accipi; quoniam signum vitae spiratio est, et qui spirant, vivunt, qui spirare desinunt moriuntur. Et quidem si per spiritum hoc loco intelligamus animam Christi, cavendum est, ne quis existimet, periculum aliquod fuisse illi animae de corpore exeunti; in quem modum aliis hominibus morientibus commendari solet anima multis precibus et multa sollicitudine, quoniam ad tribunal Judicis vadit, acceptura pro meritis bonis vel malis gloriam, sive poenam. Tali commendatione non eguit anima Christi; tum quia beata erat ab initio creationis: tum quia Filio Dei in persona coniuncta erat, et anima Dei dici poterat; tum denique quia victrix et triumphatrix de corpore exibat, et terrori erat daemonibus omnibus, non ipsa terreri a daemonibus poterat. Itaque si spiritus hoc loco pro anima accipiatur, illa verba Domini, *Commendo spiritum meum*, significabunt, animam Christi quae fuerat in corpore tamquam in tabernaculo, futuram esse in manibus Patris, quasi in depositio, donec revertatur ad corpus; iuxta illud Sapientiae; *Justorum animae in manu Dei sunt.* (*Sap.* 3.) Sed omnino credibilius est, hoc loco per spiritum intelligi vitam corporalem, ut sensus sit: Ego spiritum vitae nunc trado, ac per hoc desino spirare et vivere: sed hunc spiritum, hanc vitam tibi Pater commendo, ut eam corpori meo brevi restituas. Tibi enim nihil perit, quin etiam tibi omnia vivunt, qui vocando, quae non sunt, facis ut sint; et vocando, quae non vivunt, facis ut vivant.

Hanc esse veram huius loci sententiam, primo colligi potest ex Psalmo trigesimo, ex quo Dominus hanc orationem accepit. Sic enim orat sanctus David: *Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi, quoniam tu es protector meus. In manus tuas commendo spiritum meum.* (*Psalm.* 30.) quo loco apertissime Propheta per spiritum intelligit vitam. Precatur enim Deum, ut non sinat se occidi ab hostibus, sed vitam sibi conservet. Deinde colligitur ex hoc ipso loco Evangelii; posteaquam enim dixit Dominus: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, subiunxit Evangelista, *Et haec dicens, expiravit*; expirare enim est, definire spiritum trahere, quod est viventium: quod non de anima forma substantiali dicitur, sed de aere, quem spiramus dum vivimus, et spirare definimus cum morimur. Postremo colligitur hoc idem ex illis verbis Apostolicis: *Qui in diebus carnis suae, preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* (*Hebr.* 5.) Hunc locum aliqui exponunt de oratione, quam Dominus fudit in horto, dicens: *Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me.* (*Marc.* 24.) Sed eo loco Dominus non oravit cum clamore valido, neque fuit exauditus, ac ne ipse quidem exaudiri voluit, ut salvus fieret a morte. Oravit enim, ut calix passionis transiret a se, ut ostenderet desiderium naturale non moriendi, et se vere esse hominem, cuius natura mortem exhorret, sed addidit: *Non quod ego volo, sed quod tu: fiat voluntas tua.* Itaque in horto fieri non potest ut oratio Christi fuerit illa, de qua loquitur Apostolus ad Hebraeos. Alii orationem istam Christi, cuius meminit sanctus Paulus, volunt illam esse, quam Dominus pro suis crucifixoribus fudit in cruce, dicens: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* At eo tempore Dominus non est usus clamore valido, neque pro se oravit ut salvus fieret a morte: quae duo habentur aperte apud Apostolum ad Haebraeos. Oravit enim in cruce pro crucifixoribus, ut eis peccatum illud gravissimum, maximumque dimitteretur. Restat igitur, ut verba Apostolica intelligantur de oratione illa postrema, quam fudit in cruce, dicens: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* (*Luc.* 23.) quam orationem fudit cum clamore valido, dicente sancto Luca: *Et clamans voce magna Jesus, ait*, ubi manifeste Paulus Lucasque consentiunt. Deinde oravit Dominus ut salvus fieret a morte, teste beato Paulo, id quod non potest significare, ut non moreretur in cruce: sic enim non fuisset exauditus, et Apostolus exauditum fuisse testatur: (*Hebr.* 5.) sed significat, cum petiisse ut non absorberetur a morte, sed mortem solum degustaret, et mox reverteretur ad vitam: hoc enim significant illa verba. *Preces supplicationesque ad eum, qui posset illum salvum facere a morte, obtulit.* Non enim ignorare poterat Dominus, se omnino moriturum, ac praesertim cum esset iam vicinissimus morti, sed cupiebat salvus fieri a morte, in hunc sensum, ut non diutius teneretur a morte: quod nihil fuit aliud, nisi orare pro celeri resurrectione: in qua re plane exauditus est, cum tertia die gloriosissime resurrexit. Haec vero explicatio testimonii Paulini satis aperte convincit, spiritum accipi pro vita, non pro anima, cum Dominus ait: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Non enim sollicitus erat Dominus de anima, quam sciebat esse in tuto, cum beatissima esset, et

Deum facie ad faciem iam a sua creatione vidisset : sed sollicitus erat de corpore, quod vita destituendum per mortem esse videbat: atque adeo precabatur, ut corpus non diu maneret in morte, quod, ut diximus, cumulatissime impetravit.

CAP. XX.

De primo fructu verbi septimi

Jam vero ex hoc verbo postremo, et morte Christi, quae proxime secuta est, fructus aliquos more nostro colligemus. Ac primum ex ea re, quae infirmitatis et stultitiae plenissima fuisse videtur. demonstrari video potentiam, sapientiam, et charitatem Dei longe maximam. In eo enim quod Dominus clamans voce magna expiravit, perspicue cernitur potentia. Hinc enim colligitur, eum potuisse non mori, et sponte sua obiisse. Qui enim naturaliter moriuntur, paulatim vires et vocem amittunt, neque in extremo spiritu clamare possunt. Proinde non sine causa Centurio videns, quod Jesus, tanto profuso sanguine, clamans exspirasset, dixit : *Vere filius Dei erat iste.* (*Matt.* 27.) Magnus Dominus Christus est, qui etiam morieus potentiam suam ostendit, non solum in extremo spiritu clamando, sed etiam terram concutiendo, lapides scindendo, monumenta aperiendo, velum templi disrumpendo : (*Mat.* 26) quae omnia Christo moriente facta esse, Evangelia testantur. Accedit quod ista omnia mysterio non carent, in quo etiam Christi sapientia ostenditur. Nam concussio terrae et scissio petrarum significabant, per Christi passionem et mortem fuisse promovendos homines ad poenitentiam, et etiam obstinatorum corda scindenda: quod illo ipso tempore factum fuisse scribit sanctus Lucas, cum refert, multos ab illo spectaculo reversos *percutientes pectora sua.* (*Luc.* 23.) Apertio sepulchrorum designabat resurrectionem mortuorum gloriosam ex Christi morte successuram. Scissio veli, unde patuerunt Sancta Sanctorum, signum fuit, ob meritum mortis Christi aperiendum caeleste sanctuarium, et Sanctos omnes deinceps admittendos ad videndam faciem Dei. Neque solum in his mysteriis significandis sapientiam suam Christus ostendit: sed etiam in eo, quod ex morte vitam produxit: (*Num.* 26.) in cuius rei figuram Moyses ex lapide scaturire fecit aquam : (*Joan.* 12.) et ipse Christus ob eamdem causam grano frumenti se ipse comparavit, quod moriendo multo fructum adfert: nimirum ut granum frumenti dum corrumpitur, germinat spicam virentem, sic Christus moriendo in cruce multitudinem gentium vita gratiae donavit, et apertissime sanctus Petrus (1. *Petr.* 3.) de Christo dicit: *Deglutiens mortem, ut vitae aeternae haeredes efficeremur.* Quasi dicere voluisset : Primus homo deglutiens dulce pomum vetitum,omnem posteritatem morti addixit: secundus homo deglutiens mortis pomum amarissimum omnes, qui ex illo renascuntur, ad vitam aeternam adduxit. Denique sapientiam suam moriendo Christus aperuit, quia fecit, ut crucis patibulum, quo nihil faedius aut horribilius olim cernebatur, factum sit honorificentissimum et gloriosum, ut Reges ipsi illud in fronte gestare honori sibi ducant. Nec solum honorificum, sed etiam dulce et amabile Christi amatoribus factum est. Unde canit Ecclesia: *Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinuit.* Quod ipsum sanctus Andreas exemplo suo demonstravit, dum crucem, in qua figendus erat, aspiciens, dixit : *Salve crux pretiosa, quae decorem de membris Domini suscepesti diu desiderata, sollicite quaesita, sine intermissione amata, et iam concupiscenti animo praeparata, securus et gaudens ad te venio, et tu exultans suscipias me discipulum eius, qui pependit in te magister meus Christus.*

Quid iam de charitate dicemus? sententia Domini est: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*(*Joan.* 15.) Id fecit Christus in cruce: nemo enim potuit illo invito vita ipsum spoliare. *Nemo* (*Joan.* 10.) inquit ipse, *tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso.* Ideo autem maiorem charitatem nemo habet, quam ut vitam suam ponat pro amicis suis, quia nihil amabilius vel pretiosius vita inveniri potest. cum ipsa fundamentum sit omnium bonorum. *Quid enim prodest homini,* (*Matt.* 16. inquit idem ipse Dominus, *si mundum universum lucretur, animae vero suae*, id est vitae suae, *detrimentum patiatur*? Hinc omnia pro viribus resistunt, et supra vires resistere conantur iis, qui vitam eripere conantur. Ex quo legimus in libro Iob: *Pellem pro pelle, et cuncta quae habet homo, dabit pro anima sua.* (*Job.* 2.) id est, pro vita sua. Sed haec generalia sunt : veniamus ad propria Christus charitatem suam erga genus humanum, et erga unumquemque nostrum in cruce moriendo multis modis ineffabiliter demonstravit. Primum enim, vita eius omnium vitarum pretiosissima erat, quippe vita hominis Dei, vita Regis omnium potentissimi, vita doctorum omnium sapientissimi, vita proborum omnium optimi. Deinde, vitam posuit pro inimicis, pro sceleratis, pro ingratis. Praeterea, vitam posuit, ut istos inimicos, sceleratos, et ingratos, a gehennae incendiis quibus addicti iam erant, sui sanguinis pretio liberaret. Denique vitam posuit, ut istos eosdem sibi fratres et coheredes efficeret, et in regnis caelestibus perpetuo felicissimos collocaret. Et erit deinceps aliquis tam durus et tam efferatus, qui Christum Jesum toto corde non diligat? et in eius gratiam quaecumque aspera non sustineat? Avertat Deus cor tam lapideum et ferreum, non a fratribus nostris tantum, sed ab omnibus hominibus, etiam infidelibus et atheis.

CAP. XXI.

De secundo fructu verbi septimi.

Alter fructus, et quidem utilissimus erit, si discamus frequentare orationem, quam Magister noster Christus nos docuit, cum iturus ad Patrem dixit: *In manus tuas commendo spiritum meum* (*Luc.* 23.) Sed quoniam ipse non ea necessitate premebatur, qua nos premitur, et ipse Filius et

Sanctus erat, nos servi, et peccatores sumus: ideo Ecclesia mater et magistra nostra eamdem orationem frequentare nos docet, sed integram, ut est in Psalmo Davidis, non dimidiatam, ut Christus eam protulit. In Psalmo sic legitur: *In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.* (*Psalm.* 30.) Omisit Christus partem posteriorem, quia ipse redemptor est, non redemptus: nos, qui pretioso eius sanguine redempti sumus, istam partem omittere non debemus. Praeterea, Christus Patrem oravit, ut Filius unigenitus; nos Christum oramus, ut redemptorem; ideo non dicimus: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum:* sed, *In manus tuas Domine commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.* Ad quem modum sanctus protomartyr Stephanus moriturus, (*act.* 7.) dixit: *Domine Jesu suscipe spiritum meum.*

Porro Ecclesia mater nostra tribus temporibus hanc orationem frequentare nos docet. Primum diebus singulis ad Completorium, ut noverunt, qui Horas Canonicas legunt. Deinde, cum ad sacrosanctam Eucharistiam accedimus; post, *Domine non sum dignus*: sacerdos primum pro se, deinde pro aliis communitatis dicit: *In manus tuas Domine commendo spiritum.* Denique, in exitu de hac vita fideles omnes admonentur, ut dicant: *In manus tuas Domine*, etc. Quod attinet ad Completorium, non dubium est quin dicatur, *In manus tuas Domine*, etc. quoniam Completorium ad finem diei legi solet; ac, ut loquitur sanctus Basilius, (*In Regulis fusius explicatis, qu.* 37.) *primisse intendentibus tenebris, et quoniam nocturnis horis facile fieri potest, ut mors inopinata nos opprimat, commendamus animam nostram Domino, ut si forte subitanea mors nobis adveniat, non adveniat improvisa.* Quod autem tempore sacrosanctae Eucharistiae percipiendae dici debeat, *In manus tuas Domine*, ratio est in promptu; quoniam actio illa valde periculosa, et simul, etiam valde necessaria est, ut sine periculo neque frequentari, neque intermitti possit. *Qui enim.* (1. *Cor.* 11.) sumit Corpus Domini *indigne iudicium sibi manducat*, id est, condemnationem sibi ipse sumit: qui Corpus Domini non sumit, panem vitae et ipsam vitam non sumit. Itaque angustiae nobis sunt undique quales experiuntur qui valde esuriunt, et tamen certi non sunt, an quod apponitur ad comedendum, cibus sit, an venenum. Igitur merito cum timore et tremore dicimus: *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum*, (*Matt.* 8.) nisi tu ex pietate tua feceris dignum: ideo *dic tantum verbo, et sanabitur anima mea.* Sed quia de hoc etiam ambigo, an plagas meas sanare dignatus fueris, *in manus tuas commendo spiritum meum*, ut in hoc tam terribili negotio adsis animae meae, quam redemisti pretioso sanguine tuo.

Haec si multi cogitarent, non tam avide se ingererent, ad sacerdotium suscipiendum, ut postea quotidie celebrando victum quaererent. Isti enim non valde solliciti esse solent, an ea, qua par est, praeparatione accedant, cum finis eorum magis sit cibus corporis quam animae. Multi etiam, qui in aulis Praelatorum vel Principum famulantur, etiamsi rite parati non sint ad mensam illam tremendam, accedunt tamen humano timore ducti, ne forte Principi vel Praelato suo displiceant, si tempore constituto inter communicantes non apparerent: quid ergo? utilius fortasse erit quam rarissime ad mensam illam accedere? Imo vero utilius est frequenter accedere, sed cum praeparatione debita. Quo enim quis rarius accedit, (*Lib.* 4. *in Joan. cap.* 17.) eo minus aptus efficitur ad participationem mensae caelestis, ut sanctus Cyrillus sapienter admonuit.

Restat tempus propinquae mortis, in quo necesse est cum magno mentis ardore orationem istam frequentare ac dicere: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.* Illud enim est tempus, in quo agitur de summa rerum omnium. Nam si forte tunc anima de corpore exiens in manus diaboli veniat, nulla restat ad salutem via. Et contra, si ad paternas Dei manus aditum habeat, nulla deinceps timenda est inimicorum potentia. Itaque cum gemitu inenarrabili, cum vera atque perfecta contritione, cum fiducia multa infinitae misericordiae Dei, iterum atque iterum repetendum est: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.* Et quoniam in illo temporis articulo nullam graviorem tentationem patiuntur, qui negligenter vitam duxerunt, quam desperationis, quasi tunc poenitentiae tempus iam praeterierit; scutum fidei opponendum est, cum scriptum sit: *Quacumque die peccator ingemuerit, peccatorum eius non recordabor.* (*Ezechiel.* 33. *S. Leo Ep. ad Theodorum Episcopum.*) et galea spei arripienda, quae in infinita Dei miseratione confidat, et identidem repetendum: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.* Nec omittenda oratio illa, quae fundamentum spei nostrae esse debet, *redemisti nos Domine Deus veritatis.* Quis enim ei refundet innocentem sanguinem quis ei restituet pretium, quo nos emit? sic loquitur sanctus Augustinus in libro nono Confessionum; nos omnes docens, ut multum omnino confidamus in redemptione, quae est in Christo Jesu, quae irrita esse non poterit, nisi nos ipsi obicem impoenitentiae vel desperationis opponamus.

CAP. XXII.

De fructu tertio verbi septimi.

Fructus tertius in eo positus est, ut discamus, morte propinquante, non multum esse confidendum in eleemosynis, ieiuniis, et orationibus propinquorum vel amicorum. Multi sunt enim, qui dum vitam ducunt, obliviscuntur animae suae, neque aliud cogitant aut agunt, quam ut filios vel nepotes quam ditissimos relinquant. Cum autem moriendum est, tunc primum de anima propria cogitare incipiunt; et quoniam facultates suas iam inter filios vel nepotes diviserunt, animam suam illis commendant, ut eam eleemosynis, precibus, et sacrosancto Sacrificio, aliisque bonis operibus iu-

vent. Nos hoc exemplo suo Christus docuit, qui non cognatis, sed Patri spiritum commendavit : neque hoc sanctus Petrus admonuit, ut fideles animas suas filiis aut nepotibus, sed ut *fideli Creatori commendent benefactis.*

Non reprehendo eos, qui pro anima sua eleemosynas fieri, et sacrosanctae Missae sacrificia offerri iubent, vel petunt, vel optant ; sed damno in primis eos, qui in filiis vel nepotibus nimium confidunt ; cum usus doceat, facile illos oblivisci maiorum suorum defunctorum, Deinde reprehendo, quod in re tanti momenti non ipsi prospiciant, non ipsi eleemosynas multas faciant, quibus multos sibi amicos concilient, a quibus, iuxta Evangelium recipiantur in aeterna tabernacula. (*Luc.* 16.) Praeterea gravissime illos arguo, qui non obediunt Principi Apostolorum, qui iubet fideli Creatori animas proprias commendare. (1. *Petr.* 4.) nec solis verbis commendare, sed etiam benefactis commendare. Opera enim praemissa ad Deum, illa sunt, quae pios Christianos efficaciter vereque commendant. Audiamus quid sancto Joanni de caelo sonuerit: *Audivi vocem de caelo dicentem mihi: Scribe : Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.* (*Apocal.* 14.) Itaque opera bona facta dum vivimus, non facienda post mortem a filiis vel nepotibus, illa sunt, quae certo nos consequuntur: praesertim si opera illa non solum sint ex genere suo bona ; sed, ut sanctus Petrus non sine mysterio expressit. bene sint facta. *Fideli Creatori*, inquit, *commendent animas suas in benefactis.* (1. *Petr.* 4.)plurimi enim sunt, qui bona opera quam plurima a se facta numerare possunt, conciones frequentes, Missas quotidianas, Preces horarias annorum multorum , ieiunia Quadragesimalia annis plurimis continuata, eleemosynas quoque non paucas: sed cum ad examen divinum ista venerint, et accurate discutientur an bene fuerint facta, recta intentione, cum attentione debita, suis tempore et loco, ab homine grato Deo, o quam multa, quae videbantur lucra, in detrimenta numerabuntur! o quam multa, quae humano iudicio videbantur (1. *Cor.* 3.) aurum, argentum, et lapides pretiosi supra fundamentum Fidei aedificata, invenientur ligna, foenum, stipulae quae mox ignis consumet! Haec me consideratio non parum exterret : et quo magis ad exitum propinquo (nam, ut Apostolus loquitur, *quod antiquatur et senescit, prope interitum est*) (*Heb.* 8.) tanto clarius video mihi necessarium esse consilium sancti Joannis Chrysostomi, (*Hom.*38.*ad Pop.Antioh.*) qui monet ut de nostris operibus bonis non multum cogitemus ; quoniam ea, si quae sunt vera bona, id est, bene facta, a Deo scribuntur in libris rationum ; neque periculum est ut mercede debita fraudentur: sed de malis nostris operibus assidue cogitemus, atque ea corde contrito et spiritu contribulato, multis lacrymis, et seria poenitentia diluere satagamus. Qui enim hoc agunt, cum bona spe in exitu dicent : *In manus tuas Domine commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis.*

CAP. XXIII.

De fructu quarto verbi septimi.

Sequitur fructus quartus, qui ex felicissima exauditione orationis Domini colligi potest, ut eo tam fausto eventu nos omnes animati, ardentiores simus in nostro spiritu Domino commendando. Verissimo enim Apostolus scripsit, exauditum fuisse Dominum Jesum Christum *pro sua reverentia.* (*Hebr.* 5.) Oraverat Dominus Patrem, ut supra demonstravimus, pro celeri resurrectione corporis sui : exaudita est oratio illa, ut non diutius resurrectio differretur, quam necesse esset ad fidem faciendam, vere corpus Domini fuisse mortuum. Nisi enim probari potuisset, corpus illud vere vita fuisse defunctum, ipsa quoque resurrectio, et tota fides Christiana nutaret. Debuit igitur Christus in tumulo iacere ad horas, ut minimum, quadraginta; praesertim cum esset implenda figura Jonae Prophetae, quam ipse Dominus in Evangelio ad mortem suam praemonstrandam, factam fuisse docuit. Sed ut resurrectio Christi, quantum fieri poterat, acceleratur, et Christi oratio manifestius exaudita demonstraretur ; tres dies et tres noctes, quibus Jonas fuit in ventre ceti, voluit, divina providentia ut revocarentur in Christi resurrectione ad unum integrum diem, et duas partes dierum ; quod tempus non proprie, sed per figuram intellectionis dici poterat continere tres dies et tres noctes. Neque solum exaudivit orationem Christi Pater, accelerando tempus resurrectionis, sed etiam restituendo corpori mortuo vitam sine comparatione meliorem quam ante fuisset. Siquidem vita Christi ante obitum mortalis erat, et restituta ei est immortalis. *Christus* enim *resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* (*Rom.* 6.) ut Apostolus dixit. Vita Christi ante mortem passibilis erat, id est, obnoxia fami, siti, fatigationi, vulneribus: restituta est impassibilis, et nulli omnino iniuriae subiecta. Corpus Christi ante mortem erat animale; evasit per resurrectionem spirituale, id est, ita subiectum spiritui, ut posset in ictu oculi deferri quocumque spiritus voluisset.

Porro causa, ob quam oratio Christi tam facile fuerit exaudita, subiungitur ab Apostolo, cum ait, *pro sua reverentia*, quae vox Graece εὐλάβεια, significat timorem reverentialem, qui in Christo erga Patrem omnino eximius fuit. Ideo enim Isaias describens dona Spiritus sancti ; quae in Christi anima fuerunt, de aliis donis dixit: *Requiescit super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis : spiritus scientiae, et pietatis* (*Isai.* 11.) de timore reverentiali dicit, *et replebit eum spiritus timoris Domini.* Quoniam ergo anima Christi plenissima erat timore reverentiali erga Patrem ; ideo et Pater in illo sibi maxime complacebat, iuxta illud Matthaei: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* (*Matth.* 3. *et* 17.) et quemadmodum Filius Patrem summopere reverebatur, ita, et Pater semper eum orantem audiebat, et quidquid peteret, concedebat.

Hinc et nos discere debemus, si volumus a Patre caelesti semper audiri, et quidquid ab illo petimus impetrare, oportere nos Christum imitari, et Patrem caelestem summa reverentia prosequi, et nihil eius honori anteponere. Sic enim fiet, ut nos quidquid petierimus, impetremus, ac praesertim illud, in quo summa stat rerum nostrarum, ut morte propinquante commendatam Deus habeat animam nostram de corpore egredientem, quando leo rugiens prope adstat paratus ad praedam. Neque existimet aliquis, reverentiam Deo exhibendam solum in genuflexione, in capitis apertione, in eiusdem generis cultu atque honore: non hoc solum vox εὐλάβεια, id est, reverentialis timor significat; sed potissimum designat timorem magnum offensionis divinae, horrorem intimum et perpetuum peccati; non ob timorem poenae, sed ob amorem Patris. Ille reverentiali timore vere praeditus est, qui culpam, praecipue lethalem, ne cogitare quidem audet. *Beatus vir*, (*Psal.* 111.) inquit David, *qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis*, id est, ille timet vere Deum, ac per hoc beatus dici potest, qui valde studet omnia Dei mandata servare. Atque hinc illa sancta vidua Judith *timebat Dominum valde*, (*Judith.* 8.) ut in eius libro scriptum legimus, quoniam cum esset adolescentula et speciosissima, et dives valde, defuncto viro suo, ne ullam occasionem peccandi dare vel accipere posset, in cubiculo secreto cum puellis clausa morabatur, et habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus, praeter festa domus Israel. En quanto zelo in ipsa Lege veteri, quae maiorem multo licentiam permittebat quam Evangelium, cavebat peccata carnalia mulier adolescentula et dives, non alia de causa, nisi quia *timebat Dominum valde*. Id ipsum de sancto Job Scriptura sancta commemorat. Iste enim pepigerat foedus cum oculis suis, ut ne cogitaret quidem de virgine, id est, nolebat omnino virginem aspicere, ne forte ex aspectu cogitatio ulla minus honesta subreperet. Et cur tam diligenter Job ista vitabat? quia timebat Dominum valde, sic enim adiungit. *Quam enim partem haberet in me Deus desuper?* (*Job.* 13.) id est, si turpis cogitatio me utcumque foedaret, non essem ego pars Dei, neque esset Deus pars mea. Quod si vellem exempla Sanctorum novi Testamenti proferre, nullus esset finis. Hic igitur est timor Sanctorum, quo nos quoque pleni essemus, nihil esset quod si a Patre caelesti non facillime impetrare possemus.

CAP. XXIV.

De ultimo fructu verbi septimi.

Restat fructus postremus, qui ex consideratione obedientiae in ultimis verbis et in ipsa morte Christi declaratae colligitur. Quod enim Apostolus ait: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem*; *mortem autem crucis*; (*Phil.* 2.) tunc potissimum impletum est, cum Dominus verbi illis ploratis, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, continuo expiravit. Operae pretium autem erit paulo altius repetere, quae de obedientia Christi dici possunt et debent, ut fructum pretiosissimum ex arbore sanctae crucis decerpamus. Christus igitur Magister et Dominus virtutem eam obedientiam exhibuit Deo Patri, ut maior neque cogitari neque fingi possit.

Primum obedientia Christi erga Patrem, ab ipsa eius conceptione initium sumpsit, et usque ad mortem sine intermissione duravit; sic ut vita Domini nostri Jesu Christi unus fuerit continuatae obedientiae cursus; siquidem anima Christi in ipso primo suae creationis momento usum habuit liberi arbitrii; et simul gratia, et sapientia plena fuit: ac per hoc ex illo primo instanti, adhuc in utero matris inclusus, exercere coepit obedientiam. Id quod in Psalmo illo exprimitur, ubi dicitur in persona Christi: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei* (*Psal.*39.) Illud, *in capite libri*, nihil aliud significat, nisi in summa Scripturae divinae hoc est, in tota Scriptura summatim ac praecipue de me praedicatur, quod ad hoc electus et missus fuerim, *ut facerem voluntatem tuam*. Ego vero, *Deus meus* id *volui*, ac libentissime acceptavi: ac *legem tuam*; mandatum tuum, imperium tuum *in medio cordis mei* posui, ut illud semper considerarem, et accuratissime promptissimeque perficerem. Huc etiam respiciunt illa eiusdem Christi verba. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius.* (*Joan.* 4.) Quemadmodum enim cibus non semel aut iterum per totam vitam sumitur, sed quotidie, et cum voluptate sumitur: sic ipse Dominus noster quotidie et volenti animo in obedientiam Patris incumbebat: unde et dicebat: *Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* (*Io.* 6.) Et apertius alio loco; *Qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum; quia ego, quae placita sunt ei, facio semper.* (*Ioan.* 8.) Et quoniam obedientia sacrificium est sacrificiorum omnium praestantissimum iuxta Samuelis sententiam, (1.*Reg.* 15.) ideo Christus quot opera faciebat dum in terris peregrinaretur, tot sacrificia, eaque Deo gratissima, offerebat. Haec igitur prima est obedientiae Christi praerogativa, quod ab ipsa conceptione usque ad vitae finem duraverit.

Deinde Christi obedientia non fuit determinata ad unum aliquod genus operis, ut inter homines fieri videmus: sed extendebatur ad omnia omnino, quae Deo Patri imperare placuisset; hinc tanta varietas in vita Christi Domini cernitur, ut nunc moraretur in deserto non manducans neque bibens, fortasse etiam neque dormiens, et cum bestiis degens, ut sanctus Marcus (*Marc.* 1.) adnotavit, nunc in frequentia hominum manducans et bibens: nunc domi obscurus et tacens, idque per annos non paucos: nunc eloquentia et sapientia clarus, et miracula maxima patrans; nunc cum potestate magna ex templo eiciens ementes et vendentes: nunc denique latens, et quasi imbecillus declinans a turba, quae omnia requirunt animum liberum ab omni propria voluntate. Neque enim Dominus dixisset, *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum*, (*Matth.* 16.) id est propriae voluntati, proprioque

iudicio renuntiet, nisi ipse hoc iam fecisset: neque alibi ad obedientiae perfectionem cohortans discipulos suos, addidisset: *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus*; (*Luc.* 14.) nisi ipse prior rebus omnibus, quae ardenter diligi solent, nuntium remisisset, sicut etiam animam suam, id est vitam propriam paratus tam prompte deserere, ac si eam vere odisset. Haec est vera radix et quasi mater obedientiae, quae in Christo Domino mirabiliter fulsit; et qua qui carent, vix unquam ad perfectae obedientiae palmam pervenient. Quo modo enim poterit alienae voluntati prompte parere, qui propriae voluntati proprioque iudicio ad aeret? Haec nimirum est causa, cur caelestes orbes Angelis moventibus non resistant, sive in ortum, sive in occasum convertetur; quoniam non habent propensionem aliquam propriam sive ad unam partem, sive ad aliam: et eadem causa est cur ipsi quoque Angeli Deo iubenti ad nutum obediant, ut in Psalmo (*Psal.*102.) canit sanctus David; quia nullam habent propriam voluntatem repugnantem voluntati Dei, sed coniuncti feliciter cum Deo, unus spiritus sunt cum eo.

Praeterea obedientia Christi non solum longe lateque diffunditur, sed etiam quantum per patientiam et humanitatem ad ima deprimitur, tantum per meritorum excellentiam ad alta sustollitur. Est igitur tertia obedientiae Christi proprietas, quod ad incredibilem patientiam et humilitatem descendit. Incepit Christus infans, ad paternam implendam obedientiam, in ergastulo tenebricoso sciens et prudens habitare. Infantes ceteri, quia ratione carent in utero, nullas molestias sentiunt: Christus autem qui rationis usu fruebatur, horruisset sine dubio novem mensibus degere in ergastulo angusto et horrido materni uteri, nisi obedientia Patris, et charitas erga homines effecisset, ut ad liberandum genus humanum, ut Ecclesia canit, non horreret Virginis uterum. Deinde non exigua patientia et humilitas necessaria fuit, ut toto infantiae tempore Christus, qui etiam tunc sapientior erat Salomone, quippe in quo erant *omnes thesauri sapientiae et scientiae* (*Coloss.* 2.) Dei, sese ad infantium mores et imbecillitatem accommodaret. Sed illa admirabilis prorsus continentia et modestia fuit, necnon patientia et humilitas, quod per annos octodecim, ab anno duo decimo usque ad trigesimum, Patre iubente, (*Marc.* 6.) sic latuit in paterna domo, ut fabri filius, (*Matth.* 13.) et faber diceretur, et ignarus litterarum, et forte indocilis vulgo haberetur, cum tamen omnes homines et Angelos sapientia anteiret. Accessit postea gloria ingens ex praedicatione et miraculis, sed admixta egestati et laboribus assiduis dicente ipso: *Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidus: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* (*Luc.* 8.) Et fatigatus ex itinere sedit aliquando super fontem, cum pedes obiret civitates et castella, praedicans Regnum Dei. (*Joa.* 4.) Et tamen facile illi fuisset, si Patris obedientia sineret, vel humano vel angelico ministerio rebus omnibus abundare. Quid iam dicam de persecutionibus, de convitiis, de maledictis, de sputis, colaphis, flagellis, denique de ipso crucis supplicio? Hic vero humilis obedientia sic profundas egit radices, ut plane inimitabilis videatur.

Sed restat adhuc aliquid profundius, videlicet ultimum terribilium. Ab hoc profundum obedientia Christi pervenit, cum clamans voce magna dixit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum: et haec dicens expiravit.* Videtur autem Filius Dei hunc in modum Patrem affari voluisse: Ego a te, Pater, mandatum accepi, (*Joan.* 10.) ut ponerem animam meam, ut iterum eam reciperem: iam tempus advenit, ut hoc postremum mandatum tuum adimpleam. Et quamvis nimis sit amara disiunctio animae meae a carne mea, quae a principio unionis usque ad hanc horam cum summa pace et charitate coniunctae manserunt: quamvis etiam mors, invidia diaboli introducta, valde sit inimica naturae, et vere ultimum terribilium, tamen mandatum tuum in medio atque in intimo cordis mei altissime defixum, omnibus rebus praevalere debet. Ideo paratissimus sum hanc mortem deglutire, et calicem hunc amarissimum a te mihi datum exhaurire. Sed quia mandatum tuum fuit, ut sic ponerem animam meam, ut iterum reciperem eam; ideo *in manus tuas commendo spiritum meum*, ut primo quoque tempore illum mihi restituas. Et tunc licentia discedendi a Patre accepta, inclinato ad obedientiam capite, emisit spiritum. Sic obedientia vicit, et triumphavit; nec solum praemium amplissimum in ipso Christo recepit, ut qui infra omnes descenderat, et omnibus in gratiam Patris caelestis obtemperaverat, supra omnes ascenderet, et omnibus imperaret: sed etiam obtinuit, ut omnes homines, qui eius obedientiam et humilitatem imitarentur, ipsi quoque super omnes caelos ascenderent, et super omnia bona Domini sui constituerentur; ac demum participes throni et Regni fierent in aeternum. Denique de rebellibus et inobedientibus ac superbissimis spiritibus tam insignem triumphum duxit, ut omnes illi ad conspectum crucis contremiscant et fugiant.

Hoc exemplo aspicere et imitari debent quicumque ad veram gloriam aspirant, et pacem ac requiem animae suae desiderant. Nec solum viri Regulares: qui voto ad obedientiam superioris, qui loco Dei praesidet, sese obligarunt; sed omnes homines, qui Christi discipuli et fratres esse cupiunt, ad palmam huius praeclarissimae victoriae aspirare debent, nisi velint cum superbis daemonibus sub pedibus Sanctorum in aeternum gemere. Obedientia enim, quae divinis praeceptis debetur, et quam idem Deus deferri iubet iis, qui in terris praesunt; omnibus omnino necessaria est. Omnibus enim Christus dicit: *Tollite iugum meum super vos.* (*Matt.* 11.) et omnibus Apostolus loquitur cum ait: *Obedite Praepositis vestris, subiacete eis*: (*Hebr.* 12.) et omnibus etiam Regibus Samuel praecepit, cum ait: *Numquid vult Dominus holocausta, et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini. Melior est enim obedientia quam victima:* (1. *Reg.* 15.) et addidit, ut gravitatem peccati inobedientiae demonstraret, quia *quasi scelus idolo-*

latria est, *nolle acquiescere*, mandatis videlicet Domini, et eorum qui loco Domini praesunt.

Sed in gratiam eorum, qui se totos maiorum obedientiae sponte subiiciunt, addam pauca de felicissimo eorum statu, non ex sensu, sed ex verbis Jeremiae Prophetae, qui Spirito sancto inspirante loculus, ait: *Bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua : sedebit solitarius, et tacebit, quia legavit se super se.* (*Thren.* 3.) Admiranda plane felicitas significatur verbo illo, *Bonum est viro* : nam, ut ex verbis sequentibus aperte colligitur, bonum hoc loco dicitur id, quod est utile, honorificum, iucundum, denique omni ex parte beatum. Si quis enim assuescat ab adolescentia portare iugum obedientiae, liber erit per totam vitam a iugo durissimo carnalium cupiditatum, testis est S. Augustinus in octavo libro Confessionum, quam difficile sit excutere a se iugum concupiscentiae illi, qui per annos aliquos legi carnis obedivit: et contra, quam sit iucundum et facile iugum Domini portare, antequam vitiorum laquei animam irretierint. Deinde quam ingens lucrum est, in omni opere mereri, apud Deum, qui enim nihil agit ex voluntate propria, sed ex obedientia Praelati, in omni opere sacrificat Deo sacrificium illi gratissimum quia ut loquitur Samuel. *melior est obedientia, quam victimae.* (1. *Reg.* 15.) et rationem reddit S. Gregorius, quia *per victimas aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur.* (*Lib. Mor.* 35. *cap.* 10.) Et quod est prorsus admirabile, si forte Praelatus peccet imperando, subditus non peccat, sed meretur obediendo, modo quod iubetur non sit manifeste, peccatum. Addit Jeremias, *sedebit solitarius, et tacebit.* Quid enim est, *sedebit*, nisi quiescet quia invenit requiem animae nuntium remisit voluntati propriae et se totum divinae voluntati adimplendae addixit, nihil ambit, nihil quaeret, nihil cogitat, nihil desiderat: sed liber a mordacibus curis, sedet cum Maria *secus pedes Domini* (*Luc.* 10.) audiens *verbum illius*; et vere solitarius sedet, tum quia cum illis habitat, qui sunt cor unum et anima una: (*Actor.* 4.) tum quia neminem singulari ac privato amore prosequitur, sed omnes in Christo et propter Christum diligit. Ideo etiam tacet, quia cum nullo litigat, cum nullo rixatur, cum nullo negotium proprium habet. Atque huius tantae quietis illa ratio est, *quia levavit se super se*, transcendit enim ab ordine hominum ad ordinem Angelorum. Multi sunt qui abiiciunt se infra se, atque ad ordinem transeunt bestiarum : illi videlicet, qui terrena sapiunt, et nihil magnifaciunt, nisi quae carnem oblectant, vel sensus corporales pascunt, avari lascivi, comessationibus et ebrietati addicti. Alii sunt qui vitam hominum vivunt, et in se quodammodo manent, quales sunt Philosophi, qui vel naturae secreta rimantur, vel de moribus praecepta tradunt. Alii denique levant se supra se, non sine insigni dono et auxilio Dei, et vitam non tam humanam quam angelicam ducunt: illi videlicet, qui relictis omnibus, quae in mundo possident, et abnegata etiam voluntate propria, cum Apostolo dicere possunt: *Nostra conversatio in coelis est* (*Phil.* 3.) et Angelorum puritatem, et contemplationem, et obedientiam aemulantes, vitam non tam humanam quam Angelicam ducunt. Angeli enim nulla unquam peccati sorde inquinantur, et semper contemplantur *faciem Patris, qui in caelis est.* (*Matth.* 18.) et negotiis aliis intermissis, toti sunt in mandatis Domini exequendis intenti, iuxta illud Psalmi, *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius.* (*Psalm.* 102.) Haec est felicitas vitae regularis, quae si serio Angelorum puritatem, et obedientiam imitetur in terris, sine dubitatione ulla eorum gloriae particeps erit in caelo, praesertim si Christum Ducem et Magistrum sequatur, qui *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* (*Phil.* 2.) et qui, *cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quae passus est, obedientiam.* (*Hebr.* 5.) id est, experimento proprio didicit, ex patientia veram probari obedientiam ; ac per hoc non solum obedientiam exemplo suo docuit, sed docuit etiam obedientiae verae atque perfectae fundamenta et quasi bases solidissimas esse humilitatem et patientiam. Qui enim libenter obedit Superiori suo cum iubet opera honorifica et iucunda, is non plane demonstrat, an virtus obedientiae, an aliquid aliud eum ad parendum invitet : sed qui in rebus vilibus et laboriosis, ubi humilitas et patientia necessariae sunt, prompte alacriterque obedit : ille certus esse potest, se ut verum Christi discipulum, veram atque perfectam obedientiam didicisse.

Egregie omnino differentiam S. Gregorius explicat. Sic autem loquitur : (*Libr.* 35. *Mor. cap.* 10.) « Quia nonnumquam nobis huius mundi prospera, nonnumquam vero iubentur adversa scien« dum summopere est, quod obedientia aliquando « si de suo aliquid habeat, nulla est : aliquando « autem si de suo aliquid non habeat, minima. Nam « cum huius mundi secessus praecipitur, cum lo« cus superior imperatur ; is qui ad percipienda « haec obedit, obedientia sibi virtutem evacuat, si « ad haec etiam ex proprio desiderio anhelat. Ne« que enim se sub obedientia dirigit, qui ad acci« pienda huius vitae prospera, libidini propria am« bitionis servit. Rursus cum mundi despectus « praecipitur, cum probra adipisci et contumeliae « iubentur, nisi ex se ipse animus haec appetat, « obedientia sibi meritum minuit: quia ad ea, quae « in hac vita despecta sunt, invitus nolensque de« scendit. Quae detrimentum quippe obedientia « ducitur, cum mentem ad suscipienda probra hu« ius saeculi nequaquam ex parte aliqua etiam sua « vota comitantur. Debet ergo obedientia et in ad« versis ex suo aliquid habere ; et rursus in pro« speris ex suo aliquid omnino non habere, quate« nus et in adversis tanto sit gloriosior, quanto di« vino ordini etiam ex desiderio iungitur : et in « prosperis tanto sit verior quanto a praesenti ipsa « quam divinitus percipit, gloria, funditus ex men« te separatur. Sed hoc virtutis pondus melius o« stendimus, si caelestis patria duorum hominum « facta memoremus. Moyses namque, cum ex de« serto oves pasceret. (*Exod.* 4.) Domino per « Angelum in igne loquente, vocatus, est, ut « eripiendae omni Israelitarum multitudini prae-

« esset. Sed quia apud se humilis extitit, oblatam « statim tanti regiminis gloriam expavit, dicens : « (Ex. 4.) Obsecro Domine, non sum eloquens ab « heri et nudius tertius: et ex quo coepisti lo- « qui ad servum tuum, tardioris et impeditioris « linguae sum factus ; et se postposito, alium « deposcit, dicens : Mitte quem missurus es. Ecce « cum auctore linguae loquitur, et ne tanti regimi- « nis potestatem suscipiat, elinguem se esse cau- « satur. Paulus quoque divinitus fuerat, ut in Jeru- « salem debuisset ascendere, admonitus, sicut « ipse ad Galatas dicit : (*Gal.* 2.) Isque in itinere « cum Prophetam Agabum reperisset, quanta se « adversitas in Jerosolymis maneret, audivit. Scri- « ptum quippe est, quod idem Agabus zonam Pau- « li (*Act.*11.) suis pedibus inferens dixit: Virum cu- « ius est, zona haec sic alligabunt in Jerusalem. « A Paulo autem protinus respondetur : Ego non « solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus « sum pro nomine Jesu. Praeceptione igitur reve- « lationis Jerosolymam pergens adversa agnoscit : « et tamen haec libenter appetit : audit. quae ti- « meat, sed haec ardentior anhelat. Moyses ita- « que ad prospera de suo nihil habeat: quia prae- « cepto renititur, ne Israeliticae plebi praeferatur. « Paulus ad adversas etiam ex suo voto ducitur « quia malorum imminentium cognitionem perci- « pit sed devotione spiritus etiam ad acriora ferve- « scit. Ille praesentis potestatis gloriam Deo vo- « luit iubente declinare : iste Deo aspera et dura « disponente, studuit ad graviora praeparare. Prae- « eunte ergo utrorumque Ducum infra virtute in- « stituimur, ut si obedientiae palmam, apprehen- « dere veraciter nitimur, prosperis huius saeculi « ex sola iussione, adversis autem etiam ex devo- « tione militemus ». Haec S. Gregorius. Quam doctrinam exemplo suo Magister omnium Christus Dominus apertissime comprobavit ; nam cum sciret, venturas esse turbas, ut raperent eum, et face- ret Regem *fugit in montem ipse solus.* (*Joan*: 6.) Sed cum sciret venturos Judaeos et milites cum Juda, ut eum caperent, et ad supplicium ducerent; iuxta praeceptum, quod habuerat a Patre, (*Matt.* 26.) obviam illis sponte processit et se capi ac li- gari permissit. (*Joan.* 28.) Christus igitur Magi- ster bonus non verbo et lingua obedientiam qua- lecumque ostentavit; sed opere et veritate obedien- tiam Patri exhibuit in vera patientia et humilitate fundatam. Hoc exemplar est nobilissimae virtutis, quod intueri semper debent, qui a Deo vocati ad palmam propriae abnegationis et Christi imitatio- nis aspirant.

DE

ARTE BENE MORIENDI

LIBRI DUO

PRAEFATIO

Cogitanti mihi in solito meo recessu, in quo a negotiis publicis vacans mihi ipse vaco, quae causa sit, cur artem bene moriendi, quae notissima omnibus esse deberet, paucissimi addiscere studeant; nihil occurrit aliud, nisi, quod Sapiens ait, stultorum infinitum esse numerum. (*Eccl.* 1.) Quae potest enim fingi vel cogitari stultitia maior, quam artem illam negligere, ex qua bona summa et sempiterna dependent; et artes plurimas ac pene innumerabiles magno labore perdiscere, et non minore studio exercere, quibus peritura bona vel conservantur vel augentur? Porro artem bene moriendi artem esse artium omnium maximam, nemo negabit, qui attente cogitare voluerit, in morte reddendam esse Deo rationem de omnibus, quae toto vitae spatio egerimus, dixerimus, cogitaverimus. (*Matt.* 12.) usque ad verbum unum otiose prolatum, diabolo accusante, conscientia testificante, poena mortis aeternae vel praemio sempiterno nos expectante. Videmus quotidie cum iudicium expectatur de rebus etiam infimis, litigantes quietem nullam capere; sed nunc Advocatos adire, nunc Procuratores, nunc Judices, nunc istorum ipsorum amicos vel affines; et in obitu pendente causa coram summo Judice, de vita vel de morte sempiterna, saepe, reus imparatus, et morbo oppressus, vix sui compos, cogitur rationem reddere de iis rebus, de quibus, dum bene valeret, fortasse numquam cogitavit. Hinc turmatim miseri mortales in gehennam ruunt; et ut loquitur sanctus Petrus. *Si iustus vix salvabitur, impius, et peccator ubi parebunt?* (1. *Pet.* 4.) Ego igitur operae pretium esse duxi, ut me ipse primum, deinde fratres meos admoneam, ut artem bene moriendi magnifaciamus: et si qui sint, qui ab aliis doctioribus magistris hanc artem nondum didicerint, ea saltem, quae nos de hac arte ex Libris sacris et scriptis veterum magistrorum colligere curavimus non despiciant.

Sed antequam ad praecepta huius artis veniamus, operae pretium esse duxi de natura mortis quaerere, utrum mors in rebus bonis vel malis reponenda sit. Et quidem si mors absolute consideretur, sine ulla dubitatione mala censenda est, quippe quae vitae opponitur, quam bonam esse negare non possumus. Accedit praeterea, quod *Deus mortem non fecit*, sed *invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum*. (*Sap.* 1. *et* 2.) ut Sapiens docet, cui subscribit Apostolus Paulus, cum ait: *Per unum hominem peccatum in mundum intravit, et per peccatum mors, in quo omnes peccaverunt.* (*Rom.* 5.) Certe si Deus fecit, mors bona non est: cum omne, quod Deus fecit, bonum sit, dicente Moyse: *Vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona.* (*Gen.*1)

Quamvis autem mors in se bona non sit, tamen sapientia Dei sic mortem quasi condire novit, ut ex morte multa bona oriri possint. Hinc David canit, *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius*, (*Ps.* 115.) et Ecclesia de Christo loquens, ait: *Qui mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit.* Certe mors, quae mortem destruxit, et vitam reparavit, nisi valde bona esse non potuit; proinde si non omnis, aliqua saltem mors bona fuisse dicenda est. Itaque sanctus Ambrosius librum *De bono mortis* inscribere non dubitavit, in quo libro satis aperte demonstrat, mortem, quamvis ex peccato natam, suas habere non exiguas utilitates.

Accedit denique ratio, quae mortem, quamvis in se malam, ex gratia Dei multa bona producere posse demonstrat. Primum enim, magnum bonum ex morte colligimus, cum ea finem imponit miseriis plurimis et maximis huius vitae. Job sanctus disertis verbis queritur de miseriis vitae praesentis. *Homo*, inquit, *natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* (*Job.* 14.) Ecclesiastes ait: *Laudavi magis mortuos, quam viventes, et feliciorem utroque iudicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala, quae sub sole fiunt.* (*Eccl.* 4.) Ecclesiasticus autem addit, et dicit: *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et iugum grave super filios Adam; a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturae in matrem omnium.* (*Eccl.* 40.) Apostolus quoque de miseriis huius vitae conqueritur, et ait: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* (*Rom.*)

His igitur testimoniis eloquiorum Divinorum satis probatur, mortem id habere in se boni, quod liberet hominem a miseriis plurimis huius vitae. Deinde, excellentius bonum mors adfert; cum ianua efficitur a carcere ad Regnum. Id sancto Joanni Evangelistae et Apostolo revelatum est a Domino, cum propter fidem exultaret in insula Patmos; *Audivi*, inquit, *vocem de coelo dicentem mihi, Scribe, Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.* (*Apoc.* 20.) Beata plane mors Sanctorum est, quae iussu coelestis Regis ab ergastulo carnis animam educit, et ad Regnum coeleste perducit; ubi defunctae laribus animae sanctae dulciter requiescunt, et pro mercede operum, coronam Regni percipiunt. Sed et animabus, quae ad Purgatorium deducuntur, non exiguum beneficium mors adfert; cum eas a timore gehennae liberat, et certas de futura ac sempiterna felicitate constituit. Quid, quod ipsis etiam reprobis hominibus mors adveniens aliquid utilitatis adferre videtur, dum eos a corpore separans, id efficit, ut mensura poenarum non amplius crescat? Propter has egregias utilitates mors hominibus piis non ostendit faciem horrendam, sed blandam; non terribilem, sed amabilem. Hinc Apostolus Paulus secure clamat; *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum*, (*Phil.* 2.) desiderium habens *dissolvi, et esse cum Christo*. Et in Epistola priore ad Thessalonicenses, admonet Christianos probos, (2. *Thess.* 4.) ut non contristentur in mortibus charorum, neque eos ut mortuos lugeant, sed ut dormientes aspiciant. Sed vixit etiam mulier quaedam sancta avorum nostrorum memoria, nomine Catarina Adorna, Genuensis, quae sic ardebat amore Christi, ut incredibili desiderio cuperet dissolvi, et ad dilectum migrare: hinc quasi mortis amore capta, eam saepe ut pulcherrimam et speciosissimam laudabat, id solum in ea reprehendens, quod se quaerentes fugeret, et se fugentes quaereret. Consulat Lector Vitam B. Catharinae Genuensis capit. VII.

Ex his igitur, quae dicta sunt, habemus, mortem ut prolem peccati, malam esse, sed ex gratia Christi, qui mortem subire pro nobis dignatus est, factam esse multis modis utilem et salutarem, amabilem et desiderabilem.

DE

ARTE BENE MORIENDI

LIBER PRIMUS

CAP. I.

De primo praecepto Artis bene moriendi, quod est, ut qui cupit bene mori bene vivat.

Aggredior nunc praecepta artis bene moriendi. Distribuemus autem hanc artem in partes duas: in priore trademus praecepta, quibus utendum erit, dum bene valemus: in posteriore trademus ea, quibus opus erit, cum morbo periculoso labora mus, ut credibile sit mortem esse prae foribus: ac in parte priore trademus primum praecepta, quae pertinent ad virtutes; deinde ea, quae pertinent ad Sacramenta: his enim duobus maxime iuvamur, tum ad bene vivendum, tum ad bene moriendum. Sed his omnibus praeponendum esse videtur gene rale praeceptum, ut bene vivat, qui bene mori de sideral: nam cum nihil sit mors, nisi vitae finis: certe omnis, qui usque in fine bene moritur, ne que potest male mori, qui numquam male vixit: quemadmodum etiam, qui male semper vixit, male moritur: nec potest non male mori, qui numquam bene vixit. Id quod in omnibus similibus rebus cer nimus: omnis enim, qui rectam viam tenet, ad lo cum, ad quem tendit, sine errore pertingit, contra vero qui a recta via aberrat, numquam exitum vi tae inveniet et qui diligenter in studia scientiarum incumbit, brevi doctus, vel etiam et doctor evadit et qui scholas frequentat, sed ad percipiendas di sciplinas animum non accommodat, oleum et ope ram perdit.

Sed obiiciet fortasse aliquis boni latronis exem plum, qui semper male vixit, et bene beateque vi tam finivit. Non ita est, quin potius pius ille latro pie sancteque vixit et ea de causa pie quoque san cteque mortem obivit: nam tametsi partem vitae maiorem in sceleribus consumpserit, tamen par tem aliam vitae usque adeo sancte traduxit, ut pec cata praeterita facile purgaverit, et merita eximia comparaverit. Nam et charitate in Deum flagrans, Christum ab impiorum calumniis palam defen dit; et charitate in proximum pariter flagrans, sodalem suum blasphemantem admonuit et corri puit, atque ad meliorem vitam revocare conatus est, vivebat enim vitam hanc mortalem, cum soda li suo diceret: *Neque tu times Deum, qui in ea dem damnatione es? Et nos quidem iuste, nam digna factis recipimus, hic vero nihil mali gessit* (*Luc.* 23.) neque mortuus erat, sed vivebat idem ipse latro, cum praeclaram illam vocem emisit, Christum confitens et invocans: *Domine, memento mei cum veneris in Regnum tuum.* Itaque videtur hic unus fuisse ex illis, qui ultimi venerunt ad vineam, et ante primos accepere mercedem.

Vera igitur et generalis est sententia illa, Qui male vivit, male moritur. Neque tamen negandum est, rem esse periculis plenam differre ad ultimum vitae conversionem a peccatis ad iustitiam; et lon ge feliciores esse qui iugum legis Dei portare in cipiunt *ab adolescentia sua.* (*Thr.* 3.) ut Jeremias loquitur: et omni ex parte felicissimos, qui *empti sunt ex hominibus primitiae Deo, et Agno*; *qui* non solum *cum mulieribus non sunt coinquinati*, sed nec *in ore eorum est inventum mendacium* et *sine macula sunt ante thronum Dei.* (*Apoc.* 24.) qualis fuit Jeremias Propheta, et plusquam Pro pheta Joannes, et in primis mater Domini, et alii atque aliae, quos Dei solius scientia novit. Maneat igitur primum pronunciatum, regulam bene mo riendi pendere a regula bene vivendi.

CAP. II.

De secundo praecepto Artis bene moriendi, quod est, mori mundo.

Jam vero ut quis bene vivat, necesse in primis est ut moriatur mundo, antequam moriatur vitae corporali. Omnes enim qui mundo vivunt, mortui sunt Deo; neque fieri ullo modo potest, ut quis in cipiat vivere Deo, nisi prius moriatur mundo. Haec autem veritas in Scripturis sanctis tanta evidentia praedicatur, ut nisi ab infidelibus et incredulis in dubium revocari possint. Ac ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, producam sanctos Apostolos, Joannem, Jacobum, et Paulum, testes omni exceptione maiores, quippe in quibus Spiri tus sanctus, qui Spiritus est veritatis, apertissime loquebatur. Sic igitur scribit Joannes Apostolus et Evangelista, Christum ipsum loquentem inducens: *Venit princeps mundi huius, et in me non habet quidquam*, (*Jo.* 14.) ubi mundi principem intelli git diabolum, qui princeps est omnium iniquorum: et per mundum intelligit coetum omnium peccato rum, qui diligunt mundum, et diliguntur a mundo. Idem paulo post: *Si mundus vos odit, scitote*

quia me priorem vobis odio habuit: si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret, quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. (*Joan.* 15.) Et alio loco: *Ego non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi*: (*Joan.* 27.) ubi manifeste Christus pronuntiat, mundi nomine intelligi eos, qui cum principe suo diabolo audient in judicio: *Ite maledicti in ignem aeternum.* Idem in Epistola sua addit: *Nolite diligere mundum, neque ea, quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo: quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae. quae non est ex Patre, sed ex mundo est: et mundus transit, et concupiscentiae eius: qui autem facit voluntatem Dei, manet in aeternum.* (*Joan.* 17. 1. *Jo.* 2.)

Audiamus nunc Coapostolum eius Jacobum, qui in Epistola sua sic loquitur: *Adulteri, nescitis quia amicitia huius mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse saeculi huius, inimicus Dei constituitur.*

Audiamus denique Coapostolum utriusque Paulum, vas electionis: hic in Epistola priore ad Corinthios, scribens fidelibus omnibus, dicit *Debuerat is de hoc mundo exisse.* (1. *Cor.* 5.) et in eadem Epistola addit: *Deum judicamur, ut non cum hoc mundo damnemur.* (1. *Cor.* 11.) ubi manifeste pronunciat, mundum totum in die novissimo esse damnandum. Proinde per mundum non intelligit coelum et terram, neque omnes homines qui sunt in mundo, sed eos tantum qui diligunt mundum. Justi enim et pii mortales, in quibus charitas Dei, non carnis concupiscentia regnat, sunt quidem in mundo, sed non de mundo; iniusti autem et impii, non solum in mundo sunt, sed etiam de mundo, et per hoc non *charitas Dei regnat in cordibus* eorum sed *concupiscentia cordis*, hoc est, luxuria: et *concupiscentia oculorum*, hoc est, avaritia; et *superbia vitae*, hoc est, elatio mentis, qua se efferunt super alios, et Luciferi arrogantiam et superbiam, non Christi Jesu humilitatem et mansuetudinem imitantur.

Quae cum ita sint si quis velit artem bene moriendi vere perdiscere, oportet eum serio, et non verbo et lingua, sed opere et veritate exire de mundo, imo etiam mori mundo. et cum Apostolo dicere, *Mihi mundus crucifixus est. et ego mundo.* (*Gal.* 6.) Est autem negotium hoc non ludus puerorum. sed res maxima et difficillima. Et ideo Dominus interrogatus an pauci sint qui salvantur, respondit: *Contendite intrare per angustam por-* (*Luc.* 23.) et apertius apud Matthaeum: *Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est quae ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est quae ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam!* (*Matt.* 7.)

In mundo vivere, et mundi bona contemnere, res est difficillima: videre res pulchras, et non amare; gustare dulcia, et non delectari, honores contemnere, labores appetere, novissimum locum libenter tenere, gradus altiores aliis omnibus cedere, denique in carne quasi sine carne vivere, Angelica potius quam humana vita dicenda esse videbatur. Et tamen Apostolus scribens ad Ecclesiam Corinthiorum, in qua pene omnes cum coniugibus fuisse vitam ducebant. ac per hoc non Clerici, non Monachi, non Anachoretae; sed ut nos nunc loquimur, saeculares erunt; sic tamen eos alloquitur: *Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est. Reliquum est, ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint: et qui flent, tanquam non flentes; et qui gaudent tanquam non gaudentes; et qui emunt tanquam non ementes: et qui possident, tamquam non possidentes; et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: praeterit enim figura huius mundi.* (1. *Cor.* 7.) Quorum verborum haec sententia est, ut hortetur Apostolus fideles, ut erecti ad spem coelestis felicitatis, rebus terrenis tam parum afficiantur, ac si ad eos non pertinerent: ament uxores, sed amore tam moderato, ac si eas non haberent: si flere necesse est ob amissionem filiorum vel fortunarum; tam moderate fleant, ac si non tristarentur neque flerent: si gaudium se offert ob lucrum vel honorem adeptum; tam modice gaudeant, ac si non gaudeant, id est, ac si gaudium ad ipsos non pertineret: si domum vel agrum emunt; ita modice rebus illis afficiantur, ac si eas non possiderent. Denique iubet Apostolus, sic nos in mundo degere, ac si hospites et peregrini, non cives essemus. Quod etiam Apostolus Petrus adhuc apertius docet, cum ait; *Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quae militant adversus animam.* (1. *Petr.* 2) vult enim hic beatissimus Apostolorum Princeps, ut etiam in propria civitate et domo sic vivamus, ac si in aliena domo et regione viveremus; parum omnino solliciti, si res in eo loco deficiant vel redundent. Id vero ideo praecipit ut sic abstineamus *a carnalibus desideriis, quae militant adversus animam*: non enim carnalia desideria facile insurgunt, cum ea videmus, quae ad nos non pertinent. Hoc igitur est in mundo non esse; quod ad eos pertinet, qui mundo mortui, soli Deo vivunt; ac per hoc mortem corporalem non timent, quae ipsis non detrimentum sed lucrum apportat, iuxta illud Apostoli Pauli, *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.* (*Phil.* 1.)

At quot quaeso, nostris temporibus inveniemus sic mundo mortuos, ut iam didicerint etiam carni bene mori. ac per hoc salutem suam in tuto ponere? Ego certe non dubito, in Ecclesia Catholica non solum in Monasteriis et in Clero, sed etiam in saeculo non paucos inveniri homines sanctos, et mundo vere mortuos, qui artem bene moriendi didicerint. Sed illud etiam negari non posse video, plurimos inveniri, non solum non mortuos mundo, sed mundo supra modum addictos, et voluptatum, honorum et divitiarum ardentissimos amatores, qui nisi mundo mori constituant, et reipsa mundo moriantur, (1. *Cor.* 11.) sine dubio mala morte peribunt, et cum ipso mundo, ut Apostolus loquitur, damnabuntur.

At inquient fortasse amatores mundi, nimis difficile est, mundo mori, dum in mundo sumus, et

ea bona negligere, quae Deus hominibus ad fruendum creavit. His ergo respondeo, non hoc Deum velle vel iubere, ut opes et honores atque alia mundi bona penitus negligantur, vel abiiciantur: nam et Abraham amicus Dei in primis fuit, et divitias ingentes possedit. David quoque, et Ezechias, et Josias, Reges ditissimi, et simul Deo amicissimi fuisse leguntur: quod idem de multis Christianis Regibus et Imperatoribus dicere possemus. Non igitur bona mundi huius, opes, honores, voluptates Christianis hominibus penitus interdicuntur: sed amor immoderatus rerum mundi huius, qui *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitae* a Joanne Apostolo nominatur. Abraham certe ditissimus erat, sed non solum divitiis moderate utebatur, sed etiam omnia statim ad nutum Dei profundere paratissimus erat. (*Gen.* 1.) Qui enim filio unico, optimo, et amantissimo non pepercit, cum eum Deus ab ipso patre immolari mandavit; quanto facilius opes omnes ad nutum Domini profudisset? Itaque Abraham dives opum erat, sed ditior fide et charitate; et ideo non erat de hoc mundo, quin potius mundo mortuus erat. Quod idem dici potest de aliis sanctis viris, qui divitiis, potentia, et gloria, Regnis etiam et Imperio praediti, pauperes spiritu fuerunt, et mundo mortui, soli Deo viventes, artem bene moriendi accuratissime didicerunt. Itaque non abundantia opum, neque celsitudo honoris, neque Regnum aut imperium faciunt hominem esse de mundo, velut vivat in mundo, sed *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae*, quae uno verbo cupiditas dicitur, et divinae charitati opponitur. Proinde si quis incipiat, Deo aspirante, ipsum Deum vere diligere propter se, et proximum propter Deum; incipiet exire de mundo, et crescente charitate, minuetur cupiditas, et incipiet ille idem mori mundo: non enim potest charitas crescere, quin cupiditas minuatur. Ita fiet, ut quod regnante cupiditate videbatur non posse fieri, ut videlicet homo in mundo vivens non esset de mundo, crescente charitate, et imminuta cupiditate, reddatur facillimum: quod enim cupiditati est onus importabile et durum, id charitati est iugum suave, et onus leve.

Quod ergo supra diximus, exire de mundo et mori mundo non esse ludum puerorum, sed rem maximam et difficillimam; verissime dictum est de iis, qui potentiam gratiae Dei non noverunt, et charitatis dulcedinem non gustaverunt; et qui animales sunt, spiritum non habentes: gustato enim spiritu desipit omnis caro. Igitur omnis, qui serio cupit artem bene moriendi perdiscere, ex qua arte pendet salus aeterna, et omnis vera felicitas, non differat exire de mundo, et plane mori mundo; cum fieri nullo modo possit, ut quis mundo vivat et Deo, et terra fruatur et coelo.

CAP. III.

De tertio praecepto Artis bene moriendi, quod est, de tribus virtutibus Theologicis.

Docuimus in superiore Capite, non posse bene mori, qui exit de mundo, et non moritur mundo: nunc addendum est, quid sit agendum ei, qui mortuus est mundo, ut vivat Deo: non enim datur bene mori, nisi ei qui bene vixit, ut in primo capite demonstravimus. Summa bene vivendi ponitur ab Apostolo in priore ad Timotheum in illis verbis, *Finis praecepti est charitas de corde puro, et fide non ficta.* (*1. Tim.* 1.) Non ignorabat Apostolus responsionem Domini ad eum qui interrogaverat, *Quid faciendo vitam aeternam possidebo?* (*Luc.* 10.) respondit enim: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata:* (*Matth.* 19.) sed voluit explicare paucissimis verbis finem praecepti primarii, ex quo tota Lex, et totius legis intelligentia et adimpletio, et via ad vitam aeternam dependet: et simul docere voluit, quae virtutes sint necessariae ad perfectam iustitiam, de quibus alibi dixerat, *Nunc manent..fides, spes, charitas, tria haec; maior autem horum est charitas,* (*1. Cor.* 13.) Ait igitur, *Finis praecepti est charitas,* hoc est, finis omnium praeceptorum, quorum observatio ad bene vivendum est necessaria, in charitate positus est; sic ut qui charitatem Dei habeat, omnia praecepta adimpleat, quae pertinent ad tabulam secundam. Declarat hanc posteriorem partem, quae obscurior videri poterat, idem Apostolus in Epistola ad Romanos, dicens: *Qui diligit proximum, legem implevit: nam Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur; plenitudo ergo legis est dilectio.* (*Rom.* 23.) Ex qua ratiocinatione unusquisque per se potest intelligere, omnia praecepta, quae ad Deum colendum referuntur, in una charitate impleri. Nam quemadmodum charitas proximi erga proximum non operatur malum, sic etiam charitas Dei erga Deum operari non potest malum: proinde plenitudo Legis, tam erga Deum, quam erga proximum, est dilectio.

Quae sit autem vera et perfecta charitas tam erga Deum quam erga proximum, declarat idem Apostolus, dicens, *Charitas ex corde puro, conscientia bona, et fide non ficta.* In quibus verbis per conscientiam bonam intelligimus cum sancto Augustino Praefatione in Psalmum trigesimum primum; virtutem Spei, quae est una ex tribus virtutibus Theologicis. Dicitur autem Spes conscientia bona, quia nascitur ex conscientia bona: quemadmodum desperatio ex conscientia mala: hinc est illud sancti Joannis: *Charissimi si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* (*Joan.* 3.) Sunt igitur tres virtutes, in quibus perfectio Legis Christianae consistit: Charitas ex corde puro, Spes ex conscientia bona, et Fides non ficta. Sed quemadmodum ordine perfectionis prima est Charitas, sic ordine generationis prima est Fides, iuxta illud eiusdem Apostoli: *Nunc manent fides, spes, charitas, tria haec; maior autem horum est charitas.* (*1. Cor.* 13.)

Ordiamur a Fide quae prima omnium existit in corde hominis iustificandi. Non sine causa beatus Apostolus ad fidem addidit, *non ficta.* Fides enim incipit iustificationem, modo sit vera et sincera.

non falsa vel ficta. Fides haereticorum non incipit iustificationem, quia non est vera, sed falsa: fides malorum Catholicorum non incipit iustificationem, quia non est sincera, sed ficta. Dicitur autem ficta duobus modis, quando vel revera aliquis non credit, sed fingit se credere; vel credit quidem, sed non vivit, ut credit esse vivendum. Utroque modo videntur esse intelligenda verba illa B. Pauli in Epistola ad Titum: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* (*Tit.* 1.) sic enim ea interpretantur sancti Patres, Hieronymus in Commentario, et Augustinus Serm. 31. De verbis Apostoli.

Et ex hac prima virtute hominis iusti facile potest intelligi, quanta sit multitudo eorum, qui non bene vivunt, ac per hoc male etiam moriuntur. Praetermitto infideles, paganos, haereticos, atheos, qui artem bene vivendi prorsus ignorant. Inter Catholicos, quantus est eorum numerus, qui verbis confitentur se nosse Deum, factis autem negant? qui confitentur Christum esse iudicem vivorum et mortuorum, et tamen ita vivunt ac si iudicem nullum haberent? qui Matrem Domini virginem esse fatentur, et blasphemando meretricem appellare non timent? qui preces, ieiunia, eleemosynas, opera caetera virtutum laudant, et vitia contraria semper exercent? Omitto caetera, quae nota sunt omnibus. Non igitur Fidem non fictam se habere iactent, vel non credunt, quod se credere mentiuntur, vel non vivunt ut Fides Catholica praecipit esse vivendum; ac per hoc agnoscant, se nondum coepisse bene vivere, nec sperent feliciter se morituros, nisi gratia Domini aspirante, artem bene vivendi, et bene moriendi perdiscant.

Altera virtus hominis vere iusti Spes est, sive *conscientia bona*, ut eam hoc loco appellandam censuit Magister noster Paulus Apostolus. Haec virtus ex Fide nascitur, non enim sperare potest in Deo, qui vel Deum verum non novit, vel eum potentem et misericordem esse non credit. Sed ad Spem excitandam et roborandam, ut non solum spes, sed etiam fiducia dici possit, plurimum valet conscientia bona. Qua fronte enim Deum adibit, atque ab eo beneficia petet, qui sibi conscius est peccati in Deum admissi, et per veram poenitentiam nondum expiati? Quis enim ab inimico beneficia petit? quis ab eo confidit se adiuvandum, quem sibi iratum esse non dubitat? Audi Sapientem, quid de spe impiorum sentiat, *spes impii*, inquit, *tanquam lanugo est, quae a vento tollitur, et tamquam spuma gracilis, quae a procella dispergitur, et tamquam fumus, qui a vento diffusus est, et tamquam memoria hospitis unius diei praetereuntis.* Haec Sapiens; qui sapientissime admonet impios, spem illorum rem esse fragilem, non solidam; brevem, non diuturnam; possunt enim dum vivunt, aliquo modo sperare se aliquando poenitentiam acturos, et Deo reconciliandos; sed cum mors advenerit, nisi Deus eos misericordia speciali praeveniat, et poenitentiam illis inspiret, spes in desperationem commutabitur, et cum aliis impiis dicent id, quod in eodem loco legitur: *Ergo erravimus a via veritatis; et iustitiae lumen non luxit nobis.* (*Sap.* 5.) etc. *Quid nobis profuit superbia? Aut divitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt illa omnia tamquam umbra*: haec Sapiens, qui nos sapienter admonuit, ut si volumus bene vivere et feliciter mori, non audeamus vel ad punctum horae in peccatis haerere, inani fiducia decepti, multum adhuc nobis vitae superesse, et tempore suo poenitentiam seriam nos acturos; haec enim inanis fiducia multos decepit, et adhuc decipiet, nisi artem bene moriendi, dum tempus adest, prudenter addiscant.

Restat virtus tertia, quae iure dicitur Regina virtutum, videlicet Charitas, cum qua nemo perit, sine qua nemo vivit, neque in via, neque in patria. Dicitur autem vera charitas illa esse, quae nascitur *ex corde puro*: non quod puritas cordis charitas proprie signat. *Charitas.* (1. *Jo.* 4.) enim *ex Deo est*, ut loquitur S. Joannes; et clarius S. Paulus, cum ait; *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* (*Rom.* 5.) Dicitur igitur charitas esse ex corde puro, quia charitas non accenditur in corde impuro, sed purificato per fidem divinam ab erroribus iuxta illud Apostoli Petri, *Fide purificans corda eorum*: (*Act.* 15.) et per spem divinam purificato ab amore et cupiditate rerum terrenarum. Quemadmodum enim ignis non accenditur in lignis viridibus humore aqueo plenis, sed in lignis aridis; sic etiam ignis charitatis exigit corda purificata ab amore terreno, et ab inani fiducia in viribus propriis.

Ex his potest intelligi, quae sit vera, falsa et fucata. Nam si quis forte de Deo libenter loquatur, et in precibus usque ad lachrymas compungatur, et opera quaedam bona faciat, eleemosynas distribuens, et saepe ieiunans; sic tamen ut in corde retineat amorem obscoenum, inanem gloriam, odium erga proximum, et alia id genus, quae cor impurum et sordidum reddunt, iste non charitatem divinam et veram, sed charitatis inanem speciem vel simulacrum gerit. Prudentissime igitur S. Apostolus non simpliciter Fidem, Spem, et Charitatem nominavit, cum de vera et perfecta iustitia loqueretur; sed ait: *Finis praecepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.* (1. *Tom.* 1.) Atque haec est ars vera bene vivendi et feliciter moriendi, si quis in hac vera et perfecta charitate ad mortem usque perseveret.

CAP. IV.

De quarto praecepto Artis bene moriendi, quod continet tria documenta Evangelica.

Quamvis ea quae dicta sunt de Fide, Spe, et Charitate, sufficere posse videantur ad bene vivendum; tamen ad haec ipsa praestanda perfectius et facilius, tria documenta Christus ipse in Evangelio nobis dare dignatus est; sic enim ait apud Evangelistam Lucam: *Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris; et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando revertatur a nuptiis; ut cum venerit, et pulsaverit, confestim aperiant ei. Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes*: (*Luc.*12.) Haec pararola duobus

modis potest intelligi; de praeparatione ad adventum Domini in die novissimo, et ad adventum in die obitus uniuscuiusque nostrum. Atque hoc posterior explicatio, quae est S. Gregorii in Homilia tertiadecima super hoc Evangelium, videtur magis ad rem nostram facere: nam expectatio dici novissimae non pertinebit nisi ad illos, qui tunc in vivis reperientur; Dominus autem eam proposuit Apostolis, et nobis omnibus. Certe autem Apostolorum successores per multa saecula longissime aberant a die novissima. Deinde diem novissima multa signa praevenient, quae homines excitabunt, dicente Domino: *Erunt signa in sole et luna, et stellis, et in terris pressura gentium, arescentibus hominibus prae timore et expectatione, quae supervenient universo orbi.* (*Matth.* 21.) Adventum vero Domini ad iudicium particulare in die obitus cuiusque nostrum nulla certa signa praevenient, et hunc adventum significant illa verba in Sanctis Scripturis saepissime repetita, venturum Dominum ut furem, videlicet quando minus expectatur.

Exponamus igitur breviter hanc parabolam, et intelligamus, praeparationem ad mortem rem esse omnibus nobis prae omnibus rebus maxime necessariam. Tria nobis omnibus Dominus praecipit; primum, ut simus praecincti lumbos; deinde, ut lucernas ardentes in manibus habeamus; postremo, ut vigilemus, expectantes adventum Domini, quando sit venturus, non minus, ignoramus, quam ignorent plerique omnes furis adventum. Explicemus verba illa, *Sint lumbi vestri praecincti*. Sententia litteralis horum verborum ea est, ut simus parati et expediti ad currendum obviam Domino, cum nos per mortem vocaverit ad iudicium particulare. Similitudo praecinctorum lumborum sumpta est ex more Orientalium, qui longis vestibus utebantur, et cum celeriter ambulaturi erant, colligebant vestem, et lumbos praecingebant, ne vestis longitudo cursum impediret. Hinc de Angelo Raphaele, qui venerat comitaturus Tobiam iuniorem, dicitur in libro Tobiae: *Tunc egressus Tobias invenit iuvenem splendidum, et quasi paratum ad ambulandum.* (*Tob.* 5.) et ex hac Orientalium consuetudine Scripsit Sanctus; *Propter quod, succincti lumbos mentis vestrae, sobrii perfecte sperate*, etc. (1. *Petr.* 1.) et Sanctus Paulus in Epistola ad Ephesios; *State*, inquit, *succincti lumbos vestros in veritate.* (*Eph.* 6.)

Porro habere succinctos lumbos, res duas significat; primo virtutem castitatis, secundo promptitudinem ad occurrendum Christo venienti ad iudicium, sive particulare sive generale. Priorem expositionem explicant Sancti Patres, Basilius in Explicatione capitis quintidecimi Isaiae Prophetae: Augustinus in libro de Continentia, et Gregorius in Homilia 13. super Evang. Et vere concupiscentia carnis, praeter omnes animi perturbationes, impedit velocem et expeditum cursum ad occurrendum Christo venienti; quemadmodum e contrario nihil magis expeditum hominem reddit ad Christum sequendum, quam castitas virginalis. Nam et in Apocalypsi legimus, virgines Christum sequi *quocumque ierit*: (*Apoc.* 14.) et Apostolus hortatur, et dicit: *Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* (*Cor.* 7.)

Sed altera expositio, quae non restringit praecinctos lumbos ad solam continentiam, sed extendit ad expeditum obsequium Christi in omnibus rebus, est Sancti Cypriani in libro de Exhortatione martyrii, capite octavo; et eam sequentur, qui Commentaria scripserunt in Evangelium Lucae. Sententia igitur huius loci Evangelici est, ut negotia omnia huius vitae, etiam optima et necessaria, non ita occupent animos nostros, ut impediant cogitationem primariam occurrendi Christo, cum nos vocaverit per mortem ad reddendam rationem omnium operum nostrorum, imo etiam verborum et cogitationum, usque ad verba otiosa et cogitationes inutiles. Quid ergo facient cum mors advenerit improvisa, qui toti sunt in rebus temporalibus occupati, et de reddenda Deo ratione de omnibus operibus, de omnibus verbis, de omnibus cogitationibus, de omnibus desideriis, de omnibus omissionibus, nullo umquam tempore cogitaverunt? num isti praecincti lumbos current obviam Christo? an potius implicati et irretiti iacebunt in sordibus suis obmutescentes et desperantes? quid enim respondebunt Judici dicenti; Cur non attendistis ad verba mea, quibus vos admonui dicens: *Primum quaerite Regnum Dei, et iustitiam eius: et haec omnia adiicientur vobis?* (*Matth.* 6.) et cur non considerasti verba illa, quae saepe in Ecclesia pubblice vobis decantata sunt: *Martha, Martha sollicita es, et turbaris erga plurima: porro unum est necessarium, Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea?* (*Luc.* 10.) Si reprehendi Marthae sollicitudinem, quae mihi ipsi servire devotissime cupiebat: an mihi placere poterit sollicitudo sua congregandi divitias supervacaneas, aucupandi honores periculosos, explendi cupiditates noxias; et interim oblivisci Regnum Dei, et iustitiam eius, quod est prae omnibus maxime necessarium?

Sed veniamus ad alterum officium servi diligentis et fidelis: *Et lucernae ardentes in manibus vestris.* (*Luc.* 12.) Non satis est servo fideli, succingi lumbos, ut libere et expedite currat obviam domum: sed requiritur lucerna ardens, quae viam ostendat, cum nocturno tempore Dominus a nuptiali convivio rediens expectetur. Lucerna hoc loco legem Domini significat, quae viam bonam ostendit: (*Psalm* 118.) *Lucerna*, inquit David, *pedibus meis verbum tuum.* (*Proverb.* 6.) et *Lex lux*, inquit Salomon in Proverbiis. Sed haec lucerna non illuminat neque viam ostendit, si relinquatur in cubiculo vel in domo; itaque in manibus habenda est ut viam rectam demonstret. Multi sunt qui leges divinas et humanas noverunt; sed adeo peccata multa committunt, vel opera bona et necessaria praetermittunt, quia non gerunt lucernam in manibus, id est, non applicant scientiam legis ad opera. Quam multi sunt viri doctissimi, qui peccata gravissima perpetrant, quia cum operantur, non consulunt legem Domini, sed iram,

aut libidinem, aut aliquam aliam ex perturbationibus animi? Si Rex David, cum Bethsabeam nudam aspexit, consuluisset legem Domini, *Non concupisces uxorem proximi tui*, numquam in tam grande scelus incidisset: sed quia consuluit pulchritudinem mulieris, oblitus divinae legis, vir alioqui iustus et Sanctus, adulterium perpetravit. Oportet igitur lucernam legis Domini non reconditam in cubiculo, sed in manibus semper habere, et Spiritus Sancti vocibus obedire, qui iubet, ut *in lege Domini* meditemur *die ac nocte*: (*Psalm.* 1.) et cum ipso Propheta dicamus: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Utinam dirigantur viae meae ad custodiendas iustificationes tuas.* (*Psalm.* 118.) Qui enim lucernam legis Domini semper ante oculos mentis habet, Domino suo venienti securus occurret.

Restat officium tertium atque postremum servi fidelis, ut semper vigilet, incertus quando dominus veniet. *Beati*, inquit, sunt *servi illi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes.* (*Luc.* 12.) Noluit Dominus noster id efficere, ut homines omnes certo tempore de vita discederent, ne toto praecedente tempore indulgerent crapulae et ebrietati, ludis et iocis, aliisque operibus malis, et paulo ante mortem converterentur ad Deum. Voluit igitur divina providentia ut nihil esset incertius hora mortis, dum alii moriuntur in utero matris, alii vix nati, alii in extremo senio, alii in flore iuventutis; et rursum alii diu languent, alii repente moriuntur, alii a morbo gravissimo ac pene incurabili convalescunt; alii leviter aegrotant, et cum videntur a morte securi, creseit morbi vis, et eos extinguit. Ad hanc incertitudinem designandam Dominus noster in Evangelio dicit: *Et si venerit in secunda vigilia et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit*; *beati sunt servi illi. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum. Et vos estote parati; quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* (*Ibid.*) Porro ut intelligeremus quanti momenti sit, nobis persuaderi incertitudinem tempori, in quo Dominus ad iudicandum veniet, sive in morte singulorum, sive in fine mundi, nihil saepius Scriptura sancta reperit, quam vocem illam, (*Matt.* 24. *et* 25. *Marc.* 13. *Luc.* 12. *et* 21. *Matth.* 24. *Luc.* 12. 1. *Thess.* 5. 2. *Petr.* 3. *Apoc.* 3. *et* 16.) *Vigilate*, et similitudinem furis, qui venire solet, quando minus creditur esse venturus. Verbum *Vigilate* repetitur passim in Evangelio Matthaei, Marci, et Lucae, et similitudo furis; non solum in Evangeliis, sed etiam in Epistolis Apostolorum, et in Apocalypsi.

Ex his omnibus intelligi potest, quanta sit negligentia et ignorantia, ne dicam dementia et stultitia maximae partis hominum, qui toties admoniti ab ipso Spiritu veritatis per Scriptores sanctos, qui mentiri non poterant, ut praeparamur ad mortem, ut ad negotium maximum et difficillimum, et a quo pendet sempiterna et summa felicitas nostra, sempiternum summumque exitium: tamen pauci sunt qui ad voces, vel potius ad tonitrua S. Spiritus excitentur.

Sed dicet aliquis, Quid consilii nobis suggeris ut vigilemus sicut oportet, et vigilando ad mortem feliciter obeundam praeparemur? Nihil utilius mihi occurrit, quam ut frequenter per serium conscientiae examen ad mortem nos praeparemus. Et quidem Catholici homines singulis annis confessionem peccatorum accessuri non omittunt conscientiae examen. Et rursum cum aegrotare incipiunt, ex decreto Pii Quinti Pontificis Maximi prohibentur Medici aegrotos secundo invisere, nisi per confessionem peccata, praemisso conscientiae examine, expiaverint. Denique, nulli fere sunt in Ecclesia Catholica, qui morte imminente, praemisso conscientiae examine peccata sua non confitentur. Sed quid dicemus de illis, qui morte repentina abripiuntur? quid de illis, qui phrenesi laborant, vel in delirium incidunt ante confessionem? quid de illis qui morbi gravitate oppressi, ne cogitare quidem possunt quot et quae peccata commiserint? quid de illis, qui moriendo peccant, vel peccando moriuntur, ut qui in bello iniusto, vel singulari certamine, vel in adulterio deprehensi interficiuntur?

Ad haec et similia prudenter et religiose vitanda, nihil utilius excogitari potest, quam ut qui salutem suam aeternam cordi habent, bis diebus singulis, mane videlicet et vespere, conscientiam suam diligenter discutiat; quid videlicet nocte vel die praecedente egerint, dixerint, cupiverint, cogitaverint, in quo peccati labes intervenerit: et si quid eiusmodi repererint, praesertim quod lethale videri possit, non differant verae contritionis remedium quaerere, cum proposito primo quoque tempore ad Sacramentum poenitentiae accedendi. Itaque petant a Deo contritionis donum, recogitent gravitatem peccati, detestentur ex animo culpam suam, discutiant serio quis quem offenderit, homunculus videlicet Deum omnipotentem, et servus inutilis Dominum coeli et terrae; non parcat oculus lachrymis, nec manus tunsioni pectoris: denique propositum verum et efficax concipiant, Deum numquam amplius peccando irritandi, neque patrem optimum offendendi. Hoc examen si mane et vespere, aut saltem semel in die rite frequentetur; vix fieri poterit ut quis moriendo peccet, vel peccando moriatur, vel ut delirio, vel amentia, vel casibus aliis praeveniatur. Atque ex hoc fiet, ut bene ad mortem comparatis nobis, neque incertitudo mortis officiat, neque vitae perpetua felicitas desit.

CAP. V.

De quinto praecepto Artis bene moriendi in quo detegitur error divitum huius mundi.

Ad ea quae supra dicta sunt, addenda est refutatio cuiusdam erroris qui passim grassatur inter divites huius saeculi, et multum impedit vitam bonam mortemque felicem. Error autem in eo positus est, quod existimant divites, opes quas possident, absolute et simpliciter esse suas, quando iusto titulo eas possident; ac per hoc posse iure suo illas consumere, largiri, distrahere: neque posse illis dici, Cur ita facis? cur tam splendide vestis?

cur tam opipare epularis? cur tam liberaliter in alendis canibus aut accipitribus, vel in ludis aleae, vel in aliis oblectationibus pecunias perdis? Respondebunt enim. Quid ad te ? de re mea non licet mihi facere quod volo ? Hic vero error est sine dubio gravissimus et maxime perniciosus. Esto enim divites huius saeculi domini sint opum suarum, si comparentur ad alios homines : tamen si comparentur ad Deum, domini non sunt, sed administri, aut oeconomi, aut villici. Id vero multis testimoniis possum ostendere.

Audi Prophetam regium : *Domini*, inquit, *est terra et plenitudo eius, orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo.* (*Psalm.* 23.) et rursum alibi : *Meae sunt omnes ferae sylvarum iumenta in montibus, et boves. Si esuriero, non dicam tibi : meus est enim orbis terrae, et plenitudo eius.* (*Psalm.*49.) et in libro primo Paralipomenon, cum in aedificationem Templi obtulisset David tria millia talentorum auri, et septem millia talentorum argenti probatissimi, et marmor Patrium abundantissime : et ad exemplum Regis, Principes tribuum obtulissent auri talenta quinque millia, argenti talenta decem millia, et aeris talenta decem et octo millia. ferri quoque centum millia talentorum; dixit David ad Deum : *Tua est Domine magnificentia, et potentia, et gloria, atque victoria, et tibi laus : cuncta enim quae in caelo sunt, et in terra tua sunt. Domine Regum, et tu es super omnes Principes : tuae divitiae, et tua est gloria ; tu dominaris omnium*, et *Quis ego, et quis populus meus, ut possimus haec tibi universa promittere? tua sunt omnia et quae de manu tua accepimus, dedimus tibi.* (1. *Paral.* 29.) His addi potest testimonium ipsius Dei, qui per Aggaeum Prophetam dicit. *Meum est argentum, et meum est aurum* ; (*Agg.* 2.) quod ideo Dominus dixit, ut populus intelligeret, ad novam Templi aedificationem nihil omnino defuturum, cum ipse Templum raedificari iuberet, cuius est aurum et argentum, quod in universo terrarum orbe reperitur.

Addam ex Testamento novo et verbis Christi duo alia testimonia. Parabola extat apud Lucam de villico iniquitatis. *Homo quidam*, inquit Dominus, *erat dives, qui habebat villicum ; et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius, et vocavit illum, et ait illi ; Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuae : iam enim non poteris villicare.* (*Luc.*16.) Nomine divitis non potest esse dubium quin intelligatur Deus, qui, ut paulo ante dicebamus, per Aggaeum clamat : *Meum est argentum, et meum est aurum* (*Agg.* 2.) Nomine villici sive oeconomi, ut legitur in codicibus Graecis, intelligi debet homo dives, ut exponunt Sancti Patres, Joannes Chrysostomus apud Sanctum Thomam in Cathena aurea. Augustinus in Quaestionibus Evangelicis, libro 2. quaest. 34. Ambrosius, Beda, Theophylactus et Euthymius, et alii in hunc locum Sancti Evangelistae Lucae. Omnis igitur homo dives saeculi huius, si Evangelio credit, fateri debet, opes, quas possidet, sive titulo iusto sive iniusto, non esse suas : sed si iusto titulo possidet, se villicum sive oeconomum esse Dei ; si iniusto, esse furem et latronem. Quod autem homo dives in hoc mundo non sit dominus opum, quas possidet, ex eo potest intelligi, quod accusatum iniustitiae apud Deum, Deus per mortem corporis, aut per egestatem illum amovet a villicatione , hoc enim significant illa verba : *Redde rationem villicationis tuae : iam enim non poteris villicare.* Neque desunt Deo rationes multae redigendi divites ad inopiam, et sic eos amovendi a villicatione : naufragia, latrocinia, grandines, erucae : nimiae pluviae, nimiae siccitates, nimiae procellae, et alia id genus multa, et voces Dei sunt, quae divitibus dicunt, *Non poteris diutius villicare.*

Quod autem in extrema parabola Dominus dicit, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula*, (*Luc.* 16.) non significat eleemosynas esse faciendas de iniustis divitiis, sed eleemosynas esse faciendas de divitiis, quae revera non sunt divitiae, sed umbrae divitiarum. Id aperte colligitur ex eodem loco Evangelii secundum Lucam, ubi Dominus dicit : *Si in iniquo mammona fideles non fuistis ; quod verum est, quis credet vobis ?* (*ib.*) quorum verborum haec est sententia : *Si in mammona iniquo*, id est, si in divitiis falsis *fideles non fuistis*, ut eas liberaliter largiremini pauperibus ; *quis credet vobis* divitias veras, divitias virtutum, quae hominem vere divitem faciunt? Sic intellixit et explicavit hunc locum sanctus Cyprianus in Sermone De opere et eleemosynis, nec multo aliter exposuit sanctus Augustinus in libro secundo Quaestionum Evangelicarum, quaestione trigesima quarta, ubi mammonam iniquitatis esse dicit divitias quas soli iniqui et stulti reputant pro divitiis ; cum homines iusti et sapientes nihili eas faciant, et sola dona spiritualia divitias veras esse contendant.

Alter locus Evangelicus est in eodem capite 16. sancti Lucae, qui potest haberi tamquam commentarius parabolae de villico iniquitatis. *Homo quidam* inquit Dominus *erat dives, qui induebatur purpura et bysso, et epulebatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius ulceribus plenus, cupiens saturari de micis quae cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat : sed et canes veniebant et lingebant ulcera eius. Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahae. Mortuus est autem dives, et sepultus est in inferno.* (*Luc.* 12.) Hic certe dives epulo unus erat ex illis, qui existimant se dominos esse divitiarum suarum, et non villicos aut oeconomos Dei, ideo non existimabat se peccare in Deum, si induceretur purpura et bysso, et epularetur quotidie splendide, et canes multos aleret, fortasse etiam mimos et histriones. Dicebat enim intra se : Ego res meas consumo, nulli facio iniuriam, non violo leges Dei, non blasphemo, non peiero, observo Sabbatum, honoro parentes, non hominem occido, non adulterium perpetro, non falsum testimonium dico, non concupisco uxorem aut rem alienam. At si res ita se habet, cur sepultus est in inferno? cur cruciatur igne gehennae ?

Fatendum igitur est, falli omnes, qui arbitrantur se esse dominos absolutos opum suarum, nam si dives epulo habuisset alia peccata graviora, Scriptura sancta aliquo modo eorum meminisset. Sed cum nihil addiderit, videtur omnino intelligi voluisse, supervacaneum illum cultum corporis in vestibus nimis pretiosis, et quotidianos magnosque sumptus in conviviis, et multitudinem servorum et canum, cum nulla misericordia erga pauperem ulceribus plenum, satis magnam cursam fuisse, cur dives ille sepultus sit in inferno, aeternis ardoribus cruciandus.

Sit igitur certa lex bene vivendi et bene etiam moriendi, saepe cogitare, et serio considerare ac mente revolvere, reddendam esse Deo rationem de supervacaneo luxu in palatiis, in hortis, in curribus, in multitudine servorum, in pretio vestium, in conviviis, in coacervandis opibus, in aliis sumptibus non necessariis, ob quae sit iniuria magna multitudini pauperum et aegrotorum, quibus deest quod aliis superest; qui sine dubio et nunc ad Deum clamant, et in die Judicii clamare non desinent, donec ipsi quoque cum divite epulone, flammis inextinguibilibus cremandi tradantur.

CAP. VI.

De praecepto sexto Artis bene moriendi quo explicantur tres virtutes morales.

Quamvis tres virtutes Theologicae, Fides, Spes, Charitas, compendio quodam contineant omnia praecepta bene vivendi, ac per hoc etiam bene moriendi; tamen Spiritus sanctus auctor primarius omnium Librorum divinorum, ad maiorem intelligentiam huius artis saluberrimae, addere voluit tres alias virtutes, quae mirum in modum adiuvant homines, ut bene vivant et bene etiam moriantur. Eae sunt, Sobrietas, Justitia, et Pietas; de quibus sic loquitur Apostolus Paulus in Epistola ad Titum: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie, et iuste, et pie vivamus in hoc saeculo, expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi.* (*Tit.* 2.) Erit ergo sextum praeceptum bene vivendi et bene moriendi, *ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie, et iuste, et pie vivamus in hoc saeculo, expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi.* (*Tit.* 2.) Erit ergo sextum praeceptum bene moriendi, *ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie, et iuste, et pie vivamus in hoc saeculo*: habetur hic summa totius divinae Legis ad unam sententiam incredibili brevitate, contracta *Declina a malo, et fac bonum*, (*Psalm.* 36.) ait sanctus Propheta David. In malo duo sunt; aversio a Deo, et conversio ad creaturas, iuxta illud Jeremiae, *Duo mala fecit populus meus*: *me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas* (*Jer.* 2.) Quid igitur faciet qui utrumque malum cupiet declinare? abnegabit *impietatem et saecularia desideria*. Impietas enim avertit a Deo, et saecularia desideria convertunt ad creaturas. Quod vero attinet ad faciendum bonum, tunc legem implemus, cum *sobrie, et iuste, et pie* vivimus, hoc est, cum sumus sobrii erga nos ipsos, iusti erga proximum, et pii erga Deum.

Sed placet haec paulo cupiosius explicare, ut saluberrimum brevissimumque praeceptum facilius ad praxim redigi possit. Quid igitur est impietas? Vitium contrarium pietati. Quid pietas? Virtus sive donum Spiritus sancti, quo Deum respicimus, colimus, et veneramur ut patrem. Jubemur ergo sic abnegare impietatem, *ut pie vivamus in hoc saeculo*: vel quod in idem recidit; sic pie vivere in hoc saeculo; ut omnem abnegamus impietatem. Sed cur duo ista posita sunt, cum alterum sufficeret? Nimirum placuit Spiritui sancto ita loqui, ut intelligamus, debere nos, si volumus Deo placere, sic pietatem colere, ut nullam admixtam habeat impietatem. Neque enim desunt inter Christianos, qui pietatem colunt, dum orant Deum, cum Sacrificio tremendo assistunt, dum Sacerdotem concionantem audiunt: sed interim vel blasphemant Deum in ludo, vel iurant per Deum sine causa, vel vota Deo facta non implent. Id vero quid aliud est, quam pie colere Deum, et impium esse in Deum? Oportet igitur eos, qui cupiunt bene vivere ut detur illis bene mori, ita pie Deum colere, ut abnegent omnem impietatem, imo etiam omnem umbram, quamvis tenuissimam, impietatis. Parum enim prodest, quotidie Missam audire, et Christum in sacro Mysterio venerari, si interim impie Deum blasphemes, vel per Deum peieres.

Est vero illud etiam diligenter attendendum, quod non dixit Apostolus, *abnegantes impietatem*, sed *omnem impietatem*, id est, omne genus impietatis; et non solum atrocem, sed etiam levem impietatem. Quod adversus eos dicitur, qui non magnifaciunt iurare sine necessitate, in locis sacris petulanti oculo, quamvis non lascivo, foeminas respicere, inter sacra solemnia confabulari, et alia id genus peccata committere; quasi Deum praesentem esse et omnia cernere, et peccata quantumvis levia notare non crederent. Deus noster *Deus zelotes* est, *visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt* eum; et *faciens misericordiam in millia his, qui diligunt* eum, et *custodiunt praecepta* eius (*Exod.* 20.) Hoc ipsum exemplo suo docuit Filius Dei, qui cum mitis et humilis esset, et *cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur non comminabatur*: (2. *Petr.* 2.) tamen cum vidisset *in templo vendentes columbas, et nummularios sedentes.* (*Joan.* 2.) zelo magno succensus, flagello facto ex funiculis *eiecit* vendentes et ementes, et mensas nummulariorum evertit; et dixit: *Scriptum est, Quia domus mea domus orationis est et vos fecistis illam speluncam latronum*: atque hoc ipsum bis fecit, semel anno primo praedicationis, teste S. Joanne, et semel anno postremo, testibus tribus aliis Evangelistis. (*Matt.* 21. *Marc.* 11. *Luc.* 19 *Joan.* 2.)

Pergamus ad secundam virtutem, quae dirigit actiones erga proximum. Secunda virtus est Justi-

tia, de qua dicit Apostolus: *Abnegantes saecularia desideria, iuste vivamus.* Hic etiam locum habet illa sententia generalis, *Declina a malo et fac bonum.*(*Ps.*36.) non enim potest esse vera iustitia erga proximum, ubi non cessant saecularia desideria. Quid enim significant desideria saecularia, nisi concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, et superbiam vitae, quae non sunt ex Deo, sed ex mundo, sive saeculo? Itaque sicut iustitia esse non potest, sic etiam saecularia desideria non possunt ullo modo cum iustitia vera coniungi. Poterit quidem filius huius saeculi verbo et lingua simulare iustitiam, sed opere et veritate eam praestare nullo modo poterit. Prudentissime igitur sanctus Apostolus non dixit solum, *iuste vivamus*: sed praemisit. *abnegantes saecularia desideria*; ut radicem infectam veneno concupiscentiae prius evellendam esse significaret, quam bona arbor iustitiae plantari in corde bono et optimo possit.

Quid autem sit iuste vivere, non videtur in dubium revocari debere: notum enim omnibus est, iustitiam hoc iubere, ut detur unicuique suum. *Reddite*, inquit Apostolus, *omnibus debita*: *cui tributum, tributum*; *cui vectigal, vectigal*; *cui timorem, timorem*; *cui honorem, honorem.* (*Rom.* 13.) Principi debetur tributum, parentibus honor, dominis timor: sic enim loquitur Dominus per Malachiam, *Si pater ego sum, ubi est honor meus? et si dominus ego sum, ubi est timor meus?* (*Malac.* 1.) Venditori debetur iustum pretium, operario iusta merces, et sic de aliis ad eumdem modum. Nec minori ratione, sed multo etiam maiore, ii, ad quos pertinet distribuere bona communia, secundum iustitiam distributivam ea conferre debent magis merentibus; non secundum acceptionem personarum magis coniunctis vel magis dilectis. Si quis igitur artem bene vivendi et bene moriendi discere velit, audiat Sapientem initio libri sui clamantem: *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.* (*Sap.* 1.) audiat et S. Jacobum in Epistola sua lamentantem: *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quae fraudata est a vobis, clamat: et clamor eorum in aures Domini sabaoth introivit.* (*Jac.* 5.)

Restat virtus tertia, quae est sobrietas cui non minus contraria sunt desideria saecularia, quam iustitiae. Neque enim per sobrietatem hoc loco intelligimus solum virtutem contrariam ebrietati, sed in universum virtutem temperantiae sive moderationis, quae facit ut homo secundum rationem, non secundum cupiditatem metiatur, quae sunt necessaria ad corpus curandum vel conservandum. Porro virtus ista rarissime apud homines invenitur et saecularia desideria videntur domos pene omnium divitum replevisse. Sed qui sapiunt, non attendere debent ad id quod stulti faciunt, quantumvis plurimi ac pene innumerabiles sint; sed ad id quod faciunt sapientes. Certe sapientissimus fuit Salomon, et tamen oravit Deum, dicens: *Duo rogavi te, ne deneges mihi antequam moriar. Mendicitatem, et divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria.* (*Prov.* 30.) Apostolus Paulus sapiens erat, et dicebat: *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus: nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid possumus.*(1.Tom. 6.)quae ratio sapientissima est. Quorsum enim solliciti esse debemus de supervacaneis divitiis, cum eas nobiscum asportare ad locum, ad quem per mortem pergimus, nequeamus? Christus Dominus non solum Salomone et Paulo sapientior, sed ipsa divina sapientia erat, et tamen dicebat: *Beati pauperes, et vae vobis divitibus:* (*Luc.*6.) et de se ipse dixit: *Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos*: *Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* (*Luc.* 9.) Si *in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum*, (*Deut.* 19.) quanto magis in ore trium horum sapientissimorum virorum stare debet omne verbum? Quid si addamus quod divitiae nobis supersunt, nostrae non sunt, sed pauperum, ut communis sententia sanctorum Patrum et Scholasticorum Doctorum habet: nonne stulti sunt, qui diligenter custodiunt id, unde ad gehennam divino iudicio damnabuntur?

Si quis igitur cupiat artem bene vivendi et feliciter moriendi omnino perdiscere, non sequatur turbam, quae non credit vel non magnifacit nisi quae videt, sed Christum et Apostolos eius sequatur, qui verbo et opere docuerunt negligenda esse praesentia, et expectandam esse *beatam spem, et adventum gloriae magni Dei, et Salvatoris Jesu Christi.* (*Tit.* 2.) Vere enim tam magna res est, quam speramus in glorioso adventu Domini nostri Jesu Christi de coelo ad iudicium, ut omnis gloria, et omnes divitiae et omnia gaudia praeterita mundi huius habenda sint, quasi non fuerint, et stultissimi et infelicissimi iudicandi sint, qui in re tanti momenti stultis potius quam sapientibus fidem habere voluerint.

CAP. VII.

De septimo praecepto Artis bene moriendi, quod est de Oratione.

Duximus hactenus praecepta bene moriendi ex tribus virtutibus Theologicis, Fide, Spe, et Charitate; et rursum ex tribus moralibus, Sobrietate, Justitia, et Pietate; de quibus omnibus beatus Apostolus Paulus nos admonuit. Addam nunc aliud praeceptum ex tribus operibus virtutum, Oratione, Jeiunio, et Eleemosynas, quod ab Angelo Raphaele didicimus; sic enim legimus in libro Tobiae Raphaelem Angelum esse locutum, *Bona est oratio cum ieiunio et eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere.* (*Tob.* 12.) Est autem hoc ternarium operum bonorum, fructus trium virtutum, Religionis, Misericordiae, et Temperantiae, quae cum Pietate, Justitia, et Sobrietate magnam habent similitudinem. Nam quemadmodum Pietas respicit Deum, Justitia proximum, Sobrietas seipsum: sic etiam Oratio, quae est actio Religionis, respicit Deum; Eleemosyna, quae est actio Misericordiae, respicit proximum: Jeiunium, quod est actus Abstinentiae, respicit seipsum. De Oratione multi multa scripserunt: nos pro ratione instituti nostri tria solum capita explicabimus: unum de necessitate Orationis, alterum de fructibus Orationis, tertium de modo fructuose Orandi.

Necessitas Orationis in divinis litteris adeo perspicua est, ut nihil ea clarius vel praecipiatur, vel ostendatur. Quamvis enim sciat Deus, quibus rebus indigeamus, ut Dominus ipse affirmat apud Mattheum : (*Matt.* 6.) tamen vult ut ea petamus, et per orationem, quasi per manus spirituales, vel instrumentum aliquod ad hanc rem accomodatum, ea capiamus. Audi Dominum apud Lucam ; *Oportet semper orare, et non deficere*: (*Luc.* 18.) item, *Vigilate omni tempore, orantes*. (*Luc.* 12.) Audi Apostolus: *Sine intermissione orate*. (1. *Thess.* 5. Audi Ecclesiasticum : *Non impediaris orare semper*. (*Eccl.* 18.) Quae praecepta non hoc significant, ut nihil aliud agamus, sed ut huius tam salubris exercitationis numquam obliviscamur, et ad eam identidem revertamur. Id quod nos Dominus et Apostolus eius exemplo suo docuerunt. Christus enim et Apostolus non ita semper orabant, ut non etiam populos docerent, et signis ac prodigiis sermonem confirmarent ; et tamen dici poterant semper orare, quia frequentissime orabant. Quomodo intelliguntur illa, *Oculi mei semper ad Dominum*. (*Ps.* 24.) et : *Semper laus eius in ore meo*. (*Ps.* 33.) et illud de Apostol. *Erant semper in templo, laudantes et benedicentes Deum*. (*Luc.*24.)

Jam vero fructus Orationis praecipue sunt tres, Meritum, Satisfactio, et Impetratio. De merito testimonium Christi habemus in Evangelio, *Cum oratis, non eritis sicut hypocritae, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, et Pater qui videt in abscondito, reddet tibi* (*Matt.* 6.) Quibus verbis non prohibet Dominus orationem in loco publico fieri ; nam et ipse publice oravit, (*Joan.*11.) antea quam Lazarum excitaret : sed prohibet orationem publicam, quando ea fit ut qui orat a multis videatur ; idque ob inanis gloriae cupiditatem: alioqui etiam in templo possumus orare, et ibidem invenire cubiculum cordis, et in eo orare Patrem, *in abscondito*. Illud autem *reddet tibi*, significat meritum : nam quemadmodum de Pharisaeo dixit, *recepit mercedem suam*, id est, laudem humanam: sic de orante in cubiculo cordis, et solum Deum respiciendum est, reddendam illi esse mercedem a Patre, *qui videt in abscondito*. De satisfactione pro peccatis praeteritis, notum est ex usu Ecclesiae, in qua semper cum iniungitur satisfactio, cum eleemosyna et ieiunio adiungitur oratio: imo vero saepe omittitur eleemosyna vel ieiunium, sed oratio numquam omittitur. Denique quod sit impetratoria beneficiorum multorum, docet pulcherrime sanctus Joannes Chrysostomus in duobus libris de oratione, ubi utitur similitudine manuum humanarum. Nam quemadmodum homo nascitur inermis et nudus, et egenus omnium rerum, et tamen queri non potest de Creatore, quia dedit illi manus, quae sunt organum, quibus potest homo sibi parare cibum, et vestes, et domum, et arma, et reliqua omnia: sic etiam homo spiritualis nihil potest sine ope divina, sed habet orationis virtutem, quasi organum organorum spiritualium, per quam facile potest omnia sibi parare.

Praeter hoc tres primarios fructus, sunt alii permulti. Nam primis, in Oratio mentem illustrat. Neque enim fieri potest, ut homo mentis oculos in Deum, qui lux est, intente defigat, quin ab eo aliquantulum illustretur. *Accedite ad eum*, inquit David, *et illuminamini*. (*Ps.* 33.) Deinde, Oratio spem et fiduciam alit. Quo enim aliquis cum alio frequentius loquitur, eo fidentius ad eum accedit. Tertio, inflammat Oratio charitatem, et mentem ad maiora dona recipiendam capaciorem reddit, ut S. Augustinus affirmat. (*Lib.* 2. *De serm. Domini in monte cap.* 7.) *Quarto*, auget humilitatem et timorem castum. Nam qui ad orationem accedit, intelligit se Dei esse mendicum, ac per hoc humiliter coram eo apparere solet ; et diligentissime cavet ne eum offendat, cuius ope in rebus omnibus eget. Quinto, gignit oratio frequens in animo orantis contemptum rerum omnium temporalium. Neque enim fieri potest ut non vilescant et sordeant omnia terrena illi, qui coelestia ac aeterna assidue speculatur. Vide S. Augustinum in libro nono Confessionum. (*Lib.* 9. *cap.* 1. *et* 10.) Sexto, parit oratio delectationem incredibilem, cum per eam fiat ut incipiat homo gustare quam suavis sit Dominus. Quanta autem sit haec suavitas, vel ex eo potest intelligi, quod nonnullos non solum pernoctare, sed etiam dies integros cum integris noctibus in oratione coniungere sine labore potuisse novimus. Denique, praeter utilitatem et voluptatem affert etiam oratio dignitatem atque honorem non exiguum oranti. Ipsi enim etiam Angeli animam illa honorant, quam cernunt tam familiariter, et tam crebro ad colloquium divinae Maiestatis admitti. Vide S. Joan. Chrysost. libro primo De orando Deum.

Restat ut de ratione bene orandi aliquid dicamus, in qua re posita est praecipue ars bene vivendi, ac per hoc etiam ars bene moriendi. Nam quod ait Dominus : *Petite et dabitur vobis*. (*Luc.* 11.) et, *Omnis qui petit, accipit*; declaravit S. Jacobus in Epistola sua esse intelligendum cum conditione, si bene petamus. *Petitis*, inquit *et non accipitis, eo quod male petatis* (*Jac.*4.) Licebit ergo sic ratiocinari: Qui bene petit donum bene vivendi, utique accipiet ; et qui bene petit perseverantiam bene vivendi usque ad mortem, et per hoc ipsam felicem mortem, sine dubitatione accipiet. Explicemus igitur breviter conditiones bonae orationis, ut discamus bene orare, bene vivere, et bene mori.

Prima conditio est Fides, dicente Apostolo: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderant*? (*Rom.* 10.) cui consonat S. Jacobus : *Postulet in fide nihil haesitans*. (*Jaec.* 1.) Sed haec necessitas Fidei non ita intelligenda est, ut necesse sit certo credere. Deum facturum esse, quod petimus sic enim fides non raro falsa inveniretur, ac per hoc nihil omnino impetraremus. Credendum igitur est Deum esse potentissimum, sapientissimum, optimum, fidelissimum : et proinde posse, et scire, et paratum esse facere quod petimus, si deceat illum dare, et nobis expediat accipere quod

petivimus. Hanc fidem postulavit Christus ab illis duobus caecis, qui curari desiderabant: *Creditis quia hoc possum facere vobis?* (*Matth.* 9.) Eadem fide oravit David pro filio aegrotante, nam non certo credidisse, Deum factuum, sed posse facere, quod petebatur, demonstrant illa verba: *Quis scit si forte donet eum mihi Dominus?* (2. *Reg.* 12.) simili fide orasse Apostolum Paulum, ut auferretur ab eo stimulus carnis, dubitari non potest; (2. *Cor.* 12.) quoniam oravit ex fide, et fides eius falsa fuisset, si certo credidisset Deum facturum fuisse quod eo tempore petiit; non enim tunc quod petiit impetravit. Neque alia fide orat Ecclesia, ut omnes haeretici, pagani, schismatici, denique mali Christiani convertantur ad poenitentiam; quos tamen certum est non omnes converti: de qua re vide sanctum Prosperum in libris de vocatione gentium. (*Lib.* 1. *cap.* 4.)

Altera conditio bonae orationis, eaque valde necessaria, spes sive fiducia est. Quamvis enim non oporteat per fidem, quae est opus intelligentiae, certo statuere, Deum facturum esse quod petimus; oportet tamen per spem et fiduciam, quae est actio voluntatis, firmiter adhaerere benignitati divinae, et certo confidere. Deum facturum esse quod petimus. Hanc conditionem quaesivit Dominus in paralytico, cui dixit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* (*Matth.* 9.) Eamdem requirit Apostolus ab omnibus, cum ait: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae eius.* (*Heb.* 4.) et multo antea Propheta Deum dicentem induxit: *Quoniam in me speravit, liberabo eum.* (*Psalm.* 90.) Quia vero fiducia nascitur ex perfecta fide, ideo cum Scriptura requirit fidem in rebus magnis, adiungit aliquid pertinens ad fiduciam: hinc legimus apud Marcum: *Quicumque dixerit huic monti, Tollere et mittere in mare, et non haesitaverit in corde, sed crediderit quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei.* (*Marc.* 11.) de qua fide gignente fiduciam intelligitur illud Apostoli: *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam*, etc. (1. *Cor.* 13.) Hinc scribit Joannes Cassianus in Collatione de oratione, (*Collat.* 9. *cap.* 52.) signum certum impetrationis esse, cum quis in oratione certo confidit se accepturum quod petiit, et nullo modo in ea petitione haesitat, et laetitia spirituali orando perfunditur.

Tertia conditio est Charitas, sive Justitia, qua iustificamur a peccatis; non enim certo impetrant beneficia Dei, nisi qui sunt eius amici, sic enim loquitur David in Psalmis: *Oculi Domini super iustos, et aures eius ad preces eorum* (*Psalm.* 3.) et in alio loco: *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* (*Psalm.* 65.) et in Testamento novo Dominus dicit: *Si manseritis in me, et verba mea*, id est, praecepta mea, *in vobis manserint; quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis* (1. Jo. 3.) et Discipulus dilectus: *Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus apud Deum: et quicquid petierimus, accipiemus ab eo quoniam mandata eius custodimus, et ea quae sunt placita coram eo facimus.* (1. Jo. 3.) Neque huic doctrinae contrarium est, quod Publicanus petens a Deo indulgentiam peccatorum, iustificatus discesserit; nam peccator poenitens non impetrat ut peccator, sed ut poenitens: ut peccator enim inimicus est Dei; ut poenitens amicus Dei esse incipit. Nam is qui peccat, facit quod Deo non placet: sed is quem peccasse poenitet, facit quod Deo maxime placet.

Quarta conditio est Humilitas, quia is qui orat, non in sua iustitia, sed in Dei benignitate confidit. *Ad quem respiciam*, inquit Deus, *nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos?* (*Is.* 66.) Ecclesiasticus addit: *Oratio humiliantis se, nubes penetrabit; et non discedet, donec Altissimus aspiciat.* (*Ec.* 35.)

Quinta conditio Devotio est, quae facit ut qui orat, non negligenter oret, ut plerique facere solent; sed attente, sollicite, diligenter atque ardenter oret. Reprehendit enim Dominus graviter eos qui solis labiis orant. *Populus hic*, inquit Dominus per Isaiam, *labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* (*Is.* 29. *Matt.* 15.) Oritur autem haec virtus ex fide viva, et non solo habitu, sed in actu posita. Qui enim attente et firma fide cogitat, quanta sit maiestas Dei, quanta vilitas nostra, quam magna res, quam petimus, vix fieri potest ut non cum summa humilitate, reverentia, devotione, ardore ad orandum accedat.

Placet hic adiungere duo sanctorum Patrum egregia testimonia. Sanctus Hieronymus in Diologo adversus Luciferianos, *Ad orationem*, inquit *assisto, non orarem, si non crederem sed si vere crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem, manibus tunderem pectus, genas lachrymis rigarem, corpore inhorrescerem, ore pallerem, iacerem ad Domini mei pedes, eosque fletu perfunderem, crine tergerem, haererem certo trunco crucis, nec prius omitterem quam misericordiam impetrarem, nunc vero creberrime in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de foenore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam ea quae dictu erubescenda sunt, gero. Ubi est fides? siccine putamus orasse Jonam? sic tres pueros? sic Danielem inter leones? sic certe latronem in cruce?* S. Bern. in Serm. de 4. modis orandi, *Omnino*, inquit, *oportet nos orationis tempore curiam intrare celestem, illam utique curiam, in qua Rex regum stellato sedet solio, circumdante innumerabili et ineffabili beatorum spirituum exercitu. Quanta ergo cum reverentia, quanta illuc humilitate accedere debet a palude sua procedens et repens ranuncula vilis? Quam tremebundus, quam supplex, quam denique humilis et sollicitus, et toto intentus animo, Maiestati gloriae in praesentia Angelorum, in concilio iustorum et congregatione assistere poterit miser homuncio? In cunctis igitur actionibus nostris multa est opus animi vigilantia, sed praecipue in oratione.*

Sexta conditio Perseverantia est, quam Dominus duabus parabolis propositis commendavit apud Evangelistam Lucam. (*Luc.* 11.) Prior est de illo, qui media nocte perrexit ad amicum, ut accommodaret ei tres panes; qui cum saepe reiceretur quod esset importunum tempus, tamen perseverans in petendo, obtinuit quod petebat. (*Luc.* 18.)

Posterior est de vidua, quae interpellabat Judicem ut eam vindicaret de adversario suo qui Judex quamvis esset valde malus, et neque Deum timeret, neque hominem revereretur ; tamen victus perseverantia et importunitate mulieris, vindicavit illam de adversario suo. Ex his colligit Dominus, multo magis perseverandum nobis esse in oratione ad Deum, qui iustus et benignus est. Atque ut addit sanctus Jacobus. *dat omnibus affluenter, et non improperat* : (*Jac.* 1.) hoc est. *dat* liberaliter omnibus dona sua petentibus, *et non improperat* importunitatem, quod videlicet nimis saepe molesti sint in petendo : Deus enim est sine mensura misericors. Addit S. Augustinus in Explicatione ultimi vers. Psalm. 56. ad illa verba *Benedictus Deus. qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me* ; *Si videris non esse amotam deprecationem tuam, securus es quia non est amota a te misericordia eius.*

CAP. VIII.

De octavo praecepto Artis bene moriendi, quod est de Jeiunio.

Sequitur ut de Jeiunio, secundum ordinem ab Angelo positum, breviter exponamus. Ac, omissis, multis, quae Theologi de ieiunio disputant, ea solum adferemus, quae ad rem nostram faciunt. Propositum nobis est artem bene vivendi exponere, quatenus ea ad artem bene moriendi viam sternit. Ad hanc artem tria illa sufficere videntur, quae di sputavimus de oratione, necessitas, fructus, et modus. Necessitas ieiunii pendet ex duplici lege, divina et humana : de lege divina testis est Joel Propheta, qui ex parte Dei dicit : *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jeiunio et fletu. et planctu.* (*Joel.* 2.) Idem habetur ex Jona Propheta. qui testatur, (*Joan.* 3.) Ninivitas ad placandum Deum praedicavisse ieiunium et saccum ; et tamen nulla tunc erat lex positiva de ieiunio. Idem intelligi potest ex verbis Domini apud sanctum Matthaeum : *Tu autem cum ieiunas. unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris hominibus ieiunans. sed Patri tuo. qui est in abscondito ; et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* (*Epist.* 16.)

Addamus unum vel alterum ex Patribus ; Sanctus Augustinus sic loquitur in Epistola ad Casulanum. *Ego in Evangelicis et Apostolicis litteris, totoque Instrumento quod appellatur Testamentum novum, animo id revolvens. video praeceptum esse ieiunium : quibus autem diebus non oporteat ieiunare. et quibus oporteat. praecepto Domini vel Apostolorum non invenio definitum.* (*Epistol.* 16.) Sanctus Leo, in Sermone de ieiunio decimi mensis. *Illa.* inquit. *quae rerum futurarum figuras gerebant ; impletis quae significavere, finita sunt : ieiuniorum vero utilitatem novi Testamenti gratia non removit. et continentiam corpori atque animae semper profuturam pia observatione suscepit. Quia sicut permanet ad intelligentiam Christianam, Dominum Deum adorabis, et illi soli servies, et caetera talia mandatorum : ita quod in eisdem libris de ieiuniorum sanctificatione praeceptum est, nulla interpretatione vacuatur* : haec sanctus Leo, qui non voluit significare, illis iisdem temporibus ieiunandum esse Christianis quibus ieiunabant Judaei : sed praeceptum ieiunandi Hebraeis traditum, observandum esse Christianis iuxta determinationem eorum qui praesunt Ecclesiae, quod ad tempus et modum attinet. Quae autem illa determinatio sit, notius est omnibus quam ut sit a me necesse declarari. Atque haec de necessitate ieiunii.

Porro fructus et utilitates ieiunii facile demonstrabimus. Ac primum, utilissimum est ieiunium ad animam praeparandam ad orationem et rerum coelestium contemplationem, ut Angelus Raphael significavit, cum ait: *Bona est oratio cum ieiunio.* (*Exod.* 34.) Sic Moyses quadraginta dierum ieiunio animam praeparavit, antequam ad colloquium Dei auderet accedere : sic Elias quadraginta dies ieiunavit, (3. *Reg.* 19.) ut cum Deo in monte Horeb, eo modo quo poterat, colloqui posset : sic Daniel ieiunio hebdomadarum trium praeparatur ad revelationes Dei recipiendas : sic Ecclesia in profestis magnarum celebritatum ieiunia instituit, ut Christiani paratiores reddantur ad vacandum rebus divinis. Porro sancti Patres hanc ipsam utilitatem ieiunii passim praedicant. Consulat Lector sanctum Athanasium in libro de Virginitate ; sanctum Basilium in Oratione prima et secunda de Jeiunio : sanctum Ambrosium in Libro de Elia et ieiunio ; sanctum Bernardum in Sermone de Vigilia sancti Andreae. Sed verba sancti Joannis Chrysostomi ex Homilia prima in Genesim, quae pauca et illustria sunt. non gravabor adducere. *Jeiunium*, inquit Chrysostomus, *Animae nostrae alimentum est, leves ei pennas producit ut in sublime feratur, et summa contemplari queat.*

Altera utilitas ieiunii est ad carnem edomandam, et hoc nomine ieiunium valde placet Deo, cui placet ut carnem crucifigamus cum vitiis et concupiscentiis eius, ut docet Apostolus in Epistol. ad Galat., qui etiam hac ipsa de causa dicebat. *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo. ne forte cum aliis praedicavero, ipse reprobus efficiar.* (*Galat.* 5.) Nam de ieiunio haec verba exponunt Chrysostomus et Theophylactus in Commentario, et sanctus Ambrosius in Epistola ad Ecclesiam Vercellensem. Hanc utilitatem ieiunii praedicant sancti Patres, Cyprianus in Sermone de ieiunio, Basilius in oratione 1. de ieiunio, Chrysostomus Homilia prima in Genesim, Hieronymus in Epistol. ad Eust. de custodia virginitatis, et Augustinus libro primo Confessionum, capite trigesimo primo, et Ecclesia universa ad Officium Horae primae, canit ex Hymno sancti Ambrosii, *Carnis terat superbiam potus cibique parcitas.*

Tertia ieiunii utilitas est ad Deum colendum : honori enim sibi ducit Deus, cum eius causa ieiunamus. Sic enim Apostolus loquitur in Epistola ad Romanos: *Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Graece: λογικην λατρειαν, id est, *Rationabilem cultum.* (*Rom.* 12.) Et de hoc cultu loquitur Sanctus Lucas, cum de

Anna vidua dicit: *Non discedebat de templo, ieiuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die.* (*Luc.* 6.) Et ipsa magna Nicaena Synodus Canone quinto vocat ieiunium Quadragesimae, mundum, et solemne munus, quod offertur ab Ecclesia Deo, quomodo etiam loquitur Tertullianus libro de Resurrectione carnis, ubi sacrificia Deo gravi vocat seras et aridas escas. Et sanctus Leo in sermone secundo de ieiunio decimi mensis. *Pro consummata*, inquit, *perceptione omnium fructuum, dignissime largitori eorum Deo continentiae libamen offertur.* Denique Sanctus Gregorius in Homilia sextadecima scribit, per Quadragesimale ieiunium offerri Deo decimas et primitias vitae nostrae.

Quarta utilitas ieiunii est Satisfactio pro peccatis. Id primum ostendunt exempla Scripturarum, Ninivitiae ieiunio Deum placaverunt, ut Jonas testatur. (*Joan.* 3.) Idem Judaei fecerant, qui ieiunantes cum Samuele Deum placaverunt, et victoriam de hostibus retulerunt. (1. *Regum.* 7.) Achab Rex impius, ieiunio et cilicio Deum ex parte placavit. (3. *Regum.* 21.) Hebraei tempore Judith et Esther non alio sacrificio, (*Judith* 4. *Esther.* 4.) quam ieiunio, fletu et planctu apud Deum misericordiam invenerunt. Hanc eamdem doctrinam veteres Patres perpetuo docuerunt. Tertullianus in libro de ieiunio. *Sicut*, inquit, *primum usus cibi perdidit, sic ieiunium Deo satisfaciat.* Sanctus Cyprianus in Sermone de Lapsis, *Iram* inquit, *et offensam Dei ieiuniis et fletibus, sicut monet ipse, placemus.* Sanctus Basilius Oratione prima de ieiunio, *Poenitentia*, inquit, *sine ieiunio infructuosa, et otiosa est, per ieiunium satisfactio Deo.* Sanctus Ioannes Chrysostomus Homilia prima in Genesim, *Deus* inquit, *veluti pater indulgens hanc nobis, quae per ieiunium sit, curationem invenit.* Sanctus Ambrosius in libro de Elia et ieiunio, *Jeiunium*, inquit, *culpae mors, excidium delictorum, remedium salutis est.* Sanctus Hieronymus in Commentario ad caput tertium Ionae, *Saccus*, inquit, *et ieiunium arma sunt poenitentiae, auxilia peccatorum.* Sanctus Augustinus Sermone sexagesimo de Tempore. *Nemo*, inquit, *pro laude humana, sed pro peccatorum indulgentia ieiunet.* Sanctus Leo Sermone quarto de ieiunio septimi mensis docet, ieiunii sacrificio Deum placari. Sanctus Bernardus Sermone sexagesimo sexto in Cantica, *Ego*, inquit, *interdum abstineo, sed abstinentia mea satisfactio est pro peccato, non superstitio pro impietate.*

Quinta denique utilitas ieiunii est, quod est meritorium, et ad beneficia divina impetranda multum valet. Anna uxor Elcanae per ieiunium, cum esset sterilis, filium habere meruit. (1. *Reg.* 1.) sic enim interpretator sanctus Hieronymus libro secundo in Iovinianum illa verba Scripturae. *Porro illa flebat, et non capiebat cibum. Anna*, inquit, *inanem cibo ventrem filio meruit implere.* Sara item per ieiunium triduanum a daemon liberator, ut scribitur in libro Tobiae. Sed est insignis locus in Evangelio pro merito ieiunii, (*Tob.* 3.) sic enim Dominus loquitur: *Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo qui est in abscondito; et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* (*Matth.* 6.) Ubi verba illa, *reddet tibi*, significant, reddet tibi mercedem: nam opponuntur illis *Exterminant facies suas ut appareant hominibus ieiunantes*: *Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam* Itaque hypocritae ieiunantes recipiunt mercedem suam, laudem humanam: iusti ieiunantes recipiunt mercedem suam, praemium divinum. Neque desunt clarissima sanctorum testimonia Patrum. Sanctus Ioannes Evangelista scripturus Evangelium, indixit solemne ieiunium, ut gratiam recte scribendi accipere mereretur, ut S. Hieronymus tradit Praefat. Comment. in Matth. et eum secutus Venerabilis Beda in caput 1. Joannis. Tertullian. in libr. de Jeiun. *Etiam*, inquit, *sacramentorum agnitionem ieiunia de Deo merentur.* Sanctus Ambrosius in Epistol. ad Eccles. Vere. *Qui sunt* inquit, *hi praeceptores novi, qui meritum excludunt ieiunii?* Sanctus Athanasius in libro de Virginitate. *Quisquis* inquit, *ab immundo spiritu vexatur, certum habere debet, ieiunio spiritus malos afflictos abscedere, vim ieiunii metuentes.* Sanctus Basilius Oratione prima de Ieiunio, *Jeiunium*, inquit, *ad venturi saeculi mala fugienda, et ad assequenda bona utile est.* Sanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione de Laudibus Sancti Cypriani, explicans quibus armis quaedam Sancta Virgo diabolum a se repulerit: *Jeiunii*, inquit, *et humi cubationis pharmacum obiecit.* S. Joannes Chrisostomus, Sermone primo de Jeiunio. *Jeiuna*, inquit, *quia peccasti; ieiuna, ut non pecces; ieiuna, ut accipias: ieiuna, ut non pereant quae accepisti.* S. Hieronymus in libro adversus Jovinianum, ex proposito disputat de merito ieiunii. Sanctus Augustinus Sermone sexagesimo secundo. *Jeiunium*, inquit, *remedium est, aut praemium. hoc est aut indulgentiam peccatorum, aut praemium regni caelestis acquirit.* S. Leo Sermone primo de ieiunio septimi mensis. *Per humilitatem*, inquit, *ieiunii contra omnes hostes nostros divinum meremur auxilium.*

Habemus igitur necessitatem et fructum ieiunii: reliquus est modus; id est ut breviter explicemus, quo modo sit ieiunandum, ut ieiunium nobis vere sit utile ad bene vivendum, ac per hoc etiam ad bene moriendum. Multi enim ieiunant in diebus omnibus ab Ecclesia constitutis, videlicet in Vigiliis, Quatuor temporibus, in Quadragesima: neque desunt qui sponte ieiunent in Adventu, ut pie se praeparent ad Diem Natalis Domini: vel in sexta feria ob memoriam Passionis Dominicae: vel in Sabbato ad honorem Virginis Deiparae. Sed utrum ita ieiunent ut vere fructus ieiunii consequantur, non sine causa queri potest. Finis primarius ieiunii est mortificatio carnis, ut spiritus fortior evadat. Ad hunc finem necesse esset, modica et vili esca nutriri. Et quidem Mater Ecclesia hoc indicat, cum iubet non bis in die, sed semel tantum refici corpus; et refici non carnibus aut lacticiniis, sed herbis et leguminibus et aliis levioribus, et escis. Duobus verbis id Tertullianus in libro de Resurrectione carnis expressit, cum cibum ieiunan-

tium esse dixit seras aridas escas. Certe illi ista non observant, qui qua die ieiunant, non minus comedunt in uno prandio, quam aliis diebus in prandio simul et qui in prandio illo tam pretiosa fercula ex variis piscium generibus, aliisque cibis ad gulam irritandam aptissimis praeparant, ut non prandium lugentium et poenitentium, sed coenam nuptialem ad multam noctem perventuram parare videantur. Qui sic ieiunant, fructus ieiunii sine dubio non consequuntur.

Sed neque illi fructum ieiunii consequuntur, qui quamvis minus laute et magis sobrie comedant, tamen in diebus ieiunii non magis sibi temperant a ludis et iocis, a rixis et contentionibus, a cantu lascivo et immoderata laetitia, et quod gravius est, a flagitiis et facinoribus, quam aliis diebus, qui non sunt ieiunio consecrati. Audi quid Isaias Propheta de hoc hominum genere dicat: *Ecce in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra. et omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites et contentiones ieiunatis, et percutitis pugno impie. Nolite ieiunare, sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester.* (*Isa.* 58.) haec Dominus in Haebraeis reprehendit, quod in diebus ieiunii, qui sunt dies poenitentiae, voluntates suas, et non Domini voluntatem implere vellent: et quod debitoribus suis non solum debita dimittere nollent, sicut sibi a Deo dimittere postulabant; sed neque vellent dilationem aliquam debitoribus suis concedere. Item quod tempus, quod ieiunantes in oratione ad Deum consumere debuissent, in litibus prophanis, et in contentionibus consumebant. Denique quod non solum, ut par erat, in diebus ieiuniorum non vacabant spiritualibus studiis: sed peccata peccatis addentes, proximos suos impie percutiebant. Haec similia cavere debent viri pii, si ieiunia sua cupiunt esse Deo grata, et sibi utilia, sic ut sperare possint deinceps vitam bonam et mortem pretiosam. Restat Eleemosyna ex tribus operibus, quae Angelus Raphael apud Tobiam laudavit, et nobis omnibus ad imitandum proposuit.

CAP. IX.

De nono praecepto Artis bene moriendi, quod est de Eleemosyna.

De Eleemosyna tria breviter explicanda sunt, necessitas, fructus, modus. Et quidem quod aliquod sit praeceptum de eleemosyna facienda, nemo umquam in dubium revocavit. Nam etiamsi nihil aliud haberemus, satis abunde sufficeret sententia Judicis iustissimi et supremi, qui in extremo iudicio iniquis dicet: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius, Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare: sitivi, et non dedistis mihi potum; hospes eram, et non collegistis me; infirmus et in carcere, et non visitastis me.* Et paulo post addidit: *Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.* (*Matth.* 25.) Ex quo loco possumus intelligere, ad eleemosynam faciendam non teneri nisi eos qui possunt eam facere. Nam ipse etiam Dominus non legitur ista opera fecisse, sed solum ex pecuniis sibi datis iussisse partem aliquam pauperibus donari; ut ex illo Evangelii loco potest intelligi ubi cum Dominus dixisset Judae, *Quod facis, fac citius,* (*Joan.* 13.) existimaverunt discipuli, imperasse Dominum Judae, ut ex loculis quos portabat, egenis aliquid daret. Theologi tamen hoc praeceptum contineri volunt illo praecepto Decalogi: *Honora parentes*: alii in eo; *Non occides.* Sed non est necesse hoc praeceptum in Decalogo contineri, cum eleemosyna pertineat ad charitatem, praecepta Decalogi sint praecepta iustitiae. Sed si omnia praecepta moralia revocari debeant ad Decalog. probabilis est Alberti M. (*in 4. Sent. d.* 15. *art.* 16.) sententia, qui praeceptum de eleemosyna facienda revocar ad illud, *Non furaberis*; quoniam genus furti esse videtur, non tribuere pauperibus quod debemus. Sed probabilior videtur sententia S. Thomae, qui hoc praeceptum reducit ad primum secundae tabulae, *Honora parentes.* (2. *q.* 32. *art.* 5.) Honor enim parentum non intelligitur eo loco sola reverentia: sed praecipue procuratio rerum necessaria ad vitam, quae est eleemosyna quaedam, quam debemus principali proximo nostro, ut explicat. S. Hieronymus in Commentario ad caput decimumquintum S. Matthaei. Ex quo intelligitur, deberi etiam eleemosynam aliis proximis nostris egentibus. Accedit, quod praeceptum de eleemosyna non est negativum, sed affirmativum: inter praecepta autem secundae tabulae nullum est affirmativum, nisi primum. quod est, *Honora parentes.* Sed de his fusius disputare non est huius loci. Atque haec de necessitate eleemosynae.

Jam vero fructus eleemosynae copiosissimus est. Primum enim eleemosyna liberat a morte sempiterna, sive id fiat per modum satisfactionis, sive per modum dispositionis ad gratiam, sive aliquo alio modo. Id enim manifeste docent Scripturae divinae. In libro Tobiae sic legimus, *Eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras.* (*Tob.* 4.) et in eodem libro Angelus Raphael disertis verbis ait: *Eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quae purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam aeternam.* (*Tob.* 12.) Daniel ad Regem Nabuchodonosor ait: *Quamobrem, Rex, consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum* (*Dan.* 4.)

Deinde eleemosyna si fiat ab homine iusto, et ex vera charitate, meritum habet aeternae vitae; cuius veritatis testis erit Christus Iudex vivorum et mortuorum, cum in iudicio dicet: *Venite benedicti Patris mei. possidete paratum vobis Regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare,* etc. et infra; *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* (*Matt.* 25.)

Tertio, eleemosyna vim habet cuiusdam baptismi, peccata videlicet quoad culpam et poenam simul delendi, dicente Ecclesiastico: *Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis.* (*Eccl.* 3.) Aqua enim penitus extinguit, ut nec fumus quidem supersit: Atque hoc ipsum Sancti Patres docent, Cyprianus, Ambrosius, Chrysostomus,

Leo: Sanctus Cyprianus in Sermone de Eleemosyna sic ait; *Sicut lavacro aquae salutaris gehenna ignis extinguitur, ita eleemosynis atque operibus justis delictorum flamma sopitur.* Sanctus Ambrosius in Sermone trigesimo primo, *Eleemosyna*, inquit, *quodammodo animarum aliud est lavacrum, sicut ait Dominus: Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis: nisi, quod salva fide dixerimus, indulgentior est eleemosyna quam lavacrum enim semel datur, et semel veniam pollicetur: eleemosynam autem quoties feceris, toties veniam promereris.* Sanctus Joannes Chrysostomus Homilia vigesima quinta in Acta Apostolorum, *Non est*, inquit, *peccatum, quod non possit purgare eleemosyna, quodve non possit extinguere.* Sanctus Leo Sermone quinto de Collectis, *Eleemosyna*, inquit, *peccata delenti mortem perimunt, et poenam perpetui ignis exstinguunt.* Haec sane magna est eleemosynae praerogativa, et deberet omnes homines ad amorem eleemosynae inflammare. Sed hoc non de quacumque eleemosyna intelligendum esse videtur, sed de illa dumtaxat, quae ex magna contritione et magno charitatis ardore procedit; qualis fuit sanctae Mariae Magdalenae, quae lachrymis contritionis rigavit pedes Domini, et eleemosyna unguenti pretiosissimi pedes eosdem inunxit.

Quarto, Eleemosyna fiduciam auget apud Deum, et gaudium spirituale producit. Quamvis enim id commune sit eleemosynae cum omni opere bono, tamen praecipue convenit eleemosynae, cum per eam Deo simul et proximo gratum praestemus obsequium; et sit opus, quod non obscure, sed apertissime dignoscitur esse bonum. Hinc est illud Tobiae: *Fiducia magna erit coram summo Deo Eleemosyna omnibus facientibus eam.* (*Tob.* 4.) et illud Apostoli: *Vinctis compassi estis, nolite itaque amittere confidentiam vestram.* (*Hebr.* 10.) Denique, Sanctus Cyprianus in Sermone de Eleemosyna eleemosynam vocat solatium grande credentium.

Quinto, Eleemosyna conciliat benevolentiam multorum, qui pro benefactoribus Deum precantur, eisque vel gratiam conversionis, vel donum perseverantiae, vel incrementum gratiae, et gloriae impetrant. Nam his omnibus modis intelligi potest verbum Domini: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos aeterna tabernacula.* (*Luc.* 10.)

Sexto, Eleemosyna dispositio est ad gratiam justificantem. De hoc fructu loquitur Salomon in Proverbiis, ubi dicit: *Eleemosynis et fide delicta purgantur.* (*Prov.* 15.) Et Dominus, audita liberalitate Zacchaei: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*: ait, *Hodie salus domui huic facta est.* (*Luc.* 19.) Denique in actis Apostolorum legitur dictum fuisse Cornelio nondum Christiano: qui erat eleemosynarum multarum largitor: *Eleemosynae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* (*Act.* 10.) Ex quo loco probat Sanctus Augustinus (*Lib.* 1. *de praedest. Sanct. cap.* 7.) Cornelium per eleemosynas, impetrasse a Deo gratiam fidei Christianae, et perfectae justificationis.

Septimo denique, Eleemosyna saepe causa est ut crescant bona temporalia. Id quod affirmat Sapiens cum dicit: *Foeneratur Domino qui miseretur pauperis*: et rursum: *Qui dat pauperi non indigebit.* (*Prov.* 19. *Prov.* 28. *Joan.* 6.) Idem exemplo suo Dominus docuit, cum jussit discipulis, ut quinque panes et duos pisces quos solos habebant, distribuerent turbis, et effecit ut reciperent duodecim cophinos plenos fragmentorum panum et piscium, qui ad multos dies illis sufficere potuerunt. Tobias quoque qui bona sua cum pauperibus liberaliter communicabat, ingentes divitias brevi consecutus est. Vidua quoque Sarephtana, (3. *Reg.* 17.) quae modicum farinae et olei Eliae prophetae in eleemosynam tribuit, id ex beneficio Dei consecuta est, ut ad longum tempus farina et oleum ei non defuerit. Exempla praeterea plurima et dignissima quae legantur, extant apud Gregorium Turonicum libro quinto Historiae Francorum, apud Leoncium in vita Sancti Joannis Eleemosynarii, apud Sophronium in Prato spirituali capite 185. et 201. Idem confirmat Sanctus Cyprianus in Sermone de Eleemosyna, et Sanctus Basilius in Oratione ad divites: ubi eleganti similitudine comparat divitias aquis puteorum, quae si frequenter hauriantur, semper meliores et copiosiores scaturire solent: si vero immotae conserventur, decrescunt, atque putrescunt. Haec avari divites non libenter audient, et vix credent: sed post hanc vitam intelligent, et vera esse credent, quando intelligere vel credere nihil proderit.

Superest ut de modo largiendi eleemosynas aliquid scribamus: id enim prae omnibus aliis rebus necessarium est, ut pie sancteque vivamus, et felicissime moriamur. Primum igitur, necesse est, ut eleemosynas faciamus, intentione rectissima placendi Deo, non ad captandam auram popularem. Id enim Dominus noster clarissimis verbis docet, cum ait: *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere: et nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua.* (*Matth.* 6.) Explicat hunc locum S. Augustinus (*Tract.* 6.) in Explicatione Epistolae S. Joannis, ubi per sinistram intelligit intentionem faciendi eleemosynam propter honorem temporalem, vel aliud quodcumque temporale lucrum: per dexteram significari dicit intentionem faciendi eleemosynam propter vitam aeternam, propter gloriam Dei, propter proximi charitatem.

Deinde, facienda est eleemosyna prompte, facile, ut non videatur extorta precibus, nec differatur de die in diem, si statim fieri possit. *Ne dicas*, inquit Sapiens, *Vade, et revertere: cras dabo tibi: cum statim possis dare.* (*Prov.* 3.) Abraham (*Gen.* 8.) amicus Dei rogat hospites ut ad se divertant, non expectat, ut ab eis rogetur. Quod idem fecit nepos eius justus Lot. (*Gen.* 18.) Sic etiam Tobias. (*Tob.* 8.) non expectabat pauperes ut ad se venirent, sed ipse eos quaerebat.

Tertio requitur, ut eleemosyna fiat hilariter, non cum tristitia: *In omni dato*, inquit Ecclesiasticus *hilarem fac vultum tuum.* (*Eccl.* 35.) Et Apostolus: *Non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* (*Cor.* 9.)

Quarto, necesse est ut eleemosyna fiat humili-

ter, sic ut intelligat homo dives, se plus accipere quam dare: de qua re sic loquitur S. Gregorius: *Multum ad edomandam dantis superbiam valet, sic cum terrena tribuit, verba sollicite Magistri coelestis penset, qui ait: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula. Si enim eorum amicitiis aeterna tabernacula acquirimus, dantes procul dubio pensare debemus, quia Patronis potius munera offerimus, quam egenis dona largimur.* (*Lib. 21. Moral. c. 14.*)

Quinto, opus est ut eleemosyna abundanter tribuatur pro modo facultatum, sic enim docet Tobias insignis eleemosynarius: *Quo modo* inquit, *potueris, ita esto misericors: si multum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* (*Tob. 4.*) et Apostolus (*2. Cor. 8.*) docet, eleemosynam esse dandam ut benedictionem, non ut avaritiam: et Sanctus Joannes Chrysostomus addit: *Non dare, sed copiose dare, eleemosyna est.* Et in eodem Sermone addit, eos, qui audiri volunt, cum Deo dicunt, *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* (*Serm. 37. ad popul. Antioch.*) debere etiam misereri pauperum secundum magnam eleemosynam suam.

Postremo, necesse est super omnia alia, ut qui vult salvus esse, ac per hoc bene mori, ut diligenter investiget, vel per se legendo et meditando, vel per homines vere doctos et pios, an divitiae supervacaneae possint absque peccato retineri, aut sint necessario dandae pauperibus: et rursum, quae sint appellandae divitiae supervacaneae, quae necessariae. Fieri enim potest, ut alicui mediocres opes supervacaneae sint, alteri ingens copia divitiarum plane necessaria esse videatur. Et quoniam opusculum hoc meum non requirit nec patitur Scholasticarum quaestionum prolixitatem, annotabo hic breviter loca Scripturarum sanctarum, et Doctorum, tum veterum, tum recentiorum, et finem huic disputationi imponam.

Loca Scripturae sunt, Matthaei sexto: *Non potestis Deo servire et mammonae* Lucae tertio: *Qui habet duas tunicas, det non habenti: et qui habet escas, similiter faciat.* Lucae duodecimo dicitur diviti habenti multa bona, ut vix sciret ubi ea reponeret: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te.* Quae verba sic exponit S. Augustinus in libro quinquesimo Homiliarum, Homilia septima, ut ille dives perierit in aeternum, quia supervacaneas opes retinuerit.

Loca Sanctorum Patrum praecipua haec sunt. S. Basilius in Oratione ad divites, *At tu*, inquit, *nonne spoliator es, qui quae dispensanda accepisti, propria reputas?* et paulo post: *Quocirca*, inquit, *tot pauperibus iniuriam facis, quod dare valeres.* S. Ambrosius Sermone octogesimo primo, *Quid*, inquit *iniustum est, si cum aliena non invadam propria diligenter servem? O impudens dictum! Propria dicis? quae?* infra: *Non minus est criminis quam habenti tollere cum possis, et abundes indigentibus denegare.* S. Hieronymus in Epistola ad Hedibiam quaestione prima. *Si plus*, inquit, *habes, quam tibi ad victum et vestitum necessarium est; illo debitricem esse te noveris.* S. Joannes Chrysostomus Homilia trigesima quarta ad populum Antiochenum: *Numquid*, inquit, *tua possides? res pauperum tibi sunt creditae sive ex laboribus iustis, sive ex haereditate paterna possideas.* Sanctus Augustinus Tractatu in Psalmum 147. *Superflua*, inquit, *diviti, necessaria sunt pauperi: res alienae possidentur, cum superflua possidentur.* S. Leo in Sermone quinto de Collectis, sic ait: *Terrenae et corporeae facultates ex Dei largitate proveniunt, ut merito rationem eorum quaesiturus sit, quae non magis possidenda quam dispensanda commisit.* Sanctus Gregorius in tertia parte Pastoralis curae, admonitione vigesima secunda, *Admonendi sunt*, inquit, *qui nec aliena appetunt, nec sua largiuntur, ut sciant sollicite, quod ea, de qua sumus, cunctis hominibus terra communis est, et idcirco alimenta quoque omnibus communiter proferi: et incassum se innocentes putant, qui commune Dei munus sibi privatim vendicant.* Sanctus Bernardus in Epistola ad Henricum Archiepiscopum Senonensem sic ait: *Nostrum est, pauperes clamant, quod effunditis, nobis crudeliter, subtrahitur, quod vos inaniter expenditis.* Sanctus Thomas in secunda secundae quaestione sexagesima sexta, articulo septimo, *Res*, inquit *quas aliqui superabundanter habentur ex naturali Jure debentur pauperum sustentationi*: et quaestione octogesima septima articulo primo, *Dominus*, inquit, *non solum decimam partem, sed omnia superflua pauperibus iubet exhibere.* Denique idem Auctor scribens in quartum librum Sententiarum ad quintam decimam destinctionem, testatus hanc ipsam esse doctrinam communem omnium Theologorum. Addo hoc loco, quod si quis forte contendere velit, ex rigore Juris non esse supervacanea danda pauperibus: tamen negare non poterit saltem ex charitate id esse faciendum. Parum autem refert utrum quis ex defectu iustitiae, aut defectu charitatis, in gehennam descendat.

CAP X.

De decimo praecepto Artis bene moriendi, quod est de Sacramento Baptismi.

Explicatis virtutibus praecipuis, quae docent artem bene vivendi, addemus nunc pauca ex doctrina Sacramentorum, quae non minus adiuvant ad eamdem artem bene vivendi feliciter addiscendam. Sacramenta a Christo Domino instituta, septem numerantur, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Ordo, Matrimonium, Extrema unctio. Quae sunt veluti instrumenta divina, quibus utitur Deus per ministerium servorum suorum ad gratiam divinam conferendam, vel augendam, vel restituendam: ut homines liberari a servitute diaboli, et translati ad honorem filiorum Dei, ad beatitudinem sempiternam cum Angelis sanctis aliquando perveniant. Ex his igitur Sanctissimis Sacramentis propositum nobis est breviter de-

monstrare, quis in arte bene vivendi proficiat,quis deficiat ; ut inde possit intelligi , quis ad felicem mortem aspirare possit; quis e contrario mortem infelicem expectare debeat, nisi vitam moresque commutet.

Ordiamur a primo Sacramento. Baptismus primum est in Sacramentis et iure dicitur ianua Sacramentorum, quoniam nisi Baptismus praecedat, non est ullus homo idoneus ad Sacramenta caetera suscipienda. In Sacramento Baptismi hi ritus servantur. Primum omnium debet , qui baptizandus est,per se vel per alium confiteri fidem catholicam. Deinde , abrenuntiare debet diabolo , et pompis eius, et operibus eius. Tertio,baptizandus est in Christo, in quo Baptismo transfertur a servitute diaboli ad gratiam filiorum Dei; et peccatis omnibus deletis,accipit dona coelestis gratiae,per quae filius Dei adoptivus, et haeres Dei, et cohaeres Christi constituitur.Quarto, datur ei stola candida, et iubetur eam puram et nitidam conservare usque ad mortem. Quinto, datur quoque candela accensa, quae significat opera bona , quae debet adiungere dum vivit ad innocentiam vitae , quam significat stola candida paulo ante suscepta. Sic enim loquitur Dominus in Evangelio: *Sic luceat lux vestra coram hominibus,ut videant opera vestra bona et glorificent patrem vestrum , qui in coelis est.* (*Matth.* 5).

Hi sunt praecipui ritus, quibus utitur Ecclesia in conferendo Baptismo. Omitto enim caeteros , qui ad rem nostram non pertinent. Ex his poterit unusquisque intelligere, an bene vixerit a suscepto Baptismo usque ad annum , quem nunc agit. Ego vero vehementer suspicor , paucos esse inveniendos, qui omnia impleverint,quae vel se facturos promiserint,vel certe implere debuerint:*Multi* enim *sunt vocati*, *pauci vero electi* ; *et angusta est via, quae ducit ad vitam,et pauci inveniunt eam.* (*Matth.* 7. *et* 20).

Incipiamus a Symbolo Fidei: quot sunt homines rustici, vel mendici, vel opifices artium infimarum qui Symbolum Fidei vel non tenent memoria, vel numquam didicerunt, vel sciunt quidem verba sonare, sed sententiam non percipiunt? Et tamen in Baptismo, per patrinos, ad singulos articulos credere se responderunt.At si Christus per fidem habitare debet in cordibus nostris,ut Apostolus Paulus (Eph. 3.) docet: quo modo habitabit in cordibus eorum , qui vix per linguam sonare possunt verba Symboli, et in corde nihil prorsus habent? et si Deus fide purificat corda nostra , ut Apostolus Petrus (Act.15.) loquitur: quam sordidum erit cor illorum, qui fidem Christi corde non perceperunt, quamvis Baptismum in carne perceperint. Loquor autem de adultis,non de infantibus: infantes enim per habitum gratiae fidei , spei et charitatis iustificantur: sed cum adoleverint,Fidei Symbolum discere, et fidem christianam corde credere debent ad iustitiam,et ore confiteri tenentur ad salutem, ut Apostolus (Rom. 10.) apertissime docet in Epistola ad Romanos.

Veniamus ad alterum ritum. Christiani omnes vel per se, vel per patrinum , interrogati an abrenuntient diabolo, et pompis eius et operibus eius respondent: Abrenuntio. At quam multi sunt, qui verbo abrenuntiant,reipsa non abrenuntiant? quin potius,quam pauci sunt, qui pompas et opera diaboli non toto corde diligant et sequantur ? Et tamen Deus omnia videt,et irrideri non potest.Ergo qui bene vivere cupit, et bene mori desiderat, ingrediatur in cubiculum cordis sui , et non se ipse fallat, sed serio et attente cogitet et recogitet , an pompis mundi huius delectetur, an operibus diaboli, quae sunt peccata, in corde suo, et in factis dictisque suis locum dederit. Sic enim vel conscientia bona eum consolabitur , vel conscientia mala ad poenitentiam eum adducet.

In tertio ritu manifestatur nobis beneficium Dei tam sublime, tam profundum, tam longe lateque patens,ut si totos dies totas noctes consumeremus in eius admiratione, et agendis pro eo gratiis Deo nihil dignum tanto beneficio praestaremus. Deus bone, qui non capiat, quis non obstupescat, quis non totus in pias lachrymas convertatur , si cogitet, hominem ad inferos iure damnatum , repente per Christi Baptismum transire de captivitate miserrima ad ius Regni felicissimi ? Sed quanto est hoc beneficium maius,tanto est etiam plurimorum hominum ingratitudo magis detestanda;cum pauci sint qui vix ad usum rationis pervenerunt , cum incipiunt Deo beneficium tam admirandum quasi renunciare, et in servos seipsos diabolo tradere. Quid enim est,in prima adolescentia concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, et superbiam vitae sectari, nisi cum diabolo amicitiam et foedus contrahere, Christum Dominum re et factis abnegare?Rari sunt qui auxilio Dei singulari praeventi, gratiam Baptismi diligenter custodiunt, et ut loquitur Jeremias, iugum Domini portare incipiunt *ab adolescentia sua.* (*Thren.* 3.) Sed nisi vel gratiam Baptismi diligenter conservemus, vel per veram poenitentiam iterum diabolo renuntiemus, et ad Christi servitutem revertamur, et in ea ad mortem usque perseveremus: nec bene vivere, nec a mala morte liberari poterimus.

Quartus ritus in eo positus est, ut stolam candidam baptizatus accipiat , eamque ferre iubeatur quousque ad conspectum Domini veniat. Quo ritu significari diximus vitae innocentiam,per Baptismi gratiam comparatam,diligentissime conservandam esse usque ad mortem. Sed quis explicet,quantae sint insidiae diaboli, hostis perpetui generis humani, qui nihil magis procurat , quam vestem illam maculis omnis generis aspergere? Itaque paucissimi reperiuntur,qui si diutius vixerint, sordes peccatorum evadant.Certe Sanctus David (Ps.118.) beatos immaculatos in via esse pronunciavit. Sed quo difficultas maior est in via sordida sine maculis incedere, tanto gloriosior erit palma et corona innocentis vitae. Debent igitur omnes , qui bene vivere et beate mori desiderant , vestem innocentiae totis viribus candidam servare. Sed si forte illi maculae aliquae adhaeserint , debent iterum atque iterum eam in sanguine Agni dealbare,quod sit per veram contritionem, et per lachrymas poenitentiae.Certe S.David cum peccatum suum lon-

go tempore deflevisset, respiravit in spem gratiae et Domino gratias agens confidenter dixit: *Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.* (*Ps.* 50.)

Postremus ritus est, cereum lucentem accipere manibusque illum gestare; id quod, ut supra diximus, nihil significat aliud nisi opera bona, quae ad innocentiam vitae adiungenda sunt. Quae sint autem opera bona, quae facienda sunt ab hominibus renatis per Baptismum in Christo, exemplo suo docet Apostolus, cum dicit: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Judex.* (2. *Tim.* 4.) His paucis verbis brevissime numerata sunt omnia bona opera, quae a renatis per Baptismum in Christo facienda sunt. Oportet enim fortiter dimicare adversus tentationes diaboli, qui *tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret.* (1. *Petr.* 5.) Oportet etiam cursum bonorum operum consummare in observatione mandatorum Domini iuxta illud Psalmi; *viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilasti cor meum.* (*Ps.* 118.) Oportet denique fidem Domino nostro servare in multiplicandis talentis, vel in colenda vinea, vel in villicatione commissa, vel in praefectura familiae nobis imposita, vel in aliis quibuscumque negotiis nobis a Domino commendatis. Voluit enim sapientissimus Dominus nos quidem, in filios adoptivos, ad haereditatem coelestem admittere; sed ut id cum maiore gloria sua et nostra fieret, placuit divinae sapientiae suae, ut bonis operibus ex gratia ipsius et libero arbitrio nostro factis, coelestem haereditatem, id est, sempiternam beatitudinem mereremur. Itaque opulentissima et gloriosissima illa haereditas non dabitur dormientibus, vel otiantibus, vel ludentibus, sed vigilantibus, laborantibus, et ad finem usque vitae in opere bono perseverantibus.

Discutiat ergo unusquisque opera sua, et vitam ac mores suos diligenter examinet, si vult bene vivere et feliciter mori: et si conscientia sua testimonium sibi reddit, quod bonum certamen certaverit cum vitiis et concupiscentiis, et cum omnibus tentationibus serpentis antiqui; et quod cursum feliciter consummaverit in omnibus mandatis et iustificationibus Domini sine querela; et quod fidem Domino servaverit in omnibus officiis vel praefecturis sibi commissis; securus exultet, et cum Apostolo dicat: *Reposita est mihi corona iustitiae quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Judex* (2. *Tit.* 4.) Quod si conscientia accurate discussa testetur, in certamine cum hoste generis humani non leviter se vulneratam, et ignita iacula usque ad animam penetrasse, idque non semel, sed saepius; et quod in cursu operum bonorum saepe defecerit, et non solum alacriter non cucurrerit sed prae lassitudine in via sederit, vel iacuerit: et denique fidem Domino in negotiis sibi commissis non servaverit, sed partem lucri sibi abstulerit vel inanis gloria, vel acceptio personarum, vel aliquid huiusmodi; ad remedium poenitentiae, atque ad ipsum Deum, ut medicum, sine interposita mora recurrat, et non differrat hoc negotiorum omnium maximum in aliud tempus; quia mortis neque diem scimus neque horam.

CAP. XI.

De praecepto undecimo Artis bene moriendi, quod est de Confirmatione.

Post Sacramentum Baptismi sequitur Sacramentum confirmationis, ex quo duci potest documentum ad bene vivendum non minus accommodatum quam ex Baptismo: quamvis enim Baptismi Sacramentum sit magis necessarium quam Sacramentum confirmationis: tamen Sacramentum Confirmationis nobilius est quam Sacramentum Baptismi. Id quod intelligi potest ex ministro, ex materia, et ex effectu, minister ordinarius Baptismi est Presbyter, vel Diaconus; et in tempore necessitatis quilibet homo. Minister Confirmationis ordinarius est Episcopus; et ex dispensatione summi Pontificis solus Presbyter. Materia Baptismi est naturalis; materia Confirmationis est oleum pretiosum mistum balsamo, et ab Episcopo consecratum. Effectus Baptismi est gratia et character, qualis requiritur ad procreandum infantem spiritualem, iuxta illud S. Petri: *sicut modo geniti infantes lac concupiscite.* (1. *Pet.* 2.) Effectus confirmationis est gratia et character, qualis requiritur ad creandum militem Christianum ad pugnandum adversus hostes invisibiles iuxta illud s. Pauli: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus.* (*Eph.* 6.) Denique in Baptismo datur infantibus gustus salis in confirmatione infligitur alapa, ut discat miles Christianus pugnare non feriendo, sed patiendo.

Sed ut facilius intelligamus, quod sit officium hominis Chrismate inuncti, hoc est militis Christiani, videndum est quid acceperint Apostoli in sua confirmatione, quae data est eis in die Pentecostes. Apostoli enim non fuerunt confirmati proprie per Sacramentum Chrismatis, sed acceperunt a Christo Principe Sacerdotum effectum Sacramenti sine Sacramento. Acceperunt autem tria dona, sapientiam, eloquentiam et charitatem in altissimo gradu et praeterea donum miraculorum utilissimum ad convertendos infideles ad Deum. Atque haec dona significaverunt igneae linguae, quae in die Pentecostes apparuerunt, et sonitus vehemens qui simul auditus est: siquidem lumen ignis sapientiam, calor eiusdem ignis charitatem, figura linguae eloquentiam, et sonitus vehemens donum miraculorum significabant. Sacramentum nostrae Confirmationis non adfert secum donum variarum linguarum neque donum miraculorum, quoniam haec necessaria erant non pro ipsorum Apostolorum utilitate et perfectione, sed conversione infidelium: sed adfert donum charitatis, quae *benigna et patiens est.* (1. *Cor.* 13.) et in signum huius patientiae, quae est virtus rarissima et pretiosis-

sima: alapam dat Episcopus publice homini confirmato; nimirum,ut intelligat militem Christi esse creatum non ad percutiendum,sed ad patiendum, non ad iniurias inferendas, sed ad tolerandas. Sic enim pugnatur in Christiana militia non adversus homines, quos videmus, sed adversus daemones, quos non videmus. Sic enim pugnavit et vicit Imperator noster Christus, qui cruci affixus debellavit aereas potestates, et sic pugnabant Apostoli recens confirmati, qui flagellis graviter caesi in concilio Iudaeorum, *ibant gaudentes a conspectu concilii,quoniam digni habiti* erant *pro nomine Jesu contumeliam pati.* (*Act.* 5.) Haec videlicet est gratia Sacramenti Confirmationis, id efficere, ut homo caesus iniuste, non cogitet de vindicta, sed gaudeat se propter iustitiam iniuriam pati.

Ingrediatur nunc homo confirmatus in cor suum et diligenter attendat an dona Spiritus sancti, ac praecipue sapientiam et fortitudinem,in corde suo inveniat. Attendat, inquam, an acceperit sapientiam Sanctorum, quae magni facit bona aeterna et contemnit temporalia, et fortitudinem militum Christi, qui iniurias accipiunt libentius quam faciunt. Ac ne forte decipiatur,descendat ad praxin, examinet conscientiam suam.Nam si vere inveniat in promptum ad eleemosynas faciendas, non ad opes cumulandas; si passus iniuriam de ultione non cogitavit, sed facillime et libentissime iniuriam condonavit; iure poterit in spiritu exultare, ut qui pignus in corde suo habeat spiritus adoptionis filiorum Dei. Sed si post acceptum Confirmationis Sacramentum, non minus cupidum, non minus avarum, non minus iracundum, non minus impatientem esse se videat, et reipsa difficulter patiatur sibi nummum aureum.vel argenteum exire de marsupio ad pauperem reliciendum, et contra si pronum se cernat esse ad omnes captandas lucri occasiones: et rursus si facilem se cognoscat ad iram, pronum ad ultionem, et etiam ab amicis rogatus ut offensionem remittat, exorari se non patiatur: quid hinc colligere poterit nisi se Sacramentum accepisse, gratiam Sacramentum non accepisse?

Haec dixerim pro iis qui maiores natu sunt, cum ad hoc Sacramentum suscipiendum accedunt nam qui in prima aetate vix doli capaces ad Confirmationem accedunt,iis dona et virtutem infundi credendum est, cum nihil sit quod impediat. Sed timendum est illis, ne supervenientibus criminibus et poenitentia in longum tempus dilata, spiritum in Confirmatione susceptum extinguant, id est Spiritus Sancti gratiam amittant. Sic enim intelligitur, quod monet Apostolus, *Spiritum nolite extinguere.* (1. *Thess.* 5.) Ille enim, quod ad se attinet, Spiritum sanctum extinguit, qui gratiam Dei in se extinguit.

Qui ergo cupit semper bene vivere,ut ei contingat semel bene mori; Sacramentorum gratiam magni faciat, quae sunt vasa coelestium thesaurorum ac praesertim Sacramenta illa magni faciat, quae semel amissa inveniri nullo modo queunt, quale est Sacramentum Confirmationis, in quo thesaurus incomparabilis bonorum accipitur.Quamvis enim character Sacramentorum deleri non possit, tamen character sine gratiae donis, non solatium aliquod adferet, sed poenam confusionis augebit.

CAP. XII.

De duodecimo praecepto Artis bene moriendi, quod est de Eucharistia.

Sacrosancta Eucharistia Sacramentum est omnium maximum,in quo non sola gratia copiosissime, sed ipse auctor gratiae continetur.Ut autem homo Christianus, quod attinet ad hoc Sacramentum, bene vivat, et suo tempore bene moriatur, duo necessaria sunt. Unum, ut aliquando hoc sacrosanctum alimentum sumat, dicente Domino: *nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.*Alterum, ut digne cibum tam eximium manducet, dicente Apostolo in Epistola ad Corinthios: *qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat, et bibit non diiudicans corpus Domini.* (1. *Cor.* 11.) Est autem quaestio, quam frequenter expediat hunc cibum sumere:et rursum,quaenam sit habenda sufficiens praeparatio,ut digne aut certe non indigne ad hoc coeleste convivium accedamus.

De priore quaestione habemus, plures ac diversas fuisse in Ecclesia Catholica consuetudines. In Ecclesia primorum temporum frequentissime fideles communicabant corpori Dominico.Nam ideo Sanctus Cyprianus in Sermone de oratione Dominica, qui est sextus in ordine, explicat de sacra Eucharistia verba illa, *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*;ac docet,quotidie sumendam esse Eucharistiam, nisi quis legitimo impedimento prohibeatur.Postea tamen charitate refrigescente, ad annos integros non pauci sacram Communionem differebant.Hinc Innocentius Pontifex tertius decretum illud edidit,(*Cap.omnis, de poenit., et remiss.*) ut saltem annis singulis in Feriis Paschalibus omnes tam mares quam foeminae sacram Eucharistiam percipere tenerentur. Videtur autem communior Doctorum sententia,valde pium et laudabile esse, ut qui sacerdotes non sunt,singulis Dominicis diebus, et festis adhuc celebrioribus ad sacrosanctam Eucharistiam accedere non graventur. Celebris est apud scriptores sententia illa, quasi a s. Augustino prolata:*quotidie Eucharistiam accipere nec laudo nec reprehendo: omnibus tamen diebus Dominicis communicandum suadeo, et hortor.* Quamvis autem liber de Ecclesiasticis dogmatibus, unde haec sententia perita est, non videatur esse s. Augustini, tamen vetusti auctoris est, neque contraria doctrinae s. Augustini, (Ep. 118.) qui in epistola ad Ianuarium apertissime docet, neque illos errare, qui quotidie arbitrantur esse communicandum, neque illos,qui non quotidie,sed rarius communicandum esse censent. Certe qui hoc docet,nullo modo reprehenderet eos, qui mediam sententiam eligerent, ut saltem singulis diebus Dominicis ad hoc Sacramentum accederent. Tamdem sententiam placuisse s. Hieronymo, intelligi potest ex Commentario eius in Epistolam ad Galatas, ubi exponens cap. quartum, ita loquitur: *sicut nobis licet*

vel ieiunare semper, vel semper orare, et diem Dominicam accepto Corpore Domini indesinenter celebrare gaudentes, non ita fas est Judaeis immolare agnum, etc. Eadem sententia placuit s. Thomae in tertia parte Summae Theologicae quaestione 80. art. 10. extremo.

Quod attinet ad alterum caput de praeparatione ad tam magnum Sacramentum percipiendum, ut in salutem, non iudicium et condemnationem suscipiatur; primum omnium requiritur, ut anima sit vivens vita gratiae, non mortua morte peccati lethalis. Nam ea de causa dicitur cibus, et in specie panis datur, quia cibus non est mortuorum, sed viventium. *Qui manducat hunc panem*, Dominus ait apud Ioannem, *vivet in aeternum*, et in eodem loco, *caro mea vere est cibus*. (*Joan.* 6. *Syn. Trid. sess.* 23. *can.* 11.) Addidit autem Synod. Tridentina, non satis esse ad condignam praeparationem ad hunc coelestem cibum rite percipiendum, ut qui lethali peccato est inquinatus, sola contritione contentus sit; sed etiam per Sacramentum poenitentiae peccata sua expiare satagat, modo confessarii copiam habere queat. Deinde, quia hoc Sacramentum non solum est panis, sed etiam medicina, et medicina optima et saluberrima adversus omnes morbos vitiorum; ideo requiritur secundo loco, ut homo aegrotus desideret bonam valetudinem, et curari cupiat ab omnibus morbis vitiorum ac praecipue a principalibus, quae sunt, luxuria, avaritia, superbia. Quod autem Eucharistia sit medicina, docet s. Ambrosius libro 5. de Sacramentis, cap. 4. *Qui vulnus*, inquit, *habet medicinam requirit: vulnus est, quia sub peccato sumus: medicina est, caeleste, ac venerabile Sacramentum* et s. Bonaventura in libro 2. de Profectu Religiosorum cap. 78. *Qui se*, inquit, *indignum reputat cogitet quod tanto magis eget et necesse habet requirere Medicum, quanto magis senserit se aegrotum*: et s. Bernardus in Sermone de Coena Domini, admonet fratres suos, ut sanctissimo Sacramento tribuant, cum experiuntur in se minui malas propensiones, et alias animi aegritudines.

Postremo, sacrosanctum Sacramentum non solum est cibus viatorum et medicina aegrotorum, sed etiam Medicus doctissimus et amantissimus; et ideo recipiendus cum ingenti exultatione et reverentia, et ornanda est domus animae omni genere virtutum, ac praecipue fidei, spei charitatis, devotionis, pietatis, et fructibus bonorum operum, orationis, ieiunii, et eleemosynae. Haec enim ornamenta requirit dulcis hospes animae nostrae, qui bonorum nostrorum non indiget. Adde, quod iste Medicus, qui nos visitat, est etiam Rex et Deus, cuius infinita est puritas, et purissimum requirit habitaculum. Audi s. Joannem Chrysostomum in Sermone 60. ad populum Antiochenum: *quo*, inquit *non oportet esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividentem, os quod igne spirituali repletur?*

Ingrediatur nunc, quicumque bene vivere et bene mori desiderat, in cubiculum animae suae, et clauso ostio solus cum solo corde suo, coram Deo, qui scrutatur renes et corda, attente consideret, quam saepe et cum qua praeparatione communicet Sacramento Dom. Corporis. Et si quidem inveniat, se per Dei gratiam frequenter et salubriter communicare, et inde bene nutriri, et a morbis vitiorum paulatim curari, seque in virtutibus et operibus bonis quotidie magis ac magis proficere, exultet cum tremore, et perget servire Domino in timore, non tam servili quam casto et filiali. Quod si unus sit ex illis, qui contenti annua Communione, de saluberrimo Sacramento non amplius cogitant: et obliti manducare panem vivificum, quanto magis corpore pinguescunt et dilatantur, tanto magis animae eorum debilitantur et arescunt, intelligat se multum desipere et longe abesse a Regno Dei. Annua enim Communio decreta est a sacro universali Concilio, non ut non fiat nisi semel per annum, sed ut fiat saltem semel per annum, nisi velint ab Ecclesia exturbari et tradi Satanae. Itaque isti ut plurimum non amore filiali, sed timore servili Dominum suum in Sacramento recipiunt, et paulo post redeunt ad siliquas porcorum, ad mundi delicias, ad lucra temporalia, ad ambiendos fugaces honores, ut in morte audiant cum divite Epulone, *Memento, fili quia recepisti bona in vita tua.* (*Luc.* 16.) Quod si quis inveniatur, qui Sacramenti sacrosancti frequenter mysteria vel omnibus diebus Dominicis, vel etiam quotidie, si forte Sacerdotio fungatur; et tamen neque a peccatis lethalibus sibi caveat, neque in bonis operibus serio se exerceat, neque de mundo vere exierit, sed ut alii, qui de mundo sunt, lucris pecuniarum inhiet, carnis illecebris delectetur, ad gradus honorum et dignitatum suspiret, iste certe carnem Dominicam ad iudicium sibi manducat, et quo saepius mysteria sacrosancta indignus attrectat, eo magis Iudam proditorem imitatur, de quo Dominus ait: *melius erat ei, si natus non fuisset homo ille.* (*Matth.* 26.) Sed nemini desperandum est de salute, dum vivit. Proinde, qui in cubiculo cordis recogitat annos suos et opera sua, et se extra viam salutis hucusque cucurrisse cognoscit, sciat adhuc resipiscendi tempus adesse, modo serio velit poenitentiam agere, et ad viam veritatis reverti.

Adiungere libet ad finem huius capitis, quid s. Bonaventura scribat in vita sancti Patris Francisci, de admirabili pietate et amore huius sanctissimi viri erga sacrosanctam Eucharistiam, ut ex eius ardore nostra tepiditas vel frigiditas incalescat. « Flagrabat, *inquit* erga Sacramentum Do-« minici Corporis fervore omnium medullarum, « stupore admirans permaximo illam charissimam « dignationem, et dignantissimam charitatem. « Saepe communicabat, et tam devote, ut alios « devotos efficeret, cum ad Agni immaculati de-« gustationem suavem, quasi spiritu ebrius, in « mentis ut plurimum rapiebatur excessum ». (Vita s. Franc. cap. 9.) haec ille. A quo longissime absunt non solum laici multi communicantes, sed etiam Sacerdotes plurimi celebrantes, qui incredibili festinatione rem tam sacram peragunt, ut neque ipsi scire videantur quid agant, neque alios rem tantam paulo attentius considerare permittant.

CAP. XIII.

De praecepto tertiodecimo Artis bene moriendi, quod est de Poenitentia.

Sequitur Sacramentum poenitentiae, quod in tribus praecipue virtutibus positum est, quod attinet ad eum qui recipit Sacramentum Poenitentiae, contritione cordis, confessione oris, et satisfactione operis. Nam qui haec tria rite praestant, sine dubitatione ulla peccatorum suorum veniam assequuntur. Sed videndum est, et attentissime considerandum, an sit vera contritio, an integra confessio, an plena satisfactio.

Incipiamus a Contritione. Ioel Propheta clamat: *scindite corda vestra et non vestimenta vestra*: (Joel. 2.) Hebraei cum signum doloris ostendere vellent, scindebant vestimenta sua. Monet autem Propheta sanctus, ut si velimus dolorem verum et intimum de peccato commisso coram Deo demonstrare, scindamus corda nostra. Et Propheta David addit, ut non solum scindamus, sed etiam conteramus, et quasi in pulverem redigamus. *Cor contritum*, inquit, *et humiliatum, Deus non despiciet.* (*Psalm.* 50.) Quae similitudines aperte designant, ad placandum per poenitentiam Deum non satis esse, verbo dicere: Poenitet me peccasse; sed opus esse dolore cordis intimo et gravi, qui sine singultibus et lachrymis ac suspiriis inveniri vix potest. Sancti quoque Patres mirum est quam severe de vera contritione loquantur. Sanctus Cyprianus in Sermone de Lapsis, « quam magna, *inquit*, « deliquimus, tam graviter deflcamus : alto vul- « neri diligens et longa medicina non desit: poe- « nitentia crimine minor non sit. Orare impensius « oportet et rogare, diem luctu transigere, vigiliis « noctes ac fletibus ducere, tempus omne lachry- « mis et lamentationibus occupare, stratos solo « adhaerere cineri, in cilicio volutari et sordibus « Clemens Alexandrinus (Lib. 1. cap. 17. alias 24) ». apud Eusebium in historia, poenitentiam appellat *baptismum lachrymarum*. S. Gregorius Nazianzenus in oratione secunda de Baptismo, *Recipio*, inquit, *poenitentes, si lachrymis rigatos videro.* Theodoretus in Epitome Divinorum decretorum, capite de poenitentia, scribit, vulnera quae post Baptismum accipiuntur, curabilia quidem esse: sed non ut olim facili negotio per lavacrum regenerationis, sed per multas lachrymas et opera laboriosa.

Haec et similia omnes patres sancti scripta reliquerunt de veritate contritionis. Hoc tempore accedunt plerique ad confessionem, qui contritionem aut modicam aut nullam ostendunt. Sed qui volunt vere cum Deo reconciliari, et recte vivere, ut postea securi moriantur; debent intrare in cor suum, et clauso ostio negotiis aliis, aec aut similia attentissime apud se volvere: hei mihi, quid miser egi, cum tale et tale flagitium perpetravi? Primum, patrem illum dulcissimum, auctorem omnis boni, et mei amantissimum offendi, qui me undique beneficiis suis vallavit, cuius tot signa charitatis video, quot bona in me vel in aliis video. Sed quid de Christo meo dicam, qui dilexit me inimicum et indignum et tradidit semetipsum pro me *oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis?* (*Eph.* 5.) et ego ingratus et miser ab offensione eius non cesso. Quae tanta est mea crudelitas? Dominus meus virgis fuit caesus, spinis coronatus clavis in cruce suffixus, ut veteribus meis peccatis et sceleribus medicinam faceret, et ego non cesso nova semper addere; ille nudus in cruce salutem meam sitire se clamat, et ego semper pergo acetum ei et fel amarissimum propinare. Quis mihi praeterea exiplicabit, de quanta gloria exciderim, cum peccatum hoc aut illud lethale commisi? Haeres eram Regni coelestis, vitae aeternae felicissimae: ab hac tanta felicitate, et certe tam praeclara et omnibus modis maxima excidi miser, per illam brevissimam voluptatem, et per illa verba, vel in Deum blasphema, quae nihil mihi attulerunt boni. Et ab illa tanta felicitate ad quam sortem deveni? ad captivitatem diaboli, hostis mei crudelissimi: et quam cito frangetur maceries ista putrida corporis mei, quae momentis singulis ruinam minatur, tam cito et ego sine ullo remedio in ignem aeternum descendam. Heo me miserum, fortasse cras fortasse hac nocte in illis sempiternis ardoribus habitare incipiam. Sed super haec omnia cor meum torquet et lancinat ingratitudo mea, filii et servi deterrimi in patrem et Dominum amantissimum et optimum. nam quo magis ille me beneficiis cumulavit, hoc ego magis illum peccatis meis offendi.

Haec et similia si attente cogitare volueris in cubiculo cordis clausus, quicumque es qui hunc libellum dignaris legere, spero omnino te contritionis donum a bono Domino nostro impetraturum. Intravit aliquando poenitens David in solitudinem cordis sui post adulterium perpetratum, et mox contritione adopta coepit lachrymis stratum suum rigare. (Psalm. 6.) Intravit poenitens Petrus in cor suum post Christi negationem et continuo *flevit amare.* (Matt. 26.) Intravit poenitens illa peccatrix in cur suum, et statim *lacrymis caepit rigare pedes Iesu et capillis suis tergere.* (Luc. 7.) Hi sunt ergo fructus sanctae contritionis, qui non nascuntur nisi in solitudine cordis.

Jam de Confessione pauca dicamus. Video multos homines sine ullo fructu, aut certe valde modico, ad hoc saluberrimum Sacramentum accedere, nec aliam ob causam, nisi quia in cor suum non ingrediuntur, cum se ad confessionem faciendam parant. Aliqui sunt, qui ita negligenter ad hoc opus accedunt, ut solum generatim et confuso quodam modo dicere possint, se omnia praecepta violasse, vel omnia peccata mortalia perpetrasse: quibus non alia quam generalis et confusa absolutio conveniret, imo vero neque tali absolutione digni sunt: confiteatur enim quod fortasse non fecerunt; et quod vere fecerunt, non confitentur. Alii sunt, qui peccata quidem sua sigillatim referre et ordine didicerunt, verum nullam rationem habent de qualitate personae, de loco, de tempore, de numero, deque aliis, quae circumstantiae dici solent: quae insignis et periculosa negligentia est. Aliud enim est percutere Clericum, aliud percutere laicum: cum priori percussioni excommunicatio adiuncta sit, non posteriori. Aliud quoque est cum

virgine, aliud cum sanctimoniali, aliud cum coniugata, aliud cum meretrice flagitium perpetrasse : aliud semel, aliud decies in idem peccatum incidisse. Idem enim peccatum est, sed multiplex. Denique non desunt, quod magis est admirandum, qui peccata interna, ut desideria fornicationis, adulterii, homicidii, furti, arbitrentur non esse peccata, nisi opere compleantur : imo vero neque aspectus impudicos, neque verba lasciva in peccatis numerent. Et tamen Dominus ipse disertis verbis loquitur, cum ait : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam maechatus est eam in corde suo.* (*Matth.* 5.) Oportet igitur, ut si quis conscientiae suae consulere velit, et utilem ac salutarem confessionem facere, primum libellum aliquem de Arte recte confitendi peccata inveniat, aut certe Confessarium pium et doctum consulat : deinde, in cor suum ingrediatur, et non cursim et breviter, sed accurate et serio conscientiam suam discutiat, et diligenter cogitationes, desideria, verba, et facta nec non omissiones, examines, et pio ac perito medico animarum conscientiam suam aperiat, atque ab eo humiliter absolutionc petat, paratus poenitentiam implere ; quam ipse Confessarius iniungendam esse censuerit.

Restat Satisfactio, cuius maiores nostri, viri sapientissimi, multo maiorem rationem habebant, quam multi ex nobis habere videantur. Illi enim cum serio considerarent, multo facilius hic in terris quam in locis purgatoriis Deo satisfieri posse, multas imponebat gravissimas atque longissimas. Et quidem quod ad tempus attinet, poenitentias iniungebant annorum septem, vel quindecim, vel triginta, interdum etiam totius vitae. Quod vero attinet ad qualitatem, iniungebant ieiunia frequentissima, orationes adhuc frequentiores; praeterea, ut non uterentur balneis, non equis, non curribus non vestibus pretiosis ; ut abstinerent a ludis, iocis, theatris ; denique, omnis eorum vita in luctu et moerore poenitentibus congruente, fere consumebatur. Adferam unum exemplum.

In Concilio Toletano decimo legimus Episcopum Bracharensem, Potamium nomine, qui semel tactu foemineo sordueral (sic enim Concilium loquitur) ipsum se, nullo cogente, in ergastulo quodam inclusisse, et novem mensium poenitentiam egisse : ac deinde propriis litteris hoc suum peccatum et poenitentiam sponte susceptam Concilio Episcoporum significavisse ; Concilium autem decrevisse, ut toto vitae suae tempore in agenda poenitentia perseveraret cum affirmaret nihilominus Concilium, humanius et misericordius cum illo actum esse, quam antiquorum regulae et severitas paterentur. Haec erat antiqua severitas. Nunc vero sic imbelles et delicati sumus, ut multa imposita ieiunii in pane et aqua ad paucos dies, cum 7. Psalmis et Litaniis totidem diebus recitandis, et eleemosyna paucorum nummorum pauperibus erogauda, satis videatur severa esse, etiamsi pro multis flagitiis et sceleribus eluendis imponatur. Sed quod hic nobis ipsi indulgemus, in purgatoriis locis, iustitia Dei sic exigente, graviter luemus ; nisi tanta sit vis verae contritionis ex ardenti charitate prodiens, ut a misericordia Dei remissionem totius culpae et poenae valeat impetrare. Vere enim miro modo commovet viscera Patris nostri Dei cor vere contritum et humiliatum non enim potest dulcedo et bonitas Patris se continere. (*Luc.* 15.) quin ad filium prodigum, sed vere poenitentem, accurrat, complectatur, osculetur, annulum pacis donat, et abstergat lachrymas doloris, et lachrymis laetitiae repleat omni favo mellis dulcioribus.

CAP. XIV.

De praecepto quartodecimo Artis bene moriendi quod est de Sacramento Ordinis.

Duo Sacramenta, quae sequuntur breviter considerauda , non ad omnes Christianos pertinent ; sed unum ad Clericos, Sacramentum videlicet ordinis, alterum ad laicos, Sacram. Matrimonii. Dicamus breviter de primo, non omnia, quae ad hoc Sacramentum pertinent, sed ea solum , quae necessaria sunt ad artem bene vivendi et feliciter moriendi.

Ordines numerantur septem, quatuor minores , et tres maiores , quorum supremus , qui dicitur Sacerdotium, in duos dividitur , sunt enim Sacerdotes maiores, qui dicuntur Episcopi, et minores, qui dicuntur Presbyteri. His omnibus ordinibus praemittitur prima tonsura, quae est quasi ianua ad omnes Ordines, et ad Clericos proprie facit. Et quoniam ea, quae requiruntur a Clericis, quod attinet ad pie et religiose vivendum, maiori ratione requiruntur ab iis, qui sunt constituti in Ordinibus minoribus vel maioribus, et potissimum a Presbyteris vel Episcopis : ideo contentus ero breviter ea considerare et explicare quae ad Clericos pertinent.

Duo sunt, quae de Clericis explicanda esse videntur ; primum ipse ritus, quo Clerici fiunt, deinde Officium, quo in Ecclesia, fungi debent, Ritus, quo fiunt Clerici, ut ex libro Pontificali potest intelligi, hic est, ut primum tondeantur capilli capitis ; quo ritu significatur depositio cogitationum et cupiditatum supervacanearum, quales sunt cogitationes et cupiditates rerum temporalium, opum, honorum, deliciarum, et aliarum id genus rerum : et simul iubeantur, qui tondentur, dicere versiculum illum Psalmi quintidecimi, *Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei, tu es qui restitues haereditatem meam mihi.* Deinde iubet Episcopus adferri superpelliceum candidum, eoque induit novum Clericum, dicens illud ex Apostolo ad Ephesios : *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.* (*Ephes.* 4.) Porro officium novo Clerico nullum proprie assignatur, sed ex consuetudine munus ipsius est ministrare Sacerdoti rem sacram faciendi, quando privatim id agit.

Consideremus nunc, quanta perfectionis eminentia requiratur in Clerico, et si tanta in Clerico, quanta in Acolytho, in Subdiacono, in Diacono, in Presbytero, in Episcopo ? Herrat profecto mens mea id cogitare, cum vix inveniantur in multis, Presbyteris, quae iure exiguntur in simplice Cle-

rico. Jubetur Clericus abiicere supervacaneas cogitationes et cupiditates, quae propriae sunt hominum saecularium, id est, hominum, qui ad hoc saeculum pertinent, qui sunt de hoc mundo, qui assidue cogitant et concupiscunt. Jubetur bonus Clericus non aliam partem vel haereditatem quaerere nisi Deum, ut sit Deus solus pars et haereditas eius; et ipse solius Dei pars et aereditas vere dicatur, et sit. O altitudo clericalis perfectionis! quae toti mundo renunciat ut solum Deum vere possideat, et ipse vicissim a solo Deo possideatur. Hoc significant illa verba Psalmi: *Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei. Pars haereditatis* dicitur illa portio, quae ex divisione haereditatis in multos fratres, unicuique illorum contingit. Itaque non est sensus illorum verborum, quod Clericus velit partem hereditatis suae esse Deum, alteram partem esse opes terrenas; sed quod ex corde cupiat, totam partem suam, id est, quicquid ad eum pertinere posset ex hoc mundo, id totum transferre per affectum bonum in Deum. Inter calicem autem et haereditatem hoc interesse videtur, quod calix ad voluptatem et delicias, haereditas ad opes et honores pertineat. Itaque integer sensus erit, Domine Deus meus, ex hoc tempore quidquid in mundo sperare poteram vel divitiarum, vel deliciarum, vel aliorum temporalium bonorum, id totum in te solo habere desiderio; tu unus pro rebus omnibus abunde sufficis. Et quoniam abundantia celestium bonorum hic in terris haberi non potest, ideo pergit orando, et dicit bonus Clericus: *Tu es qui restitues haereditatem meam mihi.* Quae enim propter te contempsi et abieci, vel pauperibus tuis donans, vel diripientibus propter te condonans; tu mihi fideliter conservas, et tempore suo restitues, non in specie corruptibili, sed in te ipso, qui es fons inexhaustus omnium bonorum.

Sed ne quis hanc nostram explicationem in controversiam revocare velit, addemus duos testes omni exceptione maiores; S. videlicet Hieronymum, et S. Bernardum. Sanctus Hieronymus in Epistola ad Nepot. de vita Clericorum. *Igitur*, inquit, *Clericus, qui Christi servit Ecclesiae, interpretetur primo vocabulum suum; et nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος Graece, Sors Latine appellatur: propterea vocantur Clerici, vel quia ipse Dominus sors*, id est, *pars Clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est vel Dominum partem habet; talem se exhibere debet ut et ipse possideat Dominum, et possideatur a Domino. Qui Dominum possidet, et cum Propheta dicit, Pars mea Dominus*; (*Ps.* 5.) *nihil extra Dominum habere potest. Quod si quidpiam aliud habuerit praeter Dominum pars eius non erit Dominus, verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si auream suppellectilem: cum istis partibus Dominus pars eius fieri non indignabitur*; haec S. Hieronymus: cuius totam Epistolam si quis legere voluerit, inveniet profecto, magnam omnino vitae perfectionem in Clericis requiri. Accedat nunc S. Bernardus, qui non solum approbat sententiam S. Hieronymi, sed aliquando verbis eius utitur, quamvis eum non nominet. Sic igitur loquitur in illa longissima declamatione super verba S. Petri, *Ecce nos reliquimus omnia*, quae habentur apud S. Matthaeum, *Clericus*, inquit, *qui habet partem in terra, non habebit partem in caelo. Clericus si quidpiam habuerit praeter Dominum, pars eius non erit Dominus.* (*Matth.* 19.) et paulo post, declarans quid possit Clericus ex beneficiis Ecclesiasticis sibi retinere, ait: *Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegi crimen esse dignoscitur; sane patrimonio pauperum, facultatibus Ecclesiarum sacrilega crudelitate subripitur quidquid ministri et dispensatores, non utique domini et possessores, ultra victum accipiunt et vestitum*; haec S. Bernard. qui cum S. Hieron. non falsa loquitur, sed perfecta.

Sequitur ritus induendi super pelliceum candidum, cum illis verbis Apostoli, *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus in iustitia, et sanctitate veritatis.* (*Ephes.* 4.) Neque enim satis est Clericis, non abundare divitiis; sed necesse est etiam innocentem et sine macula vitam gerere; quippe qui altaris ministerio sunt dedicati, in quo Agnus sine macula quotidie immolatur. Porro, induere novum hominem, nihil est aliud nisi exuere mores veteris Adami, qui corrupit viam suam; et induere mores secundi Adami, id est Christi qui de Virgine novo modo natus novam vitam instituit, in iustitia et sanctitate veritatis; id est, non solum in iustitia morali, sed etiam in sanctitate verissima et supernaturali, qualem in se Christus exhibuit, qui teste Apostolo Petro, *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius.* (*1. Pet.* 2.) Utinam multos eiusmodi Clericos haberemus, qui quod veste candida praeferunt, moribus et vita praestarent!

Denique munus Clericorum est Angelica puritate Sacrificio divino, in quo Agnus Dei quotidie immolatur, devote, graviter, assidue, diligenter, assistere. Scio multos in Ecclesia pios Clericos inveniri: sed non scio tantum, sed vidi saepissime petulantes, gyrovagis oculis sic altari Dominico ministrare, ac si res ageretur non solum non sacro horrore plena, sed vulgaris et levis. Et fortasse culpa tam gravis, non in solo ministro, sed etiam in Sacerdote Sacrificium celebrante inhaeret, quippe qui aliquando sic festinat, et sic indevote se gerit, ut videatur nescire quid agat. Audiant isti quid S. Joannes Chrysostomus de tempore celebrationis Missae loquatur. *Per id tempus*, inquit in libro sexto de Sacerdotio, « et Angeli Sacerdoti assident, et coelestium potestatum universus « ordo clamores excitat, et locus altari vicinus in « illius honorem, qui immolatur, Angelorum chori plenus est ». Id quod credere abunde licet vel ex tanto illo Sacrificio quod tunc peragitur. Audiant quoque S. Gregorium: is in quarto libro Dialogorum, « Quis fidelium, *inquit*, habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem coelos aperiri, Angelorum choros « adesse, summis ima sociari, terrena caelestibus « iungi, unumquodque ex visibilibus et invisibilibus fieri »? Quae si serio cogitarent, tum Pre-

sbyter celebrans, tum Clericus ministrans, quo modo fieri posset, ut rem tantam agerent quo modo agunt? O quam triste et deplorandum spectaculum esset, si oculos mentis apertos haberemus, videre Sacerdotem divina mysteria tractantem, Angelorum choris undique septum, qui ad ea, quae ipse operatur, obstupescunt et tremunt, et prae admiratione clamores spirituales excitant ; et tamen Sacerdos in medio positus, totus frigidus, et quasi stupidus, non attendit quid agat, non intelligit quid loquatur, et ita properat ad finem, et signa involvit, et verba praecipitat, ut videatur nescire quid agat : et interim Clericus Minister huc atque illuc circumspicit, aut cum aliquo garrit. Sic Deus irridetur, sic res sacratissimae contemnuntur, sic materia obloquendi haereticis datur. Quae cum ita sint, Clericos omnes maiores et minores moneo et hortor, ut mundo mortui, Deo soli vivant ; rerum temporalium copiam non affectent ; innocentiam magno zelo custodiant; et res divinas religiose, ut par est, tractent, et ab aliis tractari procurent, sic magnam fiduciam sibi apud Deum acquirent, et Ecclesiam Christi bono iugiter odore replebunt.

CAP. XV.

De quarto praecepto Artis bene moriendi, quod continet tria documenta Evangelica.

Seguitur Sacramentum Matrimonii, quod duplicem habet institutionem; unam, ut est contractus civilis de iure naturae ; alteram, ut est Sacramentum de iure Evangelico. De utraque institutione breviter disseremus, non absolute, sed in ordine ad bene vivendum, ut feliciter postea moriamur. Prior institutio facta est a Deo in Paradiso terrestri : siquidem illa verba Dei, « Non est bonum « hominem esse solum, faciamus ei adiutorium « simile sibi, » (*Genes.* 2.) non possunt recte intelligi nisi de adiutorio ad propagandam et educandam sobolem. Nam, ut recte docet S. Augustinus, (*Lib.* 9. *e Gen. ad lit. cap.* 7.) nulla in re viri egent adiutorio foeminarum, nisi in parienda et educanda prole: in aliis enim rebus melius viri a viris quam a mulieribus adiuvantur. Itaque paulo post conditam mulierem, Adam ex divina inspiratione dixit ; « Relinquet homo patrem, et ma« trem, et adhaerebit uxori suae » : quae verba Salvator noster apud Matthaeum Deo tribuit, dicens : « Non legistis, quia qui fecit hominem ab « initio, masculum et foeminam fecit eos, et dixit: « Propter hoc dimittet homo patrem, et matrem « suam, et adhaerebit uxori suae; et erunt duo in « carne una? Quod ergo Deus coniunxit, homo « non separet. » (*Matth.* 19.) Attribuit igitur Dominus verba illa Deo, quoniam illa non ex se locutus est Adam, sed ex inspiratione Dei. Atque haec fuit prima institutio Matrimonii.

Altera institutio, vel potius exaltatio Matrimonii ad eminentiam Sacramenti, habetur apud apostolum in illis verbis Epistolae ad Ephesios: « Pro« pter hoc relinquet homo patrem et matrem « suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in « carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego « autem dico in Christo et in Ecclesia ». (*Ephes.* 5.) Esse autem Matrimonium verum Sacramentum, docet S. Augustinus in libro de bono coniugali, « In « nostrarum, *inquit*, nuptiis, plus valet sanctitas « Sacramenti, quam foecunditas uteri ». (*De bono coniug. cap.* 18.) et capite vigesimo quarto, « Bo« num, *inquit*, nuptiarum per omnes gentes atque « omnes homines in causa generandi est, et in fi« de castitatis: quod autem ad populum Dei perti« net, etiam in sanctitate Sacramenti » : et in libro de Fide et operibus, « In civitate, *inquit*, Domi« ni, et in monte sancto eius, hoc est, in Ecclesia, « nuptiarum non solum vinculum, sed etiam Sa« cramentum commendatur ». (*De fide et operibus cap.* 7.) Sed de his rebus non est huius loci accuratius disputare : illud ad hunc locum proprie pertinet, ut explicemus quemadmodum viri et mulieres Matrimonio copulati, possint ita vivere, ut bene se mori posse confidant.

Tria sunt bona Matrimonii, si quis eo bene utatur, proles, fides, et gratia Sacramenti. Prolis generatio et bona educatio quaerenda est, si quis coniugio bene uti velit: contra vero gravissime peccat, qui prolem ex coniugio non quaerit sed solam carnis voluptatem. Hinc gravissime reprehenditur in Scripturis sanctis unus ex filiis Judae Patriarchae, (*Genes.* 38.) nomine Onan, quia in congressu cum uxore, semen fundebat in terram, ne filii nascerentur. Hoc enim non est uti Matrimonio, sed abuti. Quod si aliquando pii coniuges graventur ex multitudine prolium, quas prae inopia non facile sustentare queant : remedium est honestum et Deo gratum, ex consensu mutuo separari a thoro, et orationi ac ieiuniis deinceps vacare. Nam si gratum est Deo, coniuges in virginitate consenescere, ad exemplum Virginis Deiparae et sancti Josephi, quorum vivendi genus imitati sunt Henricus Imperator et Chunecunda eius coniux, Eduardus Rex et Egdida eius uxor, Elzearius Comes et uxor eius Dalphina, et alii non pauci : quare displicere posset Deo vel hominibus, ut coniuges suscepta prole cessent ex consensu mutuo a nuptiarum opere ; ut quod illis superat vitae, in ieiuniis et oratione consumant.

Deinde quoque grave peccatum est, si quis in statu Matrimonii positus susceptas proles negligat, et vel educationem piam, vel necessaria ad vitam illis deesse patiatur. Extant exempla de hac re multa in Historiis sacris et profanis : sed ego, quia brevitati studeo, ero contentus uno, quod habetur in primo libro Regum. Sic enim Deus ipse loquitur : « In die illa suscitabo adversum Heli omnia, « quae locutus sum super domum eius; incipiam, « et complebo. Praedixi enim ei quod iudicaturus « essem domum eius in aeternum propter iniqui« tatem, et quod noverat indigne agere filios suos, « et non corripuit eos. Idcirco iuravi domui Heli, « quod non expietur iniquitas domus eius victimis « et muneribus usque in aeternum. » (1. *Reg.* 3. *et* 4.) Haec Dominum praedixit, et paulo post implevit: nam filii Heli occisi sunt in bello, et ipse Heli e sella cadens retrorsum cervices fregit, et misere periit, Ergo si Heli, alioqui vir iustus, et

iudex populi sui, ex peccatis filiorum, quos non educaverat ut par erat, et postea deteriores factos non corripuerat, misere cum filiis perit, et principatum populi sui amisit; quid de illis fiet, qui non solum filios non bene educare student, sed exemplo malae vitae suae illos ad peccandum invitant? certe nihil aliud expectare debent, nisi exitum horribilem et sibi et filiis; nisi mature resipiscant, et poenitentiam condignam agant.

Alterum Matrimonii bonum est fides, quae in eo posita est, ut intelligant coniuges, corpus suum non esse suum, sed coniugis; et sicut non potest unus alteri debitum negare, sic non potest copiam sui corporis alteri quam proprio coniugi facere; cuius rei signum est annulus. Haec doctrina apud Apostolum disertis verbis legitur: « Uxori, *inquit*, « vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro « Mulier sui corporis potestatem non habet, sed « vir. Similiter autem et vir sui corporis potesta- « tem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invi- « cem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vace- « tis orationi ». (1. *Cor.* 8.) Haec est Apostolica doctrina, quam diligenter conservare debent coniuges Christiani, si bene mori desiderant. Adulteros enim, si publici sint, facile vel iudices iuste puniunt: vel cognati, affines, honoris gratia de medio tollunt: sed occultos qui multo sunt plures, Judex omnipotens et iustissimus, quem secreta non latent, sine dubio ad aeterna supplicia condemnabit.

Tertium bonum, idque nobilissimum, est gratia Sacramenti, quam Deus ipse cordibus piorum coniugum infundit; si dum coniugium legitime celebratur, ipsi coniuges bene dispositi et parati inveniantur. Ea vero gratia, praeter alia bona, quae secum adfert, mirum in modum iuvat ad conciliandam benevolentiam inter coniuges; quamvis ingenia, mores, morbi variae dispositiones corporis et animi facile inimicitias serere possint. Sed super omnia dulcissimum coniugium et beatissimum facit imitatio coniugii Christi cum Ecclesia, de quo sic Apost. loquitur in Epist. ad Ephes. *Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam neque rugam.* (*Ephes.* 5.) Qui B. Apostol. admonet etiam foeminas dicens: *Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesia. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita mulieres viris suis in omnibus.* Denique concludit Apostolus: *Unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor autem timeat virum suum.* Haec Apostolica doctrina, si diligenter consideretur et observetur, beata faciet coniugia in terra et in coelo.

Explicemus breviter totam hanc sententiam Apostolicam Pauli. Principio hortatur Apostolus viros ut diligant uxores, *sicut et Christus dilexit Ecclesiam.* Christus certe Ecclesiam dilexit amore amicitiae, non amore concupiscentiae: quaesivit bonum Ecclesiae, utilitatem Ecclesiae, salutem Ecclesiae; non utilitatem aut voluptatem aliquam suam. Proinde Christum non imitantur, qui uxorem diligunt propter formam eximiam, capti amore pulchritudinis eius; vel propter dotem multorum millium nummorum aureorum, aut opulentissimam hereditatem: isti enim non diligunt sponsam, sed ipsi se diligunt, cupientes satiare concupiscentiam carnis suae, vel concupiscentiam oculorum suorum, quae avaritia dicitur. Sic Salomon initio sapien. (3. *Reg.* 11.) ad ultimum insipiens, dilexit uxores et concubinas suas non amore amicitiae, sed amore concupiscentiae; cupiens non illis bene facere, sed carnalem concupiscentiam suam implere; qua concupiscentia excaecatus, non timuit sacrificare diis alienis, ne delicias suas vel minimum contristaret. Quod autem Christus in coniugio cum Ecclesia non quaesierit seipsum, id est, utilitatem vel voluptatem suam, sed bonum Ecclesiae sponsae, perspicuum est ex verbis sequentibus: *Et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae.* Haec nimirum est vera perfecta charitas, tradere seipsum ad supplicia pro salute aeternae Ecclesiae sponsae suae. Neque solum dilexit Christus Ecclesiam amore amicitiae, non concupiscentiae; sed amore perpetuo, non ad tempus. Nam quemadmodum naturam humanam, quam semel assumpsit, numquam dimisit, sic etiam Ecclesiam sponsam vinculo coniugii insolubilis sibi adiunxit: *In charitate perpetua dilexi te,* (*Jerem.* 31.) ait per Prophetam. Et haec est causa, cur Matrimonium consummatum apud Christianos sit omnino insolubile; quia videlicet est Sacramentum, significans matrimonium Christi cum Ecclesia, quod matrimonium est penitus insolubile, cum matrimonium Hebraeorum et Paganorum in certis casibus solvi possit.

Addit postea idem Apostolus erudiens mulieres, ac docet ut subditae sint viris suis quemadmodum Ecclesia subdita est Christo. Hoc praeceptum non observavit Jezabel. (3. *Reg.* 21. 4. *Reg.* 10.) quae viro suo dominari volebat, et se et illum cum omnibus filiis suis perdidit. Atque utinam non multae essent apud nos, quae viris suis dominari contendunt; sed culpa virorum fortasse est, qui primatum suum tenere non norunt. Sara certe uxor Abraham sic subdita erat viro, ut dominum suum nominaret, *Ego* inquit, *jam senui, et dominus meus vetulus est.* (*Genes.* 18.) Quam virtutem Sarae laudabat S. Petrus in priore Epistola dicens: *Sanctae mulieres subiectae erant viris suis, sicut Sara obediebat Abrahae, dominum illum vocans.* (1. *Petr.* 3.) Mirum autem esse videtur, quod Apostoli Petrus et Paulus ubique docent, ut viri uxores suas ament, et uxores viros suos timeant: vel quod in idem recidit, viris suis subditae sint: an non etiam debet uxor virum suum diligere? debet quidem virum diligere et diligi a viro; sed diligere debet cum timore et reverentia, sic ut amor timorem non impediat: alioqui mulier in tyrannum evadit. Certe Dalia (*Judic.* 16.) virum suum Sampsonem, alioqui fortissimum, non ut virum sed ut servum illudebat. Et in tertio libro Esdrae (3. *Esd.* 4.) narratur de Rege amore capto concubinae suae, qui patiebatur amicam suam a dextris sibi assidere; illam vero coronam de capi-

te Regis sublatam capiti suo imponere, et alapis Regem ipsum caedere. Itaque mirum non est, si ipsi primae mulieri dictum sit a Domino: *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tibi.* (*Gen.* 3.) Quare non parum sapientiae requiritur in viro, ut uxorem suam simul diligat et dirigat; et contra, simul eam admoneat et doceat; et si opus sit corrigat et emendet: ut tamen vere diligat ut partem corporis sui, et efficiat ut illa vicissim virum diligat: et sibi certo persuadeat, se a viro pariter diligi, et ex charitate, non ex odio admoneri. Exemplum habemus S. Monicae matris S. Augustini, quae cum virum haberet ferocem et paganum, sic tamen eum prudenter et pie toleravit, ut ab eo semper amaretur, et ad Christum tandem ipse idem converteretur. Consulat Librum Confessionum Sancti Augustini.

CAP. XVI.

De sextodecimo praecepto Artis bene moriendi, quod est de sacramento unctionis extremae.

Restat ultimum Sacramentum, quod dicitur Extrema unctio, ex quo colligitur utilissimum documentum, non pro ultimo tempore tantum, sed pro toto decursu vitae. Siquidem in eo Sacramento inunguntur illae omnes corporis partes, in quibus residet quinque eiusdem corporis sensus, et ad singulas dicitur: *Ignoscat tibi Deus quidquid deliquisti per visum*: et sic de caeteris. Ex quo intelligimus, quinque sensus esse portas, per quas ingreditur in animam omnium generum peccata. Proinde si quis diligenter custodiat portas istas, facile vitabit ingentem multitudinem peccatorum, ac per hoc bene vivet, et felicissime morietur.

Disseramus ergo breviter de custodia harum quinque portarum. Quod oculus sit porta, per quam intrant peccata, quae ad luxuriam pertinent docet magister omnium Christus, cum dicit: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et proiice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.* (Matth. 5.) Deinde scimus senes, qui Susannam (Dan. 13.) nudam viderunt, statim exarsisse in concupiscentiam eius, et inde fuisse misere occisos, Scimus etiam Davidem. (2. Reg. 11.) amicum Dei praecipuum, ex solo conspectu Bethsabeae seipsum lavantis, incidisse in adulterium, unde homicidium, et detrimenta innumerabilia successerunt. Denique ratio naturalis est in promptu: siquidem pulchritudo foemina cogit quodam modo se amari a viro, et pulchritudo viri a foemina; neque amor iste quiescit donec ad coniunctionem corporum veniatur, propter concupiscentiam, quae in nobis relicta est ex peccato originis. Quod malum etiam Apostolus sanctus deplorat cum dicit: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* (Rom. 7.)

Quod remedium inveniemus adversus eam gravem tentationem? Remedium est expeditum et facile cum Dei adiutorio, si quis eo velit uti. Remedium extat apud s. Augustinum in Epistola centesima nona, quae Epistola continet Regulam Sanctimonialium; sic enim loquitur hic s. Pater ad Sanctimoniales suas: *Oculi vestri si iaciantur in aliquem, figantur in neminem:* nam simplex aspectus fere est inevitabilis, sed non potest, aut certe non solet ferire corda, nisi continuetur. Itaque si quis assuescat non aspicere de industria formosam personam, etsi casu incidat in eiusmodi personas, et ex bona consuetudine continuo avertat oculos, nihil periculi illi erit. Vere enim scribit s. Augustinus, non conspectum, sed moram in aspiciendo esse periculosam, Atque hoc est quod exemplo suo docuit sanctus Job, cum ait: *pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* (*Job.*11.) ubi non dicit *pepigi foedus* ut non viderem sed *ut non cogitarem*; hoc est, ut non tamdiu haererem in visione virginis, ut visio ad cor penetraret, et inciperem cogitare de pulchritudine eius, et paulatim etiam desiderare colloquium et complexum eius. Et reddit rationem optimam, qualem reddere decebat virum sanctissimum: *Quam enim partem haberet in me Deus?* ac si dicere voluisset, pars mea, et omne bonum meum Deus est, bonum utique maximum, quo nihil melius cogitari potest; Deus autem non amat nisi castos et iustos. Huc etiam pertinet admonitio Domini, *si oculus tuus scandalizat te, erue eum*; (Matth. 5.) id est, sic eum posside, ac si non possideres, et sic assuesce oculos ab huiusmodi spectaculis continere, ac si caecus esses. Porro autem qui a prima adolescentia incipiunt de hac re solliciti esse, non laborant in reliqua vita fugere et evitare eiusmodi vitia: qui vero male assueti sunt difficulter quidem, sed possunt tamen cum auxilio gratiae Dei mutare mores, et laqueum istum perniciosissimum declinare.

Sed dicet fortasse aliquis; cur Deus formosas mulieres et formosos viros creavit, si non vult conspici et amari? Facilis est responsio, et quidem duplex. Deus enim creavit viros et foeminas propter coniugium. Sic enim dixit initio Deus: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* (*Gen.* 2.) Non autem indiget vir adiutorio foeminae, nisi ad gignendam et educandam prolem, ut supra docuimus ex doctrina s. Augustini (*lib.* 9. c. 2.) in libro de Genesi ad litteram. Vir autem et foemina non facile convenirent, nec per totam vitam, simul libenter viverent nisi adesset forma, quae amorem conciliaret. Cum igitur facta sit mulier formosa ut ametur a viro suo non debet amari amore ad coniunctionem incitante nisi a viro suo: propterea dictum est in lege Domini: *non concupisces uxorem proximi tui.* (Exod. 20.) Et viris dicit Apostolus: *viri diligite uxores vestras.* (Eph. 5.) Praeterea multa sunt bona et pulchra, quae non ab omnibus appetenda sunt, sed ab iis tantum, quibus conveniunt. Esus

carnium et potus vini bona sunt, sed sanis, non aegrotis. Sic pulchritudo virorum et mulierum post resurrectionem, quando vere sani erimus, tutissime amari poterit ab omnibus, quoniam tunc aberit morbus concupiscentiae carnalis, quo mortales laboramus. Itaque mirum videri non debet, si nunc permittitur omnibus cum delectatione videre solem, et lunam, et stellas, et flores, et alia id genus pulchra, quae morbum concupiscentiae non nutriunt, non autem permittitur cum delectatione considerare pulchras mulieres vel pulchros viros ne forte illa consideratio morbum concupiscentiae adaugeat vel nutriat.

Sequitur post sensum videndi sensus audiendi qui non minus diligenter custodiendus est quam sensus videndi. Sed cum auribus coniungenda est lingua, quae est instrumentum loquendi: verba enim, sive bona sive mala, non perveniunt ad auditum, nisi sonent per linguae instrumentum. Et quoniam lingua, nisi diligentissime custodiatur, malorum plurimorum causa est; ideo s. Jacobus clamat et dicit: *si quis in verba non offendit, hic perfectus est vir*, et paulo post: *ecce quantus ignis quam magnam silvam incendit, et lingua ignis est universitas iniquitatis.* (Jac. 3.) Tria hoc loco docet sanctus Apostolus: primum, linguam bene custodire rem esse difficillimam, et ideo raros esse, eosque solos perfectos viros, qui linguam bene custodire sciant. Deinde, a mala lingua brevissimo tempore ingens detrimentum provenire posse, id quod explicat similitudine ducta a scintilla ignis, quae nisi subito exlinguatur, ingentem silvam lignorum consumere potest. Sic enim unum verbum incaute prolatum potest excitare suspiciones sceleris alicuius, unde inimicitiae, rixae, contentiones, homicidia, atque integrae familiae exterminium sequitur. Docet Sanctus Jacobus denique, linguam malam non esse rem unam malam, sed includere in se malorum multitudinem: ideo vocat eam universitatem iniquitatis. Nam per eam omnia facinora aut praeparantur, ut stupra et latrocinia, aut patrantur, ut periuria et falsa testimonia aut defenduntur, ut cum impius excusat malum quod commisit, aut simulat bonum quod non fecit. Et rursum iure dicitur lingua mala universitas iniquitatis, quia per linguam peccat homo contra Deum, blasphemando et peierando, contra proximum, detrahendo et convitiando; contra seipsum iactando se fecisse bona opera, quae revera non fecit, et mentiendo se non fecisse mala, quae fecit.

Ad hoc testimonium Apostoli Jacobi, addere volo testimonium prophetae Davidis in Psalmo primo ex Gradualibus, *Domine*, inquit, *libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa.* (Psalm. 119.) Si sanctus Rex timuit sibi a lingua iniqua et dolosa; quid facere debent homines privati, et multo magis, si non solum privati, sed pauperes, debiles, obscuri sint? Addit Propheta: *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* Verba sunt obscura ob linguae Hebraicae proprietatem, sed sensus hic esse mihi videtur: Non sine causa timeo mihi a lingua iniqua et dolosa, quia tam grande malum est eiusmodi lingua, ut nihil mali addi illi posse videatur. Pergit Propheta, ac dicit: *Sagittae potentis acutae, cum carbonibus desolatoriis.* Declaratus his verbis elegantissima similitudine, quam ingens malum sit lingua dolosa: similem enim illam facit Propheta sagittae ignitae a robusta manu emissae. Primum enim sagittae longe feriunt, et tanta celeritate volant, ut vix evitari possint: Deinde sagittae, quibus comparatur lingua dolosa, dicuntur emissae a potenti et robusta manu. Tertio additur, sagittas illas esse acutas, id est, ab artifice perito bene politas et exacuatas. Denique addit, esse similes carbonibus desolatoriis, id est, esse ignitas, ut quidvis, quamvis durum, desolare possint; ac per hoc similem esse linguam dolosam et iniquam non tam sagittis hominum, quam sagittis de coelo emissis, qualia sunt fulgura coelestia, quibus nihil omnino resistere potest. Haec certe Prophetica descriptio linguae dolosae et iniquae talis est, ut nullum tam grande malum cogitari possit, quod cum lingua dolosa et iniqua comparari valeat.

Atque, ut haec omnia facilius adhuc intelligi possint, duo exempla Scripturarum addam. Unum sit scelestissimi Doeg Idumaei, qui accusavit sacerdotem Achimelech (1. Reg. 22.) apud regem Saulem, quod coniurasset cum Davide adversus regem, quae mera calumnia et impostura erat. Quia tamen Rex Saul pessime animatus erat eo tempore erga Davidem, facile omnia credidit, et iussit occidi continuo non solum sacerdotem Achimelech, virum innoxium, sed etiam omnes alios Sacerdotes, ad numerum octoginta quinque virorum, qui nulla in re peccaverant contra regem. Neque hac strage contentus Saul Rex, iussit occidi omnes, qui habitabant urbem, nomine Nobe, sacerdotalem: nec solum saevire contentus fuit in omnes viros et foeminas, sed etiam in parvulos et lactentes, ac in ipsa etiam animantia, oves, boves, et asinos crudelitatem suam extendit. At de ista ipsa lingua dolosa et iniqua Doeg Idumaei credibile est locutum esse Davidem in Psalmo, cuius partem iam exposuimus. Et hoc exemplo aperte discimus, quantae sint vires linguae dolosae et iniquae ad malum.

Alterum exemplum desumemus ex Evangelio apud s. Marcum. (Marc. 6.) Saltante filia Herodiadis coram Herode Tetrarcha et principibus eius, usque adeo placuit Herodi ludus illius puellae, ut coram omnibus iuraverit, se daturum puellae quidquid peteret, etiamsi dimidium Regni sui. Hoc iuramentum stultum et temerarium, causa fuit plurimorum malorum. Primum enim Herodiadis filia a matre quaesivit quid esset ei petendum, quae illam admonuit, ut peteret caput Ioannis Baptistae hoc ipsum illa petiit: et mox allatum est caput praecursoris Domini a corpore avulsum, in disco. Quanta hic sunt mala? Peccat mater gravissime, petens rem iniustissimam. Peccavit non minus graviter Tetrarcha Herodes, qui virum innocentissimum, quique erat praecursor Domini, plusquam Propheta, et quo maior inter natos mulierum non surrexerat, et quem Herodes ipse sciebat virum esse iustum et sanctum, iussit occidi: et sine causa, sine iudicio, tempore solemnis coenae, ad petitio-

nem puellae saltatricis. Sed audiamus mala poenae, cum iam audierimus mala culpae. Herodes paulo post ab Imperatore Caio spoliatus principatu, in exilium perpetuum relegatus fuit: atque ita qui iuraverat se daturum dimidium Regni, totum Regnum cum exilio perpetuo commutavit, teste Josepho (Lib. 18.c. 5.) in libro Antiquitatum.Ipsa filia Herodiadis, quae sua saltatione causa fuit mortis s. Ioannis Baptistae, tranciens congelatum flumen, disrupta glacie cecidit in profundum corpore toto, capite excepto.quod recisum a corpore supra glaciem saltabat, ut omnes intelligerent, qua de causa tam misere obiisset. Ipsa denique Herodias nimio dolore correpta proinus mortem obiit, et filiam ad inferni tormenta secuta est.Scripsit hanc tragoediam Nicephorus Callistus (lib.1. c. 2.) in Historia sua. En quot mala tum culpae tum poenae consecuta sunt ex iuramento stulto et temere concepto ab Herode Tetrarcha.

Veniamus ad remedium, quod a prudentibus viris adhiberi debet peccatis linguae. Sanctus Propheta David initio Psalmi trigesimi octavi indicat, quo remedio ipse uteretur: *Dixi*, inquit, *Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* (Psal. 38.) hoc est, ego ut effugiam peccata linguae, diligenter custodio vias meas; non enim loquor, neque cogito.neque ago aliquid.nisi praemissa diiudicatione eorum, quae acturus vel locuturus, vel cogitaturus sum. Istae enim sunt viae, per quas gradiuntur homines in hac vita. Itaque remedium contra verba noxia, nec solum contra verba noxia, sed etiam contra facta.vel concupita, vel cogitata noxia, est praecogitatio vel praemeditatio eorum quae acturus, locuturus cogitaturus, desideraturus sum. Atque hoc est hominis proprium, non temere aliquid agere, sed reflectere considerationem ad ea, quae agenda sunt, et si quidem cum recta ratione concordant, agere. sin minus non agere. Et quod de actione diximus, idem intelligi debet de locutione, desiderio, atque aliis animae rationalis operibus.

Sed si forte non possunt aliqui praemeditari omnia,quae acturi vel dicturi sunt certe nullus esse deberet homo prudens,et salutis aeternae cupidus qui non singulis diebus primo mane antequam negotia vitae huius aggrediatur, ad Deum per orationem accedat, et petat dirigi vias suas, facta sua, desideria sua cogitationes suas ad gloriam Dei, et salutem animae suae. Deinde completo die, antequam cubile suum dormiturus ascendat, discutiat conscientiam suam et rationem a seipso petat an Deum offenderit cogitatione, locutione, opere, desiderio: et si offensionem aliquam Dei praesertim lethalem, invenerit, non audeat oculos claudere ad nocturnam quietem captandam nisi Deo primum per veram poenitentiam reconciliato, et vero ac certo proposito concepto de custodiendis viis suis,ut non delinquat in lingua sua nec in operibus aut appetitionibus suis.Atque haec de custodia linguae sufficiant.

Quod iam attinet ad sensum audiendi, pauca omnino dicenda restant.Siquidem lingua fraeno rationis cohibita ne in verba mala prorumpat, nihil fere erit quod sensum audiendi corrumpere possit. Quatuor sunt genera verborum, quibus maxime claudendum est ostium sensus audiendi, ne per aures ad cor inficiendum penetrent. Primum locum obtinent verba contra fidem,quae ob curiositatem humanam non illibenter audiuntur, et tamen si intus penetrent, tollunt de corde fidem, quae est radix et principium omnium bonorum. Sed inter verba infidelitatis nulla sunt magis perniciosa, quam eorum, qui negant vel providentiam Dei, vel animi humani immortalitatem, Ista enim verba non tam haereticos quam atheos faciunt, et omnibus sceleribus aditum latissimum aperiunt. Alterum genus verborum malorum positum est in detractionibus, quae charitatem fraternam tollunt e medio, et satis avide audiuntur, sed ab hominibus curiosis. Si enim David, qui erat homo secundum cor Dei, dicit in Psalmis: *Detrahentem secreto proximo suo,hunc persequebar*: (Psal. 110.) Et quoniam detractiones non raro in conviviis audiuntur, s. Augustinus ad parietem mensae suae hos versiculos posuerat:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam indignam noverit esse sibi.

Id refert Possidius in vita s. Augustini. Tertium genus verborum malorum est, quod in adulationibus consistit. Adulationes enim libenter audiuntur et tamen elationem et superbiam gignunt. Superbia autem Regina vitiorum est et Deo potissimum inimica. Quartum genus verborum malorum pertinet ad luxuriam, et in sermonibus amatoriis et canticis lascivis positum est.Et ab amatoribus huius mundi nihil dulcius auditur, cum nihil sit ea voce nocentius. Similia enim sunt cantica lasciva canticis Sirenum, quae homines delectabant, ut eos in mare deiicerent et devorarent.

Adversus haec omnia pericula salutare remedium est, amicos probos habere, et ab improbis omni animi provisione disiungi. Neque enim homines ignoti facile audent verba miscere detractoria, vel haeretica, vel assentatoria, vel lasciva cum iis, quos vel non viderunt antea, vel illis familiares non sunt. Itaque Salomon in principio Proverbiorum instituens filium, primum praeceptum illis verbis expressit: *Audi, fili mi, disciplinam patris tui.* etc. *Si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis: si dixerint: Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra, deglutiamus eum sicut infernus viventem, et integrum quasi descendentem in lacum: omnem praetiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis: sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrum. Fili mi, ne ambules cum eis.* etc. *Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, et moliuntur fraudes contra animas suas.* (*Prov.*1.) Hoc igitur consilium hominis sapientissimi facile potest remedium adhibere sensui audiendi, ut verbis malis non facile corrumpatur: praesertim si addamus sententiam Domini. (*Matth.* 20.) qui Salomone sapientior erat, et aperte pronuntiavit, inimicos hominis esse domesticos eius. Atque haec de sensu audiendi.

Sensus tertius est Odoratus de quo nihil fere dicendum occurrit. Sensus enim olfaciendi versatur circa odores, qui nec magnam vim habent ad corrumpendam animam, et pretiosi odores ad paucos pertinent: communes autem, quales sunt odores florum, rosarum, liliorum, innoxii sunt.

Venio ad sensum quartum, qui dicitur, sensu gustandi, Peccata, quae per hanc portam ingrediuntur ad animam corrumpendam, generatim duo sunt, crapula et ebrietas, sed ex istis plurima oriuntur. De crapula et ebrietate habemus admonitionem Domini apud Lucam : *Videte ne graventur corda vestra crapula et ebrietate.* (*Luc.* 22.) Et aliam admonitionem Apostoli in Epistola ad Romanos : *Non in commessationibus et ebrietatibus.* (*Rom.* 13) Ista vera duo peccata in Scripturis sanctis cum lethalibus criminibus numerantur, dicente Apostolo in Epistola ad Galatas : *Manifesta sunt opera carnis* ; *quae sunt, fornicatio immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia*, etc. *homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia, quae praedico vobis, sicut praedixi*; *quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.* (*Gal.* 5.) Neque sola haec est horum peccatorum poena, sed praeterea crapula et ebrietas gravant corda humana, ut ad res divinas cogitandas et procurandas assurgere non valeant. Id quod Salvator (*Luc.* 21.) noster docuit. et S. Basilius in Oratione de Jeunio explicat duabus aptissimis similitudinibus. Prior est de sole et vaporibus. Quemadmodum enim crassi illi vapores, qui de locis humidis ascendunt, coelum nubibus obducunt, et radios solis, ne ad nos penetrent, impediunt : sic etiam ex crapula et ebrietate fumi quidam, et quasi vapores in nobis excitantur, qui coelum rationis obscurant, et radios divini luminis nobis eripiunt. Altera similitudo a fumo et apibus ducitur. Sicut enim apes mellis procreatrices ex alvearibus suis expelluntur fumo, sic etiam sapientia Dei, quae tamquam apis quaedam in animis nostris mel virtutum, et gratiae, et consolationem coelestium gignere solet, nulla re alia facilius quam fumo crapulae et ebrietatis eiicitur.

Ad haec accedit, quod crapula et ebrietas nocet corporis bonae valetudini. Antiphanes Medicus peritissimus, ut Clemens Alexandrinus in libro 2. Predagogi refert, unam esse causam pene omnium morborum asserebat, ciborum multitudinem et varietatem : contra vero S. Basilius Concione 1. de Jeiunio, parentem bonae valetudinis abstinentiam appellandam esse censuit. Et passim Medici omnes ad sanitatem restituendam corporibus male affectis, inediam adhibent. et vini et carnium abstinentiam imperant. Adde ad haec, crapulam et ebrietatem non soli corpori, et animae incolumitati, sed etiam rei familiari plurimum obesse. Multos crapula et ebrietas ex divitibus pauperes, ex dominis servos effecit. Denique crapula et ebrietas multos pauperes et mendicos divitum eleemosynis privant. Qui enim sobrio cibo et potu contenti non sunt, omnem substantiam suam in proprias voluptates facile consumunt, ut nihil pro fratribus egenis supersit. Et impletur illud Apostoli ; *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est.*(1.*Cor.*11.)

Sed his omissis, ad remedia veniamus. Remedium adversus crapulam et ebrietatem esse potest exemplum omnium Sanctorum. Omitto Eremitas et Monachos, de quibus scribit S. Hieron. in Epist. ad Eust. de Custodia virginitatis, apud eos coetum aliquid comedisse luxuria erat. Omitto S. Ambrosium, qui, teste Paulino in eius Vita, omnibus diebus jeiunabat, exceptis Festis solemnibus, et Dominicis. Omitto S. Augustinum, qui teste Possidio in eius Vita, in mensa sua legumina et herbas habebat, et aliquando carnes propter hospites vel infirmos. Omitto alios Sanctos. Si quis attente consideret, quid ipse Dominus omnium et Pater omnium egerit, cum in deserto populum suum pascendi munus sibi ipse suscepit ; artem sobrietatis admirabiliter sine dubitatione perdiscet. Nam ad annos quadraginta Deus solus potens, solus sapiens, et solus bonus, qui potuit, qui scivit, et voluit populo suo dilecto quam optime providere, pluit illis manna de Coelo, et ex petra aquas eduxit. Erat autem manna cibus non dissimilis placentae ex farina et melle confectae. ut in libro Exodi (*Exod* 26.) dicitur. En quam sobrie sapientissimus Dominus populum suum prandere et coenare voluit, Placenta cibus, aqua potus erat ; et tamen omnes incolumes et sani vivebant, donec carnium desiderio teneri inciperent.

Ad exemplum Patris, Filius Dei Christus Jesu, *in quo* erant *omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei*, (*Coll.* 2.) Cum prandium simul et coenam multis millibus auditorum suorum parare velit, (*Joan.* 6.) apposuit illis panis et piscium fragmenta, et potum aquae. Neque solum Dominus Christus cum adhuc mortalis esset tanta sobrietate auditoribus suis convivium paravit : sed etiam post resurrectionem, cum *data* illi esset *omnis potestas in coelo et in terra* (*Joan.* 21.) discipulis suis prandium dedit ad littus maris ex solo pane et pisce, eoque modico : neque vini aut rerum aliarum ulla fit mentio. O quam longe distant consilia Dei a consiliis hominum ! Rex coeli et terrae simplicitate, sobrietate delectatur ; de anima locupletanda, replenda, exhilaranda in primis sollicitus est: sed homines malunt concupiscentiam suam, et diabolum hostem suum exaudire, quam Deum ; nisi cum Apostolo (*Phil.* 3.) dicamus . Deum carnalium hominum non alium esse quam ventrem.

Restat sensus tangendi, qui omnium crassissimus est, et simul etiam omnium vivacissimus. Per hunc sensum ingrediuntur ad animum inquinandum, et simul ad alios homines corrumpendos, opera carnis, quae B Apostolus enumerat dicens : *Manifesta sunt opera carnis*: *quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia.* (*Gal.* 5.) Itaque tribus vocibus omnia genera luxuriae Apostolus designavit. Neque opus est longius progredi in his rebus explicandis, quas oporteret potius apud fideles ignorari, et ne nomina quidem earum umquam audiri. Sic enim loquitur idem Apostolus scribens ad Ephesios : *Fornicatio autem, et omnis immunditia, non nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* (*Eph.* 5.)

Remedia vero adversus haec omnia scelera: haec

mihi occurrunt : et sunt fere illa ipsa, quibus utuntur Medici ad curandos aegrotos. Primum enim incipiunt Medici a ieiunio sive abstinentia, prohibent aegrotare incipientibus carnis edulium, et potum vini. Idem omnino fieri debet ab homine luxuriae debito, abstinere a nimio cibo et a nimio potu. Id praescripsit Apostolus Timotheo suo, *Utere*, inquit, *modico vino propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates*: (1. *Tim.* 4.) id est, *utere vino* propter stomachi debilitatem, sed *modico* ad cavendam luxuriam, nam in vino (*Eph.* 5.) est luxuria. Deinde Medici corporum potiones amaras, venae incisionem, et alia id genus naturae inimica adhibent. Sic viri sancti cum Apostolo dicebat: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo; ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* (1. *Cor.* 9.) Hinc veteres Eremitae et Coenobitae vivendi genus instituerunt, deliciis carnis et voluptatibus omnino contrarium, in ieiuniis, vigiliis, humi cubationibus, flagellis, ciliciis ; non odio corporis, sed odio luxuriantis carnis. Unum de multis exemplum proferam S. Hilarion, S. Hieronymo teste in eius Vita, cum libidinosis cogitationibus tentaretur, *Ego*, inquit, corpus alloquens suum, *faciam ut non calcitres, nec te hordeo alam. sed paleis: fame te conficiam et siti, gravi onerabo pondere; per aestus indagabo et frigora, ut cibum potius quam lasciviam cogites.* Ad haec, Medici corporum exercitationem moderatam, ut deambulationem, vel pilae ludum, vel aliquid eiusmodi ad sanitatem conservandam praescribunt. Idipsum ad animae sanitatem conservandam valde conducit, si videlicet homo salutis aeternae cupidus, horam aliquam quotidie in mysteriis redemptionis nostrae, vel in quatuor Novissimis, vel in aliis piis argumentis meditandis, tribuat. Quod si meditatio non succedit ad votum, saltem in Scripturis sanctis, vel in piis libellis, vel in Vitis Sanctorum legendis tempus aliquod diebus singulis ponat.

Denique remedium efficax valde ad omnes carnis tentationes et peccata luxuriae superando, est, otium fugere. Nullus enim tam est obnoxius turpibus cogitationibus, quam is, qui nihil habet quod agat, et tempus suum terit vel ex fenestra respiciens ambulantes, vel cum amicis fabulantes, et ludendo. Contra vero, nulli sunt magis immunes a cogitationibus sordidis, quam ii qui totos dies in laboribus agrorum colendorum, vel in variis exercendis artibus occupantur. Huius rei gratia magister noster Christus parentes elegit pauperes, ut proprio labore victum sibi pararent, et ipse quoque antequam ad labores praedicationis accederet, patrem putativum fabrum lignarium habere voluit, eumque arte illa laborantem adiuvit: dicebant enim de illo, *Nonne hic est faber filius Mariae?* Hoc addere volui, ut opifices et rusticos non poeniteat sortis suae, cum sortem illam elegerit Sapientia Dei pro se, et pro matre sua, et sanctissimo patre suo putativo; non quod ipsi hoc remedio indigerent ; ut nos infirmos admonerent otium fugere, si peccata plurima vitare velimus.

DE

ARTE BENE MORIENDI

VICINA IAM MORTE

LIBER SECUNDUS

CAP. I.

De primo praecepto Artis bene moriendi vicina iam morte, quod est de meditatione mortis.

Artem bene moriendi in duas partes initio distribuimus. In earum priore posita sunt praecepta bene moriendi, quae ad illud tempus pertinere poterant,in quo mors adhuc longius abesse videri poterat, in posteriore,quae nunc prae manibus est ea ponemus, quae ad mortem quasi praesentem aut brevi adfuturam pertinent.Dicitur autem mors imminere, vel prae foribus esse,quando vel senio confecti sumus dicente Apostolo: *Quod antiquatur et senescit, prope interitum est*, (Heb. 12.) vel morbus gravis et Medicorum iudicio valde periculosus, sive senem, sive iuvenem, sive etiam adolescentem aut puerum corripuit. Huius secundi ordinis primum praeceptum nobis esse videtur mortis meditatio. Mors enim quantumvis diligenter et attente consideretur, dum in florenti aetate sumus, parum omnino nos movet, cum longe abesse, ac per hoc minus horribilis esse videatur. Sed cum prope adesse conspicitur, ut quasi manibus tangatur, tunc vere afficit, et illius consideratio multum prodest.Omnes artes melius addiscuntur exercitatione quam doctrina, et qui,si non saepius, saltem bis mortui sunt ut beata Christina, et ille Drithelmus Anglus, cuius memini in libro de Gemitu Columbae, et ille Eremita cuius historiam narrat Joannes Climacus, de quo nos in extremo Capite pauca dicemus;satis alacriter mortuos fuisse constat. Nobis, quibus non nisi semel mori permittitur, nulla via melior aperitur, quam meditandi, et cogitandi quid in morte geratur.

Primum igitur cogitandum nobis est, in morte fieri separationem animi a corpore,sed neque animum extingui, neque corpus sine spe resurgendi cadere, et in pulverem redigi. Si enim hoc fieret, ut Athei opinantur,recte dixisse viderentur illi qui mortem contemnebant, atque dicebant: Cum damus et bibamus, cras enim moriemur: quod proverbium est antiquissimum, ut intelligi potest ex Isaiae capite vigesimo secundo, et Apostolo in priore ad Corinthios capite quintodecimo. Esse autem inter nos, qui dicant se credere, factis autem negant, ex eo potest intelligi, quod nonnulli etiam in extremo senio de morte non cogitant,perinde ac si vel numquam essent morituri,vel cum morte corporis animum quoque penitus extingui existimarent. Sed quidquid isti delirent, separatio carnis ab animo, quasi sponsae a sponso, divortium est ad tempus, non repudium in perpetuum: animus enim immortalis est, et caro in novissimo die, sine ulla dubitatione resurget.

Oportet igitur, si Christiani sumus, et si quid sapimus, de propinqua morte assidue cogitare. In hoc enim summa rerum nostrarum posita est, ut bene moriamur; siquidem in hac vita non difficilis transitus est a virtute ad vitium et cum Dei gratia, a vitio ad virtutem: potest enim qui nunc est haeres regni coelorum, eras per peccatum excidere ab haereditate filiorum Dei, et fieri reus ignis aeterni, et contra Dei gratia aspirante mancipium diaboli, potest ab illa servitute liberari, et iterum adscribi inter filios Dei et haeredes regni coelestis. At qui moritur inimicus Dei et reus ignis aeterni,semper erit inimicus Dei et igni aeterno addictus: et contra, qui moritur amicus Dei et haeres regni coelorum,numquam ab illa gratia et gloria eminentissima poterit excidere. Itaque nostra omnis felicitas vel infelicitas, a bona vel mala morte dependet. Quis igitur, nisi plane stultus et omni iudicio carens, audebit de hac vita per mortem discedere, nisi antea omni diligentia adhibita bene mori didicerit, atque ad bonam mortem obeundam se comparaverit?

Altera consideratio circa mortem utilissima esse potest, quod quamvis mors certissima sit dicente Propheta: *Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem?* (*Psalm.* 88.) et Apostolo concinente *statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium*: (*Heb.* 9.) tamen nihil est incertius die vel hora: id quod Scriptura ipsa clamat: *Vigilate, quia nescitis diem,neque horam.* (*Matth.* 25.) Multi rapiuntur in infantia, alii contra ad decrepitam perveniunt senectutem alii adolescentes alii in aetate matura moriantur. Sed quod miserabilius est, multi repente moriuntur, ut non sit illis otium Deum invocandi et spiritum suum divinae misericordiae commendandi. Haec vero non alia de causa divina providentia secundum thesau-

rum sapientiae suae procurat,nisi ut nemo electorum audeat vel ad momentum in lutu peccati lethalis haerere. Proinde , qui haec legis , si forte conscientia peccati mortalis contra te testimonium dicat, non audeas diem crastinum expectare, imo neque praesentis diei vel horae finem praestolari, quin saltem corde contrito et humiliato coram Deo peccatum tuum detesteris.

Tertia consideratio non minus utilis erit,si mane antequam ad negotia diurna progrediaris,et vespere antequam ad somnum capiendum te componas, ne forte mors adveniens te imparatum offendat, conscientiam tuam diligenter discutias, an quid nocte praeterita vel die proxime exacto egeris, quod peccatum,praesertim lethale videri possit: et si nihil invenias,Deo bonorum omnium auctori gratias agas, sin autem inveneris aliquid adversus Deum admissum, serio et ex corde ingemiscas, et primo quoque tempore ad pedes sacerdotis illud confitearis: et impositam mulctam libenter accipias, et fideliter reddas. Ista ratio bis saltem in die examinandi conscientiam mirifice iuvat ut mors numquam nos inveniat imparatos.

Quarta consideratio non minus utilis quam superiores, illa est, cuius meminit Ecclesiasticus: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.* (*Eccles.* 3.) Quo pacto enim peccare poterit in ullo opere suo qui quidquid agit, expendit ad trutinam divini iudicii, quod in morte fiet? Huc pertinet memorabile illud dictum hominis bis mortui, cuius meminit Joannes Climacus, in sua Scala, Gradu sexto. Sic autem loquitur: *Non omittam solitarii illius, qui in Choreb habitabat, referre historiam. Hic cum diu negligentissime vixisset, nullamque animae suae curam haberet, morbo tandem comprehensus ad extrema deductus est; cumque iam a corpore perfecte migrasset , post unam horam in seipsum rediit,oravitque nos omnes ut inae protinus abscederemus , et cellae aditu lapidibus obstructo,permansit intus annis duodecim,nulli omnino quidquam loquens,nec aliud quidquam praeter panem et aquam degustans. Sedens autem ea tantum, quae in excessu viderat, attonitus volvebat, atque in his adeo fixo erat cogitatu, ut numquam vultum immutaret,sed semper sic attonitus perdurans vim lachrymarum ferventium tacitus profunderet.Cum vero iam morti esset proximus, rupto ac patefacto aditu ingressi sumus: cumque ab illo doctrinae verbum supplices inquiremus , hoc ab illo tantummodo audivimus: Nemo qui revera mortis memoriam agnoverit , peccare umquam poterit:* haec ille. Consideret lector, hanc historiam esse, non fabulam, et ab illo scriptam qui et vir sanctus erat, et scripsit quae propriis oculis vidit , et propriis auribus audivit.

Ex quo facile est intelligere,quanti momenti sit mortem meditari, et eius praesentiam numquam a memoria sua repellere. Hic enim negligens antea fuerat in salute sua quaerenda, sed ex magna Dei misericordia mortem gustavit et resurgens a mortuis, per annos duodecim mortem assidue cogitavit, et simul lachrymis continuis peccata sua deflevit, et quae ante primam mortem levia et venialia arbitrabatur, gustata mortis amaritudine iudicavit esse gravissima et digna,quae lachrymis annorum duodecim expiarentur. Hic est igitur verus commentarius verborum Scripturae , quae dicit , *Memorare novissima tua et in aeternum non peccabis.* (Eccl. 7.) Et si perpetua recordatio unius ex novissimis tam grande lucrum attulit Monacho illi, ut per poenitentiam annorum duodecim redemerit poenam gehennae sempiternam et lucratus fuerit gloriam regni perpetui , quid faceret iugis memoria novissimorum quatuor , Mortis, iudicii , Gehennae, et paradisi? Utinam multi cognoscerent et experiri vellent compendium lucri huius.

CAP. II.

De secundo praecepto Artis bene moriendi vicina iam morte, quod est de iudicio extremo.

Alterum novissimum est iudicium,quod quidem duplex est:unum particulare,quo singulae animae iudicantur statim ac de corpore exierunt, alterum generale , quod fiet in novissimo die. Utrumque horribile et tremendum valde impiis;amabile, gloriosum iustis. De utroque attente et saepissime cogitare utilissimum est iis, qui feliciter mori cupiunt. Futurum autem iudicium particulare a morte uniuscuiusque, nemini dubitare licet , cum adversus haereticos in concilio Florentino declaratum sit eos, qui peccato mortali inquinati ex hac vita decedunt, mox ad gehennam ignis descendere eos, qui sine culpa lethali,sed cum debito poenae temporalis moriuntur , ad purgatorium duci ; illos denique,qui post susceptum Baptisma immunes a culpa et debito poenae inveniuntur, in coelum ad aeternam felicitatem repente conscendere, (*S. Thom. in 4. d. 47. Dominicus a Soto in 4.d.* 45.) Credibile autem est, ut Theologi docent,sententiam Christi iudicis, vel per Angelos significari vel mentibus ipsarum animarum a Deo revelari,sed pias animas comitantibus Angelis vel ad coelum ascendere vel ad purgatorium descendere, reproborum vero a daemonibus rapi, et in gehennam deturbari. Hoc iudicium in momento fieri potest , quia praesens adest iudex ; qui cum sit Deus et homo, secundum formam hominis omnia novit. Verissime enim s. Petrus Christo dixit: *Domine tu omnia nosti.* (*Joan.* 21). Adest accusator, qui est diabolus, qui dicitur in Apocalypsi *accusator fratrum nostrorum:* (*Apocal.* 12) et accurrit ad moribundos, ut lupus, vel leo, vel canis ad praedam. Adest testis, conscientia animae, quae cum a corpore soluta est , non amplius falli potest ignorantia vel oblivione, sed penitus se ipsa cognoscit,et videt an sit grata Deo, vel Deo exosa. Itaque nihil impedit, quominus iudicium hoc statim fiat, et executioni mandetur.Hoc tamen iudicium privatum dici potest, si consideretur cum iudicio quod fiet in die novissimo, quod erit publicum et generale, coram omnibus omnino Angelis et hominibus.

Sed reddenda est breviter ratio, cur necesse sit iterum iudicari eos, qui sunt iam non solum iudi-

cati, sed etiam poena vel praemio affecti. Rationes hae sunt. Prima ratio est ex parte Dei: nunc enim non desunt, qui videntes multos homines iustos ab impiis non paucioribus iniuste affligi, et contra, multos iniquos affluere temporalibus bonis, suspicantur Deum aut ista non videre, aut non curare. Quare ut totum genus humanum intelligat, mundum a Deo sapientissime gubernari; placuit ipsi Deo in die novissimo coram omnibus Angelis et hominibus reddere praemia bonis, et supplicia malis: unde omnes cogantur praedicare et dicere; *Justus es Domine, vera et iusta iudicia tua.* (*Apoc.* 16.)

Altera ratio est, ut Christus, qui coram hominibus iniuste iudicatus, et supplicio gravissimo et indignissimo affectus est; ipse coram toto mundo cernatur in throno sublimi omnes impios iudicare: ut illud impleatur, quod scriptum est in libro Job: *Causa tua quasi impii iudicata est, causam iudiciumque recipiet.* (*Job.* 36.) Itaque ignominia passionis Filii Dei iuste compensabitur per gloriam iudicantis in theatro totius mundi, et tunc implebitur illud Apostoli: *In nomine Jesu omne genuflectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum.* (*Philip.* 2.)

Tertia ratio est, ut retributio iustorum integra sit. Merces enim iustitiae est honor et gloria. Et quoniam multi homines eximie insti, quasi scelesti et impii publice interfecti sunt; aequum fuit ut in publico totius orbis theatro iustitia ipsorum praedicaretur. Ad hunc numerum sanctorum Martyres Domini praecipue pertinent, qui in oculis persecutorum paganorum vel haereticorum et Principum et Regum coronati assistent.

Quarta ratio est, ad confusionem hypocritarum. Non enim desunt, qui cum opinione sanctitatis moriantur, cum vere sint impii; quales sunt haeretici Calviniani vel Anabaptistae, et olim erant illi de quibus scribit S. Cyprianus in libro de Unit. Ecclesiae: *Ardeant licet flammis et ignibus traditi, vel obiecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed poena perfidiae; nec religiosae virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus.* Itaque necesse est, ut saltem in universali Judicio eorum hypocrisis publice detegatur.

Quinta ratio illa est, ut anime simul et corpora iudicentur. Siquidem in iudicio particulari solae animae iudicantur, et praemium vel poenam accipiunt: sed in iudicio universali integri homines comparebunt. Et quoniam animae cum corporibus peccaverunt, vel bene egerunt, sic etiam oportet, ut post resurrectionem animae cum corporibus praemia vel poenas accipiat.

Sexta denique ac postrema ratio est, ut non solum bona vel quae gessimus in vita, praemia vel poenas suas habeant, sed etiam bona vel mala, quae nascuntur ex operibus bonis vel malis nostris, et propagantur usque ad mundi consummationem; in mundi consummatione laudem aut vituperationem publice sortiantur.

Ac ut exemplis rem illustremus, non desunt homines pii, qui, Xenodochiis extructis, aut Monasteriis, aut Gymnasiis, in quibus multi vel convalescunt, vel instituuntur ad pietatem, vel eruduntur in disciplinis; et haec opera perseverant in longum tempus: alii scribunt libros utiles ad sapientiam, vel ad varias artes, vel pietatem, et alii bona opera propaganda, quibus multi singulis aetatibus proficiunt et adiuvant proximos suos: nec desunt homines improbi, qui, scriptis libris lascivis, vel seditiosis, vel etiam haereticis, multos homines perdunt; et extructis theatris ad ludos gladiatorum, vel ad comaedias obscoenas, vel alio modo proximis nocent in longum tempus post obitum suum. Quoniam igitur in fine mundi processus omnes finem accipient, et merita omnium hominum, sive bona sive mala, consummabuntur; aequum erit, ut eo die, omnium, qui fluxerunt ab initio mundi maxime memorabili, Judicis supremi potentissimi atque iustissimi sententia proferatur.

Haec sunt igitur causae, cur praeter iudicium particulare, quod fiet in morte singulorum, expectandum sit iudicium universale in consummatione saeculi. Explicandum igitur breviter est, quis sit futurus Judex in hoc tremendo iudicio, unde veniet, ad quem locum veniet, quos iudicabit, et quae erit sententia iudicantis. Judex erit sine ulla dubitatione Dominus noster Jesus Christus; ipse enim apud sanctum Matthaeum sic loquitur: *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, et omnes Angeli cum eo; tunc sedebit super sedem maiestatis suae, et congregabuntur ante eum omnes gentes,* (*Matth.* 25.) et quae sequuntur. Idem confirmant Apostoli, Petrus, Paulus et Joannes. Petrus in Actis Apostolorum ait: *Ipse est, qui constitutus est a Deo Judex vivorum et mortuorum.* (*Act.* 10.) Apostolus Paulus in iisdem Actis, *Deus*, inquit, *statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in aequitate, in viro, in quo statuit, suscitans eum a mortuis.* (*Act.* 17.) Apostolus Joannes in Evangelio sic loquitur: *Dedit ei potestatem iudicium facere, quia Filius hominis est.* (*Joan.* 5.) et in eodem loco: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.*

Veniet autem ad iudicandum de coelo, et veniet usque ad aerem terrae vicinum, ut videri et audiri possit ab omnibus, qui in terra erunt. Audi Christum ipsum apud Matthaeum: *Videbitis Filium hominis venientem in nubibus caeli.* Audi Apostolum Paulum scribentem ad Thessalonicenses, *Rapiemur*, inquit, *cum illis in nubibus obviam Christo in aera.* (1. *Thess.* 4.) et hoc ipsum praedixerat Joel Propheta: *Congregabo omnes gentes, et deducam eos in vallem Josaphat, et ibi disceptabo cum eis.* (*Joel.* 3.) Ex verbis autem illis, *In vallem Josaphat*, recte intelligitur eo loco futurum esse iudicium omnium maximum; tum quia vox Hebraica, Josaphat, proprie significat Dei iudicium tum quia vallis Josaphat est prope Jerusalem, ad partem Orientalem Templi, ut S. Hieronymus testatur in Commentario capitis tertii Joel. Quo loco nullus esse potest opportunior pro tanto iudicio: inde enim conspicitur Jerusalem, ubi Christus praedicavit, et iudicium ultimum futurum esse praedixit: inde etiam conspicitur mons Calvariae, ubi Christus idem pro redemptione generis humani cruci fuit affixus; et mons Oliveti,

unde victor mortis in coelum ascendit. Ad eum igitur locum in nubibus coeli Christus veniet cum omnibus Angelis, qui sunt ut minimum *millia millium,et decies millies centena millia*, ut Daniel scribit. (*Dan.* 7.) Dixi autem, *ut minimum*, quoniam sententia S. Dionysii Areopagitae (*Lib. de Caelest. hierar. Par.* 1. 9. 50. *art.* 3.) et S. Thomae est, numerum Angelorum sanctorum superare numerum omnium rerum corporalium. Ibi etiam aderit cum Rege Christo omnis multitudo sanctorum hominum in corporibus gloriosis, de quibus dicitur in Apocalypsi : *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis.* (*Apocal.* 7.)

Erit igitur in hoc iudicio spectaculum , quale non fuit ab initio mundi, neque fiet. Porro rei mortis aeternae erunt omnes impii, qui resumptis corporibus, nudi, et moesti moestitia summa et incredibili, astabunt in terra ab Angelis adducti ex toto orbe terrarum ad vallem Josaphat et loco vivina. Numerus autem eorum erit longe maior numero sanctorum, cum Dominus ipse dixerit: *Multi sunt vocati, pauci electi* ; et *Arcta est via, quae ducit ad vitam pauci et inveniunt aml;ata est via, quae ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam.* (*Matth.* 7. *et* 22.) Quod si verum est, ut verissimum, multitudinem sanctorum hominum numerari non posse: quanto minus numerari poterit turba reproborum ? (*Apoc.* 7.) His autem adiuncti erunt spiritus maligni, qui sunt etiam in numero maximo.

His ita constitutis, antequam sententia Judicis proferatur, libri rationum aperientur, ut ex Daniele Prophetа, et S. Joanne intelligi potest. (*Dan.* 7. *Apoc.* 20.) Quid sint hi libri, qui in Judicio aperientur, explicat Apostolus Paulus ad Corinthios, dicens: *Nolite ante tempus iudicare quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* (1. *Cor.* 4.) Effundet enim Deus eiusmodi lumen, ut in eo cernantur conscientiae omnium impiorum. Videbunt igitur omnes, qui in eo theatro erunt, conscientias omnium, ac per hoc opera, verba, cogitationes, appetitiones. O quale spectaculum erit, videre conscientias hypocritarum , mendacium , proditorum, cavillatorum. qui nihil faciebant per omnia sacra peierare ! Ex hac publicatione scelerum et flagitiorum omnium hominum, ex qua sequetur praeiudicium futurae sententiae, id fiet, quod legitur in Apocalysi: *Reges terrae, et Principes, et Tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus et liber*, abscondent, *se in speluncis, et petris montium*; et dicent *montibus, et petris*: *Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni* ; *quoniam venit dies magnus irae ipsorum, et quis poterit stare?* (Apoc. 6.) Et hoc idem praedixit Dominus in Evangelio, cum crucem in humeris deferret, alloquens pias mulieres: *Filiae Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et filios vestros,quoniam ecce venient dies,in quibus dicent: Beatae steriles, et ventres, qui non genuerunt, et ubera, quae non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos : et collibus: Operite nos.* (*Luc.* 23.) Ad extremum feretur sententia a Judice dicente, *Venite benedicti, Ite maledicti*, (*Matth.* 25.) et ibunt iusti in vitam aeterternam, et iusti in ignem aeternum.

Obsecro ego nunc Lectores meos, ut cogitent et recogitent saepe et attente, se quoque futuros in in hoc theatro : nunc cum tempus habent, serio deliberent quid facto opus sit. Neque obiiciant, diem Judicii adhuc procul abesse, ut non sic opus ante tempus cruciari, quasi instet dies Domini. Nam si forte distet Judicium generale, iudicium generale, iudicium particulare non distat, sed instat, et plane prae foribus est ; et qualis erit sententia iudicii particularis, talis erit et generalis. Itaque quicumque sapit, debet omnino ita se comparare ad sententiam Judicii divini audiendam, ac si hodie vel cras audienda esset : non enim magis distat hora iudicii quam distat hora mortis, et hora mortis ab homine sene vel gravi morbo laborante procul abesse non potest. Ergo in expectatione tanti iudicii, in quo de summa rei agitur, oportet serio implorare Advocatum, qui idem Judex futurus est. *Advocatum enim habemus Jesum Christum iustum*, (1. *Joan.* 2.) ut Apostolus Joannes nos docet ; et rursum amicos Advocati sollicitare, atque in primis Virginem clementissimam advocati parentem, et Angelos, atque homines sanctos. Neque solum vocibus, sed etiam muneribus adire nos convenit tum Advocatum tum Advocati amicos: non enim recusant Sancti munera, quae non illis prosunt, sed pauperibus Jesu Christi: ipsi enim Beati in coelo bonorum nostrorum non indigent.

CAP. III.

De tertio praecepto Artis bene moriendi, vicina iam morte, quod est de Gehenna.

Post Mortis et Judicii considerationem , expedit Gehennae quoque cruciatus et Paradisi gaudio attentissime cogitare. Haec enim sunt duo Novissima, quorum alterum unicuique nostrum, Christo iudicante, continget ; sed haec duo sic inter se contraria sunt, ut unum nos miserrimos, alterum felicissimos reddere debeat. Sed quoniam de utroque scripsimus in Libro de Ascensione mentis in Deum, prope finem libri : et rursum de gaudiis Paradisi scripsimus in toto libro de Aeterna felicitate Sanctorum : et de cruciatibus Gehennae in Libro secundo de Gemitu Columbae ; denique omnibus quatuor Novissimis, in Concionibus Latinis, quae nobis tunc in mentem venerunt, et diximus ad populum, et scripta reliquimus ; visum est hoc loco breviter summa capita attingere ; ut Lector habeat, in qua re attente cogitanda utiliter exercere se possit, dum mortem expectat, atque ad eam cum gaudio suscipiendam se parat.

Igitur de statu infelicissimo damnatorum ad Gehennam tria breviter consideranda suscipimus, locum, tempus, et modum. Locus est profunditas ; tempus, aeternitas ; modus, paena sine modo. Lo-

cus, inquam, est profunditas, siquidem homines reprobi, propter ingentia crimina laesae maiestatis divinae, carcerem obtinebunt in profundissima parte mundi, quae longissime distat a Regia domo, quae est in coelis: hoc enim decebat ut sumplicio mulctaretur superbia diaboli et homininum superborum. Diabolus enim dicebat: *In coelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo,* (*Isa.* 14.) sed responsum est illi: *Ad infernum detraheris in profundum laci,* quod idem continget omnibus hominibus superbiae filiis.

Ex hac autem prima aerumma reproborum sequentur tres aliae, tenebrae, angustiae, et egestas: Nam cum Gehenna sit in centro terrae, ad quem locum radii solis, et lunae, et stellarum penetrare non possunt; nihil in ea luminis esse poterit, nisi quantum ex igne sulphureo exire poterit, qui augebit, non minuet poenam. Videbunt enim eo lumine daemones, hostes suos crudelissimos: videbunt quoque homines illos, sive amicos, sive cognatos, qui perditionis eorum causa fuerunt: videbunt denique suam nuditatem, suam mendicitatem, sua vincula, sua tormenta, quae omnia cuperent fortasse non videre: aliquid boni, unde consolationem possent accipere, certe non videbunt. O tenebras! tenebras, ad omnia bona occultanda; non tenebras ad omnia mala manifestanda.

Porro angustiae in gehenna tantae sunt, ut multitudinem corporum damnatorum vix capiant. Nam cum terra sit quasi punctum impartibile, si cum coeli immensitate comparetur, et gehenna non terram totam, neque partem dimidiam, sed centrum solummodo comprehendat, et numerus hominum damnatorum sit amplior quam numerus salvandorum, de quibus tamen legimus in Apacalypsi: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat;* (*Apoc.* 7.) quis animo comprehendere poterit, quantae sint angustiae in gehenna? Eant tunc Reges magni, Nabuchodonosor, Darius, Alexander, Julius Caesar, et alii, quos terrarum orbis vix capere poterat; et dilatent, si possint, angustias gehennae, ut paulo commodius iaceant, et paulo mitius torquentur. O vanitas vanitatum! extendere et dilatare contendunt mortales fere omnes agros suos, ditiones suas, Regna sua, ut ad breve tempus de subditorum multitudine glorientur; et in mentem illis numquam venit, quantae illos in gehenna angustiae maneat, ubi non ad tempus breve sed sine ullo fine, velint nolint, habitare cogentur.

Jam vero quid de incredibili egestate perditorum hominum dicam? Omnium rerum bonarum egent, sola poenarum abundantia divites sunt omnes illi, qui in inferis habitant. Memores quidem erunt in gehenna homines divites, quantis deliciis abundaverint in terra dum viverent, sive in cibo et potu, sive in vestibus pretiosis, sive in venationibus et aucupiis, sive in hortis et vineis, sive in theatris et ludis variis, sed haec omnis recordatio dolorem augebit, cum se viderint in gehenna nudos iacentes, respectos rebus ac fortunis omnibus miserrime spoliatos, tunc dicent quod in libro Sapientiae legimus: *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tamquam umbra.* (*Capit.* 5.)

Veniamus ad secundum caput, quod est tempus. Quamdiu durabit exilium gehennae? Utinam non diutius quam duravit incolatus vitae praesentis! sed nulla erit comparatio: tempori enim non tempus, sed aeternitas succedet. Itaque tamdiu durabit habitatio impiorum in tormentis gehennae, quamdiu durabit aeternitas Dei, quae sicut principio caret, ita carebit et fine. Tamdiu torquebuntur damnati, quamdiu laetabuntur Beati. Denique tamdiu reprobi morientur, quamdiu Deus ipse vivent: et nisi desinat esse Deus, id, quod est, non desinent reprobi esse in poenis, in quibus sunt. O vita mortifera! o mors immortalis! si vita es, quomodo occidis! si mors es, quomodo duras? neque igitur mors, neque vita dicenda es; quoniam utrumque horum boni aliquid habet vita quietem, et mors finem: tu vero neque finem habes. Quid igitur te esse dicemus, nisi id totum mali, quod et vita et mors habet? Magna profecto res esset, si vel mediocriter intelligere possemus quid sit aeternitas poenarum. Haec enim sola cogitatio, tamquam fraenum quoddam, omnes hominum libidines coerceret; et ita nostram vitam temporaret, ut non Christiani modo, sed etiam Anachoreta sanctissimi omnes esse videremus.

Restat ex tribus rebus propositis solus modus, quem esse diximus poenam sine modo. Poena enim gehennae non est singularis aliqua poena, sed poenarum omnium cumulus: torquentur enim in gehennae omnes sensus, sive interni, sive externi; idque non per vices, sed omnes istae poenae tamquam agmine facto in hominem irrunt. Hic in terris sicut bonum generale Beatorum, itu malum istud generale damnatorum numquam experimur: nam qui oculis dolet, non simul, dentibus dolet, et qui dentibus, non simul oculis: et sic de caeteris ad eumdemmodum. Sed apud inferos, dolores atrocissimi in omnibus membris uno tempore tolerandi sunt, cum ignis gehennae totum corpus ambiat, et totum vehementissime torqueat, et numquam consumat. *Ite* inquit Judex, *in ignem aeternum.* (*Matt.* 25.) et Isaias: *Vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.* (*Is.* 66. *Marc.* 9.) quae verba Dominus in Evangelio apud Marcum ert ineodem capite repetivit, ut nobis plane in cordibus imprimeret, poenam gehennae esse ignem aeterno tempore duraturum, et corpus totum dolore acerrimo per omnem aeternitatem crudelissime vexaturum. Qui viderunt hominem iusto iudicio hic in terris igne cremari, vix potuerunt conspectum eiusmodi supplicii tolerare, cum tabem brevissimo tempore finiatur. Quod si homo, quantumvis reus, ad integrum diem in igne perseveraret; certe nullus ferre posset spectaculum tam horrendum. Dicat igitur intra se unusquisque. Si ferre non postum combustionem hominis viventis, qui nihil ad me pertinet: quo modo ferre potero combustionem corporis mei ad unam horam, vel diem, vel mensem, vel annum? et si hoc nimis mihi videtur horrendum, ut ne cogitare quidem id possum; qua stultitia ego ipse me tam grandi periculo expono ut ardeam in aeternum? Quod si ista non cre-

dimus, ubi est fides nostra? si credimus, ubi est iudicium ? ubi prudentia? si sanae mentis sumus, et fidem Scripturis Sanctis habemus, quo modo fieri potest, ut tam immani periculo imminente non excitemur? Ingrediatur ergo in cor suum quicumque salvus esse cupit, et rebus omnibus attentissime consideratis ita se gerat, ut mors eum paratum inveniat, et non eum gehennae ignis excipiat, sed in gaudium Domini sui feliciter ingredi mereatur.

CAP. IV.

De quarto praecepto Artis bene moriendi, vicina iam morte, quod est de Gloria Beatorum.

Restat Gloria Beatorum,quae postremum locum inter Novissima tenet. De hoc Novissimo illa tria capita solum breviter considerabo, quae in superiori capite de gehennae suppliciis consideravi: locum, tempus et modum.Locus gloriae beatorum caelestis paradisus est; tempus aeternitas , quae finem nullum habet modus facilitas excedens omnem modum.

Incipiamus a primo. Paradisi coelestis locus est altissimus supra omnes montes terrae, supra omnia elementa, supra omnes stellas. Inde enim in scripturis sanctis dicitur regnum coelorum,*domus Dei, civitas regis magni, civitas Dei viventis, Ierusalem caelestis.* (Psalm. 9.) Ex hoc sublimissimo situ civitatis coelestis facile possumus intelligere, multa esse privilegia sive praerogativas huius loci prae omnibus locis mundi totius. Primum enim, qno locus in hac rerum universitate est altior,eo quoque est maior atque capacior siquidem figura universitatis rerum creatarum rotunda esse cernitur, sic ut orbis terrae centrum mundi teneat , supremum coelum extremam sive supremam sphaeram, latitudinis propemodum infinitae complexu suo contineat.

Locus igitur beatorum, ut est altissimus, sic etiam amplissimus est, quemadmodum e contrario locus perditorum, ut est omnium infimus, sic est omnium angustissimus. Deinde locus altissimus est etiam locus purissimus, certe enim aqua purior est quam terra, et aer quam aqua , et ignis quam aer, et caelum quam ignis, et caelum empyreum quam caelum sidereum. Denique locus altissimus tutissimus etiam est , ut non possit ad eum locum accedere malum ullum, neque flagellum appropinquare tabernaculo eius. Primum igitur, sedes beatorum est amplissima , ut possint beati homines de loco ad locum libere commigrare; neque periculum erit ne forte fatigentur, cum ex dote agilitatis momento possint de loco ad locum pergere. Quanta erit illa voluptas , nunc ab Oriente ad occidentem migrare , nunc ab Austro ad Aquilonem se transferre , nunc orbem totum momento circuire,dum perditi hom nes in gehenna ligatis manibus et pedibus in omnem aeternitatem uno in loco consistent? (Matt. 22.) Sed maior adhuc felicitas erit hominum beatorum, dum aura illa purissima in caelo fruentur,quam neque tenebrae, neque caligines, neque vapores,neque ventorum flatus, neque pestis ulla inquinare poterit : dum ultra omnem modum miserabiles gehennae incolae terra caligine et fumo aestuantis fornacis sine ulla spe aurae purioris, in loco illo horroris plenissimo iacere cogentur. Quid iam de civitate superna dicam, propter summam altitudinem ab omni proditione vel malo quocumque tutissima ? *Lauda Ierusalem Dominum*, inquit s. David,*lauda Deum tuum Sion, quoniam confortavit seras portarum tuarum.* (Psal. 147.) Haec vero portarum munitio non id significat, quod verba sonant dicitur enim in Apocalypsi de civitate coelesti: *Et portae eius non claudentur per diem, nox enim non erit illic.* (Apoc.21.) Itaque *confortavit Deus seras portarum* Ierusalem coelestis , quia fecit eam inexpugnabilem , ob altitudinem suam. Et si draco in coelo pugnavit cum Michaele Archangelo causa est, non quod ex inferis in coelum conscenderit, sed quod in coelo conditus, antequam confirmaretur in gratia, rebellavit a conditore suo, et in superbiam elatus, aequalis esse tentavit Altissimo. Sed quia coelestis Ierusalem in pace fundata est, non potuit inimicus pacis in ea consistese, sed continuo *sicut fulgur de caelo* cecidit , (Luc. 10.) neque deinceps pedem in ea figere potuit, atque ab eo tempore nemo admittitur ad inhabitandam caelestem Ierusalem,nisi in pace perpetua fundatus et solidissime confirmatus. Atque haec de loco.

Nunc de tempore pauca dicemus , Tempus habitandi caelestem Ierusalem, post diaboli casum , est tempus sine tempore, id est, duratio perpetua sine fluxu dierum et noctium , sic enim in Apocalypsi *iuravit* Angelus *per viventem in saecula saeculorum,quia tempus non erit amplius.*(Apocal. 10) et Dominus in Evangetio , completo die novissimo dicet: *Sic ibunt hi*, videlicet iniqui , *in ignem aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* (Matth.25). Hoc tantum erit discrimen,quod iniqui aeternitatem inviti patientur , et quaerent mortem et non invenient; iusti autem nihil iucundius audient quam beatam aeternitatem, id est vitam sine timore moriendi, et standi virtutem sine timore cadendi.

Reliquum est, ut de modo, quo se habebunt in paradiso post resurrectionem beati, paucis explicemus. Atque id unum verissime dici posse censeo, omnia bona, quae in terris optantur, quamvis admixta malis plurimis, ea multo maiora et sine ulla admixtione malorum possidenda esse a beatis in coelo. Quae in bonis numerantur in terris,haec sunt, honor, potestas, divitiae, deliciae. Honor in coelo hominum beetorum plane videri posset incredibilis, nisi is id affirmaret,qui mentiri non potest. Audi Dominum Christum, qui est veritas, sic loquentem in Apocalypsi beati Ioannis: *qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici.et sedi cum Patre meo in throno eius* (Apoc. 3.) Quid, obsecro , ad hunc honorem addi potest ? thronus certe filii Dei in caelo altissimus est, et qui in eo sedet, honorem plane incredibilem consecutus esse existimari potest. Quis plausus, quae laudes resonabunt in coelo coram Deo

et omnibus Angelis, quando homo aliquis, quondam mortalis et fragilis, Dei manibus collocabitur in trono Filii Dei, qui est *princeps regum terrae et Rex Regum, ac Dominus dominantium*? Certe ad hunc honorem nihil addi potest.

Potestas autem eiusdem hominis beati tanta erit, quantam suspicari vix possumus. Eiusdem Christi promissio est in Evangelio, de servo fideli; *Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.* (Matt. 24.) Quae verba hoc plane significant, servum fidelem in coelo fore participem potestatis, quam Deus habet super omnes res creatas. Et quanta est potestas Dei in res creatas? omnino maxima et incomparabilis. Itaque dicentur et verissime erunt sancti omnes reges mundi totius, non ad annos paucos, sed in omnem aeternitatem. Atque haec est sententia, quam Christus iudex supremus in iudicio novissimo pronuntiabit, cum dicet iustis: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* (Matth. 25.)

De divitiis beatorum hoc solum satis esse deberet omnibus hominibus, quod erunt divitiae amplissimae et semper duraturae, dicente Propheta: (*Psalm.* 113.) *et erit Deus omnia in omnibus*, ut apostolus loquitur in epistola ad Corinthios. (1. Cor. 15.) Quae verba sic exponit Theophylactus et etiam sanctus Anselmus, ut sensus sit: *Erit Deus omnia in omnibus*; quia nunc res una nobis est cibus, alia potus, alia vestis, alia domus alia divitiae, alia voluptas, alia honor, alia potestas, sed in caelo, post resurrectionem, erit Deus Beatis omnibus cibus, potus, vestis, domus, divitiae, voluptas, honor, potestas. Erunt igitur Beatis in coelo omnia pretiosa, omnia incorruptibilia, omnia divina. Addit sanctus Hieronymus in epistola ad Amandum, Deum futurum omnibus beatis omnia non solum corporalia, sed etiam spiritualia: nunc enim gratiae divinae non dantur omnes omnibus, sed uni sapientia, ut Salomoni; alteri bonitas, ut Davidi; alteri patientia, ut Job: cum autem rerum omnium finis advenerit tunc omnia in omnibus erunt, ut singuli sanctorum omnes virtutes et dona possideant. Quid, quaeso, daret in hoc mundo avarus, ut divitias omnes omnium possideret, quid luxuriosus, ut voluptates, quas cupit, omnes consequeretur? quid ambitiosus, ut honores et dignitates, quas ambit omnes assequi posset? Et tamen ista temporalia sunt, et cito peritura et quod miserabilius est, brevi cum sempiterna egestate, et dolore, et ignominia commutanda. Cur ergo non quaerimus Deum, in quo uno bona omnia spiritualia et corporalia in omnem aeternitatem mansura possidebimus?

Sed quid tandem de gaudio et voluptate beatorum dicemus? Isaias et Paulus exclamant, et dicunt: *oculus non vidit, auris non audivit, in cor hominis non ascenderunt quae praeparavit Deus diligentibus se.* (*Isa.* 64.) Vere enim paravit Deus iustis diligentibus se in coelesti patria gaudium, laetitiam, voluptatem, delicias, dulcedinem, suavitatem, qualem nullus mortalium neque gustavit, neque cogitatione assequi umquam potuit. Tria requiruntur ut delectatio generetur, potentia, obiectum, et unio potentiae cum obiecto: et quo ista maiora sunt, eo maior gignitur delectatio. Nulla potentia in rebus creatis maior, et vivacior, et delectationis capacior est, rationali voluntate: nullum obiectum praestantius, et amabilius, et suavius est essentia Creatoris. *Gustate*, inquit David. *et videte quoniam suavis est Dominus.* (*Psalm.* 33.) Et Sapiens loquens de sole et stellis: *Quorum*, inquit, *si specie delectati, deos putaverunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est. Speciei enim generator haec omnia constituit.* (Sap. 13.) Nulla coniunctio magis intima cogitari potest, quam Dei cum voluntate rationali, dicente Apostolo: *qui adhaeret Domino, unus spiritus est.* (1. Cor. 6.) Coniunctio corporum ut plurimum in superficie fieri solet, ad interiora non penetrat, et tamen sic afficit homines corporalis voluptas, ut ad insaniam quodammodo redigantur. Quam igitur suavitatem, quam dulcedinem gustabit anima, quando sic intime coniungetur cum Deo, qui est suavitas infinita, ut unus spiritus fiat cum eo? Hic mihi plane verba desunt, ut explicare nullo modo queam, quod cogitando mecum ipse revolvo.

Adde, quod omnis humana voluptas, quae ex rebus creatis oritur, aut momentanea, aut certe brevissima est; voluptas autem, quae ex coniunctione spiritus humani cum Deo, qui est suavitas infinita, numquam omnino finietur. Et tamen tanta regnat in multis hominibus amentia, ut malint frui carnalibus voluptatibus, sordidis et modicis et ad tempus brevissimum, quam maximis et purissimis, et in omnem aeternitatem sine ullo dubio duraturis. Atque haec de quatuor novissimis hoc loco sufficiant.

CAP. V.

De quinto praecepto Artis bene moriendi, vicina iam morte, quod est de Testamento condendo.

Praemissa consideratione mortis appropinquantis et aliorum novissimorum, consequens est, ut qui discedere parat ex hoc mundo, disponat domum suam. Sic enim admonuit Isaias Ezechiam, dicens, *Dispone domui tuae quia morieris tu, et non vives.* (Isa. 38.) A qua molestia liberi sunt viri regulares, qui cum Apostolis dicere possunt: *Ecce nos reliquimus omnia.* (Matth. 19.) Ex quibus fuit unus sanctus Augustinus, de quo scribit Possidius in eius vita: *Testamentum*, inquit, *non fecit, quia unde faceret pauper Christi non habebat: quamvis enim episcopus esset tamen more regularium nihil proprii retinebat.*

Porro testamentum fieri debet ad initium morbi nisi quis prudenter anteverterit, et non leviter errant, qui de testamento condendo non cogitant, nisi cum aegritudine invalescente a cognatis vel amicis coguntur, quo tempore vel delirare incipiunt, vel certe res suas non ea prudentia disponunt, qua disposuissent dum bene valebant.

Oportet autem ut primum omnium de aere alieno, si quo forte gravantur, restituendo cogitent. Deinde opes suas illis omnino relinquant ad quos

de iure pertinere intelligent, neque sinant se trahi ad personas, quas magis diligunt, si quoquo modo repugnet iustitia. In iis vero, quae ab arbitrio dependent suo consulant in primis gloriam Dei, deinde proximorum necessitates. Quod si forte abundent divitiis, quas uti supervacaneas, pauperibus iam dudum distribuere debuissent; non existiment se conscientiae satisfecisse,si hoc ipsum cum aliis criminibus suis sacerdoti aperuerint, et absolutionem obtinuerint, nisi res illas pauperibus erogari mandaverint, vel ipsi potius continuo erogaverint. Est enim sententia communis sanctorum patrum et praecipuorum doctorum scholasticorum, res supervacaneas pauperibus deberi, de qua re scripsimus in libro priore, capite nono, quae repetenda non sunt. De iis vero, quae arbitrio suo donare poterunt, consulant viros pios, quae sint opera charitatis magis grata Deo, pro loco, et tempore, alicubi enim magis urgebit aedificatio Ecclesiae, vel Coemeterii, alibi collocatio paupercularum virginum in matrimonio alibi multitudo aegrotantium in Xenodochio, vel pauperum mendicantium in plateis, alibi redemptio captivorum. Denique in huiusmodi distributione nulla est regula melior, quam *fides sincera*, *et providentia perspicax*, ut scribit s. Ambrosius, *vel charitas cum prudentia et prudentia cum charitate coniuncta*, (*Lib.* 3. *de offic. cap.* 48. 3. *Par. Past. Adam.* 21.) ut loquitur s. Gregorius.

Illud autem magni momenti esse videtur, ut eleemosynae, quae fiunt a viventibus, vel ut fiant mandantur a morientibus, tunc potissimum aut fiant, quando is qui facit vel mandat, est gratus Deo, tunc enim meritum magnum conciliant largienti, et eiusmodi boni eleemosynarii recipiuntur a bonis amicis in aeterna tabernacula, (Luc. 16.) juxta promissionem Christi apud Lucam. Si vero fiant, aut mandetur ut fiant, ab homine impio, tunc eleemosynae non prosunt ad vitam aeternam quidquid sit de aliis meritis, neque efficiunt ut largitores recipiantur in aeterna tabernacula. Quare consulendum est a prudenti confessario vel amicis homini, qui sibi conscius est quod testamentum condiderit cum iaceret in coeno lethalis peccati, ut post novam confessionem integre et rite peractam, confirmet et approbet, ac ratum habeat id totum, quod in suo testamento disposuerat, ac praesertim de eleemosynis post obitum suum vel Ecclesiae vel pauperibus largiendis.

Addendum est postremo, ut qui in testamento suo multis muneribus affecit proximos suos non obliviscatur animae suae, praesertim cum facile fieri possit, ut non recta in coelum evolet, sed ad purgatoria loca deducatur. Itaque prudenter et pie faciet, si partem eleemosynarum iubeat conferri sacerdotibus, qui pro anima ipsius Sacrificia Domini offerant. *Sancta* enim *et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*, (2. Mach. 11.) ut dicitur in libris Machabaeorum. Ex quo loco colligit s. Augustinus, (*lib. de cura pro morte cap.* 1.) multo magis iuvari animas defunctorum sacrificio corporis Christi, si iuvabantur sacrificiis pecorum in Testamento veteri.

CAP. VI.

De sexto praecepto Artis bene moriendi, vicina iam morte, quod est de confessione peccatorum.

Post considerationem quatuor novissimorum, et rebus domesticis expeditis, necesse est ut homo senex, vel periculoso morbo laborans, serio animum applicet, reiectis aliis curis, ad sacramentum Poenitentiae rite percipiendum. Saepe enim accidit in Sacramentum Poenitentiae,quo tempore magis est necessarium, illo ipso tempore minus accurate suscipiatur. Qui enim gravi morbo laborant, vel doloribus impediti, vel debilitate,aut deficiente iudicio, vel horrore propinquae mortis, vel amore charorum, quos inviti relinquunt, satis imperfectam confessionem peccatorum faciunt, et valde aegre contritionem veram et perfectam in illis angustiis in se ipsi excitare queunt.

Testis ego possum esse huius difficultatis,quam aegroti ut plurimum patiuntur. Nam cum aliquando inviserem amicum, virum divitem et nobilem, qui ex peccato quodam gravi perpetrato in morbum lethalem inciderat, atque ei dicerem, nihil ei salutarius in eo temporis articulo esse posse quam veram peccatorum suorum poenitentiam et contritionem,quia Deus cor contritum et humiliatum numquam despicit, respondit ille: et quid est contritio? non capio quid a me requiras. Subieci ego? Hoc requiro, ut ex vero corde displiceat tibi,quod in Deum peccaveris et omnino statuas, si diutius vixeris, numquam amplius Deum offendere, idque totum procedat ex vero amore Dei, qui tibi innumerabilia beneficia praestitit,cui tu ingratissimus pro beneficiis iniurias reddidisti. Respondit ille:Non intelligo non sum capax rerum istarum: Ita obiit, signa damnationis suae satis aperta nobis relinquens. Haec et similia exempla nos monent, ut cum bene valemus, sic conscientiam nostram exoneremus, et poenitentiam veram agamus, ac si illa confessio ultima nobis esset futura.

Sed nihilominus tamen in ipso gravi morbo confessio sacramentalis quanta fieri potest diligentia fieri debet, ac praesertim contritio excitanda est ex vero dolore praeteritorum et proposito firmissimo non amplius peccandi si ulterius sit vivendum. Neque solum de peccatis commissis poenitentia agenda est, sed etiam de operibus bonis omissis ad quae ex officio vel ex charitate teneba mur: multi enim satis accurate peccata in Deum vel proximum admissa considerant, omissionum autem facile obliviscuntur ,vel eas non magnifaciunt. Addere possum etiam hoc loco exemplum satis utile.

Aegrotabat ad mortem episcopus valde doctus et pius. Accessit ad eum sacerdos utrique nostrum amicus, a quo loco accepi quod narro. Quaesivit ab episcopo communis amicus. an conscientia eius satis peccata esset: respondit, per gratiam Dei

nihil grave sibi occurrere, quod in Deum se commisisse ab ultima confessione meminisset. Addidit sacerdos amicus, an conscientia omissionum non eum reprehenderet, cum apostolus tam sollicite episcopum Timotheum admonuerit, dicens: *Testificor coram Deo, et Jesu Christo, qui iudicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius et regnum eius praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina.* (2. Tim. 4.) His auditis, ingemuit bonus episcopus et ait: Vere omissiones me non parum exterrent, et his dictis, coeperunt oculi eius profundere flumina lacrymarum.

Porro iis qui ad bene moriendum se parant, praecipue contritio necessaria est: confessio enim sine contritione vel attritione vera non sufficit ad salutem: Satisfactio quoque vel sine contritione non prodest, vel aegre ab aegroto praestari potest, contritio vero quae charitatem includit, etiam sine confessione et satisfactione, cum illae praestari non possunt, ad salutem perducit. Nam, ut paulo ante diximus, *cor contritum et humiliatum Deus non despiciet.* (Psalm. 50.) Contritio igitur aegrotanti sollicite quaerenda nobis esse videtur, cuius rei habemus exemplum egregium sancti Patris Augustini qui teste Possidio, qui eius vitam scripsit, in ultima aegritudine, ex qua defunctus est, describi sibi iussit Psalmos Davidicos qui ad poenitentiam pertinent, ipsosque quaterniones, iacens in lecto, contra parietem positos diebus suae infirmitatis intuebatur, et legebat et iugiter ac ubertim flebat. Et ne intentio eius a quoquam impediretur, cavebat. Ante dies ferme decem quam exiret de corpore, postulavit a familiaribus suis ne quis ad eum ingrederetur, nisi iis tantum horis, quibus medici ad inspiciendum intrarent, vel cum ei inferretur refectio: nam omni reliquo tempore orationi vacabat: O beatissimum et sapientissimum virum. Post baptismum susceptum et peccata praeteriti temporis ei dimissa, vixit annos tres et quadraginta, in quibus usque ad ultimam aegritudinem assidue praedicavit verbum Dei: scripsit libros innumerabiles, ecclesiae universae utilissimos, vitam duxit sine querela, innocenter et sanctissime: et tamen in ultima senectute et morbo per dies plurimos contritioni et poenitentiae ita vacavit, ut in legendis Psalmis Poenitentialibus iugiter et ubertim fleret. Et plane observanda sunt duo illa verba, iugiter et ubertim. Non enim una die vel hora contritioni vacavit, sed per dies plurimos saepissime et copiosissime peccata sua deflevit, et cuius generis peccata deflevit vir sanctissimus? opinor; venialia tantum: ut non solum a flammis gehennae, sed etiam ab igne purgatorio liber recte in coelum conscenderet. Et si vir sanctus et prudens delicta venialia per tot dies iugiter et ubertim deflevit, quid faciendum esset illis, qui non solum pro delictis venialibus, sed etiam pro criminibus lethalibus satisfacere debent Deo?

Igitur aegroti omnes, qui vicinam habent mortem ita se comparent antequam aegrotent, ut in senectute vel morbo non sit illis necessarium gravia peccata expiare; sed pro levioribus tantum delictis poenitentiam agere; et sacra confessione et communione et Unctione ita se communire studeant adversus insidias diaboli, ut ad patriam coelestem feliciter Deo duce et Angelo sancto custode comitante perveniant.

CAP. VII.

De septimo praecepto Artis bene moriendi, vicina iam morte, quod est de Sacrosancto viatico.

Veteres Christiani in administrando sacro viatico, et sacra unctione aegrotis, primo loco inungebant aegrotos Sacra unctione, deinde porrigebant iisdem aegrotis sacratissimum Christi Corpus. Ac ut unum vel alterum testimonium adferamus, extat apud Laurentium Surium Tomo primo Vita sancti Guilielmi Archiepiscopi Bituriensis, qui vixit temporibus Innocentii Tertii Pontificis. In ea sic legitur: *Unctionis Sacramentum humiliter ac devote suscepit, eo percepto, sacrosanctam Eucharistiam sibi porrigi instantissime postulavit, ut tanto itineris duce munitus, posset securius hostium cuneos penetrare.* Id ipsum habetur de Sancto Malachia, in vita eius a sancto Bernardo conscripta, quod videlicet Eucharistiae viaticum post Extremam unctionem acceperit.

Praeter haec duo testimonia, quae demonstrant ordinem inter Extremam unctionem et Eucharistiam, possunt adferri alia duo, quae docent Viaticum fuisse postremum, quamvis non fiat mentio unctionis extremae. In Vita S. Ambrosii, quam scripsit Paulinus, habetur, Viaticum datum fuisse S. Ambrosio, morte iam imminente; ita ut sumpto Viatico statim spiritum emiserit. Idem omnino scribit Simeon Metaphrastes de S. Joanne Chrysostomo in Vita ipsius. Itaque perspicuum est apud Veteres ultimum Sacramentum fuisse Viaticum Corporis Domini.

Nos hoc tempore primum aegrotos munimus Sacro viatico, deinde post aliquot dies morbo crescente inungimus Oleo Sancto. Uterque ritus habet suas rationes. Veteres considerabant, Oleisancti venerabile Sacramentum institutum fuisse tum ad bonam valetudinem recuperandam, tum ad peccata, sive peccatorum reliquias expellendas. Sic enim loquitur S. Jacobus: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae: et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et allevabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei.* (*Jacob.* 5.) Veteres igitur sperantes ex hac sacra Unctione sanitatem corporalem aegroti, non differebant hoc Sacramentum ad illud tempus, in quo desperata est salus. Medicorum iudicio: se cum morbus incipiebat a Medicis periculosus iudicari, continuo ad sacram Unctionem confugiebant. Id quod etiam potest intelligi ex eo, quod S. Bernardus scribit in Vita Sancti Malachiae Episcopi, eumdem sanctum virum aegrotantem, ex cubiculo, quod erat in parte superiore domus, descendisse pedibus suis ad Ecclesiam, ut Unctionem extremam primum, deinde Viaticum acciperet: et his Sacramentis susceptis, rediisse etiam pedibus suis nullo adiumento ad cubiculum et lectum suum.

Nostro tempore aegroti, cum audiunt mentionem fieri Extremae unctionis, arbitrantur iam actum esse de vita sua ; eaque de causa cognati vel amici, ne aegrotos, terreant, differunt hoc Sacramentum quamdiu possunt.

Est etiam alia ratio, quae veteres movebat, ut primo loco inungerent aegrotos , deinde Viaticum eis praebercnt ; quia videlicet in Sacramento Unctionis remittuntur peccata, ut iam ex Apostolo Jacobo audivimus : et ideo vocatur a nonnullis veterum Extrema Unctio, *Poenitentia infirmorum*, Peccatorum autem remissio et penitentia rectissime praeponitur, tamquam praeparatio sive dispositio ad altissimum Sacramentum Eucharistiae, quod puritatem maximam requirit.

Denique Sacramenta omnia concluduntur, et quasi consignantur Sacramento Corporis Domini. Sic enim qui baptizantur adulti, ut Hebraei vel Turcae, post Baptismum continuo confirmantur, et admittuntur ad Sacrificium Missae, et sacram Eucharistiam percipiunt. Sic etiam qui poenitentiam agebant, poenitentia peracta, ad Eucharistiam, saltem more veteri, semper accedebant. Illi etiam qui Ordines minores vel maiores accipiunt, susceptis Ordinibus, ad sacram Communionem accedunt. Denique qui Matrimonio iunguntur, Sacramentum coniugii Sacramento Eucharistiae muniunt, et confirmant. Nostro tempore invertitus ordo, non sine causa rationabili. Saepe enim accidit, ut Extrema unctio, ne terreantur aegroti, differatur in longum tempus ; et periculum est, ne interim aegrotus vel usum rationis amittat, vel alia de causa reddatur inhabilis ad sacrosanctam Eucharistiam rite percipiendam, Ideo igitur Viaticum nostro tempore praemittitur. Melius enim est, ut inverso ordine Sacramenta ista ministrentur aegrotis, quam ut altero eoque saluberrimo careant. Unctio enim extrema conferri potest aegroto etiam in agone posito , et non intelligenti vel sentienti quid circa se agatur, modo tamen in vivis sit: defuncti enim nullius Sacramenti capaces sunt. Atque haec de ordine Sacramenta aegrotis conferendi.

Venio nunc ad pretiosum Christi Corpus aegrotis utiliter conferendum. Ac primum breviter exponam, quid agendum sit aegroto, antequam Sacramentum ad eum deferatur; deinde, quid agere debeat idem aegrotus, Christi Corpore praesente; denique, quomodo se gerat, divinissimo cibo recreatus.

Quod attinet ad primum, ego consulerem, nisi Patri spirituali aliquid utilius suggerendum occurrerit, ut diligenter aegrotus consideraret verba illa Sancti Thomae : *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur* ! Primum igitur attente considerabit, sacram sanctam Eucharistiam praeberi nobis viatoribus per modum cibi, ut non deficiamus in via ad patriam, praesertim eo tempore, quo longo itinere fatigati vires minui solent. Dicitur autem hic cibus *convivium*, et *sacrum convivium* ; quia licet detur in specie solius panis, tamen est integrum magnumque convivium ; et convivium non profanum, sed sacrum ; non corporis, sed animae : ideo additur, *in quo Christus sumitur* ; est enim sub illis speciebus sive accidentibus panis, verum Christi Corpus, non separatum ab anima et Divinitate ; ac per hoc res maxima, et pretiosissima, et ingens, dulcissimumque convivium, omnem saporem suavitatis exuperans; sed animae nutriendae et delectandae, non corpori accommodatum.

Qui sint autem fructus sive utilitas huius cibi, additur, cum dicitur, *Recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur*. Primus igitur fructus huius convivii est memoria passionis Christi : ideo enim in duplici specie, panis et vini. Corpus et Sanguis Domini consecratur, ut specie panis repraesentet Corpus a Sanguine separatum, ac per hoc mortuum: et species vini repraesentet Sanguinem separatum a Corpore, quamvis sub utraque specie Christus totus et vivens existat. Voluit enim Dominus, ut per haec mysteria iugis et quotidiana memoria apud nos extaret venerandae passionis suae, per quam omnia mala evasimus, et omnia bona consecuti sumus. Hinc enim Dominus ipse dixit Apostolis suis de hoc Sacramento loquens : *Hoc facite in meam commemorationem*.(*Luc*.22.) et Apostolus Paulus haec Domini verba exponens ait : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*. (1. *Cor*. 11.) hoc est, Quotiescumque ad hoc sacrosanctum mysterium accesseritis, memores eritis, Christum Dominum vitam posuisse pro vobis; et haec commemoratio durabit usque ad secundum adventum Domini, id est, usque ad mundi consummationem. Voluit autem Dominus nos assidue memores esse passionis et mortis suae, quia sciebat, hanc memoriam nobis utilissimam fore ; ut memores tam admirabilis charitatis suae erga nos, omnem spem nostram in illo poneremus, tum in vita, tum in morte. Quid enim negare poterit illis, pro quibus vitam ipse suam tam alacriter posuit ?

Alter fructus huius coelestis convivii notatur in verbis illis, *Mens impletur gratiae*: quod est privilegium Sacramenti Eucharistiae singulare, quando cum debita praeparatione suscipitur. Nam quemadmodum cibus corporalis res una est, et per manducationem ad stomachum traicitur; tamen omnia membra corporis reficit, nutrit, roborat exhilarat : contra vero nimia cibi abstinentiam non stomachum solum inanem reddit, sed omnia membra debilitat, extenuat, deformia et languida reddit, ac tandem occidit: sic cibus iste divinus omnes animae spirituales potentias reficit, nutrit, roborat. Memoria hoc sacro alimento impletur gratia dulcissimae recordationis beneficiorum Dei, ac praecipue passionis Dominicae, per quam liberati et salvati sumus. Intelligentia hoc eodem alimento repletur gratia fidei, non habitualis tantum, sed etiam actualis, : (*Actor*. 15.) fides autem purificat corda ab erroribus plurimis, et replet mentem intelligentia rerum divinarum, quae incredibile gaudium parit. Denique voluntas hoc ipso alimento repletur gratia spei certissimae, et charitati arden-

tissimae : quae, cum sit regina virtutum, omnes virtutes ad se trahit ; quarum possessione homo ditissimus coelestium opum evadit. Sic igitur per hoc divinissimum Sacramentum mens repletur gratia.

Denique *futurae gloriae nobis pignus datur* per hoc idem salutiferum Sacramentum. Sumpta est autem metaphora pignoris, ab eo quod inter homines non potest negari id, quod promissum est, quando in fidem servandae promissionis relictum est pignus. Reliquit autem Dominus Corpus suum in Eucharistia, ut pignus coelestis beatitudinis. Proinde qui moritur, suscepto Corpore Dominico cum debita puritate et reverentia, is pignus ostendet, et a coelesti felicitate excludi non poterit. Ostendit autem pignus, qui moritur unitus Christo per veram charitatem, quam reliquit in anima digna perceptio huius salutiferi Sacramenti. Tunc enim egreditur anima de corpore, ut *sponsa innixa super dilectum suum* :

Atque hoc est, quod scribit Sanctus Joannes in Apocalypsi, cum dicit : *Beati mortui, qui in Domino moriuntur* : (*Apoc.* 14.) id est, Beati morientes, qui moriuntur coniuncti Domino, ut membra capiti. *Nemo enim ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo.* (*Joan.* 3.) Filius autem hominis Christus non ascendit sine corpore suo, cui ipse est caput, Proinde soli illi moriuntur in Domino, qui dum moriuntur, adhaerent Domino, ut membra capiti : quod omnes obtinent, qui paulo ante mortem Christum in Eucharistia digne percipiunt.

Atque hactenus de praeparatione aegroti ad Viaticum percipiendum, antequam Viaticum ipsum sit praesens. Nam statim atque Sacrum Viaticum allatum est, debet aegrotus eo modo, quo potest, assurgere, et Dominum suum vel in genua provolutus, vel certe inclinato capite adorare. Saepe autem Dominus vires praebet, ut homines, etiam moribundi, in illa hora consurgant, et genua flectant. Sic enim legimus de S. Guilielmo Archiepiscopo Bituricensi : *Ut autem Dominum et Creatorem suum ad se venisse cognoverat, illico resumptis viribus de strato prosiliens, tamquam iam febris omnis abscessisset, non sine stupore circumstantium, maxime quod iam fere in supremo spiritu positus videretur, concito gradu procedit obviam Salvatori suo, vires subministrante charitate; flexisque genibus, totus lachrymis diffluens, illum adorat: atque saepius genua possit flectere, crebro prostratus erigitur ; illique suum agonem tota devotione commendat; orans ut quidquid purgandum superest, ipse purgare dignetur, ne quid funestus possit invenire inimicus* :

Videtur autem mihi optimum factu , ut aegrotus antequam Domini Corpus accipiat, recitet, vel recitari audiat versiculos illos sancti Thomae Aquinatis, qui simul fidem protestantur, et spem erigunt, et charitatem accendunt. Sunt autem hi:

Adoro te devote latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas.
Tibi se cor meum totum subiicit,
Quia te contemplans totum deficit.
Visus, gustus, tactus in te fallitur,
Sed auditui soli tuto creditur.
Credo quidquid dixit Dei Filius,
Nihil Veritatis hoc verbo verius.
In cruce latebat sola Deitas,
Sed hic latet simul et humanitas.
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petivit latro poenitens.
Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor.
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, et diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis verus vitam praestans homini,
Praesta meae menti de te vivere.
Et te illi semper dulce sapere.
Pie pellicane Jesu Domine,
Me immundum munda tuo Sanguine,
Cuius una stilla salvum facere
Totum mundum posset omni scelere.
Jesu, quem velatum nunc aspicio.
Quando fiet illud, quod tam sitio,
Ut te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuae gloriae.

His versiculis devotissime recitatis, vel auditis, praemissa confessione ordinaria , *Confiteor Deo*, etc. et accepta Sacerdotis absolutione et benedictione, et dicto, *Domine non sum dignus* ; summa, qua potest, humilitate et devotione adiungat: *In manus tuas Domine*, etc. et sacrosanctum ac coelestem cibum secure accipiat.

Sumpto Viatico, restat gratiarum actio pro tam eximio Dei beneficio: et praeter orationes vocales, quae ex piis libellis recitari solent, valde utile esset, ut qui Viaticum accepit, ingreditur cubiculum cordis sui, et tacitus intra se meditaretur verba illa dulcissima Domini Jesu, quae habentur in Apocalypsi : *Ecce sto ad stium. et pulso, si quis aperuerit mihi, intrabo ad eum, et coenabo cum illo, et ipse mecum.* Haec enim proprie conveniunt illis qui a sacra Communione recedunt : Dominus enim, qui hoc Sacramentum instituit in specie convivii, nihil aliud magis cupit, quam ut Christiani ad convivium istud accedant : et hoc significatur illis verbis *Ecce sto ad ostium et pulso*; id est, ego me ipse invito ad commune convivium, ut simul pascas. *Si quis mihi aperuerit*, assentiens, bono desiderio a me illi inspirato, ut simul convivamus ; *intrabo ad eum*, per sacrosancti convivii communicationem : *et coenabo cum illo, et ipse mecum.* Deus enim coenare dicitur nobiscum, quando delectatur de nostro spirituali profectu, iuxta illud Prophetae : *Latabitur Dominus in operibus suis.* (*Ps.* 103.) Et in eodem loco : *Jucundum sit ei eloquium meum, ego vero delectabor in Domino.* Quibus verbis exprimitur mutua delectatio, et quasi dulce convivium Dei cum anima, et animae cum Deo. Deus enim delectatur de profectu spirituali animae, et anima delectatur de acceptis a Deo beneficiis, quorum praecipuum est, quod ipse idem per hoc magnificum Sacramentum cum anima quodam modo conglutinari dignetur.

Cogitet igitur anima fidelis post acceptum Viaticum, quam dulce et quam fructuosum sit habere hospitem Christum, dum sacrae illae species durant, non solum ut Deum, sed etiam ut hominem; et posse cum illo cum fiducia agere, et pericula atque angustias suas in exitu de corpore cum illo communicare, seque illi ex toto corde commendare, atque ab eo petere ut tentatorem reprimat, Angelum sanctum comitem sibi adiungat, atque ad portum salutis se perducat.

CAP. VIII.

De octavo praecepto Artis Bene moriendi, vicina iam morte, quod est de Unctione extrema.

Ultimum Sacramentum est Sacra unctio, quae magnam consolationem aegroto adferre potest, si virtus eius intelligatur, et ipsum Sacramentum opportuno tempore percipiatur. Duo sunt effectus huius Sacramenti, ut Capite superiori dicebamus; sanitas corporalis, et remissio peccatorum. De utroque effectu paucis disseremus. De primo sic loquitur S. Jacobus: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum.* (*Jac.* 5.) Haec sane satis aperta et certa promissio est.

Cur autem rarissime nostro tempore convalescant aegroti hac Unctione suscepta, duae sunt causae: una est, quia nostro tempore serius, quam oporteret, hoc Sacramentum exhibetur aegrotis: neque enim per hoc Sacramentum miracula expectanda sunt, quale miraculum esset, si is, qui agit animam, continuo convalesceret. Verum si hoc Sacramentum conferretur egrotis quando periculose aegrotare incipiunt saepe, videremus affectum sanitatis, quae non quidem in momento, sed tempore suo succederet: quae causa est cur Extrema unctio non conferatur iis, qui propter commissa crimina a carnifice interficiuntur: isti enim non nisi apertissimo miraculo a mortis periculo liberari possunt. Altera causa est, quia non semper expedit aegroto a morbo suo liberari, sed expedit potius mori; et oratio Ecclesiae, qualis est, quae funditur in hac Unctione, non petit absolute sanitatem aegroti; sed si utile illi sit ad salutem aeternam eo tempore convalescere.

Alter effectus huius Sacramenti est, Remissio peccatorum. Sic enim loquitur S. Jacobus: *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei,* (*Jac.* 5.) Sed quoniam remissio peccati originalis proprie pertinet ad Baptismum, remissio peccati actualis, tum ad Baptismum, si baptizentur adulti; tum ad Sacramentum Poenitentiae: ideo Theologi docent, peccata, quae remittuntur in Sacramento Unctionis extremae, esse reliquias peccatorum. Sunt autem duo genera eiusmodi reliquiarum; aliquando enim reliquiae peccatorum dicuntur peccata ipsa lethalia, aut venialia, quae post Sacramentum Poenitentiae iam susceptum commissa sunt, et non sunt postea Confessario manifestata: vel ex ignorantia, quia non sciebat poenitens illa esse peccata lethalia: vel ex oblivione, quia memoriae non occurrerunt; et ideo non quaesivit aegrotus Confessarium, cui illa confiteretur. Has igitur reliquias peccatorum Sacra unctio delet. Et de hoc genere peccatorum dicit S. Jacobus: *Si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Quod etiam satis aperte docent Concilium Florentinum et Tridentinum sess. 14. can. 2.

Aliud genus reliquiarum peccatorum est quidam horror et torpor, sive tristitia et moeror, quae invadunt aegrotos; et huc respicit illa promissio S. Jacobi, *Et allevabit eum Dominus.* Exhilarat enim hoc Sacramentum aegrotos, quando attendunt ad promissiones divinas, quae in hoc venerabili Sacramento exprimuntur: atque ea de causa non deberet differri ad extremum illud tempus, quo aegrotus nihil audit, vel nihil intelligit.

Quanta vero sit utilitas huius Sacramenti, ex ipsa forma verborum intelligi potest. Inunguntur enim Sacro oleo praecipue quinque loca corporis, in quibus sedes sunt quinque sensuum, videlicet sensus audiendi, sensus olfaciendi, sensus gustandi, et sensus tangendi; et sensus olfaciendi; sensus gustandi, et sensus tangendi; et interim Sacerdos dicit: *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum,* et sic de aliis. Et quoniam Oratio illa est forma Sacramenti; sine dubitatione ulla efficaciter operatur id quod verba sonant, nisi aliquid impediat ex parte suscipientis.

Quanta vero sint in hoc Sacramento liberalitas et benignitas Dei nostri, facile intelliget, qui cogitaverit quanta multitudo peccatorum profluat ex his quinque fontibus peccatorum. Atque haec causa est, cur S. Malachias Episcopus Hibernus cuius Vitam scripsit S. Bernardus, cum distulisset ad aliquot horas ministrare Sacramentum Unctionis extremae cuidam nobili foeminae aegrotanti, et illa interim vitam cum morte commutasset, tanto dolore correptus sit, ut in cubicolo mulieris defunctae cum suis Presbyteris tota nocte iacuerit orans et lugens, culpae suae deputans, quod illa pia mulier per Sacramentum Extremae unctionis vel non convaluisset, vel tam largam indulgentiam peccatorum de Domini liberalitate non percepisset. Quia vero sanctus ille Episcopus amicus Dei erat, a Domino suo precibus et lachrymis obtinuit ut mulier illa resurgeret, et ab eodem sancto viro cum ingenti devotione inuncta, utrumque affectum Sacrae unctionis acciperet: nam et plane convaluit, et ad multos annos supevixit, et indulgentiam peccatorum, ut pie credimus, non amisit. Hoc exemplum tanti viri et ab alio sanctissimo viro fideliter litteris commendatum potest omnibus facile persuadere, quanti fieri debeat hoc venerabile Sacramentum.

CAP. IX.

De nono praecepto Artis bene moriendi, vicina iam morte, quod est de prima tentatione diaboli, id est, de Haeresi.

Propinquante morte, diabolus adversarius noster, *tamquam leo rugiens.* (*1. Petr.* 5.) non deest sibi sed tamquam ad praedam velox accurrit, et totis viribus in extrema illa lucta moribundum ag-

greditur. Primum vero praelium inchoare solet a tentatione circa fidem. Nam et res, quas credimus, non solum supra sensum, sed etiam supra rationem naturalem ascendunt; et ipsa eadem fides fundamentum iustificationis nostrae est: et eo fundamento everso, omnis aedificatio bonorum operum corruit. Est autem haec tentatio facile omnium gravissima, quia praelium nobis est cum adversario non solum doctissimo et acutissimo, sed etiam eiusmodi praeliis assueto ab exordio mundi. Ipse omnes Principes haereticorum seduxit, quorum non pauci, viri optimi et sapientissimi fuerant. Recte igitur Apostolus nos admonet, dicens: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem*, id est, adversus homines *sed adversus spiritualia nequitiae in coelestibus.* (*Eph.* 6.) id est, adversus daemones, qui spiritus sunt, et spiritus nequissimi et ex coelo aereo nos omnes vident. Arma nostra in hoc praelio non sunt disputationes, sed simplex veritatis fides. Sic enim Principes Apostolorum nos docent: Apostolus Petrus: *Adversarius*, inquit, *vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit quaerens, quem devoret; cui resistite fortes in fide.* (1. *Pet.* 5.) et Apostolus Paulus, *In omnibus*, inquit, *sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* (*Eph.* 6.) Itaque ex doctrina Apostolorum non oportet cum diabolo disputare, sed clypeo fidei excipere et retorquere omnia tela ipsius, quamtumvis ignita et ardentia, id est efficacia et subtilia esse videantur.

Habemus exemplum valde tremendum apud Petrum Barocium, Episcopum Patavinum, qui scripsit libros tres de Ratione bene moriendi. Is in libro secundo sic loquitur; « Fuere, quemadmodum audivi, duo quondam viri eruditissimi, et « omnium qui ex eodem gymnasio essent, in disputando facile principes: ac iidem bene morati, maximeque religiosi. E quibus unus cum excessisset e vivis, ei qui superstes erat, in sua forte bibliotheca Scripturae sacrae studiis incumbenti totus ardens apparuit; territoque, ac quaenam ei tam grandis poenae causa foret, interroganti, gemens dolensque respondit: Cum essem migraturus e vita; venit ad me hostis antiquus: et quoniam apprime eruditum noverat, scisciteri coepit, de fide quid crederem. Ego, quae in Apostolorum Symbolo sunt, credere me respondi. Ille exponi sibi quaedam, quae minus lucida viderentur, rogavit. Exposui, ut in Symbolo Athanasii legeram. Neque enim lucidius aut verius exponi posse putabam. Tum ille. Non est, ait, ut putas: sed quae ad Patrem pertinet, partim aperta et vera, partim obscura et falsa sunt. Nam ipse quidem aeternus est, non tamen ut semper Deus, sic semper et Pater: sed prius Deus, postea Pater. Ad haec cum ego exclamarem haereticum esse documentum, doctrinamque diabolicam: Non est, inquit ille, clamoribus disserendum, sed rationibus, si veritatis indagandae studio ducimur. Ego quid pro mea sententia, sit, dicere facile possum: tu quid pro tua sit, explicare si poteris, ab errore me grandi liberaveris. Ipse miser, qui ingenio et doctrinae meae magis quam aequum erat confiderem, cum eo tamquam cum uno quolibet hominum caetorum disputare coepi; tamdemque rationibus, quas mihi ex adverso plurimas ingerebat, et quod magis admiratus sum, Scripturae sacrae testimoniis in errorem me paulatim tam nefarium misit, ut iam neque Filium neque Spiritum sanctum Deum putarem. Interim rapuit animam mors, et qualem reperit, Judici obtulit. Ab eo discere in hunc ignem sum iussus: quem, et si maximus est, tolerabilem tamen utcumque putarem, si post mille annorum millia finiendus foret. Sed aeternus est, idemque tantus, quantum nulla aput nos vidit aetas, ut me in singulas ferme horas scientiae meae poeniteat, quae in tam immane praecipitium me deiecit: et haec dicens evanuit. At ille tum rei novitate, tum vero amici damno permotus, ut in se primum reversus est; cum iis, qui sibi amicissimi erant, quod viderat, contulit; petitque quidnam adversus eiusmodi rem factu optimum ducerent. Decretum in commune est, ut ad eam se quisque fidem referret, quam Catholica servat Ecclesia. Paulo post in u aegrotationem. ex qua mortuus est, incidit. Et ecce ad eum itidem antiquus hostis, prioris disputationis successu animosior venit; quaerit de fide, quid credat. Respondet, credere se quae Mater Ecclesia credit. Rursus antiquus hostis, quidnam credat Mater Ecclesia, scisciatur. Et ille, Quod ego, inquit; atque in hunc modum, audientibus his, qui astabant, veluti ab aliquo interrogatus, Credo quae credit Ecclesia, et Ecclesia credit quae ego credo, tantisper dicere non cessavit, dum animam redderet. Ita factum est, ut delusa inimici versutia, ipse in coelum migraret. et post paucos dies amicis, quos quidnam in huiuscemodi re factu optimum videretur, consulucrat, longe alio habitu corporis apparens; gratias egit, quod eorum consilio ad coeleste Regnum ascenderat. Quae nos uti sunt gesta describere supervluum arbitrati non sumus ut horum vel infortunio vel successu discere unusquisque posset, de fide cum diabolo disputari non oportere: sed satis esse, si ad eam unusquisque se referat fidem quam Catholica servat Ecclesia. » Haec Barocius, cui nihil est, quod addamus.

CAP. X.

De decimo praecepto Artis bene moriendi, vicina iam morte, quod est de secunda tentatione, id est, de desperatione.

Altera tentatio solet esse de desperatione, qua tentatione diabolus solet non solum improbos homines, sed etiam valde pios aliquando vexare. Et quidem homines valde improbos satis facile imminente morte in desperationis barathrum detrahit: subiicit enim ante oculos mentis omnia omnino crimina quae dum viverent, gesserunt: ut de quodam milite scribit venerabilis Beda in libro 5. Historiae gentis suae, cuius haec sunt verba: (lib. 5.cap. 15.) « Fuit quidam temporibus Coen-

« redi, qui post Edilredum regnavit, vir in laico « habitu atque officio militari positus : sed quan- « tum pro industria exteriori regi placens, tan- « tum pro interna suimet negligentia displicens. « Admonebat ergo illum sedulo ut confiteretur, et « emendaret ac relinqueret scelera sua, priusquam « subito mortis superventu tempus omne poeni- « nitendi et emendandi perderet. Verum ille, licet « frequenter admonitus, spernebat verba salutis ; « sesque tempore sequenti poenitentiam acturum « esse promittebat. Inter haec tactus infirmitate, « cecidit in lectum, atque acri coepit dolore tor- « queri. Ad quem ingressus rex (diligebat enim) « multum hortabatur ut vel tunc, antequam more- « retur, poenitentiam ageret commissorum. At « ille respondebat, non se tunc velle confiteri « peccata sua, sed cum ab infirmitate resurgeret; « ne forte exprobrarent sibi sodales quod timore « mortis faceret ea, quae sospes facere noluerat. « Fortiter quidem, ut sibi videbatur, locutus, sed « miserabiliter, ut postea potuit. daemoniaca frau- « de seductus est. Cumque morbo ingraviscente, « denuo ad eum invisendum ac docendum rex in- « traret, clamavit statim miserabili voce. Quid « vis modo? quid huc venisti ? non enim mihi ali- « quid utilitatis aut salutis potes ultra conferre. At « rex, Noli, *inquit*, ita loqui, vide ut sanum sa- « pias. Non, *inquit*, insanio, sed pessimam mihi « conscientiam certus prae oculis habeo. Paulo « ante intraverunt ad me duo pulcherrimi iuvenes « et resederunt circa me, unus ad caput, et unus « ad pedes, protulitque unus libellum perpulchrum « sed valde modicum, ac mihi ad legendum dedit « in quo omnia quaecumque bona feceram intuens « scripta reperi: et haec erant nimis pauca et mo- « dica. Tunc subito supervenit exercitus malignо- « rum et horrendorum spirituum. Tunc ille, qui « obscuritate tenebrosae speciei, et primatu sedis « maior esse videbatur, proferens codicem horren- « dae visionis, et magnitudinis enormis, et pon- « deris pene importabilis, iussit uni ex satellitibus « suis mihi ad legendum deferri. Quem cum le- « gissem, inveni omnia scelera, non solum quae « opere vel verbo, sed etiam qua tenuissima cogi- « tatione peccavi, manifestissime in eo tetris esse « descripta litteris. Sic loquebatur miser despe- « rans; et non multo post defunctus, poenitен- « tiam, quam ad breve tempus cum fructu ve- « niae facere supersedit, in aeternum sine fru- « ctu poenis subditus facit : » haec Venerabilis Beda. Ubi manifeste videmus, hostem nostrum diabolum primum egisse cum isto miserabili mi- lite ut non ageret poenitentiam, spe vitae longio- ris, deinde adegisse eum ad desperationem.

Alterum exemplum habetur apud eumdem auctorem in sequenti capite, ubi sic loquitur (lib. 5. c. 15. hist.) « Novi, *inquit*. ipse fratrem, quem uti- « nam non nossem; cuius etiam nomen, si hoc a- « liquid prodesset, dicere possem, positum in « monasterio nobili, sed ipsum ignobiliter vi- « ventem. Hic percussus languore, atque ad ex- « trema perductus, vocavit fratres, et multum moe- « rens ac damnato similis, coepit narrare quia « videret inferos apertos, et sathanam immer- « sum in profundum tartari : Caipham quoque « cum caeteris, qui occiderunt Dominum iuxta « eum flammis ultricibus contraditum, in quo- « rum vicinia, *inquit*, heus misero mihi locum « aspicio aeternae perditionis esse praeparatum. « Audientes haec fratres coeperunt diligenter hor- « tari, ut vel tunc adhuc positus in corpore poe- « nitentiam ageret. Respondebat ille desperans : « Non est mihi modo tempus vitam mutandi, cum « ipse viderim iudicium meum iam esse comple- « tum. Talia dicens sine Viatico abiit, et corpus « eius in ultimis est Monasterii locis humatum ; « haec Beda. Quod autem hic miserabilis Mona- « chus dicit, non fuisse tunc sibi tempus vitam mutandi, non ex veritate, sed ex diaboli persua- sione dicit. Spiritus enim sanctus apertissime clamat per Ezechielem (Ezech. 18. et 33.) pro- phetam, Deum semper esse paratum amplecti eos qui convertuntur a peccato ad poenitentiam, quod apertus docet sanctus Leo Papa in epistola ad Theo- dorum Foroiuliensem episcopum his verbis: *Mise- ricordiae Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, ad quem nullas patitur venire moras conversio, dicente Spiritu Dei per prophetam: Cum conversus ingemueris tunc sal- vus eris.*

Addam exemplum unum vel alterum, quibus demonstretur, a daemone tentari etiam piissimos viros in exitu de hac vita de peccato desperatio- nis. Extat apud Laurentium (tom. 5. ad diem 27. Septemb.) Surium Vita b. Comitis Elzearii, qui vixit in virginitate cum coniuge sua Dalphina, et post sanctissimam mortem multis signis et mira- culis claruit. Is tamen in exitu de hac vita tenta- tiones gravissimas toleravit : sic enim scribit au- ctor in ultimo capite: « Ad extremum in agone po- « situs, vultum praetulit valde terribilem, unde « colligi liceret, eum in magno versari labore ob « quaedam illi obiecta: atque sub eiusmodi con- « flictu exclamavit: Magna est daemonum vis; sed « eam penitus enervarant virtus et merita sacro- « sanctae incarnationis et passionis Iesu Christi. « Post paululum rursus exclamans ait; Plane vidi. « Post aliquantulum temporis spatium, cum in- « genti clamore dixit: Totum me divino iudicio « committo. Atque his dictis reparatus est vultus « eius, et quodam rubore atque splendore, multa- « que elegantia perfusus reddidit spiritum.

Alterum exemplum multo adhuc terribilius, ex- tat apud Joannem Climacum, qui refert. Monachum quemdam valde venerabilem, nomine Stephanum cum annos circiter quadraginta in eremo vixisset, ieiuniis, vigiliis, lachrymis, precibus, aliisque virtutibus exornatus, ad exitum tandem pervenis- se. Cum autem in extremo illo agone constitutus, a daemonibus multorum criminum reus fieret, ut ad desperationem impelleretur ; repente obstu- puisse animo, et apertis oculis clara voce respon- dere coepisset. aliquando quidem: *Ita sane, revera ita est, sed poenitentia et lachrymis crimen dilui*; aliquando vero : *non est ita, mentimini*, deinde rursum: *Verum loquimini, sed flevi, sed ministravi*, in quibusdam tamen: *Vere me accu- satis, et quid respondeam non habeo.* Atque ita

obiit, ambiguum relinquens, salvusne an reprobus esset. Haec igitur et alia eiusdem generis exempla nos monent, ut ante horam illam sollicite conscientiam nostram expurgemus, et numquam de misericordia Domini diffidamus.

CAP. XI.

De undecimo praecepto Artis bene moriendi, vicina iam morte, quod est de tertia tentatione, id est, odio Dei.

Adversarius noster diabolus non solum nititur quantum potest ut moribundos spoliet fide, et spe et inducat in haeresim et desperationem; sed etiam contendit amicos Dei ab amicitia eius separare, et inducere in odium Dei, et blasphemias, et magicas artes. Isti ut plurimum non timent mortem, nec poenas gehennae. Sperant enim se apud inferos felicem vitam acturos, utpote socios daemonum, quos in inferis regnare arbitrantur. Scribunt de hac re Grilandus in libro de Sortilegiis, quaestione 9. numero 2, et ex eo Martinus del Rio libro 6. Disquisitionum magicarum, capite 1. sectione 3. Sic igitur loquuntur hi auctores; postquam captae sunt maleficae, ut ipsaemet saepe fassae sunt, tunc diabolus nihil aliud satagit, nec laborat in alio, nisi in persuadendo ut persistant in sententia usque ad mortem. Adducantur licet in supplicii locum, ignisque succendatur, se illorum corpora et laqueo et flammis palam erepturum facturumque ut ex flammarum contactu nullum dolorem percipiant. Quod si mori illas contingat incendio, mortem illam cruciatus expertem fore, migraturas ex huius vitae miseriis absque supplicii sensu, ut in futurae vitae beatitudinem transferantur: illic eas daemonibus similes fore, eodem robore, scientia, divitiis, potentia, voluptate, quibus ipse daemon ponitur ac pollet, fore damnandas sic diabolus mendax fallit.

Sunt praeterea quidam alii, qui quamvis maleficii vel magi proprie non sint, tamen sic ab avaritia excaecati sunt, ut parum omnino ab infidelibus absint. Neque enim sine causa beatus apostolus avaritiam appellavit idolorum servitutem. (Eph. 5. Coloss. 3.)

Ego ipse invisens aliquando aegrotum morti propinquum, cum inciperem loqui de praeparatione ad exitum de praesenti vita, respondit constanti animo, et sine ullo metu, ac dixit: « Ego, Domine, cupivi alloqui te, non pro me, sed pro coniuge mea, et filiis meis, ego enim propero ad inferos, neque est quod aliquid pro me agas: haec vero protulit animo tranquillo, ac si de itinere ad villam vel oppidum aliquod loqueretur. Ita nimirum diabolus animam eius sibi subiecerat, ut non cuperet nec vellet ab eo divelli. Nec tamen magus aut necromanticus erat, sed artem exercebat valde periculosam, et intentus lucro per fas et nefas, oblitus videbatur non solum Dei, sed etiam animae suae. Summa est, cum multis verbis illum ad meliorem mentem revocare tentassem, nihil efficere potui. Cupiet fortasse aliquis nosse, quam ille artem exerceret, dicam ut eius interitus aliis hominibus eiusdem artis, si qui sunt ei similes, prosit ut resipiscant. Procurator causarum erat, ex illorum numero, qui non multum laborant, utrum causam iustam an iniustam defendendam suscipiant. Atque interim utrique parti iniuriam faciunt modo ipsi marsupium impleant.

Addam unum, quando in hunc sermonem incidi. Vir quidam apprime doctus cum mecum ageret, et merita causae cuiusdam exponeret, ego sermonem eius interrumpens aio: Videris mihi causam iniustam fovere, ille assentiens respondit: Ego non sum advocatus veritatis aut iustitiae, sed clientis mei meum est exponere merita causae, quam defendendam suscepi: iudex viderit, pro qua parte sententiam ferat. At ego, Nolo, inquam mihi fidem habeas, sed sancto Thomae Aquinati, (2. 2. q. 71. art. 3.) Doctori summo et sanctissimo, is enim in secunda parte summae Theologicae sic loquitur: « Respondeo, dicendum, quod illicitum « est aliqui cooperari ad malum faciendum, sive « consulendo, sive adiuvando sive qualitercumque « consentiendo, quia consilians et coadiuvans « quodam modo est faciens: et apostolus dicit ad « Romanos scribens, quod digni sunt morte non « solum, qui faciunt peccatum, sed etiam qui con« sentiunt facientibus. (Rom. 1.) Unde, ut supra « dictum est, omnes tales ad restitutionem tenen« tur. Manifestum est tamen, quod advocatus au« xilium et consilium praestat et cuius causae pa« trocinatur, unde si scienter iniustam causam « defendit, absque dubio graviter peccat, et ad re« stitutionem tenetur eius damni, quod contra iu« stitiam per eius auxilium altera pars incurrit: si « autem ignoranter iniustam causam defendit, pu« tans esse iustam, excusatur secundum modum « quo ignorantia excusari potest: haec s. Thomas explicat autem Caietanus Cardinalis ultima verba s. Thomae, dicens: Qui omnino defendisset, sive « iustam sive iniustam causam, quamvis nesciat « iniustam esse, non ex ignorantia, sed cum igno« rantia, qua non excusat, patrocinatur iniuste. « Qui etiam non curant discernere et penetrare, « an iustam vel iniustam causam suscipiant mani« feste negligunt scire id, quod tenentur scire, « haec ille.

Ad has tentationes addi potest alia, quae non tam noceat quam prodest, quamvis diabolus ea utatur ut noceat. Solet enim ipse hostis generis humani plerumque adesse seque terribili facie ostendere morituris, ut eos si decipere non potest, saltem impediat ab alacritate et studio orationis. Sic de b. Martino scribit severus Sulpitius, morienti apparuisse diabolum, eique a s. Martino dictum: *Quid hic estas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies.* Scribit quoque venerabilis Petrus Damiani in Vita S. Odilonis, apparuisse praedicto Odiloni paulo ante mortem diabolum teterrima specie, de quo sic ipse B. Odilo locutus dicitur: *In ipsa meae decisionis hora, in illo angulo (ostendebat enim quasi digito locum) vidi figuram quandam trucem nimis atque terribilem, quae mihi teterrimae suae visionis horrorem atque*

formidinem tentavit inculere: sed Christi confortante virtute, nulla me potuit infestatione nocere. Scribit enim S. Adelelinus Sagiensis. (22. *Aprilis.*) Vita S. Opportunae Virginis, morienti S. Opportunae apparuisse diabolum in specie nigerrimi Aethiopis, cuius capilli et barba distillabant quasi picem calidam et liquidam, oculi eius erant quasi ferrum ignitum, quod de fornace multis scintillis emicans producitur: de ore et naribus eius flamma exibat, et vapor sulphureus.

Cur autem Deus permittat sanctos viros eiusmodi visionibus exerceri, docet Angelus Domini in Vita S. Alcardi, quae extat apud Laurentium Surium ad diem quintumdecimum Septembris. Nam cum diabolus esset in quodam Monasterio intentus ad praedam, Angelus sanctus eius Monasterii Custos, dixit ad diabolum: *Habebis hic ministerium Monachis quidem fructuosum, sed non tibi proficuum; illis ad expiationem, sed tibi profusionem*, et respondente diabolo: *Numquid ego his aut ullis Christicolis debitor sum ad salutem?* respondit Angelus: *In hoc*, inquit, *his debitores; quia si quid in eis est, quod resecari debeat, horrore visionis tuae purgabitur.* Deinde paulo post idem Angelus S. Alcardo de diabolo dixit: *Ne verearis a facie eius: nulla ei in hac Christi familia ad nocendum data potestas est, praeterquam quod animabus e corpore exituris visio illius expiabilem terrorem incutit, ut si in eis aliquid est quod resecari debeat, horrendae illius visionis terrore expietur.*

CAP. XII.

De duodecimo praecepto Artis bene moriendi vicina iam morte, quod est de remedio primo adversus tentationes diaboli.

Exposuimus Capitibus superioribus tentationes quatuor, quae moribundos graviter vexare solent: adversus eas tentationes duo remediorum genera adhiberi possunt. Unum est pro iis qui compotes sunt rationis, et audire et intelligere possunt, quae ipsis dicuntur: alterum est generale pro omnibus, idque utilissimum atque tutissimum.

Quod ad primum attinet, si tentatio fidem Catholicam impugnat, nullo modo expedit, ut supra diximus, cum diabolo disputare. Sed generatim admonendi sunt aegroti, qui tentantur, ut si tentatio versatur circa naturam Dei, qui unus in essentia, et trinus in personis credendus est, cogitent quam multa ignoramus de rebus creatis, non solum spiritualibus, sed etiam corporalibus: siquidem magna pars hominum non facile credere potest, stellas firmamenti singulas maiores esse toto orbe terrarum: et tamen hoc ipsum Mathematici facile demonstrant esse verissimum. Quod si res ista, quae corporalis est, non intelligitur a plurimis, qui tamen fidem habent, hominibus doctis: cur non credent de natura Dei id, quod ipse Deus per Apostolos et Prophetas revelavit, et signis ac miraculis plurimis et maximis confirmavit?

Quod si tentatio ad ea pertineat, quae Deum fecisse et in dies facere credimus; quale in primis est transmutatio panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi, remanentibus accidentibus panis et vini; adhibenda sunt exempla rerum innumerabilium, quas credimus Deum fecisse, cum earum nullam rationem reddere possimus. Quis capiat, mundum universum solo Dei nutu ex nihilo fieri potuisse? et tamen multi id credunt, qui mysterium Eucharistiae adduci non possunt ut credant. Quis itidem crederet, corpora omnium defunctorum redacta in cineres vel in pulveres, aut a bestiis vorata, vel in herbas conversa, iussu Domini in momento resurrectura? et tamen hoc omnes Catholici facile credunt, et in Symbolo confitentur, et credidit hoc ipsum Job ante aliquot annorum millia; ait enim: *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea* (*Job.* 25.) Ex his igitur et aliis id genus mirandis operibus Dei, quae superant captum nostrum, facile credi possunt alia, quae nobis Ecclesia Catholica credenda proponit, cum sit Ecclesia, Apostolo teste, columma et firmamentum veritatis. (1. *Tim.* 3.) Haec et similia proponi possunt iis, qui tentantur circa Fidem.

Qui vero tentationes patiuntur circa Spem, iis proponenda est, magnitudo plane infinita misericordiae Dei, quae longe superat numerum et molem omnium peccatorum. Sic enim loquitur Spiritus sanctus per Davidem in Psal. *Miserator et misericors Dominus patiens, et multum misericors. Suavis Dominus universis, et miserationes eius super omnia opera eius.* Item proponenda est propitiatio Mediatoris, de qua S. Joannes dicit: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* (1. *Joan.* 2.) Proponenda quoque est virtus poenitentiae, quae si ex corde vere contrito procedat, numquam apud Deum repulsam accipiet: verissime enim scripsit Propheta: *Cor contritum et humiliatum Deus non despiciet.* (*Ps.* 50.) Proponendum etiam est exemplum filii prodigi, qui vix illa verba protulerat, *Pater peccavi in Caelum, et coram te.* (*Luc.* 15.) cum statim patris viscera commota sunt, et in complexum filii ruit, et iussit indui tunica pretiosa, et imponi annulum in digitum eius, et parari convivium solemne, quia filius eius perierat, et inventus erat.

Denique proponendum est exemplum S. Pauli, qui dum adhuc Ecclesiam persequeretur, praeventus a gratia Dei mutatus est de persecutore, in praedicatorem. Id quod ipse idem scribit factum esse, ut omnes peccatores eius exemplo converterentur, et nemo quamtumvis scelestus, desperaret de misericordia Dei. *Fidelis*, inquit, *sermo, et omni acceptione dignus; quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere quorum primus ego sum, sed ideo, misericordiam consecutus sum ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnes patientiam, ad informationem eorum, qui crediturі sunt illi in vitam aeternam.* (1 *Tim.* 2.)

Qui autem tentantur a daemone tentatione gravissima contra charitatem Dei, et incitantur ad odium Dei, et amorem diaboli; docendi sunt primo

loco, diabolum esse mendacem, dicente Domino *Cum loquitur diabolus mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater eius.* (*Joan.* 8.) Ubi illud, *et pater eius*, significat. diabolum esse patrem mendacii, ut sanctus Augustinus et sanctus Joannes Chrysostomus docent. (*Tract.* 14. *in Joan. Hom.* 42. *in Joan. Can.* 3.) Diabolus enim primum omnium mentiri coepit, cum ait Evae, et per illam Adamo: *Nequaquam moriemini.* Deus enim dixerat Adamo ut non comederet de ligno vetito, si vellet numquam mori: diabolus autem contra dixit ut comederent, quia non morerentur. Itaque diabolo nulla fides haberi debet, cum sit mendax, et pater mendacii. Deinde diabolus iam iudicatus est ad ignem aeternum, cum omnibus qui illum sequentur, sic enim Dominus dicet in die iudicii: *Ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.* (*Matth.* c. 25.) Erant igitur quicumque diabolo se subiiciunt, sperantes se cum diabolo post mortem apud inferos regnaturos, et opes ac voluptates maximas habituros. Denique experimento constat omnia diaboli promissa esse fallacia: nemo enim ex iis, qui ad notitiam nostram venire potuerunt, adhuc inventus est, qui thesauros ingentes a diabolo promissos acceperit: neque qui adiudicati ad carceres vel triremes, vel ad ipsam mortem a legitima potestate, per diabolum eripi potuerint.

Haec tria si cupidis hominibus serio cogitarentur, fortasse pauci aut nulli essent, qui a Deo vero, vereque omnipotente, et sapientissimo, et optimo, ad diabolum mendacissimum et mendicissimum, nec non miserrimum deficere auderent.

De quarta tentatione nihil est, quod dicamus, cum iam satis abunde constiterit, eam tentationem non tam noxiam quam salutarem morientibus esse. Si quis tamen velit remedium ex Scripturis, ad eam facilius tolerandam, legat ipse, vel iubeat sibi legi, dum horribilis illa visio durat, Psalmum vigesimum sextum, qui incipit: *Dominus illuminatio mea, et salus mea.*

CAP. XIII.

De tertiodecimo praecepto Artis bene moriendi, vicina iam morte, quod est de secundo remedio adversus tentationes diaboli.

Explicavimus remedium primum adversus singulas tentationes diaboli: nunc explicabimus remedium secundum, quod erit commune omnibus tentationibus. Hoc magnum et salutare remedium in oratione positum est, sive ipse pro se aegrolus orare possit, sive alii pro ipso orent, sive ipsius aegroti et astantium oratio coniungatur. Id enim constat, multum valere orationem timentium Deum, praesertim cum pro comperto habemus, non posse diabolum tentare, nisi quantum Dominus illi permittit. Est enim quasi leo rugiens, vel canis rabidus catena ferrea alligatus, qui non potest pro arbitrio mordere, sed quantum Deus, qui catenam manu sua potentissima regit, illum mordere sinit. Hoc docet in primis S. Augustinus, exponens verba illa Psalmi: *Dic animae meae: Salus tua ego sum.* (*Ps.* 13.) Et adferrens exemplum S. Job. *Ostendit*, inquit, *hoc Deus in causa viri illius sancti Job, quia et ipse diabolus auferendi haec temporalia non habet potestatem, nisi cum acceperit a summa illa potestate. Invidere potuit sancto, numquid nocere potuit? Accusare potuit, damnare numquid potuit? Numquid valuit aliquid vel unguem, numquid vel capillum ledere, nisi Deo diceret: Mitte manum tuam? Quid est, Mitte manum tuam? Da potestatem. Accepit. Ille tentatus est: tentatus tamen vicit, tentator victus est. Deus enim, qui diabolo permiserat, ut illa tolleret, illa servum suum interius non deseruerat, et ad ipsum diabolum superandum, animam servi sui frameam sibi fecerat. Quantum valet hoc? de homine dico. Victus in Paradiso, vicit in stercore. Ibi victus est a diabolo per mulierem, hic vicit diabolum et mulierem.*

Hoc ipsum, quod S. Augustinus docet, nihil posse diabolum, nisi quantum permittit Deus, exemplo suo docuerunt S. Antonius et S. Franciscus. De S. Antonio sic loquitur S. Athanasius, qui eius Vitam scripsit: *Antonius multitudine demoniorum vallatus, quasi de inimicis luderet, dicebat: Si virium aliquid haberetis, sufficeret unus ad praelium, sed quoniam Domino vos enervante frangimini, multitudine tentatis inferre terrores; cum hoc ipsum infirmitatis indicium sit, quod irrationabilium induitis formas bestiarum. Rursumque confidens aiebat: Si quid valetis, et vobis in me potestatem Dominus dedit, devorate concessum: si vero non potestis cur frustrae nitimini? signum enim Crucis et fides ad Dominum, inexpugnabilis nobis murus est.*

De S. Francisco eadem fere narrat S. Bonaventura *Loca*, inquit, *solitaria quaerens, ad solitudines derelictas oraturus nocte pergebat: ubi daemonum pugnas horribiles frequenter sustinuit, qui secum sensibiliter confligentes, nitebantur ipsum ab orationis studio perturbare.* (*S. Bonav. in vita S. Francisci cap.* 10.) *Ipse vero armis munitus coelestibus, quanto vehementius impetebatur ab hostibus, tanto fortior in opere: fidenter dicens ad Christum: Sub umbra alarum tuarum protege me a facie impiorum qui me afflixerunt. Ad daemones autem: Facite quidquid in me valetis, maligni spiritus et fallaces. Non enim potestis nisi quantum vos manus superna relaxat: et ego ad perferendum omnia, quae ille infligenda decreverit, cum omni iucunditate paratus assisto. Quam mentis constantiam superbi daemones non abscedebant confusi.* Hoc igitur iacto solidissimo fundamento, quod diabolus nihil possit, nisi quantum ei Deus permittit, dubitari non potest, quin oratio fervens ad Deum, sive aegroti, sive adstantium, multum omnino valeat, praesertim si ii, qui orant, sint amici Dei.

Habemus huius rei praeclarissimum exemplum apud sanctum Gregorium in libro quarto Dialogorum, qui etiam hoc ipsum exemplum in Monasterio suo contigisse, et inter concionandum narrasse se dicit. Haec sunt eius verba: *Is*, inquit, *de quo in Homiliis coram populo me narrasse iam me-*

mini, inquietus valde puer fuit, Theodorus nomine, qui in Monasterium meum fratrem suum necessitate magis quam voluntate secutus est. (Lib. 4. cap. 3. Dial.) Cui nimirum grave erat, si quis pro salute sua aliquid loqueretur, bona enim non solum facere, sed etiam audire non poterat. Numquam se ad sanctae conversationis habitum venire, iurando, irascendo deridendo testabatur. In hac autem pestilentia, quae nuper huius urbis populum magna ex par. te consumpsit, percussus in inguine, est perductus ad mortem. Cumque extremum spiritum ageret, convenerunt Fratres, ut egressum illius orando protegerent. Jam corpus eius ab extrema parte fuerat praemortuum, in solo tantum pectore vitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti autem Fratres tanto coeperunt pro eo enixius orare, quanto eum iam videbant sub celeritate discedere. Tunc repente coepit eisdem Fratribus assistentibus clamare, atque cum magnis vocibus oratione eorum interrumpere, dicens: Recedite. Ecce draconi ad devorandum datus sum, qui propter vestram praesentiam devorare me non potest, caput meum iam suo ore absorbuit: date locum ut me non amplius cruciet, sed faciat quod acturus est. Si ei ad devorandum datus sum, quare propter vos moras patior? tunc Fratres coeperunt ei dicere. Quid est quod loqueris, frater, signum tibi sanctae Crucis imprime. Respondit ille dicens: Volo me signare, sed non possum, quia squamis huius draconis praemor. Cumque hoc fratres audirent; prostrati in terram cum lachrymis coeperunt pro ereptione illius vehementius orare. Et ecce subito coepit aeger clamare dicens: Gratias Deo, ecce draco ille, qui me ad devorandum acceperat, fugit, orationibus vestris expulsus stare non potuit: pro peccatis meis modo intercedite, quia converti paratus sum, et saecularem vitam funditus relinquere. Homo ergo, qui iam, sicut dictum est, ab extrema corporis parte fuerat praemortuus, reservatus ad vitam, toto corde ad Deum conversus, est; et post quam mutatus mente diu est flagellis adstrictus, tum eius anima carne soluta est. Haec sanctus Gregorius.

Discant igitur qui morientibus assistunt, non tam cum aegroto loqui quam Deum pro eo ardenter orare. Neque quoscumque homines ad visendum aegrotum in extremis constitutum admittere, sed viros pios et probos, qui suffragiis suis multum valeant apud Deum. Multum enim valet oratio iusti assidua et fervens. Et quemadmodum diabolus, quia modicum tempus habet, omnem movet lapidem in eo temporis articulo; sic etiam, et multo amplius debent fideles amici iuvare precibus et lachrymis fratres suos de praesenti saeculo exeuntes.

CAP. XIV.

De quartodecimo praecepto Artis bene moriendi, vicina iam morte, quod est de iis, qui non ex consueto morbo, sed ex alia causa moriuntur.

Docuimus hactenus, qua ratione comparare se debeant ad mortem: qui ex morbo diuturno decumbunt: nunc addere visum est, quid illis faciendum in periculo ex morbo diuturno, sed aliunde in periculo mortis versantur. Sunt autem tria hominum genera, quibus extra morbum consuetum imminet mortis discrimen. Aliis enim adest mors propinqua, improvisa, et certa, quales sunt qui corripiuntur apoplexia, vel feriuntur coelesti fulmine. Aliis adest mors propingua, nec improvisa, nec certa, sed valde probabilis, quales sunt, qui vel bellum gerunt cum hostibus, vel in alto mari cum fluctibus et ventorum flatibus pugnant. Aliis denique propinqua mors est, nec improvisa, nec incerta, quales sunt, qui decreto Judicis a carnifice feriuntur.

Primi generis homines nullum aliud remedium habent, nisi quotidianam, vel potius continuam mortis memoriam. Atque ad hos proprie pertinet gravissima illa Domini Salvatoris admonitio: *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.* (*Matth.* 25.) Gravis quidem, sed pretiosa necessitate, quae ad optima et utilissima compellit. Si diceret Dominus, Vigilate nudi in aere frigidissimo donec congeletis, et disruptis undique carnibus extinguamini, ut Quadraginta Martyres olim vigilaverunt: nonne id faciendum esset ut securi ad aeternam felicitatem lacti perveniremus? et si deceret: Vigilate nudi et craticulae alligati, donec a subiecto igne ardenti cum intimo et acerrimo dolore consumpti de vita recedatis, ut quondam cum Sancto Laurentio actum fuisse legimus; nonne id quoque alacri animo faciendum esset, ut gehennam ignis aeterni evaderemus? At non hoc iubet Dominus Deus noster omnibus nobis; sed ut vigilemus, ne dormientibus nobis; fur nocturnus adveniat, et aurem Charitatis; vel gemmas pretiosissimae castitatis, vel thesaurum fidei, aut alia verae virtutis bona nobis in peccato dormientibus eripiat: et somno peccati lethalis oppressi, et morte praeoccupati, Regni coelestis iacturam faciamus, et in gehennam igne inextingubili ardentem proiciamur. At pauci sunt, qui sic repente moriantur, ut nullum eis remedium afferri queat. Esto, pauci sint; unde nosti te non futurum unum ex illis? et si de illis paucis unus eris, quid proderit tibi multitudo eorum, qui eiusmodi periculum evaserunt? Audi ergo, quando licet tibi tam horrendum malum evadere, consilium Patris nostri Dei clamantis et dicentis: *Vigilate, vigilate, quia nescitis diem, neque horam.*

Alteri generi hominum, qui vel in bello repente mortui cadunt, vel in mari vi tempestatis ab undis absorpti extinguuntur, tria videntur esse necessaria ut feliciter moriantur. Primum est, ut ad bellum non accedant, nisi constet eis bellum esse iustum: aut si non sponte, sed coacti a proprio principe arma capiunt, saltem non sciant, bellum esse iniustum. Sic enim docet s. Augustinus in libris contra Faustum Manichaeum. (lib. 22. cap. 79.) Scribit enim, aliam esse rationem principis imperantis, aliam militis obsequentis. Ac principem non posse bellare docet, nisi sciat bellum esse iustum: militem autem posse, modo non sciat bellum esse iniustum. Alterum est, ut in bello leges observent sancti Ioannis Baptistae, qui interroga-

tus a militibus, quid agendum illis esset ut salvi fierent, respondit: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris. (Luc. 3.) Postremum est, ut non patiantur peccatum lethale in corde suo umquam haerere; alioqui facile erit, ut mors, quae in praeliis multos de medio tollit, illos imparatos invadat, et ad mortem aeternam perpetuo cruciandos amandet. Itaque milites in castris positi, in periculo maximo versantur amittendae vitae sempiternae, nisi perpetuo vigilent et pugnent non minus adversus daemones tentantes ad peccata quam adversus hostes mortales pro temporali gloria dimicantes.

Haec eadem dici possunt ad eos, qui non sine periculo navigant mare. Primum enim cavere debent ne ad malum finem navigare incipiant, ut ad capiendos et spoliandos quoscumque obvios, ut piratae faciunt. Deinde, si bellandi causa suscipitur navigatio, observent etiam ipsi leges acceptas a sanctissimo praecursore Domini. Denique, ut ipsi quoque non audeant lethali crimine Deum offendere, cum non longius distent a morte, quam navis eorum ab aquis.

Tertii generis homines felices dici posse videntur, si bona sua noverint. Nam vel occiduntur iure damnati, vel iniuria: si iure, mors illis ad satisfactionem coram Deo prodesse poterit, modo serio peccatum suum detestentur, et libenter mortem ad peccata sua expianda suscipiant. Si iniuste occidantur, et ignoscant ex animo iis, qui causa exitii iilis fuerunt, imitatores redemptoris erunt, qui pro crucifixoribus suis patrem oravit, dicens: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciant. Adde, quod isti longe minus patiuntur in morte, quam ii, qui gravi et diuturno morbo laborant. Deinde isti integris sensibus, et cerebro non vitiato cum sint, facilius possunt sacrae confessioni et Sacramento corporis Domini suscipiendo et orationibus operam dare, quam ii, qui detinentur in lecto doloribus variis tolerandis occupati, et virtute naturali ut plurimum debilitata, vel etiam prostrata. Denique non desunt multis in locis homines docti et pii, qui summa diligentia et sollicitudine assistunt eiusmodi hominibus supplicio extremo afficiendis eosque docent, quo modo se comparare debeant ad mortem pie suscipiendam, ut cum mori incipiunt vitae mortali, vivere incipiant beatae immortalitati.

CAP. XV.

De felici morte eorum, qui artem bene moriendi didicerunt.

Explicati praeceptis artis bene moriendi, illud unum superesse videtur, ut breviter explicemus, quae sit utilitatis in arte bene moriendi. Res est facilis et tamen maxima, qui enim bene moritur, feliciter moritur. Neque quomodocumque feliciter moritur qui bene moritur, neque quomodocumque infeliciter moritur qui male moritur. Sed qui bene moritur, transit a vita mortali et misera ad vitam aeternam, et omni ex parte beatissimam, et contra qui male moritur, transit a vita quae videtur diuturna et felix ad vitam omni labore et dolore plenissimam, quaeque finem laboris nullum inveniet ut inde mors aeterna sit potius dicenda quam vita: erunt enim homines reprobi, mortui ad omnem laborem et dolorem.

Rem ita se habere scripturae sanctae aperte nos docent. De illis qui bene moriuntur, loquitur sanctus Ioannes in apocalypsi, dicens: « Audivi vocem « de caelo dicentem mihi: Scribe: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit spiritus, ut requiescant a laboris suis: opera enim illorum sequuntur illos. (Apoc. 14.) Hanc sententiam non desunt ex scriptoribus, qui ad solos martyres pertinere existiment: sed communior et verior explicatio ad omnes sanctos, qui pie moriuntur in Christo, verba sancti Ioannis pertinere docet. Certe sanctus Bernardus in Epistola quadam, quae inscribitur de Machabaeis, sic loquitur: « Beati mortui, qui in Domino moriuntur, non soli qui pro « Domino moriuntur, sicut Confessores, prefecto « beati sunt. Duae proinde res mihi videntur mortem facere pretiosam, vita, et causa, sed amplius « causa, quam vita porro illa erit pretiosissima, « quam et causa commendat et vita. (Epist. 98.) Haec ille. Huc accedit quod ecclesia, quae optima interpres est scripturarum, ex hoc loco Apocalypsi lectionem legi iubet in Missa pro defunctis omnibus. Ait igitur sanctus Joannes: Beati mortui, qui in Domino moriuntur, hoc est, beati sunt illi omnes, qui cum moriuntur inveniuntur in Domino, id est, inveniuntur coniuncti Domino per veram charitatem, ut membra viva capitis, quod est Christus. Sic de sancto Stephano moriente scripsit s. Lucas; obdormivit in Domino, (Luc. 7.) id est, coniunctus Domino, ut membrum capiti.

Cur autem sint beati, qui moriuntur in Domino explicat sanctus Joannes dicens: Amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis. (Apoc. 14) Spiritus enim sanctus aperte declarat, in morte sanctorum finem imponi laboriosis operibus omnibus, et inchoari, requiem sempiternam, nec solum cessare labores omnes, sed etiam inchoari vitam felicissimam, plenam omni genere voluptatis: quia opera illorum sequuntur illos. Opera enim bona et meritoria omnis consolationis et voluptatis, non temporariae, sed aeternae, non remanent in terra sed sanctos operarios sequuntur in coelum, iuxta illud prophetae: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in saeculum saeculi. (Psal. 111.) Opes quidem sancti viri relinquuntur in terra vel potius consumuntur in terra: sed iustitia, liberalitas, misericordia, qua opes terrenae communicatae sunt pauperibus, manet in saeculum saeculi, nec solum manet, sed ditissimum facit eum, qui divitias perituras in egenos distribuit super terram. Nec solum opera liberalitatis sequuntur eos, sed etiam opera sapientiae, opera fidei, opera spei, opera charitatis, opera timoris Domini, opera temperantiae, opera fortitudinis, opera castitatis, opera religionis, denique opera omnia bona sequuntur eos, et praemia amplissima et perpetua illis acquirunt. Vere igitur felicissimus est, qui bene moritur cum et requiem a laboribus, et summam

omnium bonorum in aeternum acquirat. Accedunt ad hoc scripturae verissimum testimonium visitationes sanctorum, qui adesse solent morientibus piis hominibus, ut eos in exitu de corpore consolentur et adiuvent, et daemonia, quae terrorem ipso tempore incutere solent, compescant, quae visitatio inter felicitates pie morientium non modica est.

Possem hoc loco historias plurimas recensere, sed contentus ero exemplis, quae extant in Dialogis sancti Gregorii. (Lib. 4. Dialog. cap. 11.) Igitur in quarto libro sic ipse beatus Gregorius de Ursino Presbytero loquitur: « Ursinus Presbyter « vicinus morti, cum magna coepit laetitia clamare « dicens: bene veniant domini mei, quod ad tan- « tillum servulum vestrum estis dignati convenire? « venio, venio, gratias ago. Cumque hoc iterata « crebro voce repeteret, quibus hoc diceret, qui « illum circumsteteram requirebant, quibus ille « admirando, respondit, dicens: Numquid hic con- « venisse sanctos apostolos non videtis? b. Petrum « et b. Paulum primos apostolorum non aspicitis? « Ad quos iterum conversus dicebat. Ecce venio, « ecce venio, atque inter haec verba animam red- « didit. Et quia veraciter sanctos apostolos viderit « eos etiam sequendo testatus est. Quod plerum- « que contingit, ut in morte sanctorum praecellen- « tium visiones aspiciant, ne ipsam mortis suae « poenalem sententiam pertimescant, sed dum eo- « rum menti supernorum civium societas ostenditur « a carnis suae copula sine doloris et formidinis « fatigatione solvantur.

Idem sanctus Gregorius in eodem libro capite sequenti narrat. ad probum Reatinae ecclesiae episcopum moribundum venisse sanctum Juvenalem et sanctum Eleutherium martyres cum ingenti splendore et mox venerabilem probum carne so- « lutum cum illis, qui ad eum venerant, in coelum abiisse. Idem capite sequenti refert, sanctae Gallae ancillae Dei aegrotanti et morti proximae apparuisse sanctum Petrum, eique significasse, dimissa illi fuisse omnia peccata, ut secure de mundo recederet. Idem sequenti capite refert, moriente Servulo paralytico, audita fuisse in coelo cantica angelorum, et odorem mirificum effusum. Idem sequenti capite narrat de Romula ancilla Dei, ingentem numerum animarum sanctarum de coelo ad eam venisse cum inaestimabili claritate luminis, et suavissimi odoris fragrantia. In sequenti capite refert de amica sua Tharsilla, quod primum viderit apparentem sibi felicem pontificem affinem suum, dicentem: Veni, quia in hac te lucis mansione recipio, deinde mox febri correpta, et ad extrema deveniens, Jesum ad se venientem viderit, et in eum intendens expiraverit. Tantam autem odoris fragrantiam in eo loco relictam fuisse, ipsa quoque suavitas ostenderet, illic auctorem suavitatis fuisse. Idem in sequenti capite scribit, Musae puellae b. Virginem Dei matrem cum Virginum choro apparuisse, eamque morientem ad Regna coelorum secum duxisse. Denique in sequenti capite scribit morienti Stephano angelos sanctos adfuisse.

Habemus igitur, teste sancto Gregorio, viris aut mulieribus piis de hac vita migrantibus assistere solitos non solum angelos, sed etiam Martyres iam defunctos, vel apostolorum principes, vel ipsam reginam coelorum, vel denique Christum ipsum, Regem aeternae gloriae. Quanta autem haec sit felicitas, quanta gloria, quanta cordis laetitia iis qui bene vivere et feliciter mori didicerunt; ii soli explicare possunt, quibus datum est haec tam ingentia Dei beneficia experiri.

CAP. XVI

De infelici morte eorum, qui artem bene moriendi discere neglexerunt.

De Iuda proditore Dominus ait: Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. (Matth. 26.) Nihil enim infelicius cogitari potest homine qui a fine suo, ad quem creatus erat, culpa sua aberrat. Res enim ceterae, sive animantia bruta, sive plantae, sive res inanimae, si finem suum non consequantur, nihil tamen molestiae patiuntur, cum esse desinunt: homo vero si a fine suo aberret, qui est vita beata et sempiterna, non desinit esse et vivere sed vitam ducit omni morte deteriorem, ut perpetuo quaerat mortem et numquam inveniat. Proinde omni stulto stultior est, et omni insipientior qui non contendit omnibus viribus ad felicitatem aeternam pervenire, cum nemo possit ab aeterna felicitate excidere, quin incidat in aeternae damnationis abyssum.

Ad hoc ipsum summi momenti negotium vere capiendum, operae pretium esse duxi verba illa apostoli Pauli breviter considerare, quae habentur in Epistola priore ad Corinthios: « Id enim quod « in praesenti est momentaneum et leve tribula- « tionis nostrae, supra modum in sublimitate ae- « ternum gloriae pondus operatur in nobis: non « contemplantibus nobis, quae videntur, sed quae « non videntur, enim videntur, temporalia sunt: « quae non videntur, aeterna. » (2. Cor. c. 4.) Haec Apostolica et plane aurea verba homini spirituali apertissima sunt, et iis potissimum spiritualis homo discit facillimo negotio artem bene vivendi, et artem bene moriendi, sed homini carnali vel animali verba ista sunt merae tenebrae, eaeque Cimmeriae, ac si homini Latino vel Graeco hebraica vel Arabica essent.

Homo spiritualis ex his verbis colligit, tribulationes quamvis gravissimas, pro Deo susceptas, esse levissimas et brevissimas, etiamsi per multos annos tolerandae essent: quia omne, quod finem habet, non potest esse diuturnum. Easdem vero tribulationes efficere apud Deum meritum tanti pretii; ut inde ematur immensus et sempiternus gloriae et bonorum omnium thesaurus. Ex quo intelligunt homines sapientes, non esse timendas tribulationes, sed timenda esse peccata, neque esse magnifacienda bona temporalia, sed aeterna. Ex quo sequitur ut bene vivant in terris, ut feliciter regnent in coelo, et per hoc pie vivant, et feliciter moriantur.

Sed homines animales et spiritum non habentes, qui verbis dicunt se credere verbis scripturae divinae, factis autem negant, ii prorsus invertunt verba apostolica, et dicunt, si non voce, saltem

corde, egestatem ignominiam, iniuriae tribulationes esse gravissimas, et omni animi provisione cavendas et propulsandas, etiamsi oporteat mentiri, fraudare, homicidia perpetrare, Deum offendere, et gehennam post obitum tolerare. Quis enim scit, inquiunt, an sit usquam gehenna, et quisnam vidit aeternum gloriae pondus. At egestatem, ignominiam, iniurias esse malas, experimur, certo scimus, manibus palpamus. Haec mundus et qui de mundo sunt, non quidem ore pronuntiant, sed operibus testantur, et ea causa est, cur magna pars hominum male vivat, et infelicissime moriatur.

Ac ut exemplum unum vel alterum mortis infelicissimae hominis perditi afferamus, extat apud sanctum Gregorium in libro 4. Dialogorum exemplum cuiusdam Crisorii, qui cum esset unus de illis, quos paulo ante descripsi, homo politicus, prudens et ad res mundi, ut sanctus Gregorius loquitur, valde idoneus, superbus tamen et avarus: Hic ad extrema vitae cum venisset, apertis oculis vidit teterrimos spiritus coram se assistere, et vehementer imminere ut ad inferni claustra eum raperent. Coepit tremere, pallescere, sudare, et magnis vocibus inducias petere, clamans, et dicens: Inducias vel usque mane, inducias vel usque mane. Sed cum haec clamaret, in ipsis vocibus de habitaculo suae carnis evulsus est. De quo nimirum constat, quia pro nobis ista, non pro se viderit, ut eius visio nobis proficiat. Ita nimirum accidere solet iis, qui conversionem suam ad extremam vitae horam differre volunt, et de illorum numero sunt qui, ut idem sanctus Gregorius initio quarti libri docet, quae non vident, non facile credunt, vel si credunt, non ita credunt, ut eos ad vitam probe agendam inducant.

Alterum exemplum in eodem loco idem sanctus Gregorius narrat de Monacho quodam hypocrita, qui ieiunare credebatur, cum interim secreto comederet et biberet. Hunc enim ad inferos damnatum fuisse scribit sanctus Gregorius, ipso confitente peccatum suum, nec tamen poenitentiam agente: Voluit enim Deus, ut appareret hypocrisis eius: nec tamen gratiam poenitentiae illi concessit, ut alii discerent non differre confessionem et poenitentiam usque ad finem.

Sed his dimissis; qui culpa sua artem bene vivendi non didicerunt, et ideo felicem de hac vita exitum non habuerunt: redeo ad verba sancti Apostoli Pauli, quae gravida sunt mysteriis et saluberrimis documentis.

Primum igitur observare par est, quam vehementer extenuet Apostolus merita sua, id est, labores pro Christo susceptos; et extollat gloriam Regni coelorum: quae merces est meritorum. *Quid*, inquit, *est momentaneum et leve tribulationis nostrae.* Haec est meritorum suorum extenuatio. Laboravit Apostolus totis viribus ad annos circiter quadraginta. Nam cum accessit, vocatus a Christo ad obsequium adolescens erat. Sic enim scribitur in Actis Apostolorum. *Deposuerunt vestimenta sua* (lapidatores S. Stephani) *secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus* (*Act.* 7.) Vixit autem in obsequio Christi usque ad senectutem, ipso scribente de se ad Philemonem: *Cum sis, sicut Paulus, senex.* Itaque consumpsit Apostolus Paulus in obsequio Christi annos omnes iuventutis, et virilis aetatis, et partem senectutis, et tamen dicit, tribulationes suas, quae perpetuae illi fuerunt a conversione sua usque ad martyrium, fuisse momentaneas. Et verum dicit, si comparentur ad aeternitatem sempiternae felicitatis: tamen absolute longo tempore duraverunt.

Adiungit brevitati levitatem dicens. *Momentaneum et leve tribulationis nostrae.* Quam autem fuerint crudeles et asperae tribulationes, ipse indicat, cum ait in priore Epistola ad Corinthios: *Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus et nudi sumus, et colaphis caedimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris: maledicimus, et benedicimus; persecutionem patimur, et sustinemus; blasphemamur, et obsecramus; tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* (1. *Cor.* 4.) Idem ipse in posteriore Epistola ad eosdem Corinthios haec addit: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Judaeis quinquies quadragenas, una minus, accepi: ter virgis caesus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte et die in profundo maris fui. In itineribus saepe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in labore, et aerumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in ieiuniis multis, in frigore et nuditate.* (2. *Cor.* 12.) Hae sunt tribulationes, quas appellavit leves; quae quamvis in se gravissimae sint, tamen amor Christi et magnitudo praemii non sine causa fecit videri levissimas.

Adiungit Apostolus magnitudinem praemii, dicens: *Supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatus in nobis.* Ubi more Scripturarum sanctarum quae se nostrae capacitati accommodare solent, describit Apostolus praemium laborum ad similitudinem magnitudinis rei corporalis. Res enim corporalis tunc magna esse dicitur, cum est sublimis, diuturna, ampla, et profunda. De sublimitate felicitatis Beatorum dicit, *Supra modum in sublimitate*, id est, praemium laborum nostrorum erit sublime supra modum, id est, celsissimum, sic ut nullus honor, nulla dignitas, nulla sublimitas cogitari possit maior. De longitudine dicit, *aeternum*; quod videlicet finem nullum habebit, ad cuius comparationem omnis duratio brevissima et momentanea dici poterat. De latitudine et profunditate dicit, *gloriae pondus*, Nomen *gloriae* significat beatitudinem similem fore splendori vel lumini, quod ubique diffunditur, et omnia repleat. Nomen *pondus* designat profunditatem rei solidae et plenae, quae non est superficialis et inanis, sed solidissima atque plenissima Erit igitur beatitudo Sanctorum res quaedam supra omnem modum et mensuram sublimis, aeterna, solidissima, atque plenissima.

Quia vero ista non capiunt homines animales, quales sunt cives mundi huius, addit: *Non con-*

templantibus nobis, quae videntur, sed non videntrus. Quae enim videntur, temporalia sunt, quae non videntur, aeterna. Haec erit tota et vera ratio, cur tam pauci discant artem bene et feliciter vivendi et moriendi ; quia vel non citant, et vel non serio cogitant ea, quae non videntur, et aeterna sunt; sed toti sunt occupati in considerando pulchritudine vel utilitate rerum corporalium et transeuntium, quae videntur. Itaque hoc solum interesse inter animantia bruta et homines animales spiritum non habentes ; quod illa non considerant nisi praesentia, quia non habent mentem rationis capacem, qua sola considerari possunt res futurae et sempiternae : homines autem carnales et animales non cogitant neque considerant res futuras et sempiternas, quae visco concupiscentiae carnalis capti, non volunt mentem avertere a rebus praesentibus, et convertere ad res futuras quae solae sunt vere magnae, pretiosae, et sempiternae. Atque haec de prima consideratione sententiae Paulinae.

Altera consideratio non minus utilis et salutaris, ad illos pertinet, qui ad inferos descenderunt: illi enim, quibus poena iam oculos mentis aperuit, quos in hoc saeculo culpa clauserat ; illi, inquam, iam apertissime intelligunt, bona mundi huius, divitias, honores, delicias, Regna et Imperia fuisse pro ipsis momentanea et levia : et tamen propter illa amisisse se bona eminentissima et perpetuo duratura. Unde perpetuo gement, et consolationemnullam invenient, quod cum in terris fuerint, ut propter bona fragilia et peritura, et non essent, tam stulti tam bona quam umbras boamiserint bonanorum, coelestia, supra modum in sublimitate aeternumgloriae pondus habentia.

Audiamus voces eorum ex libro Sapientiae: placuit enim Spiritui sancto in libro sapientiae nobis referre voces insipientium illorum, quae illis quidem inutiles sunt, nobis autem fructuosae esse poterunt, si velimus. *Ergo erravimus*, inquiunt, *a via virtutis, et iustitiae lumen non luxit nobis, et sol intelligentiae non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoramus. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra, et tamquam nuntius percurrens, et tamquam navis, quae pertransit fluctuantem aquam, cuius, cum praeterierit, non est vestigium invenire; aut tamquam avis, quae transvolat in aere cuius nullum invenitur argumentum itineris.* (*Sap.*) haec Sapiens. Ex quibus non solum intelligimus, animales homines in inferno poenitentiam acturos, quod propter bona exigua et temporalia amiserint magna et aeterna ; sed etiam quod multum laboraverint usque ad magnam defatigationem in bonis perituris acquirendis vel conservandis. Quod plane verissimum est et saepe accidit, ut contemptores temporalium bonorum vivant hilariores et laetiores, quam ii, qui divitiis et honoribus abundant.

Certe Apostolus Paulus, cuius verba explicanda suscepimus de se ipse dicit: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* (2. *Cor.* 7.) De S. Antonio, qui temporalia bona omnia dimiserat, S. Athanasius in eius Vita refert, eum numquam visum fuisse tristem. Quod idem de sanctis omnibus dici potest, quamvis pauperrimis, et laborantibus perpetuo in oratione, et ieiunio, et carnis propriae mortificatione. Itaque qui propter bona temporalia comparanda, vel conservanda, vel augenda, non timent amittere bona sempiterna, ii non solum sempiterna bona penitus amittunt, sed magna ex parte propter ipsa temporalia, laetitiae et consolationis internae iacturam faciunt , et dum felicitatem terrenam quaerunt, felicitatem terrenam et coelestem perdunt.

An non igitur aequum esset, ut nos, qui adhuc in via sumus, exemplo eorum qui nos praecesserunt, sapere inciperemus? Certe, si dum iter facimus, admoneret nos aliquis, viam, quam ingressi sumus, non ducere ad locum, ad quem pervenire desideramus, sed ad praecipitium, vel ad speluncam latronum : nemo nostrum esset, qui non cum gratiarum actione admonitionem, et dicto citius aliud iter arriperet. Quod si in corporali et temporali periculo facimus ; aequum profecto est, ut multo libentius et alacrius id faciamus in periculo spirituali simul et corporali, temporali et sempiterno.

Postremo restat consideratio pro illis hominibus, qui usque adeo carnales et animales sunt, ut detrimentum aeternae vitae et gloriae coelestis exuperantis omnem sensum, non magnifaciant. Isti vero admonendi sunt, ut si non magnifaciunt gloriam coelestem, quam numquam viderunt, saltem non despiciant ignem, et sulphur, et alias corporales poenas, quas noverunt, quaeque in gehenna atrocissimae inveniuntur. Vere enim *quod est in praesenti in momentaneum et leve* voluptatis carnalis: *supra modum* in profunda gehenna *aeternum* miseriae *pondus operantur* in impiis. Et quidem Dominus Christus in die novissima paucis verbis aperiet hoc ipsum, dicens; *Ite maledicti in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et angelis eius.* (*Matth.* 25.)

Sed beatus Joannes in Apocalypsi copiosius explicavit, qualia sint tormenta parata diabolo et angelis eius, et hominibus ab ipso circumventis et seductis. De Diabolo principe impiorum sic legimus in Apocalypsi : *Et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum.* (*Apoc.* 20.) et capite sequenti de reliquis ad inferos damnatis dicitur: *Timidis et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicationibus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure : quod est mors secunda.* (*Apoc.* 21.) Ex quibus verbis primum solum indiget explicatione, reliqua enim manifesta peccata sunt. Timidos igitur vocat sanctus Joannes eos, qui non audent resistere tentatori, sive diabolo, sive homini ; sed continuo dant manus, et consentiunt tentatori. Quibus S. Jacobus ait : *Resistite diabolo, et fugiet a vobis* (*Jac.* 4.) Sunt autem non pauci, sed fere innumerabiles,

qui non didicerunt bellare bella Domini; sed absque ulla resistentia suscipiunt vulnera diaboli, et moriuntur morte prima, quae est peccatum lethale: et quia timidi sunt etiam in agenda poenitentia, cum non audeant castigare et in servitutem redigere corpus suum, ideo incidunt in mortem secundam, quae est gehenna. Itaque recte posuit Joannes primo loco timidos, quia timiditas infinitos homines ad inferos perducit.

Quid igitur hic dicent homines carnales? Momentanea et levia esse bona temporalia, experimento aliorum et nostro omnes didicimus: gravissima et sine fine duratura esse tormenta gehennae, Scriptura divina, in qua falsitas esse non potest, aperte testatur. Ex quibus sequitur, ut summa totius Artis bene moriendi sit ea, quae tribus sequentibus propositionibus continentur, sive quae sequenti ratiocinatione concluditur.

CAP. XVII.

Summa totius Artis bene moriendi.

Momentanea et modica est tam consolatio quam tribulatio vitae praesentis: sempiterna et maxima est tam consolatio quam tribulatio vitae futurae. Igitur stulti sunt, qui consolationem vel tribulationem vitae futurae contemnunt. Huius argumentationis propositio prima nota est per experimentum; secunda notissima est per Scripturam Spiritus Sancti; tertia sequitur ex duabus praecedentibus. Si quis igitur velit Artem bene moriendi facile et cito perdiscere, non sit contentus lectione libri huius aut aliorum similium; sed attente consideret, non semel, sed saepius; non animo discendi, sed intentione bene vivendi et feliciter moriendi, quantum distent a momentaneis sempiterna, et a gravissimis levissima. Et si in hac utilissima veritate solidissime confirmari cupit, consideret exempla eorum, qui fuerunt ante nos, sive sapientes, sive stulti illi fuerint, hoc est, sive bene vivendo feliciter mortui sint, sive male vivendo perierint in aeternum. Ac ut laborem quaerendi exempla Lectoribus demam, adferam ego tria paria exemplorum, unum Regum, alterum hominum privatorum, tertium Ecclesiasticorum; omnia ex Divinis litteris deprompta proponam.

Primum erit Saulis et Davidis. Saul primus Rex Hebraeorum, cum esset homo privatus et pauper usque adeo probus erat, ut Scriptura (1. *Reg.* 9.) testante, non esset inter filios Israel melior illo. Creatus Rex, mutavit vitam et mores, ut iam non inveniretur illo deterior. Persecutus est Davidem innocentem usque ad mortem, non alia de causa, nisi quia suspicabatur, eum post se Regem futurum. Tandem cum regnavisset annis viginti, occisus in bello ad gehennam descendit. David fidelis et pius, post diuturnam persecutionem Saulis Rex declaratus, Regnum annis quadraginta iustissime gubernavit, in quibus multas tribulationes perpessus, tandem in pace quievit.

Conferamus nunc utriusque consolationes et tribulationes, et videamus, uter artem bene vivendi et feliciter moriendi melius id dicerit. Saul dum vixit, voluptatem imperandi, quae maxima esse solet, non liquidam nec solidam habuit, propter odium, quo Davidem persequebatur. Itaque viginti annis regnandi dulcedinem non sine felle invidentiae degustavit. Annis illis evolutis fugit ab eo omnis vitae iucunditas, et successit pura et sempiterna calamitas; et nunc usque ad annos circiter bis mille et septuaginta, vivit pars eius nobilior, quae est animus, in doloribus maximis, et quod miserabilius est, sine fine ullo duraturis. David contra vixit annis septuaginta, quadraginta regnavit. Et quamvis tribulationes non exiguas nec paucas gustaverit, tamen consolationes etiam maximas et frequentissimas expertus est ex revelationibus divinis, quas in Psalmis suis dulcissimis expressit; et post obitum non ad poenas, sed ad refrigerium, in sinum Abrahae cum S. Patribus concessit: et post Christi Domini resurrectionem cum ipso Christo ad regna coelorum sempiterna conscendit.

Judicet nunc Lector, an non sit infelicissimus exitus de corpore hominum iniquorum, quamvis Regum vel Imperatorum: et felicissimus exitus iustorum etiamsi Regnum vel Imperatorum. Saul, ut dixi, annis viginti regnavit: post obitum annorum duobus et eo amplius in igne gehennae absque ullo refrigerio mansit. Quae comparatio est annorum viginti cum duobus millibus annorum? Quis optaret viginti annos summae et liquidissimae voluptatis, si certo sciret, ob eam voluptatem in ardentissima fornace mansurum se ad annos bis mille et amplius? Et esset ne ullus homo tam vecors, qui tormentum omnium maximum subire vellet ad annos, non dicam bis mille sed bis centum, ut postea ad annos viginti voluptate quamtumvis maxima potiretur? Quid si nunc addamus, tormentum gehennae non annos bis mille duraturum, sed finem nullum habiturum? Haec certe sola tormentorum aeternitas, sine ulla cessatione et sine ullo refrigerio duratura, eiusmodi est, ut cor ferreum et pectus aeneum ad poenitentiam flectere possint. Eamdem considerationem Lector per se adiungere poterit de tribulatione Davidis momentanea et levi, cum gloria et voluptate maxima et sempiterna, quam post obitum is ipse David in coelesti regno consecutus est, quamvis magis non moveat tormenta gehennae, quam gaudia Paradisi.

Alterum exemplum erit Epulonis et Lazari, ex Evangelio sancti Lucae. Dives Epulo ad modicum tempus laetatus est cum amicis suis, quippe qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide. Lazarus e contrario mendicus et aeger iacebat, ad fores Epulonis ulceribus plenus et cupiebat saturari de micis, quae cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat. Sed paulo post mutata omnia: Dives Epulo mortuus est, atque ad gehennam descendit: mortuus est enim Lazarus, et ab Angelis in locum refrigerii et sinum Abrahae delatus est. Et quidem Epulo post brevissimam consolationem in flamma ignis aeterni cruciari coepit, et nunc etiam cruciatur, et sine ullo refrigerio vel cessatione cruciabitur in saecula saeculorum: Lazarus pius et patiens, post brevem tribulationem ad quietem in sinum Abrahae conces-

sit; deinde post Christi resurrectionem ad coelestia et felicissima regna migravit, ubi beatus sine fine erit. Certe quidem, si tempore illo nos quoque fuissemus in vivis, pauci aut nulli ex nobis similes Lazari, sed omnes aut plurimi ex nobis similes esse cupivissemus Epulonis, et nunc tamen omnes Lazarum felicissimum, et Epulonem miserrimum iudicamus. Cur igitur nunc, cum nobis optio datur, non eligimus virtutem Lazari potius quam vitia Epulonis? neque enim vituperandae sunt divitiae, cum Abraham. (Luc. 16.) et David, et alii multi sanctorum, ditissimi fuerint;sed damnanda est crapula, luxus, vanitas, immisericordia, et alia vitia, quae Epulonem ad gehennam perduxerunt. Neque in Lazaro solam pauperiem et ulcera consideramus, sed patientiam et pietatem extollimus. Illud autem est valde mirandum, quod cum ista omnia noverimus, et Epulonem stultissimum, et Lazarum sapientissimum iudicemus; tamen adhuc non pauci reperiuntur, qui vivendo Epulonem imitari non desinant, cum certissimi esse possunt, similes illi se futuros esse in poenis, cuius similitudinem in vitiis exprimere voluerunt.

Restat exemplum tertium Judae proditoris et sancti Matthiae, qui Iudae in Apostolatu successit. Iudas prorsus infelix in hoc mundo, et infelicissimus in alio, tribus annis Dominum Salvatorem secutus, ex furto sacrilego marsupium implere satagens, non contentus iis pecuniis,quas ex communi eleemosyna sibi accipiebat: avaritiae morbo stimulante eo pervenit, ut Dominum et Magistrum venderet. Sed paulo post a diabolo in desperationem adductus, pecunias restituit, et se ipse suspendio necavit, vitamque temporalem et sempiternam simul amisit.Itaque Dominus de Juda horribilem illam sententiam prolulit: Bonum erat ei, si natus non fuisset. (Matth. 26.) S. Matthias, qui Iudae successit, id est, in locum eius electus momentaneum laborem et dolorem, non sine affluentia caelestium deliciarum, sustinuit, nunc vero omni labore et dolore finito, cum Christo felix regnat in coelis, cui fidelissime servivit in terris.

Haec Judae cum Matthia collatio, ad episcopos et regulares pertinet. Fuit enim Judas Christi apostolus, ac per hoc episcopus designatus. Nam de Juda et Matthia s. Petrus illa verba Psalmi exposuit: Episcopatum eius accipiat alter. (ps. 108.) Et idem Iudas inter viros regulares numerabatur cum de apostolis omnibus s. Petrus dixerit: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit vobis: (Matt.27.) Judas ergo omnium hominum infelicissimus, ex altissimo perfectionis statu cum cecidisset, id parum lucri quod male acquisierat, restitendo amisit,et sibi ipse carnifex factus, ad poenas sempiternas damnatus, exemplo esse potest Ecclesiasticis et regularibus omnibus, ut videant quomodo ambulent,et quale periculum illis immineat, nisi perfectioni status sui sancte vivendo respondeant. Nam Saul et Epulo de felicitate temporali ad aerumnam sempiternam moriendo venerunt: Iudas vero temporalem felicitatem nullam habuit, sed umbram solum, sive spem felicitatis, et tamen ad sempiternum exitium,et quidem horribilius quam Saulis et Epulonis exitium fuerit, semetipsum occidendo, descendit. Sed etiam Iudas ditescendo divitias omnium mortalium superasset et postea tamen ad aeternam pauperiem et supplicia gehennae sine fine duratura venisset, ut reipsa iam venit; quid illi divitiarum cumulus profuisset?

Maneat ergo stabilis et vera ratiocinatio, quam initio Capitis posuimus, et quam nunc verbis apostolicis reperimus.

« Quod in praesenti est momentaneum et leve « tribulationis nostrae, supra modum in sublimi- « tate aeternum Gloriae pondus operatur in nobis « non contemplantibus nobis, quae videntur, sed « quae non videntur: quae enim videntur, tempo- « ralia sunt, quae non videntur, aeterna sunt. (2. Cor. 4.)

DE OFFICIO

PRINCIPIS CHRISTIANI

LIBRI TRES

AUCTORE ROBERTO S. R. E. CARD. BELLARMINO

E SOCIETATE JESU

AD SERENISS. PRINCIPEM WLADISLAUM SIGISMUNDI III

POLONIAE ET SVECIAE REGIS FILIUM

Scrispi librum de officio principis christiani,non nea sponte, sed ab iis rogatus, quibus eiusmodi opusculum negare non potui. Scripsi autem non ut principes nostri saeculi admonerem officii, sed ut iis optimum regimen gratularer, atque ad perseverandum in pia, et iusta gubernatione cohortaer. Siquidem nostra aetate (quod singulari Dei benignitati tribuendum est) Ecclesia Catholica reges omnes, aliosque principes primarios, egregios omnino et singulari pietate, iustitiaque conspicuos se habere merito gloriari potest. Cur autem tibi potissimum, Sereniss. Wladislae, librum hunc dicare voluerim, illa causa est, quia unus tu in primo flore iuventutis, ac si veteranus Imperator esses, exercitum sapienter ducis, bella gravissima strenue geris, et omnia munia prudentissimi imperatoris adimples. Neque id mirum nobis videri debet, cum Te providentia Dei, non ad regnum unum gubernandum, sed ad multa simul et maxima primum acquirenda, deinde administranda delegisse, et vocasse videatur. Te enim Poloniae regnum expectat amplissimum. Tuum est haereditario iure regnum Sveciae, quod iniuste ereptum, Deus iustus Iudex,et princeps regum terrae tibi iustissimo haeredi tempore suo restituet. Tibi magnus Moscoviae Ducatus, qui instar maximi imperii a septentrione ad Orientem usque per vastissimas regiones protenditur, electionis iure debetur. Te igitur quasi in vestibulo tot regnorum collocatum, et ad pie sancteque regnandum a glorioso parente tuo, non solum verbis, sed etiam exemplis eruditum; ego quoque ut senex et Sacerdos in bono proposito confirmare volui, non ex mea, quae nulla est, sapientia, sed ex verissimis, atque sanctissimis divinae legis oraculis.Scriptum est enim, Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore eius. Atque ut feliciter, et inoffenso pede per semitas iustitiae gradereris, adieci in meo libro vitas principum sanctorum non paucas, quorum principum exempla sequens, omnino errare non poteris. Opportune autem accidit, ut vita sancti principis nostrae aetati proximi fuerit sancti Casimiri, quem Leo Decimus Pont. Max. in numerum sanctorum retulit.Hic enim sanctissimus iuvenis, cum regis Poloniae filius fuerit ut Tu ipse nunc es; et plurimis, maximisque virtutibus clarus,brevi tramite in caelum conscenderit; idoneus Tibi vitae, morumque magister esse poterit: cuius vestigiis si continenter, ut facis, inhaerere volueris, nihil erit, quod Te a vera pietatis, et iustitiae via, quae ducit ad caelum,avertere possit. Accipe igitur princeps magne, munusculum perexiguum, sed non exigua voluntate donatum ab eo, qui Tibi sic diuturnum,et felix regnum optat in terris, ut sine fine, et felicissime cum Christo regnare possis in caelis.

PRAEFATIO

Principes saeculi, qui sunt a Deo, ut apostolus loquitur, in sublimitate constituti, quemadmodum privatos homines honore praecellunt : sic etiam praeter caeteros homines, et premuntur onere, et indigent auxilio. Hinc videlicet non solum Philosophi veteres multa scripserunt de re politica, et arte regendi populos: sed etiam ex christianis sapientibus non pauci libros ediderunt de regimine, vel de eruditione principum. Quamvis autem ea, quae iam extant de hoc argumento scripta, praeclarissima sint : non defuerunt tamen, qui me ab hoc scriptionis genere valde abhorrentem, et in solis spiritualibus libellis componendis hanc meam extremam aetatem consumere cupientem, cohortatione sua impulerint, ut de hoc ipso politico argumento mandarem literis, non quae apud Platonem et Aristotilem, vel etiam sanctum Thomam, Aegidium Romanum, et alios eiusdem classis eximios Theologos: sed quae in scripturis sanctis, et in libris sanctorum patrum documenta, vel exempla reperire potuissem. Hoc enim scriptionis genus, quamvis ad intelligentiam lectoris informandam minus appositum sit: tamen ad excitandam et inflammandam voluntatem, atque ad opera Deo grata, et regendis populis utilissima facienda ; et denique ad salutem aeternam ipsis iisdem principibus procurandam, sine dubio aptius et efficacius invenitur.

Scripturus igitur pro ingenii mei tenuitate, et pro mensura gratiae, quam mihi impartiri dignabitur Deus, de officio principis Christiani, quatuor considerationes, sive disputationes instituam, pro numero videlicet relationum, sive habitudinum quas habent principes, primum ad superiores, deinde ad inferiores, tum ad pares, denique ad seipsos. Et quamvis labor hic meus ad principes potissimum dirigatur, eorumque aeternam salutem proprie intueatur: tamen communis quoque caeteris nominibus esse poterit, cum nemo sit usu rationis praeditus, qui suos non habeat superiores, vel pares, et rari sint, qui non habeant inferiores aliquos, et nullus, qui sui ipsius rationem habere non debeat.

LIBER PRIMUS

DE OFFICIO PRINCIPIS CHRISTIANI

CAPUT PRIMUM

De Officio Principis Christiani erga Deum.

Igitur cum Princeps Christianus negotium habeat cum superioribus, cum inferioribus, cum paribus, et ipse secum: ordo ipse poscit, ut a primo negotio principium faciamus. Et quia Princeps quatuor agnoscere debet superiores, si vere Christianus dici, et haberi velit, Deum optimum maximum, Pontificem summum, Episcopum proprium, et proprium Confessarium; a primo superiore, qui est omnium supremus et eminentissimus, incipiemus.

Oportet igitur, Principem, qui officio suo recte fungi velit, et ad Regnum aeternum vere, et ex intimo corde aspiret et suspiret, pro comperto habere: et non verbo solum, et lingua, neque sola externa veneratione, sed opere, et veritate, et illuminato corde agnoscere, et saepe, ac saepius intra se cogitare et recogitare; Deum esse Regem Regum, et Dominum Dominantium: hoc enim, disertis verbis sacrae paginae multis in locis praedicant. Porro Principes terrae multis modis subiecti esse debent Deo Regi Regum et Domino Dominantium. Primum enim, Principes terrae sunt, quasi Proreges Dei, vel potius Ministri principales Dei, iuxta illud, *Cum essetis Ministri Regni illius, non recte iudicastis*: et illud Apostoli, *Minister Dei est*; ubi loquitur de summa Principe temporali. Itaque Reges terrae principatum suum non ut absolute suum, sed ut sibi a Rege supremo ad tempus gubernandum traditum, obtinent, sub conditione rationis reddendae in tremendo nimis iudicio eiusdem viventis, et omnipotentis Dei. Quare longe abesse debet a Principe Christiano quantumvis summo, illa turpissima adulatio. Si libet, licet. An nescis te Imperatorem esse, et leges dare non acciperes? quod refert Aelius Spartianus dictum Antonio Carecallae a Noverca, quam in uxorem ducere cupiebat, sed non audebat.

Debet igitur in primis Princeps Christianus subiectus esse legibus Dei Regis Regum. Hoc docuit Moses quando in Deuteronomio descripsit officium Regis. Sic enim ait, *Quando sederit Rex in solio Regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar a Sacerdotibus Leviticae tribus, et habebit secum legetque illud omnibus diebus vitae suae, ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba et caeremonias eius, quae in lege praecepta sunt.* Ubi Moses non simpliciter dixit, Debet Rex legem Dei custodire: sed addidit multa verba, ut significaret magnitudinem negoti huius. Primum iussit ut ipse sibi describeret legem Dei, ut non posset umquam dicere, non vidi legem Dei, nec scio quid in ea contineatur. Deinde addidit, ut exemplar divinae legis acciperet a Sacerdotibus Dei veri: ne forte pro lege Dei veri acciperet leges falsorum prophetarum; quales hoc tempore sunt qui dicuntur politici, et multo magis haeretici omnes, qui legem et cultum Dei pro suo capite populis obtrudunt, et non ab Ecclesia illa vero accipiunt, *quae est columna et firmamentum veritatis*, Tertio addidit ut habeat secum, et legat omnibus diebus vitae suae; videlicet ut idemtidem legat, ne forte obliviscatur mandata Dei. Denique adiungit ut discat timorem Domini, et ex eo timore sollicitus sit observare mandata Dei, tum ea quae pertinent ad Religionem, tum illa quae spectant ad Iustitiam. Decet enim, ut Princeps in omni lege divina servanda, exemplo suo, populum praecedat.

Hoc idem, quod Moses docuit, docuit postea etiam Samuel, et quidem comminatione gravissima. Nam cum Saul Rex primus Hebraeorum mandatum quoddam Domini, sub specie pietatis, non implevisset; reprehendit eum Propheta Samuel, dicens, *Quia proiecisti sermonem Domini; proiecit te Dominus ne sis Rex*, et ibidem, *Numquid vult Deus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini*; et paulo post, *Scidit*, inquit, *Dominus regnum Israel a te hodie, et dedit illud proximo tuo meliori te.* Ostendit igitur hoc exemplo Deus, se Regem Regum esse, et Reges terrae, non tam Reges quam Ministros dici debere; quippe quos ipse regnandi potestate nullo negotio privat, ut re vera Saulum cum omni progenie sua regno privavit, et regnum eius in Davidem, et eius posteros transtulit. Quo exemplo edoctus David in psalmo secundo Reges omnes admonuit, dicens. *Et nunc Reges intelligite, erudi-*

mini qui iudicatis terram: Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. Et in alio psalmo dicit, Deum esse *qui aufert spiritum Principum*, et ideo esse terribilem apud Reges terrae, et idem ipse David filio suo Calamoni, tunc primum regnare incipienti, sic locutus est, *Ego ingredior viam universae terrae, confortare, et esto vir, et observa, ut custodias mandata Domini Dei tui, ut ambules in viis eius, et custodias ceremonias eius, et iuducia, et testimonia sicut scriptum est in lege Moysi.* Quibus verbis Rex optimus et sapientissimus filium admonet, ut si velit feliciter regnare, Deo Regi Regum fideliter serviat: et prima illi cura sit ut in iis quae ad Religionem pertinent, nihil omnino praetereat, et exemplo suo populos sibi subiectos in vera Religione contineat: deinde leges Dei, quae ad mores, vel iudicia pertinent, diligenter observet: ac denique sic ipse Deo subiectus, et obediens esse studeat, quemadmodum cupit sibi ab administris suis prompte, fideliterque serviri.

Sed operae pretium est attendere, quam graviter sapientia divina Reges admoneat, *Audite*, inquit, *Reges et intelligite, discite iudices finium terrae: praebete aures vos, qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum; quoniam data est a Deo potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur. Quoniam cum essetis Ministri Regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiae, neque secundum voluntatem Dei ambulastis: Horrende et cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his, qui praesunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.* Haec sapientia divina docet, quae breviter explicanda sunt. Primum admonentur Reges, ut cogitent, potestatem in alios homines habere se a Deo, quocumque titulo regnent. Nam, ut Apostolus docet in epistola ad Romanos *Non est potestas, nisi a Deo.* Ipse enim solus non ab alio potestatem habet, cum unus ipse sit *Legislator, et Iudex*, ut loquitur Apostolus Iacobus; id est, qui omnibus dat leges, et omnes iudicat; et ipse a nemine iudicatur, et a nemine legem accipit. Itaque sive Populus potestatem suam in Principem transferat, sive per haereditariam successionem potestas acquiratur, sive iure belli aliquis Princeps fiat: semper erit verum, non esse potestatem, nisi a Deo; et unum Deum esse supremum Legislatorem et Iudicem. Hinc vero colligit Sapiens, omnes Reges, omnesque Principes ministros esse Dei, et a Deo iudicandos, ac praemium vel poenam accepturos, prout in Regno Dei administrando se gesserint. Addit praeterea, non de solis factis, sed etiam de cogitationibus iudicandos; et quoniam multum interest inter peccata Principum et Privatorum; quod illa ad multos, ista ad paucos pertineant; adiungit Sapiens terribilem sententiam illam. *Iudicium durissimum his, qui praesunt, fiet*; et *Potentes potenter tormenta patientur.*

Sed veniamus ad ea, quae sunt Ministri principalis propria, cum iam ex divinis literis satis aperte demonstratum sit, Reges hominum esse Ministros Dei. Principio Minister debet, si quid sapit, non ex capite suo leges populis dare, sed iuxta leges sibi a Rege datas, populos regere. Non enim Populos proprie et absolute suos, sed populos Dei, Regis aeterni gubernandos suscepit. Quare cavere debet, ne aliquid iubeat, quod legi divinae repugnet. Et quoniam Reges non solum legibus et edictis, sed etiam exemplo et factis Populos regunt; valde cavere debent, ne ipsi leges divinas ullo modo transgrediantur. Certe enim si Minister, Regis nomine, edictum publice proponat, ne ullus audeat transire ad hostes, aut eos armis, vel commeatus iuvare: certe ipse Minister primus esse debet in edicto eiusmodi observando. Eodem igitur modo, debent Reges terrrae, ut Ministri Dei, diligentissime cavere, ne adulteria, vel sacrificia villa committant, ne peierent, ne blasphement, nec iniuste ullum opprimant; denique ne malo exemplo suo Populos ad peccandum provocent. Rex enim Deus nimium irascitur, cum videt eos transgredi leges suas, quos administros Regni sui esse voluit, ut populos in officio, et in legum divinarum observatione contineant. Deinde Ministri vel Praefecti Regum, si forte divites fieri velint, quia sciunt se non diu in Regno futuros, cum successorem brevi venturum expectent; propterea non solliciti sunt de coemendis in eo Regno palatiis, aut vineis, aut agris, aut hortis, quae secum auferre et asportare non possunt; sed pecunias et res pretiosas, quae facile asportari possunt, cumulare satagunt; ut cum recedendum erit, et potestas successori tradenda, divites revertantur in patriam: neque id solum curant si sapiunt, sed ut ea solum asportent, quae iuste lucrati sunt: alioquin Rex non solum eos potestate et Praefectura privat, sed omnia male parta aufert, et eos ut latrones vel morti tradit, vel in exilium mittit, ut poenas luant provinciae male administratae. Haec non semper Reges terrae in Praefectos malos statuere possunt, quia vel eorum peccata nesciunt, vel metu peiorum tacent, vel certe ipsi quoque Rei sunt scelerum multorum: et ideo dissimulant peccata aliorum, ne ipsis exprobrentur sua. At Rex Regum Deus neque peccata ulla non videt. neque potentiam ullius timet, neque iniustus est, ut iniustitiam aliorum dissimulare velit. Itaque Reges terrae, quia Praefecti, et Ministri estis Dei, si quid sapitis, successorem quotidie expectate; cum timore, et tremore Regnum Dei administrate, tamquam rationem de singulis actis vestris redditurі; quaerite ex vestro labore iustas divitias, quae sunt bona merita. Sic enim fiet, ut cum desieritis esse Praefecti Regii in terris, ipsi Regi Regum felicissime conregnetis in caelis. Id enim nobis promittit, qui non mentitur spiritus Dei: *Si sustinebimus, et conregnabimus.* Et iterum: *Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut ego vici et sedi cum Patre meo in throno eius.*

CAP. II.

De eodem Officio.

Consideravimus Principem Christianum, ut Vicarium in temporalibus Dei Regis magni. Nunc con-

siderare volumus eumdem, ut filium eiusdem Dei per adoptionem ; quae adoptio communis est Principibus Christianis cum eorum subditis. Sic enim loquitur Apostolus, *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei; si autem filii, et haeredes; haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi.* Hinc vero sequitur, ut Christianus Princeps debeat Deo reverentiam, et obedientiam filialem ; et simul debeat subditis suis fidelibus fraternam charitatem, ut cohaeredibus in Regno caelorum futuris. De reverentia filiali dicit ipse Dominus apud Malachiam, *Si pater ego sum, ubi est honor meus?* Debet igitur Princeps Christianus, ut filius Dei, ardentissimo zelo procurare honorem tanti patris, non solum ipse abstinendo manum, et linguam, et cor ab omni cupiditate, verbo, et opere, quod in iniuriam, et irreverentiam Patris cedere possit : sed etiam diligentissime procurando, ut populi regimini eius subiecti , caveant ab omni opere sacrilego, quibus violari possit honor divinus. Hoc zelo sanctus Moses blasphemos omnes sive ulla misericordia, iubebat ab omni populo lapidari. Et sanctus Ludovicus Rex Francorum, non patiebatur blasphemos ullos impunitos abire, quin saltem candenti ferro labia sacrilega continuo adurerentur.

Nec minus debet Princeps, si se verum Dei filium esse sperat, obedire in omnibus Patri tam amabili, et tam amanti. Nam, si parentibus carnis iubet Apostolus, ut filii obediant per omnia : quanto magis debent Principes obedire Patri caelesti, plane per omnia ? Praesertim cum Pater caelestis nihil iubere possit, nisi bonum per omnia. Huius obedientiae exemplum habemus illustrissimum in Davide Rege, qui sic in omnibus obedivit Deo, ut Deus ipse hanc obedientiam praevidens, testatus sit, ob hanc potissimam virtutem, illum a se fuisse electum in Regem. Sic enim loquitur Apostolus Paulus, *Suscitavit illis David Regem, cui testimonium perhibens dixit, Inveni David filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Sed illustrius adhunc habemus exemplum in Christo filio Dei naturali, qui usque adeo delectabatur in obedientia exhibenda Deo Patri, ut diceret, *Cibus meus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me.* Et in alio loco, *Quae placita sunt ei, facio semper.* Et non solum in rebus facilibus, sed etiam in re omnium difficillima, et maxime horribili, *humiliavit semetipsum factus obediens.* Quid enim est horribilius morte ignominiae, et doloris plenissima? Atque ad hoc extremum pervenit obedientia filii Dei, nimirum usque ad mortem crucis. Quod si filius Dei naturalis, et Princeps Regum terrae obedivit Patri usque ad mortem crucis; in qua re obedire non debet filius adoptivus, et unus ex Principibus terrae? Profecto nulla tentatio carnis, nullum dispendium facultatum, nulla iactura honoris, Principem Christianum impedire posse deberet ab obedientia Patris caelestis. Neque solum Princeps debet, si legitimum Dei filium se praebere cupit, obedire patri per omnia; sed etiam totis viribus contendere, ut omnes eius subditi idipsum faciant. Denique idem Princeps subditis suis, quos novit fideles, et pios, fraternam charitatem debet, ut cohaeredibus regni caelestis. Videmus enim hic in terris, Principes omnes longe benignius, et humanius agere cum fratribus suis, quam cum aliis subditis, quos in ditione sua habent. Sic igitur Princeps sapiens, et pius longe aliter agere debet cum subditis suis facinorosis, et sceleratis, qui non sunt filii Dei, sed filii diaboli, quam cum religiosis, et sanctis, qui ius habent ad Regnum aeternum ; et quos, post breve tempus, habebit in patria caelesti consortes Regni, et sibi dignitate pares, vel etiam superiores. Proinde hic etiam eos magnifaciat, et honore prosequatur, ut fratres ; neque sinat eos a malis hominibus iniuste vexari. Proderit autem haec demonstratio amoris in subditos, pios, non parum ad convertendos impios ab impietate sua.

Quod si forte (quod absit) Princeps aliquis Christianus, propter admissum scelus, exciderit a gratia Dei, et per hoc amiserit ius adoptionis, et filiationis divinae : cum obsecro, ut cogitet, et recogitet, quale erit ei, nisi mature resipiscat, in die obitus sui, et postea in die ultimi Iudicii dedecus, et confusio, et dolos ; cum viderit multos ex subditis suis vocari ad Regnum, et se, Dominum eorum detrudi in gehennam ignis ; et impleri illud ex cantico Matris Dei, *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.* Consideret, obsecro, qui talis est quam ingenti pretio, et quam seria poenitentia redimeret, si posset tunc, eam ignominiam, et calamitatem, qua nulla maior invenire, vel cogitari potest; et gratias agat Deo, quod adhuc non permisit eum exire de corpore cum lethali crimine, et spatium poenitentiae illi concessit. Neque solum gratias agat, sed accingat se ad seriam poenitentiam agendam, ut laetus mortem, et iudicium expectare, et principatum non amittere, se in maiorem, et diuturniorem commutare possit.

CAP. III.

De eodem officio.

Restat postrema consideratio, quae est Principis Christiani, ut servi Dei. Idem enim ipse homo, qui ut praeest populis est quasi vicarius, et Praefectus Regis omnium Regum; et ut gratiam adoptionis, per baptismum accepit, est filius, et haeres Dei, et cohaeres Christi : idem, inquam, est servus, non uno modo tantum, sed quinque, quot videlicet reperiuntur genera servitutis. Est enim servus Dei per naturam, est mancipium, est servus emptitius, est vernaculus, est mercenarius. Et tamen quod admirabile esse videtur, tam multiplex servitus, quae omnia genera servitutis comprehendit, non pugnat cum filiatione adoptiva, neque cum dignitate Praefecti, imo etiam cum consortio Regni Dei.

Explicemus breviter, et probemus haec omnia. Servi per naturam, dicuntur illi, qui carent ratione, ut bruta animantia, vel usu rationis, ut infantes, et fatui. De primis canit Prophela, *Omnia su-*

biecisti sub pedibus eius (hominis videlicet) *oves et boves, insuper et pecora campi: volucres caeli, et pisces maris.* Et multo ante Deus ipse dixit, *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram, et praesit piscibus maris, et volatilibus caeli, et bestiis universae terrae, omnique reptili, quod movetur in terra.* Ac ne forte existimaremus, per peccatum primi hominis ablatum fuisse dominium bestiarum, aut certe per peccata filiorum Adam, ob quae factum est generale diluvium, amisisse homines imperium in animantia bruta; repetivit Deus post diluvium eandem praerogativam, dicens, *Crescite et multiplicamini, et replete terram. Et terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terrae: et super omnes volucres caeli, cum universis, quae moventur super terram. Omnes pisces maris manui vestrae traditi sunt.* De iis, qui carent usu rationis dixit Apostolus, *Quanto tempore haeres parvulus, est, nihil differt a servo, sed sub tutoribus, et actoribus est.* Et Salomon scripsit, *Qui stultus est serviet sapienti.* Denique serviunt naturaliter artifici opera quae ipse arte sua, et ex re sua fecit, dicente Apostolo, *An non habet potestatem figulus luti, facere aliud vas in honorem, et aliud in contumeliam?* Iam vero mancipia dicuntur homines, qui ab homines, qui capiuntur ab hostibus in bello; de quibus dicit, sanctus Petrus, *A quo quis superatus est, huius et servus est.* Dicuntur autem mancipia, quia manu capiantur. Servi autem emptitii sunt illi qui pretio emuntur. Vernaculi sunt ii, qui nascuntur ex servis, et ancillis. Denique mercenarii, qui pro constituto salario, sive mercede serviunt ad tempus, sed alioqui non servi, sed liberi sunt.

Iam igitur omnis homo naturaliter servus est Dei, a quo factus est, ut vas a figulo, ac proinde potest eum Deus, si velit, confringere, et in pulverem redigere, iuxta illud psalmi. *Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes eos:* et praeterea hac ratione non solus homo, sed omnes res creatae naturaliter serviunt Deo, iuxta illud, *Omnia serviunt tibi,* et illud, *Dominus universorum tu es.* et illud, *Deus potest universum mundum uno nutu delere.* Et rursus alia ratione omnis homo servus est Dei, quoniam licet iudicium rationis ex munere Dei sortitus sit, id tamen si comparetur ad iudicium rationis, quod est in Deo; omnis homo, quantumvis sapiens inter homines, est veluti infans, et lactens puerulus. Eodem modo omnis homo est mancipium Dei, etiamsi alioqui magnus in terris sit Princeps: quoniam in bello, quod Christus Imperator noster cum Principe tenebrarum gessit, *captivam duxit captivitatem*: idest, eos, qui erant captivi diaboli fecit Christus victor captivos suos. Quod ipse Dominus in Evangelio explicavit, dicens, *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quae possidet sed cum fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet, in quibus confidebat, et spolia eius distribuet.* Atrium Principis tenebrarum est infidelitas: eo enim atrio bene munito, omnes, qui intus erant, secure possidebantur a diabolo. Sed atrio expugnato, omnia arma diaboli, idest, superbia, avaritia, luxuria, et caetera vitia paulatim erepta sunt, et in eorum locum successerunt virtutes humilitas, charitas, continentia et caeterae. Et tunc demum spolia, idest, homines liberati a potestate tenebrarum, et translati in Regnum Christi, distributi sunt per varias mundi regiones, ut multitudinem gentium ad fidem converterent, et Christi Regno adiungerent. Iam vero iidem homines, non solum servi capti in bello, sed etiam servi emptitii facti sunt quia Christus Dominus eosdem redemit ab ira Dei iusta, pretio sanguinis sui. Sic enim loquitur Apostolus, *Empti estis pretio magno,* et rursus. *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum,* et sanctus Petrus. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine agni immaculati, et incontaminati Christi.* Addo etiam, nos omnes esse vernas, sive servos vernaculos Dei, quia filii servorum et ancillarum eiusdem Dei, dicente Propheta. *Ego servus tuus, et filius ancillae tuae.* Denique sumus omnes servi mercenarii, quia non sine magno stipendio servimus Deo. Primum enim ille nos alit, et vestit, et ut Apostolus loquitur, *Ipse dat nobis vitam, et inspirationem, et omnia.* Et quasi hoc parum esset, promittit Deus servis mercedem magnam pro omni labore eorum. Sic enim loquitur Ecclesiasticus in extremo libro suo. *Operamini opus vestrum, et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo,* et Apostolus Paulus *Unusquisque,* inquit, *mercedem suam accipiet secundum suum laborem.* Et Dominus ipse de mercede bonorum operum loquens, ait, *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superefflluentem dabunt in sinum vestrum.*

Porro haec tam multiplex servitus omnium erga Deum, non pugnat cum potestate regia, neque in terris, neque in caelo: sicut etiam non pugnat cum vera filiatione, et adoptione. Sanctus enim Ioannes in Apocalypsi beatos homines introducit dicentes. *Fecisti nos Deo nostro Regnum, et sacerdotes, et regnabimus super terram,* et alibi introducit Christum dicentem. « Qui vicerit dabo ei « sedere mecum in throno meo: sicut ego vici, et « sedi cum Patre meo in throno eius: » et tamen idem sanctus Ioannes in eodem libro de iisdem dicit, *Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die, ac nocte.* Ubi videmus, eosdem in caelo et sedere in throno, et regnare cum Christo, et simul servire Deo stantes ante thronum die, ac nocte. Et non solum sancti homines, sed etiam sancti Angeli, servos Dei, et conservos homines se esse confiteri non erubescunt, dicente Angelo ad Ioannem, *Conservus tuus sum, et fratrum tuorum.*

Ex his habemus, Reges, et Principes terrae, ut vere, et proprie populis suis praesunt: sic etiam vere, et proprie servos esse Dei, et conservos subditorum suorum, et tales etiam futuros in caelo, si illuc pervenerint, sed felicissima, et omni acceptione dignissima servitute. Ex qua consideratione illud consequetur, ut pium Principem non erigat in superbiam thronus, et corona, neque sceptrum, et purpura; sed in eius animum ingeneret consideratio tam multiplicis servitutis, veram, et profundam, et Christo Domino amatissimam humilitatis

virtutem. Ex quo sequetur, ut vicissim ipse Princeps a Deo diligatur, et sub alis eius secure quiescat. Nihil enim magis placet Altissimo, quam humilitas virorum magnorum ; et nihil magis displicet, quam superbia vilium personarum. Sic enim ipse loquitur per Isaiam. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum, et trementem sermones meos?* Quod aliis verbis docet sanctus Iacobus dicens, *Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam.* Quorum sententias confirmat Dominus dicens et saepe ac saepius repetens, *Omnis, qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.*

Nunc, ut in summam redigamus, quae scripsimus in his tribus capitibus, de officio Principis Christiani erga Deum, dicimus, Principem Christianum, ut Ministrum Dei, debere Deo plenam subordinationem; ut filium adoptivum et haeredem Regni caelorum, debere eidem Deo, praeter subordinationem, reverentiam, et obedientiam filialem; ut servum debere eidem non solum subordinationem, reverentiam, et obedientiam, sed etiam profundam, et veram cordis, et corporis humilitatem.

CAP. IV.

De officio Principis Christiani erga Summum Pontificem.

Summus Pontifex officio fungitur in Ecclesia universa, Patris, Pastoris, Doctoris, speculatoris, et summi Sacerdotis. De officio Patris loquitur sanctus Augustinus in epistola ad Glorium et Eleusium, in qua de sancto Melchiade Papa loquens vocat eum filium Christianae pacis, et Patrem Christianae plebis. De hoc officio loquitur, concilium Africanum in epistola ad sanctum Damasum Papam, cum S. Damasum appellat Patrem Patrum; et mos est Christiani populi, ut summum Pontificem Patrem sanctum appellet: qua appellatione non vulgus tantum, sed omnes Principes Christiani, etiam summi, utuntur, cum ad Romanum Pontificem scribunt, aut cum eo loquuntur. Iure autem summus Pontifex, pater omnium fidelium dicitur, quia ipse est, per se vel per alios per verbum Dei, et sacramentum baptismi filios spirituales gignit. Quod enim B. Paulus dicebat Corinthiis, *Si decem millia paedagogorum habeatis, sed non multos Patres: nam in Christo Iesu per Evangelium ego vos genui*; idem dicere potest summus Pontifex fidelibus omnibus : atque ad hoc significandum voluit Deus, ut primus omnium, qui tum ex Iudaeis, tum ex gentibus filios spirituales per verbum Dei et baptismum genuit, sanctus Petrus fuerit: ipse enim primus, accepto Spiritu sancto in die Pentecostes, publice Evangelium praedicavit Iudaeis, et conversos ad fidem baptizari iussit; et ipse idem primus Cornelio Gentili, et eius familiae praedicavit, et credentes iussit baptizari. Pater ergo patrum Petrus fuit: in cuius locum Pontifices Romani succedunt. Quod ipsum Ritus declarat, qui in coronatione Pontificis adhibetur, cum Decanus Cardinalium orans pro Pontifice, vocat eum Patrem Regum, ac Principum Christianorum. Atque haec etiam causa est, cur Reges Christiani novi Pontificis, Legatos, sive oratores mittant, qui reverentiam et obedientiam Pontifici recens creato promittant, tamquam Patri spirituali: ut omnes intelligant, eos quoque ad familiam Christi pertinere, quae est Ecclesia Catholica, cui vice Christi Pontifex Maximus, ut paterfam lias praesidet.

Alterum officium significatur in nomine Pastoris, cuius est pascere et nutrire filios iam natos. Quamvis enim multi sint in Ecclesia Pastores, qui verbo et sacramentis fideles pascunt; tamen omnes a Principe pastorum pendent, et ab illo diriguntur : et si non bene fungantur officio, ab illo removeri a munere pastorilio possunt. Neque solum pastores caeteri, Principi pastorum subiecti esse debent : sed etiam oves dici possunt summi Pastoris. Nam ea causa est, cur Dominus Petro non solum agnos, sed etiam, oves, agnorum matres, pascendas commiserit. Et Sanctus Hieronymus, qui Sacerdos et Doctor insignis in toto Christiano orbe habebatur; a sancto Damaso Romano Pontifice pabulum spirituale petens, dicebat, *a Pastore praesidium ovis flagito*, et in epistola sequenti, *Flagito*, inquit, *ut parvum magnus aspicias, ut eius Pastor morbidam non contemnas ovem.* Quod si pastores et Doctores a summo Pontifice, ut a summo Pastore pabulum aliquando petunt : non mirum esse debet, si Principes saeculi, qui inter oves, vel potius inter arietes gregis Christi numerantur; ab eodem Principe pastorum, Christiq ; in terris Vicario, doctrinae pabulum libenter accipiant.

Tertium est nomen, Doctoris, quo nomine usum fuit Concilium Florentinum, cum in decreto suo Romanum Pontificem appellandum censuit Doctorem omnium Christianorum. Id vero proprie locum habet in doctrina fidei Catholicae, quam non solum docere, sed etiam definire eum potestate debet, ut simul et Doctor et Iudex haberi debeat. Nam quia Dominus sancto Petro dixit, « Ecce Sa« tan expetivit vos ut cribraret sicut triticum : e« go autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua: « et tu aliquando conversus confirma fratres tuos »: ideo in dubiis fidei ad sedem Petri recurrendum omnibus est, in qua fides non potest habere defectum, ut scribit S. Bernardus ; et ad quam perfidiam habere non potest accessum, ut loquitur S. Cyprianus. Tale aliquid multo antea docuit Salomon dicens. « Verba sapientium sicut stimuli, et « quasi clavi in altum defixi, quae per magistro« rum consilium data sunt a pastore uno: his am« plius fili mi ne requiras ». Et clarius in lege definitum est a Spiritu sancto per Mosem dicentem. « Qui superbierit nolens obedire Sacerdotis impe« perio, qui eo tempore ministrat Domino Deo « tuo ; ex decreto Iudicis, morietur homo ille, et « auferes malum de Israel: cunctusque populus au« diens timebit, ut nullus deinceps intumescat su« perbia ». Loquitur autem Moses de rebus dubiis in lege Domini et doctrina. Hoc praeceptum Spiritus sancti non observarunt quidam Principes Germaniae, quando surrexit Martinus Lutherus, et contra Sacerdotis imperium, qui eo tempore ministrabat Domino, novas doctrinas in populum semi-

nare caepit: sed illi Principes vere pii servarunt Dei, qui cum piissimis Gratiano et Theodosio seniore dixerunt. « Cunctos populos, quos clemen-« tiae nostrae regit Imperium in tali volumus re-« ligione versari, quam Divum Petrum Apostolum « tradidisse Romanis religio usque adhuc ab ipso « insinuata declarat, quamque Pontificem Dama-« sum claret, *etc* ».

Et sane mirabile est, quod apud aliquos Principes plus fidei invenerit in rebus fidei, una ovis errans ab ovili, quam summus Pastor ab ipso Domino constitutus et Doctor et Iudex. At, inquies, Lutherus verbum Dei pro sua sententia proferebat. Ita est; sed cum de intelligentia verbi Dei quaestio esset; cur non observatum est aliud verbum Dei, apertissime docens, ut ad sacerdotem iretur, qui eo tempore ministrabat Domino Deo suo? Et posteaquam de consilio sapientum Pastor primarius sententiam dixit, et Lutherum haereticum pronunciavit: ubi est verbum Dei, quod anteponi doceat haereticum declaratum ipsi Iudici summo, ab ipso Domino constito? Hoc idem dici potest de Principibus illis, qui Ioannem Calvinum tamquam novum Apostolum receperunt, cum nulla signa sui apostolatus ostendere posset, nisi viventem hominem vere mortificatum, quem ex morte ad vitam falso a se revocatum credi voluerat: qui si fidem potius habere voluissent Doctori omnium Christianorum, a Christo ipso Ecclesiae dato, et in cathedra sua collocato, pro cuius fide, ut non deficeret oraverat: certe in reprobum sensum dati non fuissent. Ergo *Reges intelligite, eruditimini qui iudicatis terram*, illi Doctori fidem habete in controversiis fidei, cui Veritas dixit. *Oravi pro te, ut non deficiat fides tua*; et illam Ecclesiam requirite, de qua dictum est a Domino, *portae inferi non praevalebunt adversus eam.*

Quartum nomen Pontificis, Speculator est. Ipse enim propterea in altissimo fastigio sedet speculae pastoralis, ut sanctus Augustinus loquitur in ipso principio librorum quatuor ad Bonifacium Papam: quoniam ad illum pertinet, speculari ex alto quid agant Christiani, ut inde malos admoneat, ut redeant in viam bonam; et bonos hortetur, ut persceverent in cursu, et perveniant ad bravium. Huius speculatoris figura fuit propheta Hieremias, sancto Bernardo teste: sic enim loquitur Deus ad Hieremiam, « Ecce constitui te hodie super gentes, « et super regna, ut evellas, et dissipes, et aedi-« fices, et plantes ». Neque significant haec verba Prophetae, mandari a Deo, ut bella gerat cum Regnis et Regibus, et ea sibi armis subiiciat; sed ut in alto sedens observet malos mores, et corruptelas omnes Regum et Regnorum, et clamando, et vociferando liberrime increpet vitia, praesertim publica Regum et Principum, et populorum; et poenas a Deo paratas praedicat, et ipse quoque censuris, poenisque aliis coerceat contumaces; et eo modo disperdat, et destruat peccata Regum et populorum: et aedificet et plantet virtutes, ac mores bonos. Quod idem clarius explicat Ezechiel dicens. « Factum est verbum Domini ad me dicens, « fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel. « et audies de ore meo verbum, et annunciabis eis « ex me. Si dicente me ad impium, morte morie-« ris; non annunciaveris ei, neque locutus fueris, « ut avertatur a via sua mala, et vivat: ipse impius « in iniquitate sua morietur: sanguinem autem e-« ius de manu tua requiram. Si autem annuncia-« veris impio, et ille non fuerit conversus ab im-« pietate sua: ipse quidem in impietate sua morie-« tur: tu autem animam tuam liberasti ». Haec ipsa quae Dominus de prophetis, qui praedicatores illius temporis erant, dicit; eadem omnino intelligi debent de Episcopis, ad quos praecipue pertinet officium praedicationis. Episcoporum autem caput et princeps est summus Pontifex. Solebant autem Pontifices Maximi, et Episcopi reliqui, quae mala ex specula cernebant in concionibus ad praesentes; per literas ad absentes nunciare. Hinc sanctus Ambrosius in epistola ad Theodosium Imperatorem scribit, se non posse ullo modo tacere, si qua mala facta de ipso audierit, et ideo aequo animo ferat reprehensiones suas.

Quae cum ita sint, et Episcopi, ac Princeps Episcoporum, cuius totus mundus Dioecesis est, debent et verbo et epistolis non tacere vitia Principum, sed, ut Apostolus loquitur, arguere, obsecrare, increpare, opportune, importune in omni patientia, et doctrina. Sed non minus Principes debent praebere aures obedientes, et cogitare Pontificibus et Episcopis molestissime accidere, si quando ad huiusmodi reprehensiones venire cogantur; neque illos sponte hoc agere, sed coactos tum a comminatione divina, quae sanguinem animarum de manu eorum requirendum clamat, nisi denuncient poenas peccantibus debitas: tum ab ipsa charitate paterna, quae cogit medelas morbis adhibere, quamvis amaras, ne filii eorum, ac praesertim honorabiliores misere pereant. Et certe si Principes Christiani libentes acciperent paternas admonitiones, praesertim ex vera charitate prodeuntes; multa fortasse discerent, quae ignorant, et multis detrimentis futuris, et impendentibus remedia adhiberent, quae non adhibent, quia non est qui illos admonere audeat. Utinam multos haberemus Theodosios, et multos simul Ambrosios. Iste enim ex charitate nihil utile tacebat: et ille ex obedientia libentissime omnia audiebat, et executione mandabat.

Postremum nomen est, Sacerdos Magnus, sive Pontifex Maximus, quod est nomen honorificentissimum, usque adeo, ut etiam apud Romanos Ethnicos maximi fieret nomen Pontificis Maximi; quae causa fuit, ut Caesares Augusti Pontifices etiam maximi nominari voluerint. Et in testamento veteri, cum primum a Mose, qui simul erat Princeps et Pontifex, divisae sunt istae potestates, et Pontificatus Aaroni, et post eum Eleazaro collatus fuit, et Principatus Iosue; ab eo tempore semper praepositus fuit Pontifex Principi; ut ex libro Numerorum et Iosue potest intelligi. Ratio vero huius excellentiae est, quia Pontifex praeest rebus divinis, et Princeps rebus humanis; cui etiam addi potest, quod regiones Principum terrae definitae sunt certis provinciis: regio subiecta Pontifici maximo, omnes provincias, et omnia Regna Christianis subiecta complectitur. Hinc ille Pius Episcopus Pata-

rensis, cum vidisset sanctum Pontificem Sylverium ab Imperatore haeretico parum honeste habitum exclamavit, multos esse Reges in mundo, sed nullum talem, qualis est ille Pontifex Romanus, qui praeest Ecclesiis totius mundi. Quanta vero, sit eminentia potestatis Pontificiae super potestatem Regum et Principum terrenorum, docent multi Patres. Sed ego hoc loco contentus ero testimonio sancti Bernardi, qui sic loquitur ad Imperatorem Conradum. « Legi, *inquit*, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; et qui potestati resistit. Dei ordinationi resistit. quam tamen sententiam, cupio vos et omnibus monco custodire in exhibenda reverentia summae, et Apostolicae Sedi, et B. Petri Vicario, sicut ipsam vobis vultis ab universo servari Imperio »: haec ille, qui Pontificem Petri Vicarium nominat, non quod non sit Christi Vicarius, sed quod Vicarium pro successore acceperit. Nam in secundo libro de Consideratione aperte vocat eundem Pontificem potestate Petrum, et unctione Christum.

CAP. V.

De officio Principis Christiani erga Episcopum proprium.

Beata civitas, cui ex magno dono Dei contigit, ut habere Principem pium, et Episcopum sanctum et qui inter se coniuncti animis et studiis, toti essent in populo sibi commisso recte gubernando occupati. Sed utinam non quotidie audiremus, Principes cum Episcopis rixantes, vel de praecedentia, vel de emolumentis temporalibus, quasi non essemus, Christiani. et non quotidie in templis audissemus magistrum Deum nobis dicentem, « Qui se humiliat exaltabitur, et qui se exaltat humiliabitur. *et.* Discite a me, quia mitis sum. et humilis corde, *et.* Qui maior est inter vos, fiat sicut minor, et qui praecessor est sicut ministrator ». Haec autem est veritas (quidquid introduxerit in variis locis vel ambitio vel consuetudo) Episcopus est Pater, et Pastor, et Doctor tam Principis quam reliqui populi: et secundum haec nomina Princeps subiectus esse debet Episcopo, non Episcopus Principi. Quamvis enim illa nomina magis conveniant summo Pontifici, quam particularibus Episcopis: tamen nemo negare potest, quin Pater sit honorabilior Filio. et Pastor ovibus. et Doctor discipulis: et Episcopo cuicumque nomina illa recte convenire erga eos omnes, qui ad eius curam et providentiam pertinent. Praeterea Episcopus in Ecclesia sedet in throno. et ad altare Sacerdotio fungitur, quae principi nulla ratione conveniant. Habemus praeterea multos gravissimos authores, qui de excellentia dignitatis Episcopalis ita disputant, ut ostendant. Principum terrenorum eminentiam cum Episcopali fastigio, nulla ratione comparari posse. Hi sunt S. Gregorius Nazianzenus. et S. Ioannes Chrysostomus, graeci; S. Ambrosius, et S. Gregorius, latini.

S. Gregorius Nazianzenus in oratione ad Cives suos timore perculsos. et Principem irascentem, « An me, *inquit*, libere loquentem aequo animo « feretis? Nam vos quoque meae potestati, meisq; « subsellijs lex Christi subiecit. Imperium enim « ipsi quoque gerimus, addo etiam praestantius. « Nisi vero aequum sit, spiritum carni falces submittere. aut caelestia terrenis cedere ».

S. Ioannes Chrysostomus libro tertio de Sacerdotio sic loquitur, *Sacerdotium Regno tanto est, excellentius, quantum spiritus et carnis intervallum esse potest.* et hoc multis argumentis probat. Loquitur autem de summo Sacerdotio, id est de Episcopatu. Ex multis rationibus unam praeterire nolo. « Habent, *inquit*, et terrestres Principes « vinculi potestatem; verum corporum solum: id « autem quod dico Sacerdotis vinculum, ipsam animam contingit, atque ad caelos usque pervadit. *Et infra*, Nam quasi iam in caelum translati, « ac supra humanam naturam positi, atque a nostris affectibus exempti, sic illi ad principatum « istum perducti sunt. Quid multa? Rex aliquis si « cui ex subditis honorem hunc detulerit, ut potestatem habeat quoscumque volet in carcerem « coniiciendi, eosdemq; rursus laxandi, beatus ille et admirandus iudicio omnium fuerit: at vero « qui a Deo tanto maiorem accepit potestatem, « quanto caelum terra pretiosius est, quanto etiam « animae corporibus praestant, hic vilem dignitatem accepisse videri potest?

S. Ambrosius in libro de dignitate Sacerdotali cap. secundo. « Honor, *inquit*, et sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adaequari. Si Regum fulgori compares, et Principum « diademati, longe erit inferius, quam si plumbi « metallum ad auri fulgorem compares. Quippe « cum videas Regum colla, et Principum submitti « genibus Sacerdotum, et exosculatis eorum dextris, orationibus eorum credunt se communiri ».

S. Gregorius in epistola ad Mauritium Imperatorem, quae est tricesima libri quarti. « Quid mirum « *inquit*, si illos vestra pietas dignetur honorare, « quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut « Angelos, aut Deo ipse etiam appellant Deus? « Ecclesiastica quoque testatur historia. Quia cum « pia memoriae Constantino Principi in scripto obtatae accusationes contra Episcopos fuissent: « libellos quidem accusationis accepit, et eosdem « qui accusati fuerant Episcopos convocans. in « eorum conspectu libellos quos acceperat. incendit, dicens. Vos Dii estis a vero Deo constituti; « ite et inter vos causas vestras discutite quia, dignum non est, ut nos iudicamus Deos. »

Sed si haberemus sanctos Episcopos, non egeremus eiusmodi testimoniis. Ipsa enim sacra potestas. cum vera sanctitate coniuncta, cogit ad sui venerationem non solos Principes minores, sed etiam summos. Certe Magnus Constantinus. cum concilio Episcoporum interesse vellet, non solium sublime sibi erigi voluit sed parvam sedem: neque antea sedit, quam Episcopi illi annuissent ut sederet, et cum alias ad concionem in templo interesse vellet, ubi solus Episcopus, qui concionabatur, sedebat in throno, et populus de morte il-

lius temporis, stabat : oblata est sedes Imperatori, sed recusavit, et cum reliquo populo semper stare voluit. Vide Eusebium in vita Constantini libro 2. cap. 10. et libro 4. cap. 33. Sanctus Martinus Episcopus Turonensis, sic honoratus est ab imperatore Maximo, ut in convivio ipsi etiam Imperatori praepositus fuerit. Et sanctus Patritius Episcopus Hibernorum, sic Regibus imperabat, ac si vere parens, et Dominus ipsorum esset. De sancto Dunstano Archiepiscopo Cantuariensi scriptum est in vita ipsius id, quod non meis verbis sed auctoris historiae referre volo. « Quadam vice Rex in Monasterium virginum venit, ibiq; captus amore « cuiusdam puellae, quae inter Moniales, non vela nutriebatur, eam ad suum colloquium ad« duci secretius voluit. Illa cum duceretur, timens « pudori suo, raptum ab una sanctimonialium, ca« piti suo velum imposuit, eo modo se protegi « sperans, si forte Rex quid inhoneste ad ea exi« gere vellet. Quam ipse velatam intuens. Quam « subito, inquit, sanctimonialis effecta es, arre« ptumq ; velum ab ea detraxit; illa conatu, quo « poterat, frustra obnitente, sic illa abusus, est. « Ubi vero rex Dunstano innotuit, acerbo maerore « perculsus est. Igitur cum in re non segnis ad « Regum veniret, et ille venienti pro more occur« reret, eumque per manus ad solium suum per« ducere vellet : manum Dunstanus turbato vultu « retraxit, nec eam ab homine contingi passus « est. Ad quod ille attonitus : (non enim illum sci« re putabat quod clanculo a se factum existima« bat) cur manum sibi non daret, inquirebat. Sed « Dunstanus ad eum ait. Tu postposito omni pu« dore adulterium commisisti : tu despecto Deo, « signum castitatis non veritus, nunc virgini suam « integritatem praeripuisti ; et cur manum, summo « Patri Virginis filium immolantem, impuris mani« bus tuis non tradam, quaeris? Lava prius per « poenitentiam manus tuas a sordibus tuis, et tunc « demum quo gratiae reconcilieris, honora et am« plectere manum Pontificis. Territus ille ad haec, « terrae procumbit, pedes Antistitis petit, se pec« casse, gemitu verba interrumpente, contestans. « Quod Dunstanus videns, tantum in Rege humi« litatis exemplum, eum amplectitur, et erigit, et « quae ad salutem animae operantur, loquens, se« ptennem ei poenitentiam iniunxit ». Hic Lector primum observet, Episcopo veniente, Regem non in cubiculo eum expectasse ; sed illi occurrisse, manum porrexisse, atque ad solium deducere voluisse; deinde Regem ad reprehensionem publicam non iratum exanduisse, sed humi stratum, pedes Episcopi cum lacrymis et singultibus apprehendisse : poenitentiam septem annorum libentissime acceptasse ; et quod in historia sequitur, multis bonis operibus superadditis, peccatum illud expiasse.

Multa eiusmodi adduci possent de sanctis Episcopis, quos Reges et Principes terrae, ut par erat, in honore maximo habebant, quos si temporis nostri Episcopi imitari velint, non erit, cur de Principibus seculi conquerantur. Vere enim non deessent multi Theodosii, si multos haberemus Ambrosios.

CAP. VI.

De officio Principis Christiani erga suum Confessarium.

Sacerdos Principis Confessarius, non sine ratione ponitur a nobis inter eos, quos, ut suos superiores Princips Christianus venerari debet. Siquidem Sacerdos in audiendis confessionibus poenitentium, quicumque illi sint, sive Principes, sive privati, Iudex est loco Dei, et potestatem habet in foro conscientiae ligandi et solvendi : cuius potestatis signum evidens est, quod in eo iudicio Sacerdos sedet capite tecto : poenitens autem quicumque ille sit, etiam si Rex, aut Imperator, genibus flexis, et capite detecto, corde contrito et humiliato, ut reus laesae maiestatis divinae, absolvi petit. Porro salus aeterna Principis, mirum in modum a Confessario pendet; et leguntur exempla non pauca horroris plena Confessariorum, qui cum ipsis suis Principibus ad gehennae supplicia destinati feruntur. Magnum omnino opus est Principum conscientius regere, et requirit hominem non solum valde peritum, sed etiam valde prudentem, et valde fortem, et quod caput est, qui nihil cupiat, nihil ambiat, nihil quaerat, nihil velit omnino nisi salutem eternam Principis sui, et populorum eius.

Sed ut per partes de hoc officio disseramus, Confessarius duas gerit personas, Iudicis, et Medici; et Princeps duas alias, privatam, et publicam. Confessarius, ut Iudex loco Dei, non debet, nec potest absolvere, a peccatis, nisi videat paenitentem suum vere esse paenitentem. Nam si forte non vult dimittere id, quod illum in caeno peccati detinet; certe fingit paenitentiam, non agit, cum peccatum confitetur. Quod si Confessarius non audet absolutionem negare tam magno viro, audiat Spiritum sanctum clamantem, *Noli fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitatem, ne forte extimescas faciem potentis.* Quod idem in multis aliis peccatis locum habebit : sic etiam non potest Confessarius absolvere penitentem, nisi confessionem integram facial ; non autem est integra confessio Principis, si peccata confiteatur, quae ad ipsum, ut privatum hominem pertinent, ut peccata gulae, luxuriae, invidentiae, et alia id genus: peccata vero quae fecit ut Princeps, forte non agnoscat. Non desunt enim Principes, qui quod ad personam propriam attinet, piissimi et iustissimi sunt, sed peccata ministrorum suorum principalium, qui Rempublicam administrant, nesciunt quidem, et interim opprimuntur pauperes, perveruntur iudicia, scandalizantur pusilli ; et ignorantia Principis non excusat illum apud Deum, nisi forte sit invincibilis. Debet enim serio cogitare quos habeat administros, et investigare quomodo se gerant, et quemadmodum Rempublicam administrent.

Confessarius igitur, qui est Iudex loco Dei, non debet esse contentus ea confessione quam facit Princeps, ut homo privatus, praesertim si ex fama publica, vel aliunde novit quam male administri

sui in Republica administranda se gerant : quod si Confessarius ipse timet administros illos offendere : audiat Spiritum sanctum dicentem, *Noli fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitatem, ne forte extimescas faciem potentis.*

Denique non potest Confessarius absolvere poenitentem suum, quantumvis magnum Principem, nisi satisfacere serio sit paratus : nec solum satisfacere Deo per iniuncta ieiunia, eleemosynas, preces, et alia poenitentiae opera : sed etiam satisfacere iis, quibus forte debet, in restituenda fame, in resarciendis detrimentis, in aere alieno solvendo, in stipendiis, suo tempore non tributis. Saepe enim Principes multa debent subditis, quae illi exigere non audent, ne forte iram Principis incurrat. Hic vero vigilare debet iustitia Iudicis, qui locum Dei tenet, ne forte ipse audiat in exitu de hac vita : Cur fieri voluisti Iudex, cum non valeres virtute irrumpere iniquitatem, et cum extimesceres faciem potentis? atque haec de Confessario, ut Iudex est.

Addamus aliquid de eodem Confessario, ut Medicus est. Medicus animarum nullus esse deberet nisi ipse optime valeret, ne forte dicatur illi, *Medice cura te ipsum.* Ideo qui ambiunt confessiones Principum audire, hoc ipso digni sunt, qui repellantur, utpote qui morbo gravissimo laborant : et quod miserabilius est, morbum suum in se ipsi non agnoscunt. Itaque sapiens Princeps, et qui de salute aeterna sollicitus est, primum omnium Confessarium quaeral, qui hoc officium numquam ambiverit. Deinde qui ex publica fama, et ex privata informatione, vere pius, id est vere sanus a morbis vitiorum sit. Ad haec ut peritus sit medicinae spiritualis, nec solum legerit quae scribunt Theologi de Sacramento Poenitentiae, et de casibus, quos vocant conscientiae, sed etiam praxim, et usum noverit huius doctrinae. Praeterea, ut non sit frequens in Aula, nec se immisceat negotiis aulicorum, ne et ipse ex medico animarum, aulicus, et curialis fiat. Denique, ut cum vera humilitate, et sanctitate coniunctam habeat modestam libertatem admonendi Principis; neque timeat expelli ab officio Confessarii; quin potius gaudeat, si hoc acciderit, se a tam periculoso onere liberatum. Et si forte videat, se in aliquo Principe operam perdere, quod suis iustis admonitionibus acquiescere nolit; ipse facultatem abeundi humiliter petat, et etiam non obtentam, per se arripiat : minus enim grave est, iram Principis mortalis sustinere, quam Dei.

Atque ut haec Confessarius efficere possit, oportebit, ut Princeps aditum, et libertatem Confessario tribuat, ut se fideuter moneat, et pro ratione officii sui imperet, quae necessaria sunt ad salutem, nec metu, ac reverentia retardetur. Illud quoque necessarium esse videtur, ut Confessarium Princeps admoneat, ne se admisceat gubernationi, aut negotiis status, vel regendae familiae domesticae, nisi ab ipso Principe consilium ab eo petatur; multo minus, ne officia publica, aut Magistratus pro aliquo petat. Sic enim erit minus odiosus aliis, minusq; superbus; gratus omnibus, nulli molestus. Denique si Confessarius sit regularis, caveat Princeps, ne illum subducat ab obedientia Praelatorum, neque ab observantia regulari, neque occasionem ullam ei praebeat dominandi inter suos, vel ambiendi praelaturas. Id enim neque Principi, neque Religioni, neque Confessario expedit : sed omnibus, atque in primis ipsi Principi, nocet, cui religiosissimus, atque optimus Confessarius necessarius est.

CAP. VII.

De charitate paterna Principi necessaria ad regendos Populos.

Exposuimus breviter, quod sit officium Principis Christiani erga superiores : sequitur nunc, ut explicemus officium eiusdem erga inferiores, qui sunt multi ; sed ad sex ordines revocari possunt, videlicet ad populos, ad domesticos, ad amicos, et consiliarios, ad iudices, ad milites, et famulos.

Quod ad primum attinet, considerandum est diligenter, quae requiruntur, ut Princeps officio suo rite fungatur. Et quamvis virtutes plurimae requirantur ad bene regendos populos, tum secundum scripturas sanctas, tum secundum leges Philosophorum ; tamen una est principalis, quae secum alias omnes trahit. Ea dici potest charitas paterna, quam ut administrae sequentur virtutes cardinales, prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia, quae sunt communes Principi cum populo. Denique aliae Principum propriae, sapientia magnificentia, clementia, misericordia, quas in Deo Regum omnium Rege scriptura sacra frequentissime commendat.

Incipiamus a charitate paterna quae nobis tam a Philosophis, quam a Theologis, et ab ipso Deo in sacris eloquiis sic laudatur. Charitatem paternam esse Principi in primis necessarium, docet Philosophus in libro de moribus octavo : ubi ponit differentiam inter Regem et Tyrannum, quod Tyrannus in omnibus quaerat quae sua sunt ; Rex vero quae sunt populi ; sive quod finis propositus Tyranno sit utilitas propria ; finis propositus Regi sit utilitas Reipublicae : et quod Tyrannus habeat subditos pro mancipiis, Rex habeat pro filiis : denique quod regimen Tyranni sit despoticum, gubernatio Regis sit politica. Hoc ipsum sensisse Romanos perspicuum est ex eo, quod Senatores, apud quos erat magna ex parte regimen Reip. dicebantur Patres Conscripti : et cum regimen tempore Augustini redactum esset ad Imperium unius, ille unus Pater patriae amabat dici, iuxta illud Horatii : *Hic ames dici Pater, atque Princeps,* et deinceps ex nominibus honorificis quae dabantur Principi recens electo, unum erat Pater patriae, ut cognosci potest ex Lampridio in vita Alexandri Severi. Hinc est illa sententia Senecae in primo libro de Clementia. *Unum est inexpugnabile munimentum, amor Civium. quid haeres? frustra terrore succinxeris, nisi septus charitate fueris, armis enim arma irritantur.* Cui similis est illa

Marci Antonii Imperatoris apud Herodianum. *Neque enim aut pecuniae vis aut stipantia satellitum agmina tueri Principem possunt, nisi illi ipsi quos regas animum imperanti, benevolentiam que accommodent.*

Sed quicquid sit de Paganis, certe apud Christianos, omne bonum regimen super charitate fundari debet sic, ut in primis detur opera ab his qui regunt populos, ut ametur Deus propter se, et proximus propter Deum. Nam *finis omnis praecepti charitas*, inquit Apostolus, et rursum. *Omne mandatum in hoc verbo instauratur. Diliges proximum tuum sicut teipsum*, et in eodem loco. *Dilectio malum non operatur, plenitudo ergo legis est dilectio.* Adde, quod Regna terrena, si bene gubernanda sint, respicere debent ad regnum caeleste, quod est exemplar omnis boni regiminis. In regno vero caelorum una viget charitas pro omnibus legibus, et statutis : nam ideo dicuntur omnes plateae caelestis Hierusalem esse ex auro purissimo, quo charitas significatur. Debent igitur omnes Principes, si bene regnare cupiunt, ex vera, et magna charitate paterna diligere omnes sibi subiectos ut servos, non ut extraneos, ac per hoc operam dare ut non graventur a Praesidibus provinciarum, neque a Gubernatoribus civitatum, neque ab ullis Iudicibus praeter iustitiam ; non imponantur vectigalia non necessaria, ut quietam et tranquillam vitam ducant. Hoc observavit Tiberius II. Imp. cuius vitam descripsimus in secundo libro accuratissime, et ideo amatus fuit a populis ardentissime, usque ad mortem.

Narrat Eusebius Caesariensis in libro primo de vita Constantini Magni, patrem eius Constantium, qui unus erat ex Caesaribus, et regebat Brittaniam, et aliquas alias partes Imperii, reprehensum fuisse per homines ad eum missos a Diocletiano Imperatore, quod non haberet aerarium pecuniis satis refertum. Ille vero respondit, post triduum, se demonstraturum habere se aerarium refertissimum auro, et argento, et fortasse magis copiosum, quam ipse Diocletianus haberet. Vere enim Constantius vir erat optimus, et populorum suorum amator, quos proinde non vexabat novis vectigalibus, vel tributis ; et propterea vicissim a populis, et praesertim a potentioribus vehementissime diligebatur. Significavit igitur amicis suis locupletibus, se indigere pecuniis ob aliquam ingruentem sibi necessitatem : continuo vero tantae ad eum pervenere pecuniae, ut aerarium plenissimum redderetur. Ergo ad diem condictum ostendit iis, quos Diocletianus miserat, aerarium plenum, et ait. *Referte hoc Diocletiano Imperatori.* Sed ego arbitror eum significare voluisse, verum aerarium esse amorem populorum, et vim ac robur Imperii non esse positum in multis pecuniis, sed in fide et charitate subditorum : amor autem amore conciliatur ; proinde qui velit imperium stabile, et forte, curet, ut cives et milites, et reliqui imperio subiecti, intelligant Principem esse patrem, seq ; ab eo ut a vero parente diligi : et tutissimum erit imperium. Haec sententia erat Constantii viri quidem nondum Christiani, sed prudentis et probi, et qui Christianos non persequebatur ut collegae eius omnes faciebant ; et ea fortasse causa fuit, ut ipse ante obitum in verum Deum crederet, et ut filius eius Constantinus divino miraculo ad fidem Christianam vocaretur ; et non partem Imperii, ut eius parens, sed totum omnino multis annis felicissime gubernaret, et filiis suis post se, gubernandum relinqueret. Haec igitur prima virtus quae est regina virtutum, cordi sit Principibus : ament populos, ut filios ; et pacem, et abundantiam illis procurent : non sinant eos a Praesidibus et Iudicibus iniuste vexari. Si enim populi intelligant a Principe se amari : et ipsi vicissim Principem suum diligent, et pro eo facultates suas, et vitam ipsam, si fuerit opus, exponent. Sic Moses populum suum, ex vera charitate, ut filios diligebat, cum Deum contra eos iratum alloquebatur dicens. *Aut parce populo huic, aut dele me de libro vitae.* Sic etiam David Mosis aemulator, videns populum ab Angelo Domini gladio feriri, clamabat. *Vertatur obsecro furor tuus in me. Ego sum qui peccavi, isti qui oves, sunt quid fecerunt?* Uterque autem facile obtinuit, quod petebat. *Deus enim charitas est*, et charitatem diligit in omnibus, sed in Principibus maxime, qui Dii in Scripturis vocantur.

CAP. VIII.

De prudentia Principi necessaria ad regendos populos.

Prudentia virtus est cardinalis, sed Principi in regimine populorum in primis necessaria ; quemadmodum obedientia necessaria est subditis, ut recte omnia fiant. Hinc David filio suo Salomoni Regi, tunc primum inuncto, precatur a Deo virtutem illi in primis necessariam, dicens. *Det tibi Dominus prudentiam et sensum, ut regere possis Israel, et custodire legem Domini Dei tui : tunc enim proficere poteris si custodieris mandata, et iudicia quae praecepit Dominus Moysi.* Ubi sanctus David, prudentissime docuit filium suum, prudentiam non solum esse necessariam, ad regendos alios, sed etiam ad regendum se. Qui enim se ipse regere nescit, quomodo alios regere sciet? Prudentia vero ad se regendum necessaria ; illa est, quae docet, servandam esse in primis legem Domini. Siquidem prudentia virtus est, quae dirigit media ad finem. Porro finis noster est vita aeterna : medium ad hunc finem est observatio mandatorum, dicente Domino. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Ideo rectissime David docuit filium suum, in hoc sitam esse veram prudentiam uniuscuiusque nostrum, ut pro viribus contendamus custodire quam accuratissime leges, et mandata Domini ; et postea regamus eos, qui nobis subiecti sunt : efficiendo pro viribus, ut etiam ipsi per observantiam mandatorum divinorum currant ad finem, ad quem a Deo conditi sunt, qui est felicitas sempiterna. Haec est prudentia quam Spiritus sanctus prudentiam iustorum appellat ; et distinguitur a prudentia carnis, quam mortem esse dicit Apostolus, quia ad mortem aeternam perdu-

cit; et non prudentia, sed astutia dici deberet. Prudentia enim vera secundum eumdem Apostolum, est prudentia spiritus, quae vitam et pacem adducit.

Princeps ergo Christianus sequatur Regem Davidem vere prudentem, non Regem Hieroboam, astutum potius quam prudentem. David Rex sanctus docuit filium suum, ut secundum prudentiam iustorum mandata Domini observaret, et observanda a subditis suis iuberet : quae sunt vera media ad verum finem, qui est vita sempiterna. Hieroboam Rex callidus astute cogitans, populos suos a se facile recessuros, et ad Regem Iuda reversuros, si irent in Hierusalem ad sacrificia offerenda, et ad Deum Patrum suorum adorandum secundum legem Moysis : erexit aliud altare in Bethel, et vitulos aureos fabricavit in Deos et proclamari iussit, *Hi sunt Dii tui Israel.* Itaque ut conservaret Regnum, abiecit veram Religionem, et introduxit idololatriam. Haec est prudentia huius saeculi, quae propter temporalia, negligit sempiterna ; et quia non est consilium contra Dominum, utraque brevi tempore amisit. Nam propter hoc peccatum Hieroboam, quod successores eius imitati sunt : brevi totum illud Regnum eversum est. Venit enim Salmanassar Rex Assyriorum, et in carcerem coniecit Regem ; et totum populum cum ipso Rege transtulit in Assyrios, unde numquam amplius redierunt. Hunc exitum habuit versutia politica Regis Hieroboam, et successorum eius : corrupit Religionem, ut conservaret Regnum, et brevi utrumque perdidit, neque unquam recuperavit.

Hanc astutiam Hieroboam imitati sunt scribae, et Pharisaei cum principe sacerdotum Caypha : sciebant enim, neque ullo modo negare poterant Iesum Nazarenum, verum esse Messiam in lege promissum, et a prophetis omnibus praenuntiatum; neque negare poterant ab eo praeter alia signa innumerabilia, caecum natum fuisse curatum et Lazarum ante quatuor dies mortuum et sepultum coram ingenti multitudine ad vitam solo verbo revocatum, tamen ne praetextu novi regis Romani Imperatores bellum eis inferrent,et ex propria civitate pellerent, persuasit illis Cayphas, expedire ut Messias falsis criminibus obrutus, occideretur, ne civitatem et rempublicam illam suam qualiscumque tunc esset, amitterent. Christum igitur occidi non solum passi sunt, sed ipsi Pilatum iudicem suis clamoribus et minis, ut eum occidi iuberet, compulerunt. Et quid tandem ista eorum stulta prudentia, et ne status eorum politicus mutaretur, anxia sollicitudo consecuta est? Christum quidem Salvatorem amiserunt, sed statum suum politicum non conservarunt. Brevi enim ira Dei illos persequente, civitas illa, ob quam conservandam Dei filium occiderunt,a Romanis capta,et funditus eversa est, et habitatores eius, vel occisi, vel capti, vel dispersi fuerunt; Christus autem resurrexit triumphator mortis et inferni, et orbem terrae fidei, et imperio suo subiecit: Et adhuc non intelligunt homines, quam inanis sit falsorum politicorum illa versutia, quae vera prudentia dici et haberi cupit.

Ad haec duo exempla falsae prudentiae, addam unum prudentiae verae. Constantius pater Magni Constantini, de quo supra locuti sumus, cum audivisset a Diocletiano, et Maximiano cogi Christianos, ac praesertim Palatinos, ut Christum abnegarent, finxit ipse quoque velle,ut ex palatio suo illi exirent, qui fidem Christi abnegare nollent. Itaque iussit illis significari, ut qui secum esse vellent, Christo renunciarent. Multi qui rem gratam se facturos principi arbitrabantur, si Christum abnegarent, promptos se ad abnegandum exhibuerunt. Sed prudens imperator omnes illos abiecit, qui Christo renuntiare parati erant, dicens, si Deo fideles non fuistis, quando sperare potero, ut mihi, quem hominem mortalem esse non dubitatis, fideles futuri sitis? Hoc igitur documentum est verae prudentiae, ut synceris et probis hominibus confidamus, a perfidis et proditoribus, quamvis nobis amicissimi videantur, penitus caveamus.

CAP. IX.

De iustitia Principi necessaria ad regendos populos.

Iustitia multis modis tum in scripturis sanctis, tum in libris philosophorum, et theogorum accipi solet. Sed ad rem nostram duae significationes maxime faciunt. Prior, qua per iustitiam intelligitur communis virtus, quae leges omnes adimplet, secundum quam is dicitur iustus, qui est probus, quique leges omnes adimplet, de qua disputat philosophus in libro quinto de moribus, et hanc sanctus Augustinus in libro de natura et gratia prope extremo scribit,esse eamdem virtutem cum charitate, cum qua iniquitas esse non potest. De hac loquitur sanctus Lucas in principio evangelii sui cum de Zacharia et Elisabeth dicit, erant iusti ambo, incedentes in omnibus mandatis et iustificationibus Domini, sine querela. Et Dominus in sermone suo, quem habuit in monte, beati qui esuriunt, et sitiunt iustitiam, et in iudicio ibunt hi, id est, iusti, in ignem aeternum, iusti autem in vitam aeternam, et s. Ioannes in epistola prima, Filioli, inquit, nemo vos seducat, qui facit iustitiam iustus est, qui facit peccatum, ex diabolo est quoniam ab initio diabolus peccat. Et in eodem loco paulo superius. Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit, et peccatum est iniquitas.

Altera significatio iustitiae magis angusta illa est, quae iustitiam particularem designat, secundum quam diriguntur commutationes rerum, vel distribuuntur pro meritis praemia. Et quidem iustitia omnibus modis ad Principem maxime pertinet. De priore dicit Sapiens in Proverbiis. *Abominabiles Regi, qui agunt impie, quoniam iustitia firmatur solium.* De posteriore scribit Hieremias. *Regnabit Rex, et sapiens erit, et faciet iudicium et iustitiam in terra.* Porro Principem debere esse exemplar omnis iustitiae, ac praecipue iustitiae generalis, docent omnes qui de his rebus scripserunt auctores sacri et prophani. Primus Moses praeveniens creationes Regum, dat eis praecepta,

ut legant assidue legem Domini; ut discant timere Dominum, et custodire mandata eius omnibus diebus vitae suae; non eleventur in superbiam super fratres suos, et non declinent in partem dexteram vel sinistram.

Deinde David in psalmo secundo. *Et nunc*, inquit, *Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram; servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.* Salomon in Proverbiis, preter alia admonet Reges sobrietatis, dicens. *Noli Regibus dare vinum, quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas; et ne forte bibant et obliviscantur iudiciorum, et mutent causa filiorum, et pauperis.* Et liber Sapientiae vehementissime reprehendit malos Reges, quod ipsum liberrime fecerunt omnes prophetae, etiam si scirent sibi propterea, carceres et vincula, et mortes horribiles esse parata, sed ne ipsi quidem scriptores Ethnici tacuerunt, Principes debere esse viros optimos, et custodes legum, et exemplaria omnium virtutum. Nota est sententia Artistotelis in libro quinto Politicorum, ubi laudat veteres, quod Reges eligerent semper ex viris bonis, et propter excellentiam virtutum, aut res praeclare gestas. Similis est sententia Xenophontis in libro de expeditione Cyri Regis, ubi dicit, nulli homini, sed praesentim ei, qui in alios, imperium habet, ullas esse opes honestiores quam iustitiam, et animi magnitudinem, et virtutes caeteras; qui rursum addit, Imperium nemini convenire, qui non sit melior illis quibus imperat. Iis adde Senecam, qui in epistola vicesima aperte scribit, summam felicitatem esse apud illas gentes, in quibus non potest esse potentior, nisi melior.

Sed his omissis, ratio naturalis apertissime clamat, eum qui praest. caeteris. debere esse omni ex parte perfectum. Princeps officium habet in populo, quod habet caput in corpore. Porro caput. habet omnes sensus; reliquum corpus unum tantum, eumque imfimum. Quale igitur monstrum esset si caput, cuius est regere omnia membra, neque videret, neque audiret, neque loqui posset, neque discerneret odores a foetoribus, neque dulcia ab amaris? et ex membris inferioribus aliud videret, aliud audiret, aliud gestraret. Neque solum esset monstrum, sed frustra locum illum excelsum occuparet; cum non solum regere membra non posset, sed ipsum dirigi, ac duci opus haberet. Quis igitur non intelligit quanta virtutum perfectio requiratur in Principe, ad cuius officium pertinet, sic populos regere, ut membra reguntur a capite.

Deinde Princeps non solum est quasi caput in corpore; sed etiam quasi pastor inter oves. Sic enim loquitur Deus in psalmo. *Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium, de postfoetantes accepit eum. Pascere Iacob servum suum, et Israel haereditatem suam. Et pavit eos in innocentia cordis sui, et intellectibus manuum suarum deduxit eos.* Ubi Dominus dicit, se exercuisse Davidem in arte pastoritia ovium irrationabilium, ac deinde eum translulisse ad officium pascendi populos ratione praeditos. Nec solum Davidem Regem Hebraeorum. Deus pastorem vocat; sed etiam, quod est magis admirandum. Cyrum ipsum Regem Persarum apud Isaiam vocat Deum pastorem suum. *Qui*, inquit, *dico Cyro, pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis.* Denique, ut alia praetermittam, apud Ezechielem conqueritur Deus de Pastoribus Israel, id est, de Regibus, qui cum essent ipsi deterriori, populum ad exitium perduxerunt: et tandem adiungit. *Et suscitabo super eas*, oves videlicet gregis sui. *Pastorem unum, servum meum David. Ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem.* Neque scriptores Ethnici abhorruerunt a nomine pastorum, cum de Regibus ageret. Certe Homerus Agamemnonem Regem, pastorem populorum appellare solet. Haec vero similitudo Regis ad pastorem, satis aperte docet, Reges debere sapientia et virtutibus sic eminere in populis, quos regunt, ut eminent homines ratione praediti in gregibus ovium quas pascunt. Ex quo sequitur ut Sardanapalus, Nero, Vitellius, Heliogabalus, Commodus, et alii eorum similes non pastores, sed lupi, vel ursi, aut canes rabidi dici potuerint.

Ad haec Princeps non solum est caput et pastor, sed Deus quidam terrestris, dicente Spiritu sancto in psalmis. *Ego dixi dii estis, et filii excelsi omnes.* Et non sine magna causa Ethnici, qui Deos colebant, qui delectabantur stupris, adulteriis, furtis, et qui inter se bella gerebant, et unus alium Regno pellebat: ipsi quoque licere sibi existimabant, eiusmodi facinora perpetrare. Sanctus Augustinus in libris Confessionum ponderat id, quod est apud Terentium, adolescentem quemdam excitasse se ad vim inferendam virgini, exemplo Iovis principis Deorum, cuius stuprum in tabella depictum cernebat. *Vide*, inquit, *quemadmodum se concitat ad libidinem, quasi caelesti magisterio. Ad quem Deum, inquit. qui templa caeli summo sonitu concutit; ego homuncio id non facerem? Ego vero illud sponte feci ac libens.*

At nos Christiani Deum habemus, cui Angeli canunt. *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: et qui lux est, in qua tenebrae non sunt ullae, et de quo David canit, *Iustus Dominus, et iustitiam dilexit*: et cuius tanta est puritas, ut Iob dicat, *stellae non sunt mundae in conspectu eius*: proinde necesse est, ut Principes, cum quibus Deus nomen suum communicare dignatur; ea puritate procurent, quae tanto nomini convenit:

Praeterea, principes in terris sunt quasi specula vel exemplaria, in qua subditi omnes respiciunt, seque eorum moribus accommodare satagunt: ea de causa, si principes iusti sint, casti, sobrii, pii, multos ex subditis, cum magna sua laude, et cum ingenti merito apud Deum tales efficient. Contra vero, si sint iniusti, ebriosi, adulteri, parum pii, parumque religiosi, plurimos exemplo suo trahent ad inferos.

Denique princeps est iudex supremus in suo Regno, et siquidem sit ipse probus, et ab omni scelere immunis; libere omnino, et aperta fronte poterit sceleratos omnes iustis poenis mulctare: sed si forte sit ipse adulter; qua fronte adulteros condemnabit, si periurus, aut blasphemus, quando

audebit de similibus poenas publicas sumere, si furore percitus hominem innocentem occiderit; quomodo audebit reos eiusdem delicti carnifici occidendos tradere? Sin autem crimina ista, et alia iis similia non puniet, civitatem adulteriis, periuriis, blasphemiis, homicidiis, et aliis flagitiis, et facinoribus replebit. Si vero puniet, se ipse damnabit, iuxta apostolum, qui scribit in epistola ad Romanos, inexcusabilis es, o homo omnis qui iudicas; in quo enim iudicas alterum teipsum condemnas; eadem enim agis quae iudicas.

Compellitur ergo princeps, si nomen suum ullo modo tueri velit, iustitiae generali operam dare, id est virtutes omnes colere, vitia omnia vitare. Est autem felix necessitas, quae ad meliora compellit. Sed neque compelli opus habebit, si fretus auxilio Dei, incipiat viam virtutis ingredi, cum piis hominibus versari, perniciosos amicos, ut pestes fugere, precibus, ieiuniis eleemosynis, nomen divinum sibi conciliare, sacramenta caelestia cum seria praeparatione frequenter sumere. Via enim virtutis, quae initio angusta videtur, semper magis dilatatur, cum cor ipsum charitas ipsa dilatat. Viam, inquit propheta, mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.

CAP. X.

De iustitia particulari principi necessaria ad regendos populos.

Diximus de iustitia generali; nunc de particulari dicendum est. Iustitia particulari est etiam duplex, altera quae in commutationibus posita est, quae proprie ad privatos pertinent, inter quos exercentur emptiones, venditiones, locationes, mutua, et alia id genus, de quibus nos hoc loco non agimus. Est tamen etiam commutativa iustitia, quae consistit in inflictione poenarum, et haec ad principes et iudices pertinet, ex s. Thoma 2.2. q. 108. art. 2. ad primum. Altera particularis iustitia est, quae in praemiis, vel aliis bonis communibus distribuendis consideratur. Atque haec est quae proprie ad Principis officium pertinet; de quo officio nos disputamus. Primum igitur agenus de distributione bonorum, deinde de inflictione poenarum.

In distributione bonorum tota difficultas in eo posita est, ut evitetur acceptio personarum: hoc enim est vitium proprie contrarium iustitiae distributivae. Est autem acceptio personarum vitium, quo Iudex, sive Princeps in distributione bonorum quae ex iustitia debentur; non considerat veram causam meritoriam, sed loco causae, considerat aliquam personae qualitatem, ut cognationem, vel amicitiam, vel aliquid aliud eiusmodi, quod ad rem non pertinet. Ponam exemplum in re in qua gravius peccari solet. Habent multi Principes ius nominandi personas ad Episcopatus. Et quidem si nominet personas idoneas; nominatio, et collatio rata est, etiam si aliae personae adessent notae Principi magis idoneae: sed tamen Princeps ipse, qui nominat personam minus idoneam, minus dignam, minus utilem; utiliore, et digniore, et magis idonea praetermissa, mortaliter peccat, ut Synodus ipsa Tridentina declarat. Nam et Ecclesiam laedit, et ipsi personae nominatae parum prodest; et si forte sit indigna plurimum nocet, dum illi prodesse se putat. Et si is qui minus dignum nominat, peccat tam graviter; quam graviter peccabit qui indignum nominat? Sanctus Gregorius, vir sapientissimus, numquam se immiscere voluit in electionibus Episcoporum, ut ipse testatur, ne videlicet esset particeps peccati gravissimi, quod illi committunt, qui quoquo modo indignum eligunt. Et sanctus Ludovicus, Rex, eadem de causa, recusavit accipere a Summo Pontifice, privilegium nominandi praelatos. Videant igitur, si qui sunt, eiusmodi privilegia ambiunt, quam periculosam rem ambiunt.

Idipsum intelligi debet de aliis distributionibus dignitatum, honorum, graduum, emolumentorum, quae ex iustitia pendent: nam ubi non habet locum iustitia, sed gratia; ibi non est vitiosa acceptio personarum. Siquidem apud Deum non est acceptio personarum, ut Scripturae passim clamant: et tamen Deus cuius vult misereatur, et quem vult indurat. Et Christus in parabola vineae, murmurantibus operariis, quod mercedem eamdem reddidisset iis, qui laboraverunt horae unius spatio, cum iis, qui tota die portaverant pondus diei et aestus; respondit. *Amice non facio tibi iniuriam, nonne ex denario convenisti mecum? tolle quod tuum est et vade; volo autem huic novissimo dare sicut et tibi: an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?*

Iam vero quod attinet ad redditionem poenae iis qui male agunt: iustitia quidem vindicativa necessaria est Reipublicae, ut ex poena unius multi desistant ab iniuriis inferendis, et sic fiat opus iustitiae pax, ut loquitur Isaias propheta, hoc est, ex iustitia oriatur pax, et tranquillitas. Et quidem rigor iustitiae, non est contrarius lenitati, si mansuetudini, quando nascitur, non ex crudelitate erga homines; sed ex zelo erga Deum. Moses mitissimus erat super omnes homines, qui morabantur in terra; et tamen ex zelo honoris Dei, iussit occidi multa millia hominum, qui vitulum aureum adoraverant; et rursum alias suspendit omnes Principes populi in patibulis; et iussit occidi multa millia ex plebe, ob aliud peccatum idololatriae. Et David tantae mansuetudinis erat, ut de eo scriptum sit. *Memento Domine David, et omnis mansuetudinis eius*: et tamen ipse de se, dicit. *In matutino interficiebam omnes peccatores terrae, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Itaque non pugnat zelus iustitiae cum mansuetudine: neque pugnat etiam cum misericordia. Quamvis enim iustitia et misericordia contrariae videantur: tamen sic unitae inter se sunt, ut sorores amantissimae dici possunt. Nam cum puniuntur per iustitiam homines scelesti; liberantur per misericordiam homines probi, quas scelesti illi iniuste vexabant. Et ipsi etiam improbi, si saperent, intelligerent, secum misericorditer agi, cum poenis coguntur temperare a peccatis, quae maiora sunt mala, quam ipsa supplicia. Neque tamen negamus quin aliquando, iustis de causis, possit Princeps misericorditer, vel diminuere, vel omnino condonare poenam homini

peccanti ; sed ut plurimum, iustitiae severitas in Principe laudatur; tum ut caeteri timentes caveant a peccatis; tum ut homines probi sine timorere vitam quietam et tranquillam ducant.

Unum est peccatum, in quo severissime puniendo, ego quidem valde optarem, ut Christiani Principes omnes maximo zelo exardescerent. Blasphemia est peccatum, de quo loquor ; hoc enim crimen ex sententia S. Thomae Doctoris vere Angelici, est peccatum maximum, quod ille probat, quia « opponitur confessioni fidei. et ideo habet in se « gravitatem infidelitatis ; et aggravatur peccatum « si superveniat detestatio. voluntatis ; et adhuc « magis si prorumpat in verba : sicut et laus fidei « augetur per dilectionem, et confessionem. Unde « cum infidelitas sit maximum peccatum, secun- « dum suum genus : consequens est, quod etiam « blasphemia sit peccatum maximum ad idem ge- « nus pertinens, et ipsum aggravans ». Haec sanctus Thomas, ex cuius ratione sequitur, ut blasphemia sit peccatum quodammodo maius maximo : quia pertinet ad genus infidelitatis, quae est peccatorum omnium maximum, ut idem docet, et illud etiam aggravat, cum illi addat detestationem voluntatis. Deinde peccatum blasphemiae in Deum, in lege divina, non dubiam habet poenam, sed manifestam, et atrocissimam. Sic enim loquitur Dominus, quem consuluerat Moses de poena blasphemi. *Educ blasphemum extra castra, et ponant omnes qui audierunt, manus suas super caput eius. et lapidet eum populus universus.* Deinde per hanc occasionem, ne forte extimaret Moses, aut populus, solum illum primum blasphemum eo modo fuisse puniendum ; addit Deus legem universalem. dicens. *Homo qui maledixit Deo suo, portabit peccatum suum ; et qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit*, et iterum repetit Dominus ad legem confirmandam. *Qui blasphemaverit nomen Domini moriatur.* Et mox adiungit idem Dominus. *Qui percusserit, et occiderit hominem, morte moriatur. Qui percusserit animal, reddet vicarium, idest animam pro anima.* Ubi videmus differentiam peccatorum et poenarum. Qui occidit animal brutum, non ipse occiditur, sed reddet vivum pro mortuo ; qui occidit hominem, et ipse occiditur, sed non lapidatur, quod est genus mortis atrox, et turpe; qui Deum blasphemat, lapidatur ab omni populo, in argumentum universalis detestationis, ut nullus sit, qui blasphemi misereri debeat. Quae cum ita sint, mirum certe videri debet, quod apud Christianos, homicidium ordinaria morte puniatur : blasphemia quae est crimen longe gravius, minori poena, ut plurimum castigetur.

Neque solum lex divina, sed etiam humana Imperatoris Iustiniani, blasphemos in Deum, vel sanctos ultimo supplicio affici iubet; ut legi potest in Authenticis collatione sexta, titulo quinto, novella septuagesima septima. Porro lex Ecclesiastica, quae cruentas refugit ultiones, ut scribit sanctus Leo in epistola ad Turbium Episcopum Asturicensem ; tamen eodem Leone auctore, severis Principum constitutionibus adiuvatur, dum ad spirituale nonnumquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium. Et tamen ipsa Ecclesia non adeo levem poenam blasphemis constituit : iubet enim Gregorius Novus in cap. statuimus, in titulo de maledicis, hac poena mulctari blasphemos. « Statuimus, *inquit*, ut si quis contra Deum « vel aliquem sanctorum suorum. et maxime Bea- « tam Virginem, linguam in blasphemiam publice « relaxare praesumpserit: per Episcopum suum « poena subdatur inferius annotatae, videlicet, ut « septem diebus Dominicis praetoribus Ecclesiae « in manifesto, dum aguntur Missarum solemnia, « blasphemus existens, ultimo illorum die Domi- « nico pallium et calcearem non habeat, ligatus « corrigia circa collum: septemque praecedentibus « sextis feriis in pane et aqua ieiunet, Ecclesiam « nullatenus iugressurus. Quolibet quoque praedi- « ctorum dierum, tres, si poterit. alioqui duos re- « ficiat pauperes. vel unum : et si neque ad hoc il- « lius suppetant facultatates; id in poenam aliam « si renuerit recipere, ac peragere poenitentiam « supradictam. Ecclesiae interdicatur ingressus, et « in obitu Ecclesiastica careat sepultura. Per tem- « poralem praeterea potestatem, coactione, si ne- « cesse fuerit, Episcopi dioecesani adhibita contra « eum, quadraginta solidorum, alioqui triginta, « vel viginti, vel saltem quinque poena mulctetur, « nullam in hoc misericordiam habiturus. » Haec in eo canone habentur, cuius summa est, ut blasphemus puniatur quoad honorem, per publicum dedecus; quoad corpus, per ieiunium in pane, et aqua; quo ad substantiam, per mulctam pecuniariam, maiorem, vel minorem, pro censu, quem possidet.

Quod si diligentia pastorum ecclesiae has poenas mitiores non facile remitteret, et si his non corrigerentur blasphemi; principes saeculi ad leges suas blasphemos pertraherent, in quibus habent precurrentem legem Dei vivi, spes aliqua esset. morbum hunc animarum, morborum omnium gravissimum, procul a christiano populo esse pellendum. Certe quidem nulla ratio permittit, ut Christianus populus minus sit in Deum religiosus et pius, quam populus hebraeorum, qui servitutis spiritu agebatur; cum Christianus spiritum filiorum acceperit, in quo clamamus, Abba Pater, ut apostolus loquitur.

Neque dubium esse potest, quin si principes statuerent hoc vitium exterminare, facillime id assequerentur. Si enim populi intelligerent, hoc esse principi omnino decretum, nemo auderet linguam ad blasphemandum solvere, cum nihil inde lucri, nihil utilitatis, nihil voluptatis, nihil honoris accedat, et contra certo sciant, vel facile scire possint, Deum per hoc vitium ad iracundiam maxime provocari, et ab eius iustitia supplicia nimis horrenda blasphemis omnibus esse parata.

CAP. XI.

De fortitudine Principi necessaria ad regendos populos.

Fortitudo virtus est cardinalis, quae resistit doloribus impedientibus opera, quae fieri debent ab

homine secundum rationem, quemadmodum temperantia resistit voluptatibus propter eandem causam. Differunt tamen hae virtutes, quod fortitudo resistit doloribus, eos tolerando, et sustinendo viriliter: temperantia resistit voluptatibus, eas declinando, ac fugiendo. Et quoniam pericula mortis dolores vehementissimos excitant, et haec pericula non casu, aut fortuito, sed ordinarie occurrunt in bellis, ideo fortitudo potissimum locum habere videtur in bellis. Et quamvis ad milites omnes pertineat haec virtus fortitudinis: tamen praecipue pertinere videtur ad principem, qui est Dux, et imperator, quem omnes milites intuentur, et qui fortitudine sua militum animos erigit, et debilitate deprimit.

Caeterum non sola sunt bella hominum adversus homines, in quibus fortitudo requiritur, sed sunt bella graviora, et atrociora daemonum adversus animas, de quibus loquitur apostolus in epistola ad Ephesios, dicens, Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli: quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum. In hoc bello claruerunt olim fortissimi martyres, qui sustinendo viriliter cruciatus, et mortes pro confessione Christi, videbantur quidem a persecutoribus hominibus vinci et superari, sed persecutores invisibiles daemones, et eorum principem diabolum gloriosissime superabant, et de illis coram Deo, et Angelis triumphabant. Neque desunt hoc tempore martyres sancti, qui pro fide catholica adversus infideles dimicantes, multis in locis, vitam et sanguinem fortiter fundunt, et de diabolo, qui ab initio fuit mendax, et pro viribus zizania seminare non cessat, gloriose triumphant.

In hoc igitur bello spirituali debent principes christiani, non minus ecclesiam Christi iuvare, quam in bello corporali provincias suas, vel regna protegere. De qua re scribit s. Augustinus in epistola ad Vincentium Donatistam, ubi ostendit, iuste paganos, et haereticos puniri a principibus temporalibus. Scribit etiam sanctus Gregorius in epistola ad praefectum Africae Pantaleonem, ut Donatistas haereticos comprimat. Et in epistola ad Mauritium Imperatorem, et in alia ad Brunichildem reginam Francorum, ut idololatras, et haereticos persequantur.

Neque vero solum in bellis, quamvis in iis potissimum, fortitudo necessaria est: nam in labore etiam gubernandi provincias, et regna, non exigua fortitudo requiritur. Occurrunt enim curae et sollicitudines gravissimae, et molestissimae in audiendis personis miserabilibus, quae de iniustitia iudicum queruntur, item in audiendis officialibus, qui casus asperos et inopinatos saepe referunt: praeterea in legendis epistolis de tumultibus variis in locis excitatis: denique in audiendis nunciis defectiones civitatum, aut provinciarum significantibus. Quae omnia, et alia id genus multa, si princeps negligat, ut voluptates suas, et privata gaudia non interrumpat; negligentiae nomine carebit, et invisus incipiet fieri populis, ut alter Sardanapalus: et denique neque Deo, neque hominibus satisfaciet; et fieri poterit; ut de ipso principatu periclitetur. Quod si vigilantiam et diligentiam in gubernando principatu, quam oportet, adhibere voluerit; laborem non exiguum tolerare eum oportebit, et non raro noctes insomnes ducere, cogitando, et recogitando remedia, quae malis imminentibus adhiberi oporteat. Paterfamilias, qui uniram domum regendam suscepit; nisi naturali amore uxorem, et liberos valde diligeret, et charitas illa fortem eum redderet ad sustinendos labores, quos secum adfert sollicitudo bene administrandae domus: certe sub onere caveret. Quam forti ergo debebit esse bonus Princeps, si velit, ut debet audire clamores pauperum, et oppressorum legere tantam multitudinem supplicum libellorum: adhibere remedia malis tam multis, et tam diversis? Laboriosa igitur est vita boni Principis, si officio fungi velit: periculosa vero, si iugum sibi a Deo impositum excutiat: et honore tamen, et opibus frui velit, quae principatum sequuntur.

Extat apud Evangelistas Matthaeum et Lucam, similitudo quaedam de servo praeposito toti domui a Domino domus, quae similitudo communis est tam Principi temporali, quam spirituali. Uterque enim praepositus est a Deo sive Regno, sive Ecclesiae: et uterque rationem Deo reddet de administratione sua; et uterque praemium vel poenam, secundum merita sua recipiet. Et de utroque Principe tam spirituali, quam temporali intelligit, et explicat verba Domini S. Ioannes Chrysostomus, cum scribit in caput Matthaei vicesimumquartum: et eum sequuntur Episcopus Iansenius, et alii. Est igitur haec similitudo. « Quis putas est fidelis « servus, et prudens, quem constituit Dominus su- « per familiam suam ut det illis cibus in tempo- « re? Beatus ille servus quem cum venerit Domi- « nus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, « quoniam super omnia bona sua constituet eum. « Si autem dixerit servus ille malus in corde suo: « moram facit Dominus meus, venire; et caeperit « percutere conservos suos; manducare autem et « bibere cum ebriosis: veniet Dominus servi illius « in die qua non sperat, et hora quam ignorat; et « det eum, partemque eius ponet cum hypocritis; « illic erit fletus, et stridor dentium ».

Haec est similitudo, quam breviter exponemus, quia utilissimam continet. Initio declarat Dominus qualitates duas bonas, quas requirit in omnibus, quos assumit ad regimen sive Ecclesiasticum, sive temporale, quae sunt fidelitas, et prudentia, quarum una pertinet ad voluntatem, altera ad intelligentiam; et prior, id est, fidelitas, nascitur ex charitate; posterior partim est naturalis, partim acquiritur usu, et doctrina: et prior est magis necessaria, quam posterior: quia posterior potest utcumque suppleri per alios: prior non potest. Itaque Dominus cum praeficere vellet sanctum Petrum toti Ecclesiae, de sola charitate illum interrogavit, dicens. *Simon Ioannis amas me plus his?* Deinde ostendit Dominus, regimen sive Ecclesiasticum, sive temporale quomodocumque acquiratur, sive electione, sive alio modo: principaliter dari a Deo. *Quem constituit*, inquit, *Dominus su-*

per familiam suam. Omnia enim quae fiunt in terris pendent a providentia Dei, neque possunt aliquid secundae causae sine prima. Itaque loquens Daniel ad Regem Nabuchodonosor, qui suis viribus pugnando arbitrabatur se monarchiam obtinuisse, dixit, *Tu Rex Regum es, et Deus caeli dedit tibi Regnum, et Imperium.* Si ille, qui Deum non noverat, et solis suis viribus existimabat se Regnum peperisse: tamen Propheta testante. Regnum illud a Deo acceperat: quanto magis fideles Principes principatum suum a Deo se habere confiteri debent? Apud Isaiam dicit Dominus Cyro. « Haec dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius ap- « prehendi dexteram, ut subiiciam ante faciem e- « ius gentes, et dorsa Regum vertam, et aperiam « coram eo ianuas, et portae non claudentur. Ego « ante te ibo, et gloriosos terrae humiliabo; por- « tas aereas conteram, et vectes ferreos confrin- « gam: et dabo tibi thesauros absconditos, et ar- « cana secretorum, ut scias quia ego Dominus, « qui voco nomen tuum Deus Israel ». Certe si Cyro Deus dedit Regnum amplissimum, ipso neque sciente, neque cogitante: quis negare poterit, a divina providentia Regna, et Imperia distribui iis, quibus sibi bene placuerit? Itaque recte dicit Dominus in parabola evangelica, se constituisse servum fidelem, et prudentem super familiam suam. Nam omnis Princeps praeponitur a Deo super familiam, non ipsius Principis, sed Dei, ut eam pascat, et regat, redditurus Deo rationem de administratione sua. Et siquidem recte gubernaverit familiam sibi commissam, beatus erit servus ille, quia Dominus super omnia bona sua constituet eum, dicens. « Quia super pauca fuisti fidelis, « super multa te constituam, intra in gaudium Do- « mini tui. *Sed si dixerit servus ille in corde suo,* « Moram facit Dominus meus venire: et caeperit « percutere conservos suos, manducare, et bibere « cum ebriosis; hoc est, si Princeps ille incipiat delinitus bonis praesentibus, oblivisci rerum futurarum, mortis, et iudicii, et divino timore postposito, subditos suos, qui vere conservi eius sunt, male gubernare, iniustis oneribus aggravare, causas eorum in longum trahere, denique loco mancipiorum habere: et his non contentus incipiat manducare, et bibere cum ebriosis, id est, dimissa cura populorum, et tota in alios reiecta, incipiat totum se luxuriae, et illicitis voluptatibus tradere: quid tum fiet? « Veniet Dominus in die, qua non spe- « rat, et hora, qua ignorat; et dividet eum, par- « temque eius ponet cum hypocritis, et infidelibus « (*hanc enim vocem addit sanctus Lucas*) ibi e- « rit fletus, et stridor dentium. Veniet, *inquit*, Do- « minus eius in die, qua non sperat, et hora, qua « nescit », id est, quando minus cogitat, et sperat adhuc se diu victurum, morbo lethali corripietur: et cum etiam Medici salutis recuperandae spem illi dabunt, antequam incipiat de confessione peccatorum, et poenitentia serio agenda cogitare; adveniet hora postrema, et repente imparatus, et nihil minus cogitans ad tribunal Iudicis aeterni rapietur. Iudex autem iustus, qui non respicit personas, et qui coronis et sceptris non terretur; continuo dividet eum in partes duas, separans animam a corpore; et partem unam, id est, corpus vermibus tradet, et partem alteram, id est animam ponet cum infidelibus, et hypocritis, qui quamvis nihil credant, tamen credere se fingunt; ponet autem in gehennam, ubi erit fletus et stridor dentium, et ubi vermis non moritur, et ignis non extinguitur.

Haec est explicatio parabolae, si agatur de iudicio particulari, quod exercetur in morte. Sed potest etiam exponi de iudicio universali, et tunc illa verba. *Dividet eum, et partem eius cum infidelibus, et hypocritis ponet,* hunc sensum habebunt; Dividet eum Iudex a iustis, et piis: et partem eius, id est sortem eius ponet cum infidelibus, et hypocritis, qui in gehennam proiiciuntur, ubi fletus, et stridor dentium sine fine durabunt.

Ultimam haec parabola ad paucissimos, vel nullos Christianos Principes pertineret, quo ad hanc partem posteriorem, quae malos Principes tangit; et ad plurimos, vel etiam omnes, quo ad priorem, quae bonis Principibus convenit. Sed terrent me verba Scripturae. « Intrate per angustam portam: « quia lata porta, et spatiosa via est, quae ducit ad « perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam. « Quam angusta porta, et arcta via est, quae ducit « ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam. *Et « in specie de Principibus.* Horrende, et cito appa- « rebit vobis, quia iudicium durissimum his, qui « praesunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter autem judicia patientur ». Quae omnia illuc pertinent, ut Principes intelligant, fortitudinis virtutem sibi potissimum esse necessariam, ut fortiter labores omnes ferant, quos regimen populorum requirit: nec minus fortiter cum passionibus animi sui, quas locus altus nutrit, et auget, assidue bellum gerant.

CAP. XII.

De Temperantia Principi ad regendos populos necessaria

Postrema virtus ex cardinalibus est Temperantia, quae proprie posita est in moderanda concupiscentia sensuum gustandi, et tangendi, qua quando sine fraeno aguntur, pariunt crapulas, ebrietates, necnon fornicationes, adulteria, et alia id genus multa, quae usque adeo turpia sunt, ut nominari honeste non possint. Haec vero virtus multis de causis Principi necessaria est. Primum quidem quoniam Scriptura sacra, virtutem hanc in Principe vehementer laudat, et contrarium vitium execratur. Salomon in Ecclesiaste sic loquitur. « Vae tibi terra, cuius Rex puer est, et cuius Prin- « cipes mane comedunt. Beata terra, cuius Rex « nobilis est, et cuius Principes vescuntur in tem- « pore suo ad reficiendum, et non ad luxuriam ». Ubi reprehenditur comestio ante tempus, quia signum est voracitatis: et Rex nobilis appellatur, qui non est puer levis, et contemptibilis, sed vir maturus, et gravis, ad cuius exemplum Principes comedunt ad reficiendum, non ad luxuriam. Idem Sapiens in Proverbiis, *Luxuriosa,* inquit, *res est vinam, et tumultuosa ebrietas; quicumque his*

delectatur, non erit sapiens. At Rex inprimis sapiens esse debet, ut infra dicemus. Et de Christo Hieremias dicit, *Regnabit Rex, et sapiens erit, et faciet iudicium et iustitiam.* Idem Salomon in eodem libro, *Regibus dare vinum, quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas; et ne forte bibant, et obliviscantur iudiciorum, et mutent causam filiorum pauperis.* In testamento novo, Apostoli in epistolis suis passim execrantur luxuriam, et omnia vitia carnalia, et omnem impudicitiam, sic ut ne nominari quidem velint apud Christianos. *Fornicatio, et omnis immunditia nec nominentur in vobis, sicut decet sanctos*, inquit B. Paulus. et alibi, *Non in commessationibus, et ebrietatibus, non in cubitibus, et impudicitiis.* Et denique Christus ipse gravissimis verbis admonens omnes, ut parati sint ad ultimum diem; tamquam in summa dicit, « Attendite vobis ne forte graven-« tur corda vestra in crapula, et ebrietate, et su-« perveniat in vos repentina dies illa ».

Deinde exempla Scripturae sanctae certe terrere deberent, tamquam tonitrua quaedam caelestia, omnes homines, praesertim vero Reges et Principes Peccatum primum, quod *invidia diaboli intravit in orbem terrarum*, et quod aditum aperuit morti temporariae, et sempiternae; certe inobedientia fuit erga cibum vetitum. « Vidit *enim Eva*, « quod bonum esset lignum ad vescendum, et pul-« chrum oculis, aspectuque delectabile; et tulit de « fructu illius, et comedit, deditque viro suo, qui « comedit ». Deinde Loth, qui iustus dicitur, nihil aliud ad incestum cum filiabus induxit, nisi ebrietas. Sed, quod longe miserabilius est, et notum omnibus, Sampson Iudex sive Princeps Hebraeorum, qui victorias admirabiles de Philistaeis retulerat: amore captus mulierculae, et ab ea circumventus, captus ab hostibus, et oculis eruis, ad molam in pristino vertendam adindicatus fuit. Atque huc respexisse videtur Ecclesiasticus, cum capite decimo octavo scripsit, *Si praestes animae tuae concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Salomon vero Rex felicissimus, et sapientissimus, qui a Deo dona plurima, et maxima consecutus fuerat: tandem in senectute mulierum amore ardentissime captus, ad eam mentis caecitatem pervenit, ut in gratiam concubinarum suarum, aras erexerit idolis plurimis, et quod gravius est, coluerit ipse Astartem Deam Sidoniorum, et Maloc idolum Ammonitarum. Hoc certe exemplum terrere deberet omnes Principes, ne preter legitimam uxorem, mulierem ullam unquam aspicerent neque ullam nisi fidelem et probam ducerent. Neque praetermittere volo Davidem Regem, qui cum tot virtutibus praeditus esset, et tam multa cantica divini amoris edidisset, et Christi Domini mysteria pene omnia Spiritu sancto plenus praedicere potuisset: tamen, a concupiscentia carnis devictus, incidit, quod ei plurimorum postea malorum causa fuit. Et fortasse permisit Deus, ut David in adulterium laberetur, quia curiose nimis aspexit mulierem se lavantem. Debuisset enim continuo avertere oculos ab eo spectaculo, quod periculi plenum esse dubitare non poterat. Ideo enim sanctus Iob pepigerat foedus cum oculis suis, *ut ne cogitaret quidem de virgine*, id est, firmiter proposuerat nullam virginem aspicere, ne aspectus cogitationem, et cogitatio libidinosum desiderium pareret. Quod foedus si pepigissent cum oculis suis duo illi senes apud Danielem, qui Iudices erant populi; et debuissent exemplum pudicitiae iuvenibus omnibus dare: neque tam curiose Susannam se lavantem aspexissent: neque tam foede in concupiscentiam eius exarsissent, neque tam misere tandem periissent. Sed exempla eiusmodi pene innumerabilia proferri possent, quibus probaretur, necessariam esse Principibus omnibus temperantiae virtutem; non solum quod attinet ad peccata gulae, atque luxuriae, sed etiam ad omnem immoderantiam.

Accedat iam tertia ratio ex occasione peccandi, quam in hac re Principes habent, et qua privati homines, ut plurimum carent. Principes enim mensam refertam cibis pretiosis, et vinis optimis habere solent: proinde facile est, ut crapula, et ebrietas, aut certe nimius cibus et nimius potus illis subrepat. A crapula vero, et nimio potu vini facillimus transitus est ad libidinem: cum magna vicinitas sit ventri ad ea membra, quae sub ventre sunt: et notum sit illud Apostoli, *In vino est luxuria.* Neque desunt Principibus multae viae ad explendas libidines quas, sive pecuniis, sive aliis muneribus res agenda sit. Haec igitur tanta facilitas explendi libidines suas magna infelicitas mihi semper visa est; et contra magna felicitas ista facilitate carere. Quare maxima laude digni sunt Principes illi, qui cum abundantia rerum sobrietatem, et continentiam coniungere possunt.

Alia quoque ratio Principes movere deberet ad temperantiae virtutem colendam, quod ipsi dati sint populis in exemplum, et quodammodo in magistros bonorum morum: et grave, et notorium scandalum accipiant populi, cum Principes suos, qui leges continentiae praescribunt aliis, et severe aliquando puniunt adulteria, sacrilegia, peccata contra naturam, oppressionem virginum, et alia id genus incontinentiae peccata; si ipsos eadem patrare, vel probabilis suspicio, vel certa fama demonstret. Nota est Salvatoris nostri, Principis Regum terrae divina sententia in Evangelio. « Qui « scandalizaverit unum de his pusillis, qui in me « credunt; expedit ei, ut suspendatur mola asina-« ria ad collum eius, et demergatur in profundum « maris. Vae mundo a scandalis; et vae illi per « quem scandalum venit ». Nihil hic addo, quia satis per se nota est gravitas huius sententiae: et necesse est ut sensu, vel mente careant, qui gravitatem poenam huius non timet.

Addo ultimam rationem, cur Principem deceat, temperantiam ex animo colere. Nihil est, quod magis impediat adeptionem donorum praecipuorum spiritus, quae dicuntur sapientia, et intellectus, quam vitia ista carnalia ebrietatis, et fornicationis, ne graviora nominare cogar. Siquidem homines animales, et carnales non capiunt spiritualia, et divina; sed ut loquitur Apostolus. *Stultitia sunt illis, et non possunt intelligere, quia spiritualiter examinatur.* Principes autem, si munere suo re-

cte fungi velint ; Sapientiae dono prae caeteris hominibus maxime indignet, ut in sequenti capite demonstrabimus. Necesse igitur est, ut Principes non refugiant dispositiones ad Sapientiam necessarias, quae sunt temperantia, sobrietas, castitas, carnis mortificatio, iugis oratio, rerum caelestium meditatio : quae sunt omnino contraria commessationibus, ebrietatibus, impudicitiis, cantibus lascivis, iocis, et ludis, et aliis id genus carnis oblectationibus. Nam ut sanctus Basilius scribit in oratione de ieiunio. « Non aliter fumus carnalium desi-« riorum Spiritum sanctum fugat ex anima, quam « fumus ex viridibus lignis alveario admotus fugat « apes, quae mellis favos, dulcissimos, et pretio-« sissimos conficiebant.

CAP. XIII.

De Sapientia Principi necessaria ad regendos populos.

Sapientia Principibus quasi propria esse videtur ; cum inferioribus Magistratibus prudentia sufficere posse videatur. Hoc enim interest inter prudentiam, et sapientiam, quod sapientia considerat finem altissimum simpliciter, qui est Deus ; prudentia considerat finem altissimum, non simpliciter, sed in genere bonorum humanorum : sapientia est virtus pratica. Donum tamen Spiritus sancti, quod sapientia dicitur apud Isaiam, utrumque habet et speculationem, et praxim, ut Doctor Angelicus recte docet. Illud tamen est verum, in Scripturis sanctis saepe confundi sapientiam cum prudentia. Nam in libro Proverbiorum aperte dicitur, sapientiam esse prudentiam ; utraque enim virtus dirigit media ad finem, et ex fine de mediis iudicat. Sed quicquid de vocibus sit, duo sunt extra controversiam ; sapientiam altiorem esse, quam sit prudentia ; et sapientiam ad Principes maxime pertinere. Sic enim loquitur in Proverbiis ipsa Sapientia, « Per me Reges regnant. *et in li-« bro Sapientiae eadem Sapientia clamat*, Ad « vos Reges sunt hi sermones mei, ut discatis sa-« pientiam, et non excidatis. *et in eodem loco*, « Concupiscentia sapientiae deducit ad regnum « perpetuum. Si ergo delectamini sedibus, et sce-« ptris o Reges populi, diligite sapientiam, ut in « perpetuum regnetis. *Ecclesiasticus quoque ad-« monet Reges, dicens*, Rex insipiens perdet po-« pulum suum. *Et Hieremias Propheta inter lau-« des praecipuas Regis Messiae, ponit.* Regnabit « Rex, et sapiens erit ». Et de David Rege optimo dictum est, quod haberet sapientiam, sicut Angelus Dei ; et Deus ipse laudavit Salomonem, quod non petivisset a Deo divitias, neque dies multos, neque ultionem de inimicis suis sed sapientiam necessariam ad regendum populum ; et ait, « Quia « petivisti rem hanc, ecce feci tibi secundum ser-« mones tuos, et tibi cor sapiens, et intelligens in « tantum ut nemo ante similis tui fuerit, nec post « te surrecturus sit ; sed et haec, quae non postu-« lasti dedi tibi, divitias scilicet, et gloriam, ut « nemo similis tui fuerit in Regibus cunctis retro « temporibus ». Habemus igitur ex ipsius Dei sententia, Salomonem, qui a Deo solam sapientiam postulavit, rem optimam, et gratissimam, et ipsi Regi maxime necessariam postulasse, ad quam reliqua bona, divitias, gloriam, pacem diuturnam, et benevolentiam populorum consecuta esse Scriptura sancta commemorat. Quis igitur in dubium iam revocare poterit, an Regi sapientia necessaria sit ; et an non debeat Rex, eam a Deo ardentibus precibus postulare ; et animum suum ad eam devote suscipiendam praeparare, et eamdem lectione piorum librorum, et iugi meditatione alere ?

Sed hoc ipsum donum tam magnum communicatum a Deo Salomoni, admonet nos, ut dum sumus advenae, et peregrini procul a caelesti patria, et inter hostes ; non confidamus, hoc tantum donum, non posse nobis auferri, nisi, in eius custodia diligentissime vigilemus. Iste enim ipse Salomon in senectute, quando sapientia eius usque ad summum crescere debuisset ; sapientiam prorsus amisit, et stultissimus sanctus est. Causam reddit Ecclesiasticus cum ait. *Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes* : et quae maior apostasia fieri potest, quam relicto Deo vero, colere Idola gentium, quod fecit Salomon in gratiam mulierum, suarum, quibus amore ardentissimo adhaesit ?

Oportet igitur Principem sapientem in hac re potissimum sapientiam suam ostendere, ut donum Dei longe pretiosissimum diligentissime custodiat. Custodiet autem, si assidue illud exerceat, ac semper illud, ut sic loquar, prae manibus habeat, ne forte oblivioni tradatur, et in eius locum sapientia humana succedat. Rectissime enim Apostolus Iacobus distinguit sapientiam, quae de caelo est, ab illa, quae nomen sapientiae praefert, sed est terrena, animalis, diabolica ; ac per hoc falsa sapientia est : nam vera sapientia, ut sanctus Iacobus loquitur, « primum pudica est, *deinde* pacifica, « *tum* modesta, suadibilis, bonis consentiens, ple-« na misericordia, et fructis bonis ». Itaque consilium callidum datum Principi de ratione expugnandae castitatis mulieris pudicae, sive strepitu, et periculo ; non est consilium verae sapientiae, sed astutiae diabolicae ; quia vera sapientia primum pudica est. Sic etiam consilium irritandi Principem debiliorem, ut illa occasione exoriatur bellum, et bellando principatus augeatur ; non est consilium verae sapientiae, sed versutiae serpentis antiqui ; quoniam vera sapientia pacifica est. Ad haec consilium arripiendi novos titulos honoris, et illos per fas, et nefas defendendi, ut eo modo Princeps ascendat ad altiorem gradum ; et si quis forte adsit alius consiliarius, qui contrarium suadet, iste extrudatur, ut inimicus Principis ; non est consilium verae, sed falsae sapientiae, quia vera sapientia est *modesta, suadibilis, et bonis consentiens*. Denique consilium quodcumque, quo impediantur opera misericordiae, et pietatis, sub praetextu aliquo fucato, et falso ; non est consilium verae sapientiae, sed falsae, quia vera sapientia, *plena est misericordia, et fructibus bonis*. Illud ad extremum adiiciam, si quis facile internoscere velit sapientiam veram a falsa, conetur purgare cor suum ab amore proprio, et attente ac serio, in rebus dubiis consideret quod magis requirat gloria

Dei, et utilitas proximi; et illud eligat. Nihil enim est, quod magis impediat in rebus dubiis electiones bonas, et Deo beneplacentes, quam proprius amor. *Charitas* enim *non quaerit quae sua sunt*; et semper vera sapientia cum vera charitate coniungitur.

CAP. XIV.

De magnificentia, quae Principi necessaria est ad regendos Populos.

Magnificentia virtus est Principibus propria, quoniam exigit maximos sumptus, quos nisi Principes facere non possunt. Et quidem ad Principes magnificentia pertinet, quia sunt Dii quidam terrestres, ut supra demonstravimus ex illo loco psalmorum, *Ego dixi Dii estis, et filii Excelsi omnes.* Magnificentia enim maxime proprie Deo convenit, iuxta illud, *Elevata est magnificentia tua super caelos Deus.* et illud, *Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiae Regni tui.* et illud, *Date magnificentiam Deo nostro: Dei perfecta sunt opera.* Haec enim est propria causa, cur Deo magnificentia in primis conveniat, quia facit opera magna, et ex omni parte perfecta. Possunt enim etiam privati homines inchoare opera magna, sed perficere, nisi opulentissimi, quales sunt Reges, minime possunt. Porro Deus, Rex magnus super omnes Deos, quatuor in rebus magnificentiam suam ostendit. Primum quidem in fabrica mundi totius, quae si pecuniis perfici debuisset, omnes omnium Regum thesauri non fuissent satis ad fundamenta iacienda. Deinde in alenda familia prope infinita, Deus magnificentiam suam demonstrat. Alit enim Deus omnes herbas, et omnes arbores; alit omnia animantia terrestria, et aquatilia, quorum non est numerus; et alit non ad unum, vel alterum diem, sed ad plurimas annorum centurias, et posset, si vellet, in aeternum alere: tanta illi subest annonae ubertas. Alit denique Angelorum exercitum prope innumerabilem. Quamvis enim Angeli cibo, et potu visibili non utantur; dixit tamen Angelus Raphael ad Tobiam, *Ego cibo invisibili, et potu, qui ab hominibus videri potest, utor.* Tertio demonstrat Deus magnificentiam suam in operatione miraculorum, quae, sunt opera tam eximia, ut nisi ab infinita potentia fieri non possint, cum sint praeter ordinem iam ab ipso Deo toti naturae datum. Eiusmodi opera fuerunt, cum Deus solem et lunam stare fecit ad verbum Iosue servi sui; et cum solem eundem retrocedere iussit ad verbum Isaiae Prophetae; et cum mortuos non paucos revocavit ad vitam; et caecis visum, et surdis auditum restituit, contra ordinem toti naturae datum, ut a privatione ad habitum regressus non detur. Quarto denique magnificentiam suam manifestabit Deus in novissimo die, cum fabricam mundi huius magna ex parte corrumpet, et novos caelos, et novam terram nobis in momento exhibebit, dicente sancto Petro, « Adveniet autem « dies Domini ut fur, in quo caeli magno impetu « transient: elementa vero calore solventur: ter« ra autem, et quae in ipsa sunt opera exurentur ». Quam sit autem laboriosum, et difficile, aedificia fundata, et constructa evertere, quotidie experimur.

Iam vero soli inter homines, Principes magni, in his omnibus rebus, magnificentiam Dei, Regis Regum imitari aliquo modo possunt, Ipsi enim soli aedificia publica, et maxima ad usum totius populi, quae sumptus maximos requirunt, erigere solent. Eiusmodi erant olim apud Romanos Thermae, Theatra, Basilicae, Templa, quorum adhuc vestigia cernimus; et nunc quoque Principes magni Palatia, Fora, Ecclesias, Xenodochia, scholas publicas et alia sumptuosa aedificia erigunt, quae profecto nulli privati erigere possent. Certe sanctus Ludovicus Rex Francorum in Palaestina magnificentiam suam plane ostendit, cum civitates nonnullas propriis sumptibus restauravit. Iidem Principes ad imitationem magnificentiae Dei, soli possunt integros exercitus alere: et saepe etiam ingentem pauperum multitudinem sumptibus propriis sustentare. Id quod magna cum laude idem sanctus Ludovicus praestabat, et qui eum imitari cupiebat Beatus Amadeus Sabaudiae Dux tertius. Iste enim, quod multi Principes in canibus venaticis et avibus rapacibus alendis insumunt; id totum, et multo etiam amplius quotidie in turba pauperum sustentanda magnificentissime insumebat. Et quoniam, qui miserentur pauperum, foenerantur Domino; ex tanta opum profusione, aerarium publicum nihil detrimenti patiebatur.

Neque deest Principibus terrae ratio aliqua imitandi magnificentiam Dei in rebus ingenio humano excogitatis, et magnis sumptibus ad usum humanum revocatis, quae miracula humana dici possint. Tale mihi videtur Navium onerariarum constructio. Quis enim crederet, nisi vidisset, naves maximas, et rebus gravissimis onustas, super aquas subsistere; ubi lapilli exigui sustineri non valent? Et rursus quis ullo modo suspicari posset, nisi experimento proprio didicisset; immensa illa pondera solo flatu ventorum vela impellentium, velocissime non tam currere, quam volare? Neque solum est hoc quasi miraculum naturae: sed innumerabilia sunt alia, quae ingenium humanum addita Principum magnificentia, excogitavit. Denique illud etiam assecuta est humana sagacitas, per Principum magnificentiam sumptus maximos suppeditantem, ut firmissima aedificia dicto citius prosternantur. Quas enim turres, quae moenia civitatum amplissimarum non evertunt facili negotio ictus bombardarum? quas arces munitas, quas portas etiam ferreas non subruit momento temporis, copia subiecta pulveris tormentarii? Quare magnificentia Principum terrenorum imitatus, suo quodam modo, magnificentiam Principis caelestis. Sed illud optandum est, ut Principes creati, et terreni imitentur in operibus bonis magnificentiam Principis caelestis, et creatoris: nam si forte velint abuti magnificentia ad vanitates, et peccata; melius erat eis, si privati, et pauperes semper fuissent. « Quid enim prodest homini si universum « mundum lucretur, animae vero suae detrimen« tum patiatur »?

Unus ex malis imitatoribus magnificentiae divi-

nae fuit Imperator Caius Caesar, qui Caligula co- « gnominatus est; qui in coena una ducenta quinquaginta millia ducatorum consumpsisse dicitur. Eius imitatores fuerunt Nero, et Aulus Vitellius, et Domitianus, quorum immensos thesauros fuisse consumptos in fabricis, vestibus, et coenis refert Svetonius Tranquillus. Ad eosdem accessit, nisi etiam omnes superavit Marcus Antonius Heliogabalus, ut Elius Lampridius, et alii referunt. Fructus huius falsae magnificentiae fuit egestas ingens, ad quam arcendam omnes isti Principes rapacissimi facti sunt bonorum alienorum, malis artibus acquisitorum, ut ex iisdem auctoribus intelligi potest. Sic falsa magnificentia in veram avaritiam, et falsa liberalitas, in veram rapacitatem, quae mater est odii populorum, commutata est.

Discant igitur Christiani Principes magnifici esse ubi et quando oportet, ad gloriam. Dei, et commoda populorum; ut apud Deum, et apud homines, non auram levem ad tempus, sed gloriam solidam, et veram in omnem aeternitatem acquirant.

CAP. XV.

De Clementia, quae Principi necessaria est ad regendos populos.

Clementia virtus est amabilissima, quae crudelitati opponitur, quod vitium omnes horrent. Siquidem clementia, in eo posita est ut poenas minuat, iniurias obliviscatur, et vindictam omnino refugiat. Est vero haec virtus, quasi propria Deo Principi omnium Regum, ac per hoc Regibus, et Principibus terrae honorifica, nec minus amabilis. Nam privati homines, si non ulciscuntur iniurias, causa esse videtur, quia sine periculo non possunt; Princeps vero, qui facile posset, si vellet, ulcisci iniuriam, si non facit, ex virtute clementiae, non facit: ac per hoc similis Deo esse dignoscitur. De Deo sic loquitur Ezechias Rex in literis suis ad populos ex hortans illos ad poenitentiam, *Clemens est Dominus Deus vester, et non avertet faciem suam a vobis, si reversi fueritis ad eum.* Quibus verbis affirmat sanctus Rex, Deum non puniturum pro meritis peccata populorum, modo poeniteat eos scelerum suorum; ac per hoc aversurum flagellum imminens, quia clementissimus est, et facile obliviscitur iniuriarum. De Rege sic loquitur Salomon, *Misericordia et veritas custodiunt Regem, et roboratur clementia thronus eius.* Et vere sic est; nullae enim custodiae militares sic stabiliunt Regum et vitam Regis facilius conservant quam clementia nota regnantis. Probat hoc ipsum Seneca in libro priore de clementia, egregia ratione. Nam id est in Regno Princeps, quod animus enim corporis membra movet, regit, gubernat; et naturaliter amat membra sua, et quicquid noxium accidit, statim conatur illud avertere et corpus suum integrum, sanumque servare. Et denique totum corpus suum clementer fovet, et nutrit, et de illius incolumitate assidue cogitat; propterea vicissim membra omnia, si sit opus pro spiritu sive anima periculis se exponunt; et patiuntur amputari potius manus aut pedes, aut alia membra corporis, quam ut animus a corpore separetur. Sed si forte animus ad altiora raptus, incipiat inclementer, et duriter corpus suum ieiuniis, et vigiliis nimium atterere; corpus quoque, quasi rebellans, officio suo fungi recusat. Sic igitur, si Princeps instar animi, sive spiritus, populos, ut membra sua, clementer, et leniter regat, imponat iugum sive onus quod ferre possint; ad se venientes amanter audiat, negocia eorum breviter, et iuste tractari iubeat: experietur vicissim populos amantes, et obedientes, et sive ulla dubitatione fidelissimos. Sin autem contra, non ut clementem patrem, sed, ut durum dominum, Principem suum experiantur: mirari non debebit Princeps, si odio habeatur, et cum maxime opus habebit defensione, a subditis deseratur. Amor enim, amorem conciliat, et clementia benevolentiam parit. Et contra, ut Sapiens loquitur, *odium suscitat rixas*: et ideo mirum videri non debet si hi, qui non diligunt, sed oderunt Principem suum, occasionem rixarum, et dissensionum quaerant. Exempla sunt ad manus. Salomon pacificus, et clemens annis quadraginta, sive ulla rebellione regnavit, sed quoniam extremo tempore addidit aliquid ad solitas exactiones: ideo mortuo Salomone, populus a novo Rege, qui dicebatur Roboam, petiit amoveri novum vectigal: sed Rex novus initium regnando, fecit a minis, et terrore; et populo ante se congregato respondit, « Pater meus aggravavit « iugum vestrum; ego autem addam iugo vestro: « Pater meus caecidit vos flagellis; ego autem cae- « dam vos scorpionibus ». Ea vero saevitia, et inclementia, causa fuit, ut deficeret statim ab eo plusquam dimidia Regni pars.

In historia vero Romanorum, leguntur plurimi Imperatores, qui ob solam fere crudelitatem adhuc iuvenes misere extincti fuerunt; in quibus numerantur Caius, Nero, Vitellius, Domitianus, Commodus, Caracalla, Heliogabalus, et alii: contra vero plures propter insignem clementiam, et ad senium pervenerunt, et post obitum a memoria, et amore civium non recesserunt. Augustus, Vespasianus, Traianus, Antoninus, Marcus, et alii; quibus addi debet Titus, qui quamvis ad senium non pervenerit: tamen non occisus, ut illi superiores sed naturali morte extinctus, sic semper amatus est, ut delitiae generis humani nominari meruerit.

Haec certe exempla facile possent Principes omnes ad clementiam adamandam; et ad crudelitatem odio habendam impellere, si attente historias perlegerent. Porro clementia, quamvis praeclara sit virtus, tamen non in omnibus omnium iniuriis, culpis habet locum. Vere enim scripsit Seneca, *Tam omnibus ignoscere crudelitas est, quam nulli.* et rursus recte idem admonuit, clementiam potius iniuriam propriam respicere, quam alienam. Quemadmodum enim, non ille liberalis est, qui rem alienam donat, sed qui suam; sic etiam, qui iniuriam alteri factam condonat, non est tam proprie clemens, quam is, qui iniuriam sibi factam facile dimittit. Sed in universum illud cavendum est, ne clementia iustitiam laedat: virtutes enim so-

rores sunt, seque iudicem iuvant ; proinde virtus in vitium degenerat, si virtutem aliam laedit. Ergo in iniuriis alienis, clementia non intervenit, ut reus absolute non puniatur, sed ut vel ex aequitate poena diminuatur, vel ex consensu eius, qui iniuriam accepit, prorsus tollatur, si spes adsit, utilius esse futurum neque Reip. obfuturum. Cum vero iniuria ipsi Principi facta est, laudabilis clementia erit, si Princeps excelso animo vindictam respuat; nisi sorte periculum sit, ne reus ex impunitate deterior fiat. Tunc enim aequitas postulat, ut Princeps sinat ab ordinariis Iudicibus de reo poenam aliquam sumi.

CAP. XVI.

De Misericordia Principi necessaria ad regendos populos.

Postrema virtus, ex iis, quas considerandas suscepimus, misericordia est. Sed antequam de ea scribere incipiamus, removenda est calumnia, ut sic loquar, Senecae, qui quoniam addictus erat disciplinae Stoicorum; affirmare non dubitavit misericordia est. Sed antequam de ea scribere incipiamus, removenda est calumnia, ut sic loquar, Senecae, qui quoniam addictus erat disciplinae Stoicorum; affirmare non dubitavit, misericordiam non virtutem esse, sed vitium. Sic enim loquitur in libro posteriore de clementia. « Ad rem, *inquit*, « pertinet hoc loco, quaerere quid sit misericordia « plerique eam, ut virtutem laudant, et bonum « hominem vocant misericordem ; haec autem vi- « tium animi est. Utraque circa severitatem, cir- « caque clementiam posita sunt, quae vitare debe- « mus, ne per speciem severitatis in crudelita- « tem : neve per speciem clementiae, in miseri- « cordiam incidamus, *et paulo post*, Ergo *inquit*, « quemadmodum Religio Deos colit, superstitio « violat; ita clementiam omnes boni praestabunt; « misericordiam autem vitabunt. Est enim vitium « pusilli animi ad speciem, alienorum malorum « succidentis. Itaque pessimo cuique familiarissi- « ma est ». Haec sane opinio Christianis hominibus omnino fugienda est, cum Scriptura divina misericordiam multis in locis, amplissime laudet ; et ipsi Deo familiarem, et gratissimam in primis esse testetur ; ipsi clementiae, quam Seneca laudat, ut comitem fidissimam, adiungat. In libro Exodi Moses dicit, « Domine Deus misericors, et cle- « mens; patiens, et multae miserationis, qui cu- « stodis misericordiam in millia, *et rursum in* « *libro secundo Esdrae legimus*. Tu autem Deus « clemens, et misericors, longanimis, et multae mi- « serationis, non dereliquisti eos : et quidem cum « fecissent sibi vitulum conflatilem, et dixissent, « Iste est Deus, qui eduxit te de Aegypto. *Ionas* « *quoque Propheta Deum sic loquitur*, Sic quia « tu Deus clemens, et misericors es : patiens, et « multae miserationis ». Fallitur igitur Seneca dum misericordiam a clementia ita separat, ac si prior vitium ; posterior sola virtus esset.

Deinde in utroque testamento misericordia sic laudatur, ut vix alia virtus tot in locis decantata re periatur, de qua re paulo post agemus. Ecclesia denique fidelium omnium Mater in publicis precibus, sic misericordiam praedicat, ut eam Deo propriam esse significet. *Deus*, inquit, *cui proprium est misereri semper, et parcere*. Ubi vox, *misereri*, ad misericordiam; vox, *parcere*, ad clementiam pertinet. Sic enim Ecclesia ex divinis literis edocta, misericordiam cum clementia coniungit : non separat unam ab altera, ut vitium a virtute. Valeat igitur cum suis Stoicis Seneca, qui homines, non ut carneos, sed ut ferreos aegritudinem animi sentire non patitur, et in mediis ignibus, et in ipso tauro Phalaridis sapientem suum laetari, et gestire contendit.

Porro misericordia virtus eximia, communis quidem est Principi cum populo, sed tamen in Principe longe amplius elucet, et in Deo sic eminet, ut ipsi propria dici possit, ut paulo ante ex prece Ecclesiastica demonstravimus. Solus enim Deus omnes omnino miserias tollere potest, et tollit etiam, non omnes ab omnibus rebus, sed omnes quas secundum sapientiam suam iudicat esse tollendas. Secundus a Deo est Princeps, qui multa genera miseriarum, non ab uno aut altero homine, sed ab integris civitatibus, et provinciis tollere potest, et re ipsa tollit, quando similis Deo in misericordia, et miserationibus fieri studet. Quantas miserias uno verbo Princeps tollit a populis suis, quando bellum gesturus, ex misericordia populi sui, pacem praeoccupat, ne mala innumerabilia populi suae ditioni subiecti patiantur ex bello? Sic etiam a quanta miseria populos suos Princeps liberat, quando imminente caritate annonae, providentia sua facit, ut annona in provincia sua, vel civitate abundet? Hanc laudem olim Iosephus in Aegypto promeruit, unde Salvatoris mundi nomen obtinuit ; quoniam prudentia sua, non Aegyptum tantum, sed etiam vicinas provincias ab extrema frumenti penuria liberavit. Omitto similes alias rationes sublevandi populo a communi miseria quas Princeps misericors, et populorum suorum verus amator, excogitare poterit. Neque solum populum universum, sed etiam singulos de populo Princeps misericors a miseriis variis liberabit, si providerit diligentia sua, ut Iudices causas miserorum, quam citissime expediant: et non permittat, ut pauperes expendant in litibus saepe multo amplius, quam id sit, quod recuperare desiderant.

Et quoniam Spiritus sanctus in divinis literis encomia tam eximia misericordiae posuit, ut ad ea nihil addi possit: sententias aliquot referam, et finem disputationi, sive cohortationi imponam. Primum incipiat Moses, et legem ferat de misericordia erga inimicum: unde colligatur, qualis misericordia requiratur erga miserum inimicum. *Si occurreris*, inquit, *boni inimici tui, aut asino erranti: reduc ad eum, et si videris asinum odientis te, iacere sub onere: non pertransibis, sed sublevabis eum cum eo*. Secundus sit sanctus Iob, qui dicit, *Qui tollit ab amico suo misericordiam: timorem Domini derelinquit*. Tertius David, qui describens hominem iustum, inter alia eius encomia ponit misericordiam. *Iucundus homo, qui miseretur, et commodat*, et populo post. *Dispersit do-*

dit pauperibus: iustitia eius manet in saeculum saeculi : cornu eius exaltabitur in gloria. Ubi David primum laudat misericordiam in dimittendis iniuriis, et commodandis pecuniis, cum dicit, *Qui miseretur et commodat*, ut sanctus Augustinus in eum locum docet: deinde, addit misericordiam in donandis abundanter eleemosynis pecuniarum , cum ait, *dispersit dedit pauperibus*: et addit praemium duplex, quod iustitiae eius meritum *manet in aeternum*, et quod in praesenti saeculo potens, et gloriosus evadet. Eleemosyna enim non facit hominem pauperem, et despectum, sed inclytum, et potentem, si id eius saluti aeternae conducat. Quartus sit Salomon sapientissimus; is in libro proverbiorum, *Iusti*, inquit, *misericordes sunt et miserantur.* Item , *Qui miseretur pauperis beatus erit.* Item, *Faeneratur Domino qui miseretur pauperis.* Quintus est Tobias , qui instituens filium suum, dicebat. *Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit , etiam exiguum libenter impartiri stude. Praemium enim tibi thesaurizas in die necessitatis: quoniam eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat, et non sinit animam ire in tenebras.* Vix addi potest aliquid ad magnitudinem huius praemii: et tamen pigri sunt homines ad opera misericordiae , cum propter minora praemia laborent usque ad mortem. Sextus Ecclesiasticus plenus est encomiis misericordiae. Inter alia sic ratiocinatur. *In hominem similem sibi non habet misericordiam , et de peccatis suis deprecatur? ipse cum caro sit, reservat iram ; et propitiationem petit a Deo ?* quasi dicere velit, iste frustra laborat, cum sit immisericors in fratrem, et misericordiam petat a Deo. Omitto Prophetas, qui pleni sunt testimoniis.

Accedo ad testamentum novum. Sanctus Matthaeus Scriptor primus refert verba Domini in sermone in monte habito, ubi dicit, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Quam autem misericordiam consequentur , docet David in psalmo cum ait, *Qui coronat te in misericordia, et miserationibus . qui replet in bonis desiderium tuum.* Et audet homo alioqui sapiens, dicere , misericordiam esse vitium, non virtutem? quasi possit vitium apud Deum aliquid mereri, aut possit Deus in praemium reddere aliud vitium ? Vere stulta facta est sapientia huius mundi. Secundus sit alter Evangelista , qui refert verba illa eiusdem Christi. *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.* Tertius sanctus Paulus Apostolus in epistola ad Ephesios, *Estote*, inquit, *misericordes donantes invicem . sicut et Deus in Christo donavit vobis.* Et idem ad Colossenses , *Induite vos, sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae ; sopportantes invicem , et donantes vobismetipsis, si quis adversus alterum habet querelam , sicut Dominus donavit vobis , ita et vos.* Quartus S. Petrus in epistola prima, *In fine autem*, inquit, *omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes modesti, humiles non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto , sed e contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis, ut benedictionem haereditate possideatis.* Quintus sanctus Jacobus in epistola sua. *Iudicium*, inquit, *sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam : superexaltat autem misericordia iudicium.* Quae verba paulo sunt obscuriora , sed hunc habent sensum, Iudicium sine misericordia , id est, severum iudicium reportabunt , qui misericordes in proximos non fuerunt: sed viri misericordes iudicium mitissimum invenient, quia misericordia exaltat se super iustitiam, vel, ut in graeco legitur, *superexultat Iudicio*, sive gloriatur supra iudicium. *Miserationes* enim *Domini super omnia opera eius*, ut David canit. Sanctus enim Iacobus cum hoc diceret, respexisse videtur ad ea, quae de ultimo iudicio Dominus ipse praedixit. Videmus enim in iudicio, solos misericordes iudicari cum summa misericordia, cum dicitur, *Possidete regnum, quia esurivi, et dedistis mihi manducare*, et quae sequuntur. Et contra solos immisericordes sine misericordia iudicari, cum dicitur, *Ite maledicti in ignem aeternum ; esurivi enim , et non dedistis mihi manducare*, et quae sequuntur. Ultimus sit sanctus Ioannes, qui quamvis neque in Evangelio, neque in Apocalypsi , neque in epistolis suis misericordiam nominaverit: eam tamen in radice, et fonte, sive in matre sua charitate, eam frequentissime praedicavit. Quid enim significant illa verba in epistola prima , *Ille pro nobis animam suam posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere , et clauserit viscera sua ab eo ; quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, et veritate.* Quid enim est claudere viscera ; nisi non misereri ? et quid est diligere verbo, non veritate; nisi compassionem habere in ore , non in corde ? Ideo enim praeclara illa virtus, qua compatimur proximis nostris , misericordia dicitur , quia vera cordis affectio, non mendax linguae professio est.

Habemus igitur duodecim testes omni acceptione dignissimos, et omni exceptione maiores, qui Spiritu sancto dictante, encomia misericordiae nobis scripta relinquerunt, quibus et Stoicis ora obstruere; et Principes Christianos ad eam virtutem, quae Deo gratissima est, exhortari sine ulla dubitatione possimus.

CAP. XVII.

De officio Principis Christiani erga domesticos suos.

Exposuimus quae sint partes Principis Christiani erga populos sibi subiectos : nunc maiori brevitate addemus , quae sint partes eiusdem Principis erga alios subditos, qui non comprehenduntur sub nomine populi: tales sunt in primis domestici, uxor, filii, fratres : tales sunt etiam amici, et consiliarii : tales Iudices, qui privincias , vel civitates regunt; et tales denique milites, et alii, quibus stipendia dari solent.

Igitur, ut a domesticis incipiamus, primus locus

coniugi debetur, quippe quae particeps est nominis Regiis.et solii et coronae: quamvis re ipsa subdita sit, cum in prima parente sibi quoque dictum a Deo audierit, *Sub viri potestate eris,et ipse dominabitur tui.* Igitur de coniuge Principis, hoc solum admonendum esse censeo, ut vir omni animi provisione caveat, ne uxor, quamvis sapiens videatur, ipsi viro dominari incipiat. Habemus exempla in divinis literis. ex quibus discere liceat, quanta sit mulieris impotentia,et ad quam horrenda praecipitia viros suos adegerint. Prima Eva,non quidem Adamo dominari voluit, sed consilium ei dedit,ut pomum a Deo vetitum gustaret.unde mors et exitium totius posteritatis consecutum est.Consilium autem illud Adamus accepit. neque ausus est respondere, quod Iob coniugi suae respondit, *Tamquam una de stultis mulieribus locuta es*; quia Evam valde diligebat: et (ut sanctus loquitur Augustinus) *delitias suas contristare nimium timuit.* Exemplum Evae secuta est Dalila uxor Sampsonis Iudicis, ac Principis Hebraeorum, quae tam absolutum imperium in virum accepit, ut vir nihil ei negare posset, et tandem per eam principatum. et vitam amisit. Salomonem autem olim felicissimum,et sapientissimum Regem, amor mulierum ad eam infelicitatem,et insipientiam adduxit, ut septingentis uxoribus. et trecentis concubinis, quasi mancipium vile serviret. Quid de Achab Rege. et Iezabel eius coniuge dicam? Addictus erat Achab valde uxori suae idololatrae; itaque ipse quoque idola coluit, et consentiens sceleribus gravissimis uxoris suae, atque dominari eam in Regno sinens. causa fuit, ut et ipse, et ipsa, et omnes filii, qui erant numero septuaginta, occiderentur, et Regnum ad alios transiret. En quantorum malorum causa femina una fuit,quae sub viri potestate esse noluit. Sed Achab meritas poenas luit; quia ad ipsum pertinebat,coniugem in officio continere, et (quod caput est) numquam committere debuit, ut contra legem Domini, uxorem, falsae religionis cultricem, duceret.

Veniamus ad filios. Filium Principum educari deberent in timore Domini; et obsequentes, non solum parentibus, sed etiam Magistris morum et doctrinae. Habemus exemplum insigne apud Metaphrastem, qui describens res gestas Arsenii,qui Magister Archadii, filii Theodosii Imperatoris; refert, Theodosium venisse aliquando in scholam, ubi filii eius Archadius, et Honorius adhuc pueri instituebantur ab Arsenio viro probo, et erudito: et cum vidisset filios suos sedentes, et Magistrum stantem: reprehendit filios. quod auderent pueri et discipuli. coram sene. et Magistro stante, sedere: et iussit, ut Arsenius sederet,et Archadius atque Honorius starent: et profuit ista bona educatio filiorum; uterque enim bonus postea Imperator fuit.quamvis Archadius uxori nimium addictus, sancto Ioanni Chrysostomo parum fuerit. Contra vero David Rex sanctus, vel non potuit recte educare filios suos,vel quaecumque causa fuerit,unus videlicet Amon,sororem propriam stupravit; alios. id est, Absalon, occidit fratrem, persecutus est patrem, ut eum e Regno pelleret; et uxores patris publice violavit. Huius rei nulla causa fuisse videtur, nisi mala educatio. Fuit enim David quasi perpetuo in bellis occupatus.

Illud etiam certe valde admirandum est, Regibus valde piis, filios impiissimos successisse. Iosaphat Rex optimus reliquit filium successorem coram Regem deterrimum. Ioathan Rex bonus genuit Achaz virum malum, qui ei successit in Regnum. Ezechias Rex clementissimus, et optimus habuit haeredem Regni Manassem Regem crudelissimum, et pessimum. Iosias Rex sanctissimus successores habuit filios valde malos Ioachaz, et Eliakim, quorum prior regnavit solum mensibus tribus, et abductus est captivus in Aegyptum; posterior regnavit annos undecim,et propter peccata sua ductus est cathenis vinctus in Babylonem. Summa est, providendum esse Principibus, ut optimos educatores prospiciant filiis suis, si volunt et Deo rem gratissimam, et populis rem utilissimam facere.

Reliqui sunt fratres, ex domesticis, qui saepe valde adiuvant Principem, quando charitas fraterna inter eos viget: sed non desunt aliquando,ambitiosi,qui desiderio regnandi vel insidias struunt Principi, vel bellum aperte movent. Et quoniam charitas fraterna minus viget inter Turcas, quam inter Christianos: videmus iam a longo tempore inter Turcas, crudelem illam legem vigere, ut fratres Principis sub ipsum initium interimantur, sine ulla culpa sua, tantum, ut Rex novus, non timeat defectiones provinciarum ad aliquem ex fratribus, si quando imperium maioris fratris grave videri incipiat. Inter Christianos rarum est, ut aliquid eiusmodi contingat. Contingit tamen B. Amadeo Duci Sabaudiae: avorum nostrorum memoria, ut unus ex fratribus,non semel a Principe defecerit, et bellum adversus eum gerere caeperit. Sed, ut in vita eius postea referemus, incredibili benignitate, et charitate B. Amadeus germanum suum ex hoste, fratrem verum, syncerumque reddidit. Ad cavenda eiusmodi pericula,nulla excogitari potest regula tutior. quam ut Principes fratres suos, ut fratres cognoscat,non ut servos,neque ut dominos. Non despiciat. neque suspiciat. Ubi enim iustitia viget, ibi etiam pax viget.

CAP. XVIII.

De officio Principis Christiani erga amicos, et consiliarios.

Adiungo amicos consiliariis, quia non loquor de publico senatu, neque de quibuscumque amicis: sed de amicis intimis, et prudentibus, cum quibus Principes solent secreta sua communicare. et sine quorum consilio nihil omnino agunt. Talis erat apud David Achitophel, quo deficiente ad Absalonem. David in maximo timore erat. Siquidem ut dicitur in libro secundo Regum. *Consilium Achitophel erat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum.* Esse autem Principi necessarium consilium fidelissimorum, et prudentium amicorum, et cum iis libere. et simpliciter agendum esse, sic, ut intelligant amici. Principem in eis multum omnino confidere; docet in

primis Tobias senior, qui, quamvis non Principibus, sed filio praecepta daret; tamen erat vir sanctus, et sapiens, ut eius documenta omnibus prodesse possint. Sic igitur Tobias loquitur, *Consilium semper a sapiente perquire. Omni tempore benedic Deum, et pete ab eo, ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant.* Quibus verbis monet prudentissimus senex, ut sine consilio sapientis nihil agamus, sed ut ille sapiens nos forte non fallat, vel ignorantia, vel malitia; iterum monet, ut Deum precemur, ut vias nostras dirigat, et omnia consilia, quae nobis dantur a sapientibus, ab ipso Deo dirigantur, et in ipso permaneant, id est, ab ipso stabiliantur, et confirmentur, si recta sunt.

Deinde hoc idem Salomon in Proverbiis scribit, cum ait, *Inter superbos semper iurgia sunt: qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.* Significat autem Salomon superbos esse, qui consilia sapientum respuunt, et ideo inter eos semper esse iurgia. Idem, *Audi consilium, et suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis.* Idem. *Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri; sed homo sapiens exhauriet illud.* Significat autem hoc proverbium, consilium non facile inveniri, nisi diu, et attente cogitando. Illi enim, qui statim ad interrogata respondent, facile decipiuntur: sed qui diu cogitando scrutantur omnia, illi, quasi ex profundo, aquam puram verissimi consilii hauriunt, et ideo sapientes vocari possunt. Idem. *Unguentis, et variis odoribus delectatur cor: et bonis amici consiliis anima dulcoratur. Amicum tuum, et amicum patris tui ne dimittas.* Videlicet, ne perdas bona consilia eorum.

Ecclesiasticus quoque, vir sapiens, ut cavere monet ab amicis non fidelibus: sic omnino iubet adhaerere amicis fidelibus. *Multi*, inquit, *pacifici sint tibi, et consiliarius sit tibi unus de mille. Si possides amicum in tentatione posside eum, et ne facile credas ei*, idest, proba illius fidelitatem tempore tribulationis tuae, et non facile credas illi, antequam probaveris eum; pergit Ecclesiasticus, *Est enim amicus secundum tempus suum, et non permanebit in die tribulationis. Et est amicus, qui convertitur ad inimicitiam*, id est, instabilis, qui facile ob levem iniuriam efficitur inimicus. Addit Ecclesiasticus, *Est autem amicus socius mensae, et non permanebit in die necessitatis.* Addit postea idem Ecclesiasticus de veris amicis. *Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio; et non est digna ponderatio auri, et argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitae, et immortalitatis: et qui metuunt Dominum, invenient illum.* Vere magnum donum a Deo accipit, qui fidelem, et sapientem amicum invenit; praesertim in tanta turba adulatorum, quae in aulis Principum invenitur. Idem Ecclesiasticus alio loco prudenter monet, dicens, *Fili sine consilio nihil facias, et post factum non poenitebis.*

Haec omnia, quae diximus, confirmari possunt exemplis. Roboam filius Salomonis non alia de causa infelicissime regnavit, nisi quia reliquit consilia senum, qui assistebant patri eius; et accersivit iuvenes amicos suos, a quibus seductus, exacerbavit populum, antequam Regnum sibi stabilivisset. Itaque non alia de causa, quam ex consilio insipienti amisit continuo maiorem partem regni sui. Id vero praevidisse videtur Salomon, cum ait. *Amicum patris tui ne dimittas.* Roboam enim non amicum unum, sed amicos omnes patris sui dimisit. Sed ut plurimum mali consiliarii, et infideles amici Principum, non diu fruuntur potentia sua. Scimus enim, Amam amicum, et consiliarium primarium Regis Assueri, post detectas fraudes eius, in ligno suspensum periisse. Scimus etiam Seianum, qui inter amicos, et consiliarios Tiberii Imperatoris primus erat, et usque adeo dilectus, ut pene par esset Imperatori: paulo post ob eius superbiam, et insatiabilem cupiditatem; ex altissimo loco ad imum decidisse, sic, ut unco tractus in Tyberim fuerit. Contra autem, Maecenas, et Agrippa Augusti Caesaris amici, et consiliarii fidelissimi, sic amati sunt usque ad mortem, ut etiam post ipsorum mortem Augustus in calamitate quadam sua dixisse memoretur, Horum mihi nihil accidisset, si aut Maecenas, aut Agrippa vixisset.

CAP. XIX.

De officio Principis Christiani erga Iudices.

Iudicum nomine intelligo omnes, qui causis diiudicandis praesunt; sive sint iudices primarii, ut ii, qui cum potestate Civitatibus, vel Provinciis praesunt; sive secundarii, ut ii, quibus ipsi causas minoris momenti diiudicandas permittunt. Porro ipsis omnibus duo praecepta spiritus sanctus in sacris literis assignat; unum, ut iuste iudicent, sine acceptione personarum; alterum, ut a muneribus omnino manus abstineant. Utrumque complexus est paucissimis verbis, Ietro socer Mosis, *Provide*, inquit, *de omni plebe viros potentes, et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam: qui iudicent populum omni tempore; quidquid autem maius fuerit ad te referant, et ipsi minora tantummodo iudicent. Quibus auditis Moyses fecit omnia, quae ille suggesserat.* Itaque primum requiritur in Iudicibus, ut sint viri potentes, id est, strenui, graves, docti, sapientes honorati, ut non contemnantur a populo, et possint onus portare quod eis imponitur. Deinde, ut sint viri *timentes Deum*, id est, ut non solum coram hominibus, et propter timorem hominum iuste iudicent; sed ut vere coram Deo sint Iudices iusti; et intelligant, se a Deo videri, qui scrutantur renes, et corda, et posse, ac velle de iudiciis ipsorum iudicare, eosque praemiis vel poenis afficere. Addit praeterea Ietro, *In quibus sit veritas*, id est, qui vere sint iusti, et vere ac iuste iudicare possint ac velint. Denique addit, *qui oderint avaritiam*; id est, non solum quia lex vetat accipere munera, abstineant manus a muneribus; sed multo magis, quia ipsi ex se avaritiam oderunt, utpote viri iusti, et liberales.

Ipse vero Moses in libro Deuteronomii, *Nulla erit*, inquit, *distantia personarum, ita parvum audietis, ut magnum: nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est.* Dicitur autem esse omne iudicium Dei, quia solus Deus est supremus Iudex, cuius auctoritate omnes iudicant. *Unus est*, inquit S. Iacobus, *legislator, et Iudex, qui potest perdere, et liberare.* Porro Rex et Propheta David in psalmo octogesimoprimo idipsum admonet exhortatione gravissima. Primum enim docet, Deum communicasse cum Iudicibus terrae nomen, et officium suum: ut ad tantum honorem evecti erubescerent ob temporale lucrum tam sublime officium infamare. *Deus*, inquit, *stetit in synagoga Deorum*, id est, Deus Deorum Dominus, consortes nominis et officii sui Iudices fecit, neque abesse voluit ab eorum caetu, cum ad iudicandum conveniunt. Itaque ubicumque Iudices, qui Dii ab ipso magno Deo vocantur, iudicium funguntur officio, Deus ipse Princeps Deorum, invisibili praesentia maiestatis assistit. Deinde addit Propheta, Deum magnum non otiose assistere, sed ipsa iudicia discutere, et Iudices ipsos terribiliter iudicare, puniturus si a rectitudine deflectant; praemiis affecturus, si non deflectant. *In medio autem*, inquit, *Deos diiudicat.* O beatos Iudices, si oculo fidei, cum sedent iudicaturi, summum Iudicem assistentem cernerent, et rectitudinem divini iudicii serio atque attentissime cogitarent. Sed quoniam plerique vel muneribus excaecati, vel acceptione personae corrupti, Deum praesidentem non cernunt: ideo subiungit, Propheta, vel potius spiritus Domini per Prophetam, *Usquequo iudicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis?* ac si dicere velit, quamdiu perseverabitis in hac voluntaria caecitate, ob quam iniqua iudicia indicatis? et quamdiu in iudicando, non attendetis ad merita causae, sed ad personas, quibus placere desideratis? quae radix est iudiciorum iniustorum. Nominat autem Propheta, personas, sive facies peccatorum, quoniam etsi possit aliquando vitium acceptionis personarum inveniri sine peccato personae acceptae: tamen, in plurimum persona, cuius gratia pervertitur iudicium, conscia est perversionis iudicii, et in eam libere libenterque consentit. Addit Propheta crimen aliud, in quod Iudices facile incidunt, cum sine charitate Dei et proximi officio suo funguntur. Expediunt enim diligenter causas divitum, et magnatum, a quibus expectant munera; causas inopum, et egenorum, et viduarum, et pupillorum in longum trahunt; et saepe contra illos sententiam ferunt, quia non diligenter merita causae discutere voluerunt. Ideo clamat, et dicit Spiritus sanctus per os Prophetae, *Iudicate egeno, et pupillo: humilem, et pauperem iustificate*: id est, causam pauperis, et praesertim pupilli, libenter suscipite, diligenter discutite, sollicite expedite, ne cogantur bona sua litigando consumere: humilem, id est, hominem abiectum, qui negligitur a procuratoribus, et advocatis; et pauperem, qui non potest muneribus sibi viam ad iustitiam aperire, gratis iustificate. Ubi non significat Spiritus sanctus, ut pauper semper contra divitem victoriam in iudicio debeat obtinere: cum scriptum sit, *Non consideres personas pauperis; neque honores vultum potentis; iuste iudica proximo tuo*; sed hoc iubet, ut cum pauper iustum petit, et a divite opprimitur: Iudex elliciat: ut iustitia pauperis emineat, et praevaleat. Quod apertius docet in sequenti versiculo. *Eripite*, inquit, *pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate.*

Sed quoniam re vera pauci Iudices omni ex parte iusti inveniuntur, cum alii ex malitia, alii ex ignorantia peccent: ideo Spiritus sanctus accusata malitia in superiori versiculo; in sequenti deplorat, per Prophetam suum, Iudicum caecitatem, et perversitatem clamans, et dicens, *Nescierunt, neque intellexerunt: in tenebris ambulant: movebuntur omnia fundamenta terrae*: duo illa verba, *Nescierunt, neque intellexerunt*, hoc proprie significant, non cognoverunt quid facti, neque intellexerunt quid iuris. Verba enim hebraica, quae hoc loco habentur, eam vim habent, quam habent apud latinos, cognoscere, et intelligere. Et quoniam ex ista ignorantia facti, et iuris, quae saepe voluntaria est, fit, ut Iudices in tenebris ambulent, id est, errent in iudicando, quo modo caeci errant in ambulando: ideo sequitur perturbatio maxima in Republica, defectio, seditio, tumultus, et alia eiusdem generis multa. Ideo adiungit Spiritus sanctus, *Movebuntur omnia fundamenta terrae.* Nam sublata iustitia turbatur, et quasi fluctuat orbis terrarum universus. Cuius rei exemplum habemus in ipso Regno David. Nam, ut legimus in libro secundo Regum, nulla alia causa fuit, cur totum Regnum Israel a Davide aliquando deficeret, nisi quia filius eius Absalon populis persuaserat, Davidem senio confectum, non amplius intendere causis cognoscendis, neque sibi substituisse Iudices sapientes et iustos, qui causas populi iuste, et celeriter expedirent.

Explicatis malorum Iudicum gravissimis culpis, ex acceptione personarum, ex iniustitia, et ignorantia procedentibus; concludit Propheta orationem suam praedicens casum, sive potius praecipitium Iudicum ex altissimo gradu ad infimum: et implorans Deum, ut ipse descendat, et iudicet per se orbem terrarum, quando eius ministri iustum iudicium iudicare vel noluerunt, vel nescierunt. *Ego dixi, Dii estis, et filii excelsi omnes: vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de Principibus cadetis.* Ego, inquit, exaltavi vos, ut nomine meo appellaremini, et officio meo fungeremini; sed quoniam et nomine et officio indignos vos esse demonstratis, praedico vobis, quod brevi, ut caeteri homines moriemini. Non enim estis Dii immortales, sed mortales: et quod longe miserius est, *sicut unus de Principibus cadetis*; id est, non solum ex naturae corruptione moriemini propter Adae peccatum, sed propria iniquitate cadetis ex altissimo gradu ad imum: ex altissima celsitudine ad profundissimam gehennam, ut Principes caelestes, Angeli reprobi, ceciderunt. Horrenda plane, sed iusta comminatio Dei ad Iudices. Istum enim est, ut qui iniusto iudicio multos oppresserunt; iusto Dei iudicio de sede iudiciaria dejciantur, et cum reprobis Angelis ad ge-

hennam profundissimam demittantur. Sed quod superat omnem admirationem, est, quod sanctus Propheta quasi desperans de emendatione huius generis hominum, clamat ad Deum in ultimo versiculo, dicens, *Surge Deus iudica terram, quoniam tu haereditabis in omnibus gentibus*; ac si dicere velit, quia spes non est, ut iudices homines iuste iudicare incipiant; tu Iudex summe et iustissime, descende ad generale, postremumque iudicium, et redde unicuique secundum opera sua: tu enim es verus Dominus, et possessor universae terrae, quam gentes inhabitant. Verbum enim, haereditare, in scripturis passim accipitur pro possidere. Haec est sententia David de Iudicibus, quae sine dubio maximi facienda est, cum ipse, ut Rex, noverit per experimentum, quam sit periculosum officium Iudicum; et per spiritum prophetiae loquutus sit, quae scripsit in hoc psalmo, de cuius scripturae veritate nefas sit dubitare. Veniamus ad alios Prophetas.

Certe omnes Prophetae, qui erant nuntii Dei ad populum; nihil fere tam acriter reprehendunt, quam negligentiam, vel iniquitatem in iudiciis pauperum, viduarum, et pupillorum. Isaias in ipso principio, *Pupillo*, inquit, *non iudicant, et causa viduae non ingreditur ad eos. Propter hoc ait Dominus Deus exercituum, Heu consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis.* Hieremias quoque iisdem pene verbis, *Praeterierunt*, inquit, *sermones meos pessime, causam viduae non iudicaverunt, causam pupilli non direxerunt, et iudicium pauperum non iudicaverunt. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut super gentem huiuscemodi non ulciscetur anima mea?* Sed *radix omnium malorum est cupiditas*; ideo Scriptura sancta in iudiciis nihil magis detestatur, quam acceptionem munerum. Audi Mosem in Exodo, *Non accipies munera, quae etiam excaecant prudentes, et subvertunt verba iustorum.* Audi eundem in Deuteronomio, *Non accipies personam, nec munera: quia munera excaecant oculos sapientum, et mutant verba iustorum.* Audi Salomonem in Proverbiis, *Conturbat domum suam, qui sectatur avaritiam: qui autem odit munera, vivet.* Audi Prophetam Isaiam, *Qui proiicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere; iste in excelsis habitabit, etc.* Audi Davidem, *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?* et post multa bona opera adiungit, *Qui munera super innocentem non accepit*; et concludit, *Qui facit haec non movebitur in aeternum.*

Sed operae pretium erit audire, quam diligenter purgat se Samuel a crimine acceptionis munerum pro toto tempore, quo fuerat Iudex in populo Hebraeorum. Sic enim loquitur. *Ecce*, inquit, *praesto sum, loquimini de me coram Domino, et coram Christo eius: Utrum bovem cuiusquam tulerim, aut asinum; si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi: et contemnam illud hodie, restituamque vobis. Et dixerunt, non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicuius quippiam. Dixitque ad eos, testis est Dominus adversum vos; et testis Christus in die hac, quia non invenistis in manu mea quippiam; et dixerunt, testis.* Ecce quam puras manus habuit sanctus Samuel: et tamen non legitur stipendium ullum habuisse ex publico aerario, neque aliunde pro labore tam diuturno, et tam continuo iudicandi tot centena millia hominum non optimorum. Quare hoc tam insigni exemplo, et tot sacrae Scripturae testimoniis admoniti Principes, debent in Regnis suis dare operam, ut omnes Iudices excutiant manus ab omni munere; et contenti stipendiis suis, mercedem operum bonorum non requirant a pauperibus, et miseris hominibus, qui ad tribunalia eorum accedunt; sed expectent ab eo, qui dives est in misericordia, et iustitiam diligit, et reddere paratus est magna pro parvis, et pro temporalibus sempiterna.

CAP. XX.

De officio Principis Christiani erga milites, et domesticos famulos.

Supersunt milites, qui inter subditos Principis numerantur, quique vel in bello militant, vel in pace custodiunt arces, aut portas, aut personam ipsam Principis. Porro de istis tam plene locutus est sanctus Ioannes Baptista, ut vix aliquid supersit quod addere debeamus. Referam igitur, et ubi necesse videbitur, explicabo sententiam sapientissimi Praecursoris. Prodierat sanctus Ioannes Baptista nuper ex deserto, ubi multis iam annis delituerat, et tamquam ad hominem novum videndum, et audiendum turbae concurrebant ex omni parte; qui quamvis ab infantia per tot annos cum hominibus versatus non esset, neque literas ab ullo magistro didicisset: tamen a Spiritu sancto edoctus testimonia scripturarum proferebat, et singulis hominum generibus pro eorum institutione documenta varia tradebat. Igitur venerunt ad eum etiam milites, dicentes, *Quid faciemus et nos? Et ait illis, Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris.* Haec est doctrina brevis, et plena, qualis decebat eum, qui studebat, sic vitam suam traducere, ut *ne levi saltem maculare vitam famine posset*, ut Ecclesia in eius laudibus canit. Non admonet sanctus Ioannes milites, ut strenue se gerant in praelio, neque ut obedientes Imperatori suo se praebeant, neque alia id genus, ad quae satis illos impellere poterat partim amor laudis, partim poenae timor. Siquidem in castris poena contumaciae, mors est. Itaque ea solum attingit, quae ex abusu licentiae militaris, aut non puniuntur, aut levissime puniuntur, cum tamen apud Deum sint peccata gravissima.

Primum igitur reprehendit concussionem, *Neminem*, inquit, *concutiatis.* Frequens enim apud milites esse solet, vi cogere eos, apud quos agunt, aut eorum vicinos, quamvis amici sint, non hostes; vel ad onera ferenda, vel ad praebendas escas, quas ipsi sibi paraverant, vel ad cedendum eis stratum, vel certe cubiculum, quod ipsi unicum

habent, vel ad ministrandum illis, ac si famuli eorum essent. Haec et alia permulta comprehenduntur in illo verbo, *neminem concutiatis*, id est, neminem vi adigatis ad ea facienda, vel toleranda, quae nullo iure tenentur agere, vel pati; et haec iniuria tam frequens est apud milites, ut ego ipse testis esse possim. Nam cum aliquando iter facerem per regionem, ubi bellum gerebatur; et peterem a rusticis, vel etiam a civibus a qua parte starent; respondebant a neutra; omnes enim inimici nostri sunt; et saepe nobis magis sunt infesti, qui dicuntur amici, quam qui dicuntur hostes. Deinde reprehendit sanctus Ioannes militum calumnias, dicens, *Neque calumniam faciatis*; hoc est alterum vitium, quo milites passim laborant. Saepe fit, ut obvios quosque calumnientur, esse exploratores, vel hostes, vel transfugas; et sine ulla ratione iustitiae spolient, aut vulnerent, vel captivos faciant. Et quoniam infelices illi, non habent testes innocentiae suae; coguntur, vel redimere vexationem multa summa pecuniae, vel certe pati crudelissimam vexationem. Ac utinam ista non essent in castris Christianorum frequentia. Pro quibus tollendis de medio, boni Principes pro viribus laborare deberent. Ad extremum docet, beatus Praecursor Domini, milites omnes, ut contenti stipendiis suis, aliena non rapiant. Sed utrum milites, qui sanctum Ioannem audierunt, haec praestiterint, nescimus: illud scimus temporibus nostris, non solum in castris haec tam salubria documenta raro, et a paucis observari: sed etiam in civitatibus, in quibus hiemare, vel ad tempus morari milites necesse est; non leve detrimentum civibus adferri. At fortasse non numerantur militibus stipendia in tempore, et ea causa est, cur cives cogantur ad ea subministranda, quibus milites indigent.

Hoc quidem fieri potest, ut milites non habeant in tempore stipendia sua; sed interim iustitia locum suum non habet; et Deus, qui omnia videt, et in statera iusta appendit, severe puniet eos, qui male agunt. Debent igitur Principes dare operam, ut militibus debita stipendia tempore suo numerentur; et tunc, si sancti Ioannis praecepta milites non implent, in eos sic animadvertere, ut discant stipendiis suis contenti esse, et civibus apud quos habitant, molestiam nullam adferre.

Atque haec, quae dicta sunt de militibus, transferri possunt ad famulos omnes palatinos, qui et ipsi stipendio suo contenti esse debent: et si quid aliud, praeter stipendium accipiunt, agnoscere liberalitatem Principis, non debitam retributionem. Alioquin exemplum esse deberent modestiae, et benignitatis, et iustitiae omnibus aliis, qui privatis heris serviunt, et in privatis domibus commorantur. Nam non raro accidit, ut Princeps sit modestus, et clemens; et famulos habeat arrogantes, et asperos: et Princeps iustitiae sit tenax, et nulli homini iniuriam faciat; et famuli eius non contenti stipendio proprio muneribus inhient, et quasi vendant aditum ad Principem, vel alia, ad quae ex officio suo tenentur. Sed eiusmodi vitiis, quae aliquo modo redundant in bonam Principis existimationem; facile prospici posset, si Princeps serio, et saepe commendaret principali oeconomo disciplinam domesticam, eique iniungeret, ut per se, vel per alios diligenter curaret, ne quid fieret in palatio, quod in iniuriam Dei, vel famam Principis redundaret.

Illud etiam magni momenti est, ut Princeps serio interdicat familiaribus, ac domesticis suis, ut Iudicibus publicis non commendent eos, qui causas habent sive criminales, sive civiles: neque admisceant se distributionibus officiorum aut magistratuum. Hinc enim fit, ut vis quaedam afferatur iudiciis, dum Iudices non audent contemnere commendationes familiarium Principis; et interim familiares ex bonis pauperum ditescunt. Illud etiam saepe contingit, ut officia publica quasi vendantur ab avaris, et amantur ab ambitiosis, in magnum iustitiae publicae detrimentum.

Unum restat vitium, quod est commune militibus cum aulicis domesticis, ut Principi suo facile adulentur, et quidquid ille dicat, vel faciat, in caelum tollant, ut sapientissime dictum, vel praeclarissime gestum. Quae adulatio, tamquam dulce venenum, facile penetrat in animum, nisi cor vere humile, et Deo plane subiectum inveniat. Ubi vero venenum asaentationis animum Principis occupaverit; incredibile dictu est, quam multa, et quam gravia detrimenta inde oriantur. Qui enim assentatoribus aures praebet, primum prae superbia tumens, ambulat, ut Scriptura loquitur, in magnis et in mirabilibus super se, et omnia sibi facilia esse ducit: deinde contemnit consilia sapientum, et vel eos spernit, ut timidos; vel invidere gloriae suae censet, si forte deterreant eum ab operibus, quae plus periculi, quam utilitatis habeant. Adversus hoc genus hominum habemus exemplum insigne, Magni Kanuti Regis Angliae, et Daniae, quod ex Polidoro Virgilio ad instructionem magnorum Principum hic adiungam. *Rex igitur Kanutus aliquando animi recreandi gratia, secundum Oceani littus deambulabat. Ibi per ocium a milite, auribus serviente, appellatur, Rex Regum omnium longe potentissimus, qui mari et terrae late imperitaret. Tum Rex tacitus, animo repente ad Dei potentiam contemplandam erecto, ut suorum Principum, et militum vanas assentationes, aliquo argumento, coarguerel; vestem exuit, ac ex ea globum fecit, superque sedit, quam proxime aquam, aestu tum forte ex alto se incitante: ac inquit, Unda tibi iubeo, ne pedes meos tangas. Quae ubi dixit, suis demirantibus, quorsum ista faceret: unda insurgens totum madefecit. Tum ille retro progressus, En, inquit, Principes, vocatis me Regem Regum, qui terrae, et mari imperare possim; et tamen hanc parvulam undam meo imperio cohibere, vel remorari non potui. Nullus mortalium est tali nomine dignus. Unus Rex est, Pater Domini nostri Iesu Christi, cum quo ille regnat, cuius nutu cuncta reguntur. Hunc veneremur, hunc Regem appellemus, hunc caeli, et terrae, et maris Rectorem profiteamur. Post haec Vintoniam profectus, coronam quam gestabat, capiti imaginis Christi crucifixi, quae in templo Apostolorum Petri, et Pauli pendebat.*

manibus suis imposuit, numquam post hac eiusmodi ornamento capitis usus insigni. Hinc discant pii Reges, assentatores suos non solum repellere, sed etiam docere; et ex adulationibus non erigi in superbiam, sed in humilitate proficere; et de solius Domini sui vera gloria gaudere.

CAP. XXI.

De officio Principis Christiani erga pares.

Scripsimus, solita brevitate, de officio Principis Christiani erga superiores, et erga inferiores: sequitur nunc, ut consideremus, quemadmodum gerere se debeant cum paribus. Pares autem hoc loco intelligimus eos, qui non sunt inter se, neque praepositi, neque subiecti, quales sunt omnes illi, qui dicuntur Principes absoluti. Et quamvis omnino aequum sit, ut qui titulis honorum minoribus gaudent, cedant iis, qui titulis maioribus potiuntur, ut Comites Marchionibus, Marchiones Ducibus, Duces Regibus, Reges Imperatori; et rursum rationi congruum sit, ut inter Principes eiusdem tituli, illi praecedant, qui vel ab antiquiore tempore titulo illo gaudent, vel latius dominantur, vel absolute maiores, et potentiores habentur; tamen nos hoc loco de eiusmodi rebus non disputamus: vim suam habeant iura, vel consuetudines iam receptae, quas nos in hoc opusculo non consideramus. Illud solum ad nos pertinet, ut ex charitate admoneamus Principes potentiores, ut cum Principibus debilioribus, in quos ius nullum habent, cum sint Principes absoluti; conservent Christianam charitatem, et pacem. Nam Principes, qui verum Deum ignorant, et dulcedinem divinae charitatis non gustaverunt; arbitrantur sibi valde gloriosum esse, si debiliores quosque sibi subiiciant, et eorum ditiones ad imperium suum adiungant. Isti vero non se ut homines gerunt, sed ut bestiae sylvarum, in quibus iure quodam naturali robustiores imbecillioribus dominantur. Sic leo iure quodam suo lupum occidit, et comedit; et lupus ovem; et ovis herbas. Homines vero, qui libero arbitrio naturaliter praediti sunt, nascuntur liberi; neque subiici possunt, unus alteri, nisi iusto aliquo titulo, quales sunt electio, successio, et alii omnibus noti. Itaque Nembroth, qui primus *coepit esse potens in terra*, ut Scriptura loquitur, et regnavit in Babylone, et vicinas gentes, vi, et armis sibi subiecit; proprio vocabulo dicitur a Spiritu sancto, *robustus venator coram Domino*. Quia videlicet, homines ut bestias sylvestres sibi violenter servire coegit.

Talis fuit postea Nabuchodonosor, qui ut legitur in libro Iudith, regnabat in Ninive, et habuit consilium cum satrapis suis, ut omnem terram suo subiugaret imperio: et misit nuntios ad eos, qui habitabant in Cilicia, et Damasco, et Libano, et Galilea, et usque ad Hierusalem. Sed cum omnes eorum locorum habitatores negarent se velle subiici illius imperio: iuravit per thronum et regnum suum, quod defenderet se de omnibus regionibus illis. Mira res, iurat Nabuchodonosor, quod defenderet se, quasi iniuriam accepisset ab illis, qui nihil in eum commiserant, sed duntaxat cum liberi essent, iugo durae servitutis premi, recusabant. Neque desunt hoc tempore Turcae Mahometi sectatores, quia sola imperandi libidine, magnam Imperii Romani partem, sibi subiecerunt, et subiicerent etiam totum orbem terrarum, sine ulla iusta causa, nisi Principes Christiani, et qui eumdem Maomethum colunt, Persae, libidini illorum resisterent. Ista igitur feritas barbara, longissime abesse debet a moribus Principum Christianorum, qui praeter iudicium rationis, quod nobis fieri nolumus; habent sanctissimam legem Dei vivi et veri, cuius finis est *charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta*: et qui post huius brevissimae vitae curriculum, expectant Regnum aeternum, quod piis omnibus promisit, qui non mentitur Deus.

Primum igitur Princeps potentior, non debet ulla ratione, vel ullo praetextu opprimere Principem imbecilliorem, etiam si facillime possit. Cuius rei habemus insigne exemplum in Imperatore Theodosio apud sanctum Augustinum in libro quinto de civitate Dei. Nam cum esset Theodosius in Imperio Romano collega Valentiniani iunioris; et Valentinianus iste expulsus fuisset a Maximo Tyranno: et Theodosius Maximum occidisset; et potuisset, nullo impediente, vel resistente, Valentinianum de medio tollere, et ipse, nullo contradicente, Imperium universum tenere; noluit, quia Christianus, et pius erat: sed Valentiniano collegae partem Imperii sui, propria virtute recuperatam, continuo restituit, et ipsum Valentinianum optimis praeceptis, et admonitionibus instructum, a se dimisit. Sic igitur debet Princeps vere Christianus, Principem imbecilliorem non solum non laedere; sed etiam adiuvare, si possit: hoc enim lex iustitiae, et charitatis praecipit.

Ac ut paulo diligentius de hac re tam gravi, Principes admoneamus, illud pro comperto habere debent, non licere ullo modo bello pulsare Principem vicinum, aut alium quemcumque; nisi conditiones iusti belli adsint. Conditiones illae, quatuor numerari solent, auctoritas legitima, causa iusta, intentio bona, et modus rationabilis. Auctoritas legitima, est in Principe libero. Sic enim scribit sanctus Augustinus in libris adversus Faustum, *Ordo ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas penes Principem sit.* Cuius rei causa est, quia privati cives, si forte iniuriam ab alio cive accipiunt; habent communem Iudicem, ad quem recurrant; Principes vero liberi, non habent. Causa iusta belli, est iniuria accepta ab alio Principe, vel Republica etiam libera, quae superiorem non habet. Sic enim sanctus Augustinus docet in libro quaestionum in Iosue. *Iusta bella*, inquit, *definiri solent, quae ulciscuntur iniurias, si qua gens, vel civitas, quae bello petenda est, vel vindicare neglexit, quod a suis improbe factum est, vel reddere, quod per iniuriam ablatum est.*

Sed illud attentissime considerandum est, iniuriam, quae bello vindicanda est, esse debere neque dubiam, neque levem, sed certam, et gra-

vem. Alioqui periculum est, ne plus detrimenti bellum adferat, quam sit utilitas, quae inde speratur. Proinde Princeps potentior, non sit facilis ad iudicandum de causa iusti belli cum Principe debiliori, ne forte cupiditas ampliandi principatus, cogat, eum iustam causam suscipiendi belli existimare, quae re vera non sit: neque in hac re Doctoribus suis domesticis nimium fidat: sed quaerat consilium ab externis, et qui viri graves, et bene periti, non venales, et leves, et parum docti communi consensu abeantur. Agitur enim de peccato magno, quod plurima peccata secum involvit. Intentio bona, quae est tertia conditio, valde necessaria est; nam cum finis belli sit pax, et tranquillitas Reipublicae; non licet bellum suscipere, nisi ob commune bonum, etiam si forte legitima auctoritas, et causa iusta non desit. Sic enim loquitur sanctus Augustinus in epistola ad Bonifacium Comitem. *Pacem habere debet voluntas; bellum necessitas: non enim pax quaeritur, ut bellum geratur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur. Esto ergo etiam bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis unitatem vincendo perducas*; et in libris contra Faustum, *Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis animus, feritas debellandi, libido dominandi, et si qua similia, haec sunt, quae in bello iure culpantur.* Haec tamen conditio tertia si forte desit, non facit bellum esse iniustum, sed malum; tametsi iustum; in quo multum distat conditio haec tertia a duabus superioribus, quae, nisi adessent, redderent bellum non solum malum, sed etiam iniustum; quoniam esset manifeste contra iustitiam: cum bellum ex iusta causa, et ex auctoritate Principis motum, sed ex intentione non bona; sit contra charitatem, non contra iustitiam.

Hoc etiam loco illud est diligenter considerandum, quod cum bellum sit suscipiendum, ut medium ad pacem, et tamen medium sit valde grave, et periculosum; non continuo suscipiendum est, sed tentanda prius sunt alia media faciliora, et meliora, quale est, quod in Deuteronomio demonstrat Moses. *Si quando*, inquit, *accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem*; et sanctus Augustinus in epistola ad Bonifacium Comitem. *Pacem*, inquit, *habere debet voluntas bellum necessitas. Fortasse enim civitas inimica malet plenissime satisfacere hosti armato, quam experiri discrimina belli.*

Restat extrema conditio, quae pertinet ad modum. Sic enim bellum gerendum est, ut illi solum puniantur, qui iuste puniri debent. Ac primum excipiendi sunt ii, qui non sunt ex numero inimicorum, ut qui ad Rempublicam hostium non pertinent: ex quo excusari milites non possunt, qui vexant, spoliant, percutiunt, capiunt eos, per quorum loca transeunt, vel apud quos ospitantur, quibus saepe reddunt mala pro bonis: neque iure excusari possunt, quod stipendia eis non solvantur in tempore; nam non propterea militibus obligata sunt bona eorum, qui nihil eis nocuerunt; neque luere debent poenas cives, aut rustici amici, quia Princeps stipendia militibus suis non solvit. Deinde excipiendi sunt minores natu, foeminae, viri senes, et alii, qui arma gestare non possunt. Quamvis enim isti, qui bellare non possunt, capi, et spoliari possint, si ad Rempublicam hostium pertineant: certe tamen occidi iure non possunt, nisi forte casu, et praeter intentionem aliquis huiusmodi occidatur; ut si forte miles in cuneum hostium sagittam iacit, et casu puerum, vel senem imbellem occidat. Nam Deus ipse hoc Haebreis mandabat, cum bella gererent, ut parcerent parvulis, et mulieribus. Et ratio naturalis hoc ipsum docet; quorsum enim occidantur, qui pugnare nequeunt, nisi ad crudelitatem ferinam ostendendam? Neque obiici debent aliqua scripturarum testimonia, in quibus Deus ipse iubebat, neque parvulis, neque feminis, neque pecoribus ignosci: Quod enim Deus iubet, omnino faciendum est, cum ei nemo dicere possit, cur ita facis. Denique excipiendi sunt iuxta canones Ecclesiae, Presbyteri, Monachi, conversi, peregrini, mercatores, rustici euntes vel redeuntes, vel in agricultura existentes, et animalia quibus arant, et semina portant ad agrum: hos enim decet, ut congrua saecuritate laetentur.

Hae sunt igitur conditiones belli iusti: sine quibus nullo modo deberet Princeps ullus alium Principem vexare: sed multo minus potentior imbecilliorem. Alioqui timeat iudicia Dei, qui non raro facit, ut Princeps imbecillior robustiorem facile vincat. Cuius rei exemplum legi potest in vita Theodosii senioris.

Neque solum in iis rebus, quae ad iurisdictiones, et dominia pertinent, lex iustitiae observanda est inter Principes Christianos; sed etiam in iis ritibus, qui ad honorificentiam pertinent, sive in verbis, sive in factis positi sint; nisi forte aliquando a magnis viris maiori cum laude contemnantur, quam requirantur. Exemplum habemus in sancto Henrico primo Imperatore. Nam cum aliquando necesse esset, ut Henricus Imperator cum Roberto Rege Francorum de rebus publicis ad Christianam Rempublicam pertinentibus inter se conferrent: uterque venit ad flumen, quod erat in finibus utriusque Regni. Sed orta est dubitatio, utrum Rex ad Imperatorem, an ad Regem Imperator deberet accedere. Et quidem viri sapientes ab utraque parte inter se collocuti, consilium dederunt, ut uterque Princeps, unusquisque in sua navicula ad medium flumen eodem ipso tempore simul accederet. Sed Imperator aegre ferens propter huiusmodi nugas differri negotium principale, et alioqui sanctae humilitatis amicus, quam a Christo Domino adamatam semper noverat: statim conscensa navicula ad Regem properavit, a quo humanissime exceptus, familiarissime de negotio publico cum Rege tractavit. Altera postera die Rex ad Imperatorem venit, a quo vicissim humanissime Rex exceptus, de negotio inchoato pacifice, et concorditer egerunt. Sic pius Imperator humilitate vicit, et pius Rex Imperatori gloriam humilitatis invidit. Erat enim uterque Princeps adeo religiosus, et pius, ut Rex Robertus cognomen sancti apud suos invenerit; et Imperator Henricus, ut vere sanctus in Ecclesia colatur.

Hos igitur imitentur Principes Christiani, et non tanti faciant inanes quasdam honoris significationes, ut propter earum omissionem iurgia, et inimicitiae, et saepe etiam vulnera, et mortes hominum exoriantur. Certe Christus Dominus non solum Magister, et Doctor, sed etiam Rex noster et Imperator est; proinde eum imitari, non turpe, sed decorum nobis videri deberet. Ille autem neque extollebatur cum publice laudaretur; neque contristabatur, cum publice blasphemaretur. Et Rex David cum a Semei malediceretur maledictione pessima, ut ipse David eam vocat: non tamen respondit, mentiris; neque reddidit maledictum pro maledicto; neque permisit, ut aliquis ex suis, qui non pauci, et armati aderant, eidem Semei maledicenti noceret. Haec, et alia exempla monere nos possunt, ut non tanti faciamus iniurias verborum, quanti hoc tempore fieri solent. Quamvis negare non possim, nec velim, iniurias Principum non passim esse permittendas; quin etiam suo tempore, et loco severe puniendas, etiam si verborum tantum iniuriae sint. Sed per alios vindicta sumenda est, non per ipsum qui patitur, ne patientiae bono, et mercede divina privetur.

CAP. XXII.

De officio Principis Christiani erga seipsum.

Restat pars quarta nostrae disputationis, in qua considerandum est, quomodo se gerere debeat Princeps erga personam suam. Haec vero consideratio multum adiumenti Principibus adferre poterit, si et nobis detur a Deo gratia explicandi, quae vera sunt; et illis cum attentione legendi, et cogitandi, quae ad ipsorum salutem maxime pertinent. Adferam igitur considerationes quinque.

Prima consideratio erit de ultimo fine, et summo bono, tum animae, tum corporis. Siquidem homines mortales, ut plurimum nihil altius, nihil melius, nihil optabilius esse arbitrantur imperia super alios homines; ad quod consequi vident opes, et honores, ac per hoc etiam voluptates, et commoda. Et quidem, verissimum est, summum bonum hominis in Regno positum esse, sed non in regno temporali. Siquidem Regna et Imperia temporalia, ut experimento discimus, non ultra spatium vitae corporalis se extendunt. Animus autem hominis immortalis est, et corpus etiam post resurrectionem immortale erit, neque ullum finem vivendi faciet. Et quid proderit homini, Regnum obtinuisse ad paucos annos, si per infinitum annorum numerum, regno cariturus erit? Non igitur summum hominis bonum in Regno temporali positum esse potest, sed in Regno sempiterno, quod sempiternae divitiae, et delitiae, et honores consequuntur. Quod Regnum Christus Princeps Regum terrae piis omnibus praestabit, cum dicet in die Iudicii, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum*, et de quo alibi dicit, *Quaerite primum Regnum Dei, et iustitiam eius et haec omnia adiicientur vobis*. Atque haec veritas theorice, ut sic loquar, omnibus Christianis notissima est: sed practice paucissimis est nota. Sic enim homines pro Regnis terrenis acquirendis, vel propagandis laborant, et sudant, ac si in eis summa eorum foelicitas posita esset. Si quis ergo cupiat hanc veritatem tanti momenti plane cognoscere, colligat aliquando se, et dimissis ad tempus negotiis, et cogitationibus omnibus; in secreto cubiculo postulet a Deo gratiam cognoscendae veritatis de summo suo bono; et ad quem finem eum Deus sapientissimus, et nostri generis amantissimus creaverit: et simul examinet ab una parte promissiones Dei de caelesti Regno; et ab altera, brevitatem et angustias Regni terreni: et ille, qui iusta petentes semper exaudit, sine dubitatione illum docebit.

Altera consideratio erit de veris mediis ad finem tam sublimem, et qui solus explere potest capacitatem desiderii nostri: et sine dubitatione, si quis haec media diligenter inquirat, inveniet Regnum temporale non solum non esse finem, id est, summum bonum hominis, sed neque esse medium ad illud acquirendum satis accommodatum. Ut autem hoc facilius intelligatur, explicandam mihi esse putavi historiam divinam de ratione gubernandi populos, id est, quam formam regiminis, sapientissimus Deus in populo suo maxime probaverit. Igitur animadvertendum est, ab initio non placuisse Deo, ut fideles sui praecessent hominibus extra familiam suam: sed solum pecoribus, fortasse propter periculum quod est in regendis populis. Nam ante diluvium per mille, et sexcentos annos, nullus fuit Rex hominum: deinde a diluvio per multos annos soli gentiles dominabantur aliis hominibus; rationem reddit sanctus Gregorius in libris Moralium dicens, *Antiqui Patres nostri non tam Reges hominum, quam Pastores pecorum fuisse memorantur. Et cum Noe Dominus, filiisque eius diceret, Crescite, et multiplicamini, et implete terram; subdidit, et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terrae. Non enim ait, sit super homines, qui futuri sunt, sed super animalia terrae. Homo quippe animalibus irrationabilibus, non caeteris hominibus natura praelatus est.* Postea vero quam Hebraei in Aegypto multiplicati, et a Mose a servitute Pharaonis liberati creverant in gentem magnam; dedit illis Deus Mosem in Principem, a quo regerentur, non tamen sub nomine Regis: et Mose defuncto subrogavit illi Deus Iosue Ducem: et post obitum Iosue gubernavit Deus ipse Rempublicam Hebraeorum per Iudices, quos subinde vocabat cum Hebraei a vicinis gentibus opprimerentur. Sed cum Hebraei, Regem sibi dari petiissent: non placuit Deo petitio illa populi, sed tamen permisit, ut Regem sibi forte eligerent. Itaque Deus in libro primo Regum multis modis declaravit, non sibi placuisse, quod populus suus Regem habere voluisset, sicut reliquae gentes habebant. Sic enim legimus. *Dixerunt maiores natu Israel ad Samuelem, Constitue nobis Regem, ut iudicet nos, sicut universae habent nationes. Displicuitque sermo in oculis Samuelis, eo quod dixissent, Da nobis Regem, ut iudicet nos. Et oravit Samuel ad Dominum. Dixit autem Dominus ad Samuelem, Audi vocem populi in omnibus, quae loquuntur*

tibi. Non enim te abiecerunt,sed me, ne regnem super eos. Ecce quam aperte Deus improbat petitionem populi petentis Regem. Deinde, ut populum ab hac petitione averteret, iussit Samueli, ut praenuntiaret populo ius Regis, id est, grave iugum, quod Reges imponere solebant super cervicem populorum. *Nunc ergo*, inquit Deus, *audi vocem eorum: verumtamen contestare eos. et praedic eis ius Regis, qui regnaturus est super eos. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat a se Regem,et ait.Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis, filios vestros tollet, et ponet in curribus suis:facietque sibi equites, et praecursores quadrigarum suarum: et constituet sibi tribunos, et centuriones, et aratores agrorum suorum, et messores segetum, et fabros armorum, et curruum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, et focasias, et pandicas. Agros quoque vestros, et vineas, et oliveta optima tollet, et dabit servis suis. Sed et segetes vestras, et vinearum reditus addecimabit. ut det eunuchis, et famulis suis. Servos etiam vestros,et ancillas,et iuvenes optimos, et asinos auferet, et ponet in opere suo: greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei servi. Et clamabitis in die illa a facie Regis vestri, quem elegistis, et non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis Regem.*

Haec omnia sanctae Scripturae verba eo pertinent, ut populus intelligeret, non esse sibi utile habere Regem, ut habent gentiles: cum antea haberent Iudices a Deo electos,et vocatos,omnes viros fortes, et prudentes, et qui nihil a populo acciperent, et nullum vexarent.Quia tamen populus mansit in sententia, et voluit Regem: dedit illis Samuel Regem Saul. Sed Rege constituto iterum Samuel dixit ad populum.*Sed et nunc state, et videte rem istam grandem,quam facturus est Deus in conspectu vestro. Numquid non messis tritici est hodie? invocabo Dominum et dabit voces* (tonitruorum videlicet, quae eo tempore erant inusitata in Palaestina) *et pluvias, et scietis et videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos Regem. Et clamavit Samuel ad Dominum, et dedit Dominus voces,et pluvias in illa die.Et timuit omnis populus nimis Dominum, et Samuelem: et dixit universus populus ad Samuelem, Ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur. Addidimus enim universis peccatis nostris malum, ut peteremus nobis Regem. Dixit autem Samuel ad populum, Nolite timere: vos fecistis universum malum hoc: verumtamen nolite recedere a tergo Domini,sed servite Domino in omni corde vestro.* Haec omnia satis aperte indicant, non placuisse Deo, ut populus suus haberet Reges absolutos,quomodo habebant gentes.

Et quae est ratio, dicet aliquis, cur Deus non probaverit regale imperium in populo suo? Ratio est, quia praevidebat Dominus Reges illos male usuros absoluta illa potestate. Nam a Mose usque ad Reges, omnes Duces, et Iudices, qui populum gubernaverant, viri optimi fuerant. Nam et Apostolus in epistola ad Hebraeos fere omnes Iudices cum ipso Mose numerat inter sanctos testamenti veteris. Sed ubi regimen venit ad Reges, primus Saul, cum privatus civis esset, erat omnium optimus; factus Rex, evasit omnium pessimus,et ideo Regnum, corpus, et animam perdidit. Secundus, David, antequam Regnum obtineret, inimicum Saulem numquam laedere voluit, cum facillime posset; factus Rex,militem optime de se meritum occidit, et eius coniugem adulterio polluit: sed tamen ex corde poenitentiam egit, et gratiam Dei recuperavit. Tertius Salomon, initio bonus,in senectute Idola coluit, et salutem suam aeternam in dubio reliquit.Et satis constat ex libris Regum, et Paralipomenon, post divisionem Regni, in Regnum Israel, et Iuda; ex Regibus Israel nullum fuisse bonum, sed omnes impios, et idololatras, ac per hoc, omnes ad gehennam esse damnatos: ex Regibus Iuda duos fuisse absolute bonos, et sanctos, Ezechiam, et Iosiam; sex ex parte laudatos, et ex parte reprehensos, Asam, Iosaphat, Ioam, Amasiam, Oziam, Ioatham: reliquos omnes absolute malos, et impios, improbos et reprobos. Quae cum ita sint, nemo mirari debet, cur neque Deus, neque Samuel Propheta, probare voluerint Regiam potestatem in populo Hebraeorum. Porro ex hac historia, quis non videat, quam sit periculosa potestas Regia;et, quae illi simillima est, potestas Principum omnium absolutorum? Adde, quod idem dici potest de Principibus testamenti novi. Nam ex tanto numero Imperatorum, Regum, Principum absolutorum, qui vixerunt his mille,et sexcentis annis in Ecclesia Christi, in numerum Sanctorum relati, paucissimi sunt; cum Principum spiritualium, id est, Episcoporum fere infinitus sit numerus. Sane in Martyrologio Romano inveniuntur Episcopi sancti circiter nongenti; Principes vero saeculi sancti solum viginti.Haec si Principes saeculi serio apud se cogitent, invenient, vocationem suam, sive statum, et conditionem suam non esse tam beatam, et felicem, ut vulgus existimat neque esse medium satis idoneum ad Regnum aeternum comparandum; et ipsi non insolescent, neque privatos homines contemnent; sed illis potius ex animo invidebunt,et cum timore, et tremore sceptrum suum, non ut sceptrum honorificum, et leve; sed,ut crucem gravissimam, durissimamque portabunt.

Tertia consideratio utilissima Principibus esse potest, si serio, et saepe considerent, se dominari, et praeesse hominibus eiusdem speciei, cuius ipsi sunt: et fieri posse, ut non pauci subditorum sint prudentiores, et sanctiores, et Imperio digniores, quam ipsi sint: praesertim cum maior pars ipsorum non sint electi ad principatum ex multis, quomodo eliguntur Episcopi, in quorum electione habetur ratio, aetatis, scientiae, prudentiae, morum optimorum, et sanctitatis vitae, et aliorum Magistratuum, in quibus antea versati sint. Principes enim, ut plurimum succedunt parentibus, et non raro parenti probo succedit filius improbus, et parenti prudenti succedit filius stultus, et parenti maturae aetatis succedit adolescentulus, vel pauper. Sic Davidi seni successit Salomon puer: et Salomoni sapientissimo successit

Roboam stultus, et Ezechiae sancto, successit Manasses perditissimus. Itaque deberet Princeps, ista omnia cogitans, humilis esse in oculis suis, et non contemnere, neque conculcare per superbiam subditos, quorum aliqui fortasse sint imperio digniores, quam ipse sit. Sed habet Principatus, ut plurimum, hunc morbum annexum, ut Princeps, quia sedet altius quam caeteri; vere se reputet naturae cuiusdam excellentioris, quam sint reliqui homines, et evanescat in cogitationibus suis. Notum est, Alexandrum Magnum facile sibi persuaderi scivisse, se non Philippi Regis Macedoniae, sed Iovis filium esse, atque adeo immortalem Deum. Sed paulo post mors immatura declaravit quid esset. Quod idem Caio Imperatori Romanorum accidisse legimus, qui miserebatur stultitiam Iudaeorum, quod se Deum esse sibi persuadere non possent: cum tamen paulo post a coniuratis occisus, experimento didicerit, se vere fuisse mortalem. Idipsum de Domitiano dici potest, qui cum Dominus, ac Deus appellari vellet; paulo post non tantum falsam divinitatem, sed etiam veram humanitatem interfectus amisit. Ergo Princeps Christianus si sapit, humilis sit in oculis suis: et quod ipse sedeat in throno, cum alii stant, vel procumbunt in genua: et quod ipse imperet: alii dicto obediant: non merito suo tribuat, sed beneficio Dei: et intelligat subditos suos eiusdem esse naturae, cuius ipse est, et multos eorum, maiores esse in oculis Dei, qui Princeps est Regum terrae; et se quidem ad brevissimum tempus regnaturum; illos autem participes futuros Regni Christi, cuius nullus erit finis.

Quarta consideratio in eo posita est, ut prudenter cogitet pius Princeps, se non esse debitorem soli Regno administrando, vel subditis bene regendis: sed etiam sibi, id est, saluti sempiternae comparandae. Et quemadmodum nemo accusare potest Principem, quod aliquando intermittat negotia Regni, vel Principatus, ut corporis sui saluti conservandae, vel reparandae vacet: ac per hoc nonnumquam venationi det operam: aut honesto ludo se oblectet, vel certe musica instrumenta, aut cantorum voces audiat; aut denique legendis libris historicis, vel philosophicis incubat. Sic etiam laudandus est Princeps, si sepositis interdum temporalibus curis, saluti animae suae, serio vacet. Hoc in primis consulit sanctus Bernardus Eugenio suo quondam in Christo filio, ac postea patri suo, et omnium Christianorum. Nam cum is ex Abbate Summus Pontifex factus esset, et in Ecclesia universali regenda dies, ac noctes excubaret; admonuit illum sanctus Bernardus in libris de consideratione, ut non ita totum se daret gubernationi Ecclesiae, ut obliviscetur spiritualis profectus animae suae. Quod si timuit, non sine ratione sanctus ille vir, ne Ecclesiastica negotia, quamvis spiritualia, et necessaria, nimis continuata suffocarent spiritum internae devotionis, et charitas Pastoris erga Ecclesiam, imminueret charitatem animae devotae erga Deum: quanto magis periculum est, ne Princeps temporalis nimium distentus, et distractus erga negotia temporalia Regni terreni, remittat ardorem charitatis erga Deum; et dum consulit rebus temporalibus Regni terreni, detrimentum faciat Regni caelestis? Christus Rex et Dominus noster, non erat occupatus in rebus temporalibus ullis, sed in praedicatione Verbi Dei, et in conversione animarum; et tamen, ut exemplum nobis daret, pernoctabat, ut plurimum in oratione. Id enim significant illa verba sancti Lucae, *Erat pernoctans in oratione Dei*; et illa, *Erat autem diebus docens in templo; noctibus autem exiens morabatur in monte.* Neque tamen erat illi periculum, ne tepesceret spiritus eius, aut ne detrimentum aliquod spirituale pateretur. Itaque ut nobis exemplum daret, dies consumebat in operando, et noctes in orando. Et si nobis sacerdotibus, vel religiosis exemplum hoc tanti magistri necessarium est; quanto magis necessarium erit Principibus saeculi, qui toti sunt in rebus temporalibus occupati? Et si David Rex, et Imperator, septies in die revocabat animum ad laudandum Deum, et media nocte surgebat ad confitendum Domino: quam excusationem habebunt Principes illi, qui toti sunt diebus, ac noctibus in rebus temporalibus occupati? certe enim si qui sunt, qui indigeant gratia Dei, et conversatione frequenti cum ipso, Principes sunt, qui ut Vicarii eius in temporali regimine, voluntatem eius assidue indagare debent.

Eligat igitur Princeps tempus, et locum aptum colloquendi cum Deo, magis corde, quam voce. Ac primum ab eo petat, ut lumen cordi suo infundat, in quo manifeste videat statum animae suae; et si quidem viderit, animam suam lethali peccato obnoxiam, atque adeo ipsi Deo invisam: cum Maria Magdalena sese ad eius pedes abiiciat, et lacrymis cordis medicinam quaerat. Et quia remedia nota fidelibus tria illa sunt, contritio, confessio, et satisfactio: in eo sciat summam verae conversionis positam esse, ut ista non solum fiant, sed bene fiant. Quid enim prodest flere peccatum admissum, et illud Sacerdoti aperire, et impositam mulctam implere; nisi peccati radicem funditus extirpet? habet aliquis domi concubinam, habet rem alienam, laesit personam, vel famam proximi sui? quid, inquam, prodest flere, et confiteri peccatum, et impositam poenam subire; si neque concubinam eiiciat, neque restituat rem alienam; neque pro iniuria satisfaciat? an non hoc est simulare, non agere poenitentiam? Postea vero quam Princeps vere cum Deo in gratiam rediit: pergat inquirere ab ipso Deo in oratione, non quacumque, sed valde seria, et attenta, cum fide, et fiducia, gratiam perseverandi, et proficiendi, atque ad perfectionem vitae Christianae tandem aliquando perveniendi. Neque enim existimare Principes debent, perfectionem vitae Christianae ad solos Sacerdotes, et Monachos pertinere. Pertinet enim ad omnes, qui cupiunt in Regnum caelorum recta ex hoc mundo transire, cum nihil coinquinatum in Regnum illud admitti queat; et ad Principes maxime pertineat exemplum virtutum omnium populis, quos regunt, praebere. *Regis* enim *ad exemplum totus componitur orbis;* et, *Qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea.* Proinde vita improba, vel etiam remissa,

et relaxata Principum multo magis Deo nostro displicet, et gravius sine dubitatione punietur, quam vita mala, vel minus bona privatorum.

Accedit ad haec (quod certe Principibus omnino persuadere deberet vitae perfectae desiderium) quod ipsi in maiori periculo mortis aeternae versantur, quam homines privati, et poena gehennae molestior eis accidet, quam privatis. De maiori periculo nulla dubitatio esse potest, cum sapientia Dei manifeste dicat, *Horrende, et cito apparebit vobis; quoniam iudicium durissimum his, qui praesunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.* Intolerabilia vero multo magis futura tormenta gehennae Principibus, quam privatis, maxime pauperibus, et vilibus; ratio manifestissima docet: Principes enim magis sunt assueti divitiis, delitiis, honoribus; in alto loco sedent, molliter cubant, delicate vivunt, impatientes sunt omnis iniuriae: cum viri pauperes facile pane, et aqua contenti sint, et humi cubare non valde recusent, et ad alta, et excelsa munia non aspirent. Quis igitur explicet quam intolerabile sit futurum Principibus malis in die Iudicij, iacere humi ab omnibus despectos, et videre, sanctos olim pauperculos, et viles in nubibus caeli, gloria et honore coronatos assidere Christo Iudici, et postea cum eo da caelestia Regna conscendere: se autem cum daemonibus ad aeternas subeundas poenas ad inferna detrudi? Itaque damnatio sempiterna, quae parata est omnibus improbis, et reprobis, nullis molestior, et acerbior erit, quam Principibus malis.

Quinta, atque adeo postrema consideratio, quae Principibus multum prodesse poterit, illa mihi esse videtur, si tempus aliquod ponant in legendis attente, et diligenter historiis, quibus vita, et res gestae sanctorum Principum continentur. Siquidem vitae Sanctorum sunt quidam quasi commentarj lucidissimi legum divinarum utriusque testamenti. Et si quis velit, quasi ipsis oculis cernere, quid oporteat Principem facere, si salvus esse velit; legat attente sanctorum Principum vitas: ibi enim cernet praecepta, documenta Spiritus sancti, quasi ad praxim revocata. Quod idem dici potest de Episcopis, et Regularibus; nullus enim Doctor manifestius, et facilius docet, quid facto opus sit Episcopis, et Regularibus, quam historia scripta de rebus gestis sanctorum Episcoporum, et Monachorum. Adde, quod vitae Sanctorum diligenter, et vere descriptae sunt quasi vestigia in arena impressa, quae per desertum huius vitae tuto nos ducunt ad terram promissionis; si quis per ea vigilanter incedat, idest, si eas vitas attente legat, et imitetur. Denique vitae Sanctorum accurate descriptae, sunt veluti specula lucidissima, quae si quis attente consideret, facile inveniet, quid in moribus suis corrigere, quib omnino deserere, quid magno animo complecti, et sequi debeat; si ad perfectionem vitae praesentis, et ad felicitatem futurae pertingere velit.

Haec causa fuit, cur ego vitas sanctorum Principum utriusque Testamenti huic meo opuscolo adiungere voluerim; ut videlicet laborem eas inquirendi in varijs auctoribus, Principibus demerem. Et quidem vitas Principum sanctorum Testamenti veteris, ego ipse descripsi ex libris sanctis et canonicis. Vitas sanctorum Principum Testamenti novi ex variis auctoribus fide dignis collegi. Quibus aliae addi poterunt ab aliis, qui maiori ocio, et pleniore bibliotheca abundant.

Ego enim solum pro numero Provinciarum paucas elegi; et secundum antiquitatem temporis eas disposui; ut qui prior ad Regnum caeleste pervenit, eius vita priorem in libro meo locum habeat.

LIBER SECUNDUS

PRAEFATIO

in vitas sanctorum principum

De officio Principis Christiani scripsimus in libro priore ea, quae vel in scripturis sanctis, vel in probatis auctoribus invenire potuimus, aut certe quae nobis cogitantibus, et speculantibus occurrerunt. Sed quia magis movent exempla, quam diserti sermones: propositum nobis est, in sequentibus libris proponere ante oculos mentis Principum Christianorum, egregias sanctorum Principum res gestas; tum eorum, qui Christum Dominum, qui est princeps Regum terrae praecesserunt; tum eorum, qui postea secuti sunt. Sic enim fiet, ut dum praecepta virtutum principalium ad praxim redacta cernuntur, et quasi in speculo lucidissimo manifestissime conspicientur; nemo dicere possit, ea praecepta graviora esse, quam ut ab homine mortali observari queant. Quod enim priores Principes omnibus saeculis, Dei gratia adiuvante, implere potuerunt; cur non possint Principes posteriores, eiusdem Dei adiuvante gratia, adimplere? Et si aliqui illorum sine praecedente exemplo optimi Principis gloriam meruerunt: cur non facilius possint posteriores Principes vestigijs praecedentium insistentes, eamdem gloriam promereri? Primum igitur in medium adferam vitas Principum sanctorum Testamenti veteris: deinde vitas multo plures sanctorum Principum Testamenti noui.

Sed antequam ad vitas Principum Testamenti veteris describendas accedam, videtur mihi obex quidam esse removendus, qui fructum lectionis eiusmodi vitarum impedire facile posset. Dicent enim Christiani Principes, supervacaneum sibi videri, velle cognoscere, quid in Republica Hebraica Testamenti veteris egerint Principes, sive Reges: cum nos ad Rempublicam Christianam Testamenti novi, per Dei gratiam pertineamus. Sed hic obex facile removeri potest; docet enim sanctus Augustinus in epistola ad Honoratum de gratia novi Testamenti, et alibi frequenter; sanctos viros Testamenti veteris, quales in primis fuerunt sancti Principes Moses, Iosue, David, et alii; floruisse quidem tempore Testamenti veteris, sed re vera pertinuisse ad Testamentum novum. Quemadmodum etiam plurimi Christiani vivunt in Ecclesia Testamenti novi, sed re vera pertinent ad Testamentum vetus. Haec enim est differentia duorum Testamentorum, quod vetus promittit bona temporalia, et praesentia, quibus futura, et spiritualia significantur: novum autem Testamentum promittit bona spiritualia in praesenti tempore, gratiae dona, et virtutes; atque in primis patientiam in tribulatione: sed in futuro gloriam, et gaudia sempiterna. Quemadmodum igitur viri Christiani, qui sub Testamento novo viventes, temporalibus bonis inhaerentes, spiritualia negligunt: viventes in Testamento novo, pertinent ad Testamentum vetus: sic etiam viri Hebraei, qui viventes in Testamento veteri, contemnebant temporalia, et spiritualibus inhaerebant; viventes in Testamento veteri, ad novum sine dubio pertinebant. Eiusmodi fuisse sanctos Principes Testamenti veteris, quorum vitas legendas proponimus, usque adeo verum est, ut rarissimi Christiani Principes inveniantur, qui veteribus illis in virtutibus, et sanctitate non cedant.

VITA ET VIRTUTES

SANCTI IOSEPH PATRIARCHAE

Primus omnium, qui inter cultores veri Dei principatum temporalem adeptus est, Ioseph Iacobi Petriarchae filius fuit. Priores enim Patres ab Adamo usque ad Iosephum, vel agrorum cultores fuerunt ut Cain, et Noe: vel ovium pastores, ut Abel, et Abraham, et caeteri Patriarchae, qui sine dubio artem regendi populos non attigerunt. Sic enim scribit sanctus Gregorius in libro vicesimoprimo Moralium cap. 10. *Scimus, quod antiqui Patres nostri, non tam Reges hominum, quam pastores pecorum fuisse memorantur.* Ioseph autem Regnum Aegypti, ipso Pharaone Rege potestatem suam illi tradente, administravit. Sic enim legimus in libro Genesis Pharaonem dicente ad Iosephum, *Ecce constitui te super universam terram Aegypti: tulitq; annulum de manu sua et dedit in manu eius: vestivitq; eum stola byssina, et collo torquem auream circumposuit: fecitq; eum sedere super currum suum secundum, clamante praecone, ut omnes coram eo genuflecterent, et Praepositum esse scirent universae terrae Aegypti.* Et quoniam Pharao Rex potestatem suam omnem cum Iosepho communicaverat; non ad tempus, ut cum Praefectis fieri solet, sed per omnem vitam: ideo David de eo cecinit in psalmis, *Constituit eum dominum domus suae, et Principem omnis possessionis suae*: et Philo Hebraeorum doctissimus, in libro de vita Ioseph, scribit, Iosephum a Pharaone creatum fuisse Prorege totius Aegypti; quia videlicet potestatem absolutam, et plane Regiam cum Iosepho, Pharao communicaverat.

Huius igitur primi Principis vitam magnis virtutibus plenam, et plane dignissimam, in quam, velut in exemplar morum, Principes omnes intueantur; descriptam habemus primum a Mose in libro Geneseos, deinde a Philone Hebraeo, postremo a sancto Ambrosio. Et quoniam liber Genesis notissimus omnibus est, et assidue vel in Ecclesijs legitur, vel a concionatoribus explicatur; omissa vitae serie, virtutes solum huius praeclarissimi viri Principibus inspiciedas, et imitandas proponam.

Prima igitur, ac pene singularis Iosephi nostri virtus, Innocentia vitae, et morum fuit. Vixit annos centum et decem; ex quibus primos sexdecim in paterna domo consumpsit: quatuordecim sequentes in summis angustiis, aerumnis, et carceribus duxit; reliquos octoginta in summa potestate, et affluentia bonorum omnium, ac prosperitate transegit. In tam longo tempore, et in tanta rerum varietate, neque aerumnae illum ad impatientiam, neque felicitas ad dissolutionem, vel superbiam adducere potuit. Id quod ex eo manifeste potest intelligi, quod Scriptura divina nullum omnino crimen sancti Ioseph usquam indicat: virtutes plurimas, et maximas ubique praedicat. Neque responderi recte potest, non ideo Iosephum expertem omnis criminis vixisse, quia Scriptura sancta nullum eius crimen detexit: Spiritus enim sanctus in scripturis suis neque adulatur improbis, neque iustis peccantibus parcit: et ubique tam bona, quam mala opera detegit, ut sanctus Gregorius in principio libri secundi Moralium docet. Hinc non solum Davidis Prophetae sancti adulterium, et homicidium aperte describit: sed etiam Saulis reprobi virtutes, quibus initio Regni sui floruit, non minus dilucide enarravit. Et quemadmodum sancti Petri fidem, et charitatem in Christum eximiam praedicavit: sic etiam negationem trinam cum iuramento minime tacuit. Igitur cum veridica, et liberrima Spiritus sancti vox, peccata filiorum Iacob in medium protulerit, ut incestum Ruben, crudelitatem Simeonis, et Levi, fornicationem Iudae, et odium filiorum Iacob in ipsum innocentem fratrem eorum Ioseph: certe si Ioseph ipse in aliquo deliquisset, Spiritus sanctus in Scriptura sua id minime tacuisset. Maneat igitur ratum et firmum, Iosephum innocentia vitae mirifice claruisse.

Neque vero sola innocentia, quae declinat a malo, in Iosepho fuit: sed etiam reliquae virtutes omnes, quae faciunt bonum. Porro virtutes primariae sunt, Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudo. Prudentia non humana solum, sed etiam divina in Iosepho aperte refulsit; atque eam potissimum ob causam a Pharaone super omnes homines iudicatus est dignus, qui Regnum administraret, ut intelligi potest ex capite quadragesimoprimo libri Geneseos. Nam cum Ioseph, ex divina illustratione, somnia Regis divinitus immissa de septem spicis plenis, et septem tenuibus: et septem vaccis pinguibus, et septem macilentis, interpretatus fuisset, illis, significari septem annos fertilitatis eximiae, et septem alios inauditae sterilitatis: adiecit etiam prudentissimum consilium, quo fieret, ut sterilitas futura, non solum Regis Aegypti aerarium non minueret, sed incre-

dibiliter augeret: rectissime Rex iudicavit, neminem esse in toto Regno suo, qui prudentia, et sapientia Iosephum anteiret. Neque Regem fefellit opinio de prudentia Iosephi concepta: Regnum enim illud, Iosepho vivente, per annos, ut supra diximus, circiter octoginta, maxime floruit.

Altera virtus principalis, iustitia est, quae et fidelitas dicitur in Scripturis, eaque cum prudentia copulata efficit absolutum, perfectumque Praefectum, sive domus, sive civitatis, sive Regni, iuxta verbum Domini, *Quis putas est fidelis servus, et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* haec fidelitas cum prudentia conuncta sic in Iosepho nostro eminuit, ut ubicumque esset, mox in Praefectum eligeretur. Venditus fuit Ioseph in servum a Medianitis Putiphari principi militiae Pharaonis; vix ingressus erat Putipharis domum, cum statim cognita prudentia, et fidelitate iuvenis, praepositus est universae familiae. Missus postea fuit in carcerem, ob falsum illi imputatum crimen: sed ecce continuo a principe carceris, creatur praefectus omnium vinctorum, et tamquam Rex captivorum, omnium curam gerebat. Denique in ipsa veri Regni administratione, ita prudenter, fideliterque se gessit, ut usque ad mortem cum laude magna toti Regno praefuerit. Fidelitas enim, sive iustitia eius, in eo potissimum apparuit, ut observavit etiam Philo in eius vita, quod cum ex venditione frumenti cumulum pecuniarum immensum collegisset; nihil omnino sibi retinuit, sed intulit omnem illam pecuniam in aerarium Regis. Et rursum cum patrem suum, et filios, ac nepotes eius, usque ad numerum septuaginta hominum in Aegyptum vocasset; non eos ditavit ex bonis Regis, quae in manu eius erant omnia; sed fecit eos pastores armentorum regiorum, ut ex labore proprio, non ex alienis bonis ditescerent.

Tertia virtus, quae Temperantia dicitur, in Iosepho nostro non minus, quam Prudentia, et Iustitia fulsit. Id testari potuisset uxor Putipharis, si splendorem continentiae, impudica mulier, adamare potuisset. Nam ut in Genesi legimus, *erat Ioseph pulcra facie, et decorus aspectu.* Et cum eius amore capta esset uxor domini sui, et per dies singulos eum ad adulterium solicitaret; castissimus iuvenis eam a scelere multis rationibus avertere nitebatur; sed tandem aliquando, cum vi ab illa se cogi videret, relicto in manibus eius pallio, fugit. Scribit etiam Iosephus in secundo libro antiquitatum, procacem illam feminam adolescenti praedixisse, se illum apud maritimum accusaturam, quod ipsi vim adferre voluisset, et pallium eius in signum fugae demonstraturam: proinde aut amori eius, cum voluptate obsequeretur, aut odium et poenas gravissimas expectaret. Sed vicit in castissimo pectore innocentiae amor, vicit Dei timor, vicit iustitia, et fides omnia blandimenta, et omnia tormenta, et ipsum etiam crudelissimae mortis impendens discrimen. O quantum distabant mores huius castissimi iuvenis a moribus multorum Principum, qui nullam speciosam feminam vident, quam non concupiscant, et ad eam rapiendam potestate imperij abutantur. Testis esse potest Abrahām, de quo sic loquitur Scriptura in Genesi cap. 12 *Cum ingressus esset Abraham in Aegyptum, viderunt Aegyptij Saram, quod esset pulcra nimis, et nunciaverunt Principes Pharaoni, et laudaverunt eam apud illum, et sublata est mulier in domum Pharaonis.* Testis quoque Maxentius Imperator, qui Matronas etiam nobilissimas rapiebat a maritis, easque vi oppressas, et violatas, maritis remittebat, ut auctor est Eusebius lib. 1 cap. 27, vitae Constantini. Iosephus autem noster, sicut in flore iuventutis, seniles mores induit, et procacis dominae blandos contempsit amplexus, etiam cum vitae periculo: sic in omni vita, unica uxore, quam ei Rex ipse dedit, omnino contentus; exemplum pudicitiae omnibus populis, quos regebat, fuit, nec solum praesentibus, sed etiam futuris.

Porro Fortitudo et Patientia, quae quarta est virtus cardinalis, in Iosepho nostro sic fulsit, ut prorsus admirabile sit. Primum sine ulla causa, nisi, quod a patre ob suam innocentiam plus caeteris amaretur; a proprijs fratribus in cisternam veterem proiectus, ut fame moreretur; deinde venditus Madianitis, et in Aegyptum delatus; tum iterum venditus Aegyptio sacerdoti, postremo in carcerem iniustissime trusus: omnes illas calamitates tam forti animo tulit; ut neque de fratribus quereretur, neque Madianitas obiurgaret; neque mulieri, quae vinculorum eius causa fuerat, malediceret. Sed quod omnem admirationem superat, illud est, quod fratribus, qui in eum crudelissimi, et quasi latrones, et homicidae fuerant; reddidit bona pro malis, excusavit peccatum eorum, ad complexum, et osculum eos admisit, convivio illos excepit, aluit eos in fame illa tam diuturna, in Aegypto optimum terrae locum illis attribuit; denique bonis omnibus eos locupletavit. Quid quaeso sanctissimus iste Princeps fecisset, si Christum Dei filium in terris concionantem et signis, ac prodigijs coruscantem vidisset? Utinam Spiritui sancto placuisset, per Mosem sanctum Prophetam suum, huius sapientissimi, atque optimi principis res omnes gestas, in illa tam longa, octoginta annorum, gubernatione describi; plura enim in eius vita, et rebus gestis legendis, Principes Christiani de ratione Regni bene administrandi didicissent; quam ex omnibus Platonis, vel Aristotelis, aut Plutarchi, et Senecae libris discere nunc possint. Sed quod per partes Scriptura divina non tradidit, compendio dixit, cum perfectam charitatem, quae usque ad inimicos extenditur, in Iosepho fuisse non tacuit. *Charitas* enim *patiens est, benigna est, non inflatur, non agit perperam, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. et, Qui diligit proximum, legem implevit, nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium, dices, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum sicut teipsum: plenitudo ergo legis est dilectio.*

Quam ardenter autem sanctus Ioseph inimicos suos dilexerit, verba eius testantur, quae hic breviter referam, ut cum verbis Iosephi, narrationem de Iosepho concludam. Sic igitur Iosephus ad fra-

tres, ingenti pavore concussos, ait, *Nolite pavere neque durum vobis esse videatur, quod vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Aegyptum, non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis, et dominum universa domus eius, ac Principem in omni terra Aegypti.* haec Iosephus dixit, cum primum fratribus suis aperuit, se esse quem vendiderant. Sed postquam mortuus est Iacob parens omnium illorum iterum metuentes, ac trepidantes, accesserunt ad Iosephum, eique dixerunt, *Pater tuus praecepit nobis, antequam moreretur, ut haec tibi verbis illius diceremus. Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, et peccati, atque malitiae, quam exercuerunt in te. Nos quoque oramus, ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc: et proni adorantes in terram dixerunt, Servi tui sumus. Quibus auditis, flevit Ioseph, et dixit. Nolite timere, num Dei possumus resistere voluntati? vos cogitastis de me malum; sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in praesentiarum cernitis, et salvos faceret populos multos. Nolite timere, ego pascam vos, et parvulos vestros: consolatusque est eos, et blande, ac leniter est locutus,* haec ille, qui cum ad finem vitae pervenisset, praedixit fratribus suis (nam et propheta erat) post mortem suam, filios Israel a Deo visitandos, et ex Aegypto perducendos in terram a Deo patribus eorum promissam. Cumque mandatum eis dedisset, ut abeuntes asportarent ossa sua, *Mortuus est, expletis centum decem annis. Et conditus aromatibus, repositus est in loculo in Aegypto.*

VITA ET VIRTUTES

SANCTI MOSIS PRIMI DUCIS HEBRAEORUM.

Moses, primus fuit Hebraeorum Princeps, quem Philo Iudaeus in extremo libro de vita Mosis, iure vocat, Regem, Legislatorem, Pontificem, et Prophetam. Res eius gestae in quatuor sacris libris, Exodo, Levitico, Numeris, et Deuteronomio continentur. Ex quibus Philo Iudaeus accepit, quae scripsit in tribus libris de vita Mosis, et Gregorius Nyssenus quae item literis mandavit de vita Mosis ac vita perfecta. Nos qui brevitati studemus, virtutes Mosis, quas Principes Christiani imitari possint et debeant, si Deo placere velint, breviter percurremus.

Igitur Moses, ex nepotibus Levi, quintus a Patriarcha Iacob, natus est in Aegypto, quo tempore, iussa Pharaonis Regis, masculi Hebraeorum vix nati suffocabantur in flumine, et solae foeminae conservabantur. Sed providentia Dei factum est, ut mater Mosis viso elegantissimo puero sibi nato, non eum in flumine suffocaverit, sed in fiscella iuncea inclusum, in flumen proiecerit, paulo vero post accidit, ut filia Pharaonis Regis ad ripam fluminis fiscellam cum puero invenerit, et eductum puerum in filium adoptaverit. Sed Moses ubi adolevit, « negavit, se esse filium filiae Pharaonis: « magis eligens (*ut Apostolus loquitur*) affligi « cum populo Dei, quam temporalis peccati habere « iucunditatem; maiores divitias aestimans the« sauro Aegyptiorum, improperium Christi: aspi« ciebat enim in remunerationem. »

Atque hic iam incipit prima, eaque nobilissima Moris virtus. Nam ut tradit Philo in vita Mosis, filia Pharaonis, quae Mosem adoptavit in filium, unica erat Regni haeres; et Moses in spem Regni educabatur, atque ea de causa, ut sanctus Stephanus in Actis Apostolorum dicit, *Eruditus erat in omni sapientia Aegyptiorum*, neque modico tempore in aula Regia mansit, ut haeres Regni futurus, sed per annos circiter quadraginta, ut idem sanctus Stephanus loquitur. Hic igitur cum cognovisset, se vere Israelitam esse, et unum ex populo Dei, quamvis eo tempore in magnis angustiis posito; aperte negavit, se esse filium filiae Pharaonis; et ex palatio Regis abscedens, maluit, in vera religione manens affligi cum populo Dei, quam cum idola colentibus, et sanctos persequentibus, frui omni temporali iucunditate; neque insipienter egit, *maiores divitias aestimans thesauro Aegyptiorum improperium Christi*, id est, improperium illi simile, quod postea pertulit Christus. *Aspiciebat enim in remunerationem*, id est, sapienter cogitabat Moses, iam tunc Spiritu sancto cor eius illustrante, tribulationes pro vera religione susceptas, afferre fidelibus patientibus gloriam, et divitias, et gaudia sempiterna. Adde quod Moses contemnens thesaurum Aegyptiorum, et gloriam Regni Pharaonis; non solum ad plus est gloriam Regni caelorum in seculo futuro: sed hic etiam in terris factus est Princeps populi Dei, et

ipso Deo opem ferente, de ipso Pharaone, et omni exercitu eius, gloriosissime triumphavit. Viderunt enim Israelitae, Duce Mose, inimicos suos Aegyptios *mortuos super littus maris, et manum magnam, quam exercuit Deos contra eos.*

Altera virtus Mosis fuit Humilitas eximia, ob quam, non solum non affectavit Regnum, aut praefecturam ullam ; sed a Deo vocatus ad regimen, et principatum populi, multis, variisque rationibus conatus est affugere onus imperii, ut perspicuum est libro Exodi capite tertio et quarto. Et certe non poterat excusare aetatem, erat enim annorum plus quadraginta : neque imperitiam, cum esset educatus in Regno, et institutus in omni sapientia Aegyptiorum : neque debilitatem virium ; nam paulo antea defenderat solus puellas soceri sui adversus pastorum multitudinem, ut legimus in eodem libro Exodi capite secundo : neque ignorationem vocationis ; perspicue enim intelligebat, se vocari, et mitti a Deo. Quid igitur impediabat quominus audacter susciperet principatum ; nisi virtus humilitatis, per quam ita sese posuerat in novissimo loco, ut omnibus cederet, et omnes se aptiores ad illud officium arbitraretur ? Id ita esse, manifestum ex eo fieri potest, quod Deo non fuit ingrata Mosis quasi recalcitratio ; quin potius, ut Philo scribit in primo libro, delectatus est Deus pudore, ac verecundia Mosis, quippe quae non ex contumacia, sed ex humilitate proficiscebatur. Non enim potest non Deo placere virtus illa, quae Doctorem, et professorem habuit ipsius Altissimi filium. Ipse enim est, qui dixit, *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Et quoniam ipse idem dixit, *Qui se humiliat exaltabitur* : ideo Deus Mosem tanto libentius exaltavit quanto profundius ipse se humiliavit. Haec si homines cogitarent, non tam ardenter ambirent, imperia, neque tam multa praelia, et strages hominum fierent.

Sed est etiam alia ratio, cur Deus Principem a se electum, humilem esse voluit ; quia videlicet, facturus erat per eum miracula plurima, et maxima, ut virgae converterentur in dracones, ut aquae fluminum verterentur in sanguinem, ut ad verbum Mosis fierent tenebrae horribiles in omni terra Aegypti, ut una nocte primogeniti omnium hominum illius regionis interirent ; ac denique ut mare siccaretur, ut Hebraei per maris medium sicco pede transirent ; et rursum ad nutum Mosis aquae ad locum suum subito redirent, et Aegyptios insequentes obruerent : et periculum erat, ne tantorum mirabilium patrator in superbiam elevaretur : ideo elegit hominem summa humilitate praeditum, qui gloriam Deo daret, et nihil sibi tribueret.

Atque hoc ipsum omnibus Principibus valde necessarium esse videtur, ut infirmitatem suam agnoscant, et non fruerentur gloriam, quae soli Deo debetur : et cum eis paretur ad nutum, et ipsi ab aliis de genicnlis adorantur, et vitae et mortis arbitri esse videntur : intelligant ista omnia sibi tribui, quia personam Dei gerunt, non quia ob propriam excellentiam sibi debeantur. Exemplum habemus terribile, quod apud Danielem legi potest. Nam quia Nabuchodonosor superbe locutus erat, ac sibi tribuerat potestatem, quam a Deo acceperat, dicens, « Nonne haec est Babylon magna, quam ego aedificavi in domum Regni, in robore fortitudinis meae, et in gloriam decoris mei ? Cumque sermo adhuc esset in ore Regis, vox de caelo ruit, Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex : Regnum tuum transibit a te, et ab hominibus eiicient te, et cum bestiis et feris erit habitatio tua ; foenum, quasi bos comedes, et septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus in Regno hominum, et cui voluerit det illud. Eadem hora sermo completus est ». Itaque iusto Dei iudicio, qui per superbiam supra hominem se exaltaverat, infra hominem deiectus, ad humilitatem bestiarum devenit. Et quamvis non saepe ista videamus, per mutationem naturae ; tamen non raro videmus per tam ingentem mutationem morum, ut nonnulli, non tam homines, quam bestiae humana facie induti esse videantur. Itaque audiant Principes omnes consilium Sapientis, « Quanto magnus es humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.

Tertia Mosis virtus, et quidem valde singularis, fuit mansuetudo, sive lenitas, quae virtus alia est humilitatis, iuxta verbum Domini, *Mitis sum, et humilis corde.* Nam ex humilitate cordis nascitur mansuetudo in opere et sermone. Fuisse vero Mosem excellenti mansuedine praeditum, testatur Spiritus sanctus in libro Numerorum his verbis, *Erat Moses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.* Et quamvis hoc testimonium satis esse possit, ac debeat, cum impossibile sit mentiri Spiritum sanctum : tamen etiam res ipsae, et facta idipsum clamant. Fuit enim frequenter Moses ab ingrato populo, quem infinitis beneficiis affecerat, obiurgatus, reprehensus, ac tantum non lapidibus obrutus. Sic enim legimus in libro Exodi, dicentes Hebraeos Mosi, *Cur eduxisti nos in desertum istud, ut moreremur fame?* et rursum in eodem libro, *Quid faciam* inquit Moses, *populo huic? adhuc paululum, et lapidabunt me?* Nec solus populus, sed ipse etiam Aaron, et Maria soror eius aliquando detraxerunt Mosi, dicentes, *Num per solum Mosem locutus est Dominus? nonne et nobis similiter est locutus?* Sed quia vir mitissimus dissimulabat se audire : Deus ipse patrocinium eius suscipiebat ; sic enim legimus in libro Numeri. « Descendit Dominus in columna nubis, et flevit in introitu tabernaculis vocans Aaron, et Mariam : qui cum issent, dixit ad eos, Audite sermones meos, Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum ; at non talis servus meus Moses, qui in omni domo mea fidelissimus est : ore enim ad os loquor ei, et palam : et non per aenigmata, et figuras Dominum videt. Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Mosis ? Iratusque contra eos abiit, nubes quoque recessit, quae erat super tabernaculum : ecce Maria apparuit candens lepra, sicut nix ». Porro sola Maria punita fuit, quia maius peccatum eius erat, cum esset mulier. Sed mitissimus Propheta, iniuriae oblitus, mox ad Deum conversus, clamavit, *Obsecro Domine, sana*

cam. Dominus autem exaudivit quidem orationem servi sui fidelis ; sed iussit ad exemplum aliorum, eiici Mariam extra castra, ibique manere usque ad diem septimum.

Sed non ideo sanctus iste Princeps, quia tam mitis erat erga eos, a quibus accipiebat iniurias ; negligebat quoque iniurias Dei : quin potius zelo incredibili puniebat offensas Deo factas. In libro Exodi legitur, cum populus absente Mose, fecisset sibi idolum vituli aurei : Mosem zelo divini honoris accensum, iussisse, ut Levitae armati occiderent obvios quosque Israelitas ; et facta est caedes viginti trium millium. Et rursus, ut habetur in libro Numeri, cum filii Israel iterum peccassent adorantes Idolum Beelphegor : clamavit Moses, *Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor*; *et occisi sunt viginliquatuor millia hominum*, et cuncti Principes populi suspensi sunt in patibulis. Utinam Christiani Principes, hoc tam insigni exemplo edocti, proprias iniurias facile contemnerent ; iniurias Dei, praecipue blasphemias, et haereses, ardentissimo zelo persequerentur.

Sequitur alia virtus prorsus inusitata in Principe politico, contemptus videlicet divitiarum. De quo sic loquitur Philo Hebraeus in libro de praemiis, et poenis. *Mosem*, inquit, *solum memoriae proditum est, sine auro, argentoque, ac reliquis opibus Regnum administrasse, confisum perspicaci, non caeca opulentia*: *et, ut nihil dissimulem, pro suo censu habentem, quicquid Deus possidet*. Sed quamvis videatur Philo, divitem paupertatem Mosis laudare, quod esset verissimus Dei amicus, et Dei ope, potuerit panem de caelo, et aquam de petra, et coturnices ex aere procurare, quae multis millibus hominum in cibum et potum abunde sufficerent : tamen vere etiam et proprie sanctus Moses argentum et aurum contempsit, et aulae reginae ministeria non desideravit : et uno contentus administro, vitam pauperem duxit. Nam quemadmodum tributa et vectigalia a populis non exigebat : sic etiam stipendia militibus, et famulis non dabat, sic liber a familiaribus curis, et a cupiditate acquirendi paucissimis contentus, totus erat in officio consulendi Deum, et regendae multitudinis occupatus. Hanc eximiam virtutem, non ignoro, Principibus nostri temporis re ipsa non convenire ; sed convenire tamen in animi praeparatione, et in exuenda cupiditate immensarum opum atque ut necessariis thesauris contenti, supervacanea resecare discant. Hanc enim legem Regibus futuris, ipse idem Moses Deo iubente praescripsit in Deuteronomio. *Cum fuerit*, inquit, *Rex constitutus, non multiplicabit sibi equos. Non habebit uxores plurimas, quae alliciant animam eius* ; *neque auri, neque argenti immensa pondera. Non elevetur cor eius in superbiam super fratres suos*. haec ille, qui non sine causa coniungit superbiam cum magnis opibus ; quia divitiae superbiam gignunt, unde et Apostolus dicit, *Divitibus huius saeculi praecipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum*.

Restat virtus postrema sed vere magna, ac Regina virtutum charitas Dei, et proximi, quae Mosis animam sic totam replevit, ut Deum in Patrem et homines sibi subiectos in filios habere videretur. Quid enim fecit, ut Moses per totos quadraginta annos cum summo et perpetuo labore, et dolore populum durissimae cervicis ita regeret, ut quasi in humeris propriis illum portare cogeretur ; nisi charitas Dei, et proximi propter Deum ? Quam enim grave fuerit Mosi pondus reguminis gentis illius indomitae, testantur illa verba in libro Numeri, *Intoleranda res visa est Mosi, et ait ad Dominum, cur afflixisti servum tuum ? et cur imposuisti pondus universi populi huius super me? numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi, porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, et defer in terram, pro qua iurasti patribus eorum? Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi, sin autem aliter tibi videtur, obsecro ut interficios me, et inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis*. Haec sunt verba Mosis, qui tamen, ex vera charitate propter Deum, sic populum illum diligebat ut illum per excessum quendam, propriae saluti anteponere videretur. Sic enim locutus est ad Deum, quando populus fecit sibi idolum vituli aurei, *Obsecro, peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi Deos aureos*: *aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*. Quamvis autem hunc locum non pauci expositores intelligant de libro vitae temporalis : ita ut optaverit Moses mori potius, quam ut videret populum illum extra gratiam Dei : ut sanctus Hieronymus, sanctus Io. Chrisostomus, sanctus Gregorius, et alii : tamen non pauciores docent, Mosem locutum esse de libro vitae aeternae, non quo ad culpam sed quo ad penam : idque, ut diximus, per quemdam excessum, ut Origenes, sanctus Augustinus, sanctus Bernardus, Rupertus, et alii : tamen maxima charitas est, secundum verbum Domini, ponere vitam temporalem pro fratribus ; et plusquam maxima esse videtur ponere vitam aeternam, saltem quo ad paenam. Itaque negari non potest, quin Moses summa charitate, propter Deum dilexerit populum illum, a quo multas iniurias, et offensiones acceperat. Ex quo facile potest intelligi, si tanta fuit, charitas Mosis in ingratos, et malos ; multo maiorem fuisse charitatem erga Deum : et quia in charitate consistit perfectio, sequitur, ut sanctus Moses fuerit vir undequaque perfectus. Atque haec causa fuit cur Deus in hunc hominem plurima et maxima dona contulerit : fuit enim singulari privilegio primus Rex, primus Sacerdos magnus, primus Propheta, et primus Legislator in populo Dei. Nec solum fuit primus Rex sed a Deo, non a populo electus. Deinde fuit etiam summus Sacerdos non ab hominibus electus, vel consecratus : sed ab ipso Deo proprie constitutus : et cum tam insigni potestate, ut non solum Aaronem Sacerdotem, et Pontificem consecraret : sed etiam ritu perpetuo statueret, ut ex sola eius familia sacerdotes consecrarentur, ut notum est ex libro Exodi. Propheta quoque fuit primus inter eos, qui prophetica oracula literis mandaverunt ; sic enim loquitur san-

etus Lucas, *Et incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quae de ipso erant.* Denique Legislator eximius fuit, ut ipse idem Spiritu sancto inspirante, dicat in Deuteronomio, *Quae est alia gens sic inclyta, ut habeat caeremonias, iustaque iudicia et universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros ?*

Sed quaeret aliquis, an Moses inter tot, et tam magnas virtutes, et dona, ac privilegia Dei, nullum peccatum admiserit, ob quod a Deo puniri potuerit, vel debuerit, ac per hoc vitae innocentia, cum Patriarcha Iosepho comparari potuerit. Duo leguntur in scripturis, quae peccata videri potuerint; homicidium patratum; et titubatio quaedam, cum aquam de petra educere a Domino iussus esset. Sed homicidium scriptura non reprendit, fortasse, quia factum erat in defensione Hebraei innocentis, ab Aegyptio violenter oppressi. Sanctus quidem Augustinus in libro 22. contra Faustum cap. 70. existimavit, homicidium illud fuisse culpabile: tamen postea scribens quaestiones in Exodum, retractavit sententiam illam suam priorem, et Mosem a criminis culpa desendit. Titubatio vero peccatum omnino fuisse legitur; sed crimen, idest, lethale peccatum fuisse, credibile non est. Historia huius titubationis habetur in libro Numerorum, ubi iubente Deo, ut Moses, et Aaron virga percuterent silicem, ut inde prodirent aquae: Moses dixit ad populum, *Num de petra hac vobis aquam eiicere ?* et quamvis aquae largissimae continuo ex percussa silice profluxerint: tamen Dominus subiratus dixit, *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel; non introducetis hos populos in terram quam dabo eis.* et in eodem ipso loco, iussit Deum, ut Aaron moreretur, dicens, *Pergat Aaron ad populos suos, non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israel; eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis.* in eodem libro Numeri cap. 27. dixit Dominus ad Mosem, *Ascende in montem istum Abarim, et contemplare inde terram, quam daturus sum filiis Israel: cumque videris eam, ibis et tu ad populum tuum, sicut ivit frater tuus Aaron; quia offendistis me in deserto, nec sanctificare me voluistis.* et denique in libro Deuteronomii, dixit Dominus Mosi, *Ascende in montem istum Abarim*, idest, transituum, *in montem Nebo qui est in terra Moab contra Iericо, et vide terram Chanaam, quam ego tradam filiis Israel obtinendam; et morere in monte, quem conscendens iungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus in Monte Hor, et appositus populis suis; quia praevaricati estis contra me in medio filiorum Israel ad aquas contradictionis.* Neque tamen existimandum est, hoc peccatum Mosim fuisse lethale: nam paena eius non proprie mors, sed solum ut non ingrederetur in terram promissionis; naturalis enim mortis eius tempus advenerat, ut etiam antea Aaronis, neque violenter, sed naturaliter mortui sunt; sed potuisset Deus, vel prorogare illis vitam vel anticipare tempus ingressus eorum in terram promissionis. Id apertius intelligi potest ex capite primo Deuteronomii, ubi Moses dicit, *Nec miranda indignatio in populum, cum mihi quoque iratus Dominus dixerit. Nec tu ingredieris illuc, sed Iosue filius Nun intrabit pro te.* Ex his aperte colligitur, peccata Mosis, in tam longa aetate centum viginti annorum, paucissima, atque levissima fuisse: et opera bona, plurima et maxima: et tamen noluisse Deum, Iudicem iustissimum, ut illa peccata levissima impunita manerent. Quod si Deus in Mose amico suo intimo et fidelissimo, titubationem illam modicam tam severe punivit; iure timere debent Reges, ac Principes terrae iram Omnipotentis Dei; nisi summo studio in lege Domini meditentur die, ac nocte: et si peccando iram Domini commeruerint: illam per opera poenitentiae, serio placare, vel etiam in confessione praevenire procurent. Atque hic finis sit Vitae, et virtutum sancti Mosis Principis primi, et clarissimi in populo Dei. vixit annos centum, et viginti; *non caligavit oculus eius, neque dentes sunt emoti.* Obiit in monte Nebo: sepelivit eum Deus, ut non inveniretur, neque sciretur sepulchrum eius.

VITA ET VIRTUTES

SANCTI IOSUE DUCIS SECUNDI HEBRAEORUM.

Iosue Dux secundus Hebraeorum, a sancto Iosepho, uno ex duodecim filijs Israel, descendit : fuitque de tribu Ephraim, septimus a Iosepho, ut legimus in libro Numeri. Minister fuit Mosis longo tempore, et cum eo ascendit in montem Sinai, et fuit in eo loco quadraginta diebus, postea Moses praevidens, Iosue fore sibi successorem, non sine magno mysterio mutavit illi nomen : vocabatur enim antea Osea, et voluit vocari Iosue, quod est idem nomen cum Iesus ; Graeci enim Iesum illum vocant, et ipse etiam Ecclesiasticus, scriptor sacer, de eo sic loquitur, *fortis in bello Iesus Nave, successor Mosis.* Et quidem sanctus Hieronymus in commentario ad caput primum Oseae prophetae scribit, Oseam significare salvatorem ; Iosue significare salvatorem Domini, addita videlicet prima litera nominis Domini, quae est Iod, apud Hebraeos. Non reijcio sententia sancti Hieronymi, sed existimo posse etiam dici, additam fuisse literam, Iod, ut fieret nomen veri Salvatoris : nomen enim Oseae, significat salvatorem, accipiendo literam, he, pro litera Iod, sed nomen Iosue, sive Iesus, proprijssime salvatorem designat. Quoniam igitur Iosue futurus erat figura manifestissima Domini nostri Iesu Christi, qui introducit nos in veram terram promissionis, ad quam Moses nos introducere non potuit : ideo cum mitteretur Iosue ad explorandam terram promissionis, et quodammodo inchoaret officium suum introducendi populum in terram illam ; tunc primum cepit appellari Iosue, idest, salvator. Porro Iosue successit Mosi in regimine politico, non per electionem Mosis, sed per electionem ipsius Dei: sic enim legimus in libro Numeri, quando Deus praedixerat Mosi, quod brevi esset moriturus, respondisse Mosem, *Provideat Deus hominem, quis sit super multitudinem hanc, ne sit populus Domini sicut oves sine pastore, tum Dominus ait ad Mosem, tolle Iosue filium Nun, virum, in quo est spiritus, et pone manum tuam super eum, qui stabit coram Eleazaro sacerdote, et omni multitudine, et dabis ei praecepta cunctis videntibus, et partem gloriae tuae, ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israel. Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum. Ad verbum eius egredietur, et ingredietur, et omnes filii Israel cum eo. Fecit Moses sicut praeceperat Dominus ; cumque tulisset Iosue, statuit eum coram Eleazaro sacerdote, et omni frequentia populi, et impositis capiti eius manibus, cuncta replicavit, quae mandaverat Dominus.*

Ex hac narratione scripturae divinae non pauca discere possumus. Primum, in hac electione Iosue, divisam fuisse in populo Dei potestatem temporalem a spirituale, sive politicam ab Ecclesiastica : Moses enim utramque potestatem a Deo ipso acceperat ; sed ab hoc tempore spiritualis data est Eleazaro Pontifici, et temporalis data est Iosue Duci : atque haec est causa, cur Deus Mosi dixerit, ut daret Iosue Duci partem gloriae suae, id est, unam potestatem, non utramque. Discimus praeterea, benedictionem, et quasi consecrationem Principum temporalium, per manus Sacerdotum, esse antiquissimam, addo etiam utilissimam. Nam in libro Deuteronomii sic scribitur, *Iosue filius Nun repletus est spiritu sapientiae, quia Moses posuit super eum manus suas.* Discimus postremo, potestatem spiritualem esse praestantiorem temporali ; siquidem ubique videmus Eleazarum sacerdotem anteponi Iosue Duci. In libro numeri. *Praecepit ergo Moses Eleazaro Sacerdoti, et Iosue.* Item, *Terram vobis dividet Eleazar Sacerdos, et Iosue.* et in libro Iosue, *Hoc est, quod possederunt filii Israel in terra Chanaam, quam dederunt eis Eleazar Sacerdos, et Iosue filius Nun.* Denique in libro Numeri apertissime Moses dicit. *Ad verbum eius* (Eleazari) *egredietur et ingredietur ipse* (Iosue) *et omnes filii Israel.*

Venio nunc ad virtutes, et privilegia sancti Iosue. Primum, fuit Iosue Duci innocentia communis cum Patriarcha Iosepho, a quo ipse descendit : et in hac parte superavit etiam Moses ipsum. Moses enim reprehensus fuit a Domino, quod offenderit, et non sanctificaverit ipsum Dominum ad aquas contradictionis ; et ideo punitus fuit, ea poena, ut non intraret in terram promissionis, quam tanto tempore desideraverat, et tanto labore quaesiverat. At de Iosue nihil omnino legitur, quod reprehensum fuerit in Scripturis sacris : et tamen, ut supra diximus, Scripturae non solent omittere lapsus eorum, quorum res gestas narrant. Ea igitur innocentia decebat eum, qui Iesu Christi typum gerebat, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius.*

Altera virtus, eaque fere singularis, fuit in nostro Iosue castitas virginalis, in qua superavit castitatem Patriarchae Ioseph, et domini sui Mosis. Isti enim, quamvis alioqui viri castissimi, uxorem unam duxerunt, et filios procrearunt. Fuisse au-

tem nostrum Iosue, ut verum typum Iesu Christi Domini nostri, virginem castissimum; ex eo potest intelligi, quod in Scripturis nulla fiat mentio filiorum eius : cum tamen in Scriptura veteris testamenti accuratissime describantur generationes omnium tribuum filiorum Israel. Itaque sanctus Ignatius in epistola ad Philadelphienses dum hortatur Virgines, ponit exempla eorum, qui in utroque Testamento virginitatem coluerunt, dicens, *Virgines, solum Christum prae oculis habete, et eius Patrem in animabus vestris illuminatae a spiritu sancto. Memor sum sanctitatis vestrae, sicut Eliae, sicut Iesu Nave, sicut Melchisedech, sicut Helisaei, sicut Hieremiae, sicut Ioannis Baptistae, sicut dilectissimi discipuli, sicut Timothei, sicut Titi, sicut Evedii, sicut Clementis, et aliorum, qui in castitate de vita exierunt.* Itaque ex sententia sancti Ignatii, primus, qui ex filiis Abrahae trophaeum sanctae virginitatis erexit, fuit sanctus Iosue. Nam Melchisedec non fuit ex filiis Abrahae, ut notum est ex libro Geneseos. Porro sanctum Ignatium secutus est sanctus Hieronymus libro primo adversus Iovinianum, ubi posteaquam multis verbis probaverat, Iosue virginem fuisse, concludit, dicens, *Moyses moriens plangitur a filiis Israel : Iesus autem quasi victurus non plangitur, nuptiae enim finiuntur in morte : virginitas post mortem incipit coronari.* Addamus et tertium testem, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Sanctus Ioannes Chrysostomus in sermone de Martyribus, proprias sanctis veteribus laudes assignans, nostro Iosue, laudem castitatis attribuit, dicens, *Ab origine mundi innocens Abel occiditur, Henoc Deo placens transfertur, iustis Noe invenitur, Abraham fidelis probatur, Moses mansuetus dignoscitur, Iesus castus, David lenis. Helias acceptus, Daniel sanctus, tres pueri victores redduntur.*

Iam vero, ut ad virtutes Theologicas veniamus, fides in Deum, nescio an in ullo maior unquam enituerit. Fides in miraculorum patratione maxime cernitur, Apostolo dicente, *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Porro in miraculorum patratione praeter caeteros sanctos Testamenti veteris, Moses maxime claruit; quippe qui mare divisit, ex petra aquas eduxit, manna de caelo descendere fecit, et alia id genus multa patravit : Iosue noster divisit Iordanem, de caelo lapides super hostes populi sui descendere fecit : sed quod est omnium maximum, solem, et lunam in caelo imperio suo a cursu cohibuit. Moses iussus virga petram percutere, et ea percussione aquam elicere tam copiosam, ut homines, et iumenta bibere possent; nonnihil in fide haesitavit: Iosue noster magnitudinem fidei sine ulla haesitatione imperavit soli, et lunae, dicens, *Sol contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Aialon : steteruntque sol et luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Stetit itaque sol in medio caeli, et non festinavit occumbere spatio unius diei. Non fuit antea, nec postea tam longa dies, obediente Deo voci hominis, et pugnante pro Israel.* Hic plane enituit fides maxima, et eminentissima sancti Iosue, qui fine haesitatione credidit, sibi Deum adfuturum, et effecturum, ut solem et lunam sisteret : nam ideo non timide et submissa voce, sed audacter, atque altissime clamavit, Sol ne movearis, et tu luna pariter siste cursum tuum. Certus videlicet, omnino futurum, quod ipse Dei amicissimus fieri iuberet, Nam quod subiungitur, obediente Deo voci hominis ; non significat, Deum proprie paruisse voci hominis ; sed per metaphoram dici, obedivisse, quia fecit, ut sol et luna obedirent voci hominis, servi, et amici sui fidelissimi. Itaque praevenit Iesus Nave promissionem illam Iesu Christi, cuius ille figuram gerebat, *Amen dico vobis, si habueritis fidem, et non haesitaveritis, et dixeritis monti huic, tollere, et iacta te in mare, fiet. Et omnia quaecumque petieritis in oratione credentes, accipietis.*

Nec minor fuit in Iosue spes in Deum, quam fides. Siquidem in ipso primo capite libri Iosue, Deus ipse non semel, sed secundo, ac tertio dixit ad Iosue, *Confortare, et esto robustus, noli metuere, et noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quaecumque perrexeris.* Haec enim verba Dei non solum significantia, sed etiam efficientia sine dubitatione fuerunt. Itaque abstulerunt ab eo omnem pavorem, et timorem, et inducrunt eum fiducia incredibili, et fortitudine admirabili, ut facile victor evaserit adversus Reges plurimos, et expugnaverit omnes urbes eorum.

Quid iam de charitate ipsius erga Deum, et proximum dicam ? Iusserat Iosue, ut cum caperetur prima civitas, quae dicebatur Iericho, omne aurum, et argentum, quod in ea repertum fuisset, conservaretur in thesauros Dei; reliqua omnia destruerentur in honorem Dei; et nemo quidquam attingere auderet. Sed cum quidam vir, nomine Charmi, clam abstulisset aliquid auri, et argenti, et nescio quae alia Deo dicata: hic Iosue exarsit in zelum honoris Dei, quamvis alioqui mitissimus esset, et magna diligentia invento reo, ipsum lapidari iussit, et omnia bona eius, id est tabernaculum, oves, boves, asinos, et omnem substantiam flammis cremanda tradidit. Apparuit quoque zelus religionis, et charitatis in Deum, in fine vitae eius, ubi incredibili ardore hortatus est populum ad persistendum in vera religione unius veri Dei; et ita infixit in cordibus audientium zelum religionis, ut Scriptura dicat. *Servivit Israel Domino cunctis diebus Iosue, et seniorum, qui longo vixerunt tempore post Iosue.*

De amoris eius, et charitate in proximos, duae res testimonium adduci possunt : unam, quod nulla unquam ei contentio fuit cum Eleazaro summo Pontifice, nsque cum ullo ex Principibus populi, sed incredibili concordia cum illis omnibus semper vixit. Altera, quod cum ventum est ad divisionem oppidorum, et agrorum, ac vinearum, atque adeo rerum omnium, vi, et armis acquisitarum; ille non elegit primus, ut par erat, optima quaeque: sed posteaquam omnibus tribubus filiorum Israel regiones assignatae fuerant; tunc ipse petiit a populo locum aliquem, ubi habitare posset. Sic enim lo-

quitur Scriptura, *Cum complesset sorte dividere terram singulis per tribus suas, dederunt filii Israel possessionem Iosue filio Nun in medio sui, iuxta praeceptum Domini, urbem quam postulavit, Thamnathsara, in monte Ephraim: et aedificavit civitatem, habitavitquae in ea.* Fuisse autem locum illum horridum, et asperum, testatur sanctus Hieronymus in vita sanctae Paulae matronae Romanae, quam dicit admiratam fuisse, quando circuivit terram promissionis, quod Iosue distributor possessionum, sibi montana, atque aspera delegisset. Sed non est hoc admirandum, cum Iosue non esset de hoc mundo, sed vir sanctissimus, et aemulator virtutum Mosis magistri sui; qui non quaerebat quae sua erant, sed quae aliorum: nec solum Mosem imitari volebat, sed multo magis Iesum Christum, quem spiritu venturum noverat, et et se illius figuram gerere, Deo revelante, non ignorabat. Itaque, non postea Philosophus scripsit, hoc esse discrimen inter Regem, et Tyrannum, quod Rex non suam, sed populi utilitatem quaerit: Tyrannus contra, suam, non populi: multo antea noster Iosue re ipsa, et factis demonstravit; exemplo suo Reges informans, et Tyrannos detestans.

Omitto quae dici poterant de prudentia, et fortitudine in bellis gerendis, quemadmodum videlicet exercitus suos semper in officio continuerit, a sceleribus compescuerit, in timore Domini erudierit: et quibus artibus hostes averterit vel prostraverit; ac denique tam multas provincias brevi domuerit: et habitatoribus interemptis, vel fugatis, filiis Israel habitandas, possidendasque tradiderit. Haec enim ex libro Iosue peti possunt. Vixit Iosue annos centum et decem; et genti Hebraeorum cum imperio felicissime praefuit annis viginti sex.

VITA ET VIRTUTES

SANCTI DAVID REGIS, ET PROPHETAE

Sanctus David speculum lucidissimum esse poterit Christianis Regibus omnibus. Nam divitiis non caruit, ut Moses, et Iosue: neque vitiis etiam caruit, ut Iosue, et Ioseph. Sed cum auri, et argenti copia abundaret, usum legitimum divitiarum ostendit; et cum ex humana fragilitate peccata non levia perpetrasset; sic tamen emendare culpas illas studuit, ut non minus post lapsum, quam ante lapsum, amicus Dei singularis dici, atque haberi potuerit. Ac ut in tanti Regis rebus gestis, et virtutibus explicandis, ordine procedamus; enarrabimus primum secundas res, quae illi acciderunt in pueritia, et adolescentia: deinde persecutiones, et angustias, quas passus est, usque ad annum aetatis suae tricesimum: tum res eius gestas, dum regnaret per annos quadraginta. Denique addemus virtutes eximias, et plurimas, quibus illud obtinuit, ut post obitum a Spiritu sancto ita celebraretur, ut possit verissime dici, ab ipso Deo in Sanctorum numerum relatus.

Igitur primum Davidis privilegium illud fuit, quod adhuc puerulus, iussu Dei a Samuele propheta, fuerit inunctus in Regem. Nam cum Saul Rex primus Hebraeorum, non recte fungeretur munere suo; neque mandata Dei, sibi per Samuelem prophetam indicata, fideliter adimpleret: iussit Deus Samueli, ut unum ex filiis Isai oleo sancto inungeret, qua unctione significaretur, illum fore Saulis successorem. Profectus itaque Samuel ad Isai Bethlehemitem, de tribu Iuda; et productis in medium septem eius filiis, spiritus Domini indicavit Samueli, ad ultimum, qui erat David, puer parvulus, rufus, et facie decorus; regnum Israeliticum post mortem Saulis deventurum, atque in huius rei signum, illum unxit oleo sancto; ex qua unctione repletus est David Spiritu sancto, et indutus robur corporis, et animi prorsus admirabile: nam adhuc adolescens, et pene puer, oves patris suis custodiens, Leonem, et Ursum inermis interfecit; et paulo post, singulari certamine cum Gigante Goliath armato, ipse puer inermis depugnavit, et vicit. Sed praestat audire verba eius ad Saulem Regem. *Non concidat,* iniquit, *cor cuiusquam in eo* (Goliat) *ego servus tuus vadam, et pugnabo adversus Philistaeum, et ait Saul ad David: Non vales resistere Philistaeo isti, nec pugnare adversus eum, quia puer es: hic autem vir bellator est ab adolescentia sua. Dixitque David ad Saul, Pascebat servus patris sui gregem, et veniebat Leo, vel Ursus, et tollebant arietem de medio gregis: et persequebar eos, et percutiebam, eruebamque de ore eorum: et illi consurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum, et suffocabam, interficiebamque eos. Nam et Leonem, et Ursum interfeci ego servus tuus. Erit ergo et Philistaeus hic incircumcisus quasi unus ex eis.* An sanctus puer non videretur de suo robore gloriari, et non de auxilio Dei, in quo precipue sperabat, adiunxit: *Nunc vadam, et auferam opprobrium populi: quoniam quis est iste Philistaeus incircumcisus, qui ausus*

est maledicere exercitui Dei viventis? et ait David, Dominus qui eripuit me de manu Leonis, et de manu Ursi, ipse me liberabit de manu Philistaei huius. Atque ita ut locutus est, sic res se habuit; nam procedens David ad singulare certamen cum Philistaeo, Deo adiuvante, vicit puer inermis virum armatum, et proprio hostis gladio caput eius praecidit: neque solum de Gigante triumphavit David, adhuc adolescentulus, sed causa fuit, ut totis castris Philistinorum trepidaretur; et Israelitae resumptis animis, ac viribus fugientes persequerentur, et magna strage affectos, e finibus suis eiicerent. Hoc fuit in itium operum heroicorum Davidis, quod totum debetur magnae fidei, et fiduciae innocentis, et religiosi adolescentis in Deum.

Sed hoc tam egregium facinus occasionem dedit gravissimae persecutioni, quam Deus permisit, ut virtus patientiae ipsius Davidis, et pietatis in Deum, et charitatis in proximos, etiam inimicos et ingratos, perspicue cerneretur: et omnes nos intelligeremus, fuisse Davidem secundum cor Dei. Saul enim audiens mulieres canentes; cum David reverteretur a singulari illo certamine, caput Philistaei portans in manibus, *Saul percussit mille, et David decem millia*: invidentiae stimulis agitari caepit; et eo usque processit illa mentis aegritudo, ut eum bis lancea tentaverit interficere. Deinde amovit illum a se, et constituit tribunum super mille milites, sperans illum in praelio ab hostibus aliquando interimendum. Sed quo magis Davidem Saul oderat, eo magis Deus eum diligebat, et hostibus formidolosum, et toti populo Israelitico gratum et amabilem reddebat. Denique Saul non ferens amplius praesentiam Davidis, locutus est ad Ionatham filium suum, et ad omnes servos suos, ut occiderent Davidem. Nimis autem longum esset hic referre, quam frequenter et palam, et per insidias tentaverit Saul Davidem occidere. Denique etiam integrum exercitum militum ad eum capiendum, et interficiendum misit: ipse quoque armatis copiis silvas et montes circumdedit, in quibus latese Davidem acceperat, ut eum de vita tollere posset. Sed videamus, quid contra David fecerit: an insidiatus unquam fuerit Sauli, an ullum in eum incitaverit, an de fama, vel honore eius detraxerit: nihil eiusmodi legitur in sacris literis: sed hoc solum, quod fugerit, quod latuerit, quod insidias eius declinaverit. Sed quod pene fidem superat, illud est, quod cum posset eum sine periculo suo interficere, et Regnum eius invadere, et hoc non semel, sed bis, et amicis cohortantibus, et occasionibus optimis se offerentibus; semper recusavit. Quam paucos reperiemus, etiam Evangelio coruscante, qui parcant hosti saevissimo, si possint eum sine periculo suo interficere? Sed quid dicam, si possint non solum vitam suam conservare; sed etiam amplissimum Regnum acquirere? Hoc David fecit, ad hoc culmen virtutis pervenit David: ideo de eo canitur, Memento Domine David, et omnis mansuetudinis eius. Et non sine magna ratione filius Dei, filius etiam Davidis appellari voluit: nimirum mansueti Patris mitissimus filius, et patientis patris patientissimus filius *qui cum malediceretur, non comminabatur.*

Sed veniamus nunc ad tempus, in quo persecutionibus consummatis, pervenit ad Regnum, et videamus quam iuste, et quam sapienter Regnum administraverit. Saul, qui cum primum electus fuit ad Regnum, optimus erat omnium, et tam humilis in oculis suis, ut oportuerit eum quasi compellere, ut Regnum acciperet, quippe qui absconderat se, ne Rex fieri cogeretur: tamen paulo pôst oblitus mandatorum Dei, et in sensus reprobum datus; non solum Davidem, fidelissimum sibi militem, ob invidiam sacerdotes Domini, quod suspicaretur amicos esse Davidis, plane mites et innoxios, coram se interfici iussit; et perierunt illa die sacerdotes octoginta quinque ea crudelitate contentus, civitatem sacerdotum, quae dicebatur Nobe, *percussit*, ut scriptura loquitur, *in ore gladij; viros et mulieres, et parvulos et lactentes, bovemque et asinum, et ovem in ore gladij.* Et ad quantam barbariem, et feritatem perduxit invidia, et carentia timoris Domini, eum Regem, qui privatus cum esset, erat omnium optimus. Sed neque his contentus, religione divina contempta, consuluit phitonissam. His igitur omnibus sceleribus provocatus Dominus, tradidit Saulem cum exercitu suo in potestatem Philistinorum, et una die ceciderunt interfecti Saul cum tribus filijs eius, et ingens populi multitudo.

Defuncto igitur impio Rege, translatum est Regnum ad pium, et amicum Dei Davidem, cum iam esset annorum triginta. Initium autem regnandi duxit David a lacrymis et ieiunio, et planctu magno, ob mortem Saulis inimici sui; et animadvertit gladio in eum, qui dixerat, a se interfectum fuisse Saulem dicens ei, *Quomodo non timuisti mittere manum tuam, ut occideres Christum Domini?* Quid igitur mirum est, quod David diceretur, vir secundum cor Dei, qui inimicum suum saevissimum viventem, mortuumque ita dilexit, ac si amicissimus ei fuisset? sic enim et Deus *benignus est super ingratos, et malos*: et secundum Apostolum, *commendat charitatem suam in nobis, quia cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.*

Porro quam iuste David, misericorditer, prudenterque regnaverit, explicat ipse in psalmo centesimo. Neque miretur aliquis, quod ipsemet laudes suas decantet: neque enim ipse, sed spiritus Domini per os eius loquebatur, sic enim ipse loquitur in secundo libro Regum. *Spiritus Domini locutus est per me, et sermo eius per linguam meam.* Et in Actis Apostolorum tota Ecclesia dicit, *Domine, qui spiritu sancto per os patris nostri David, pueri tui, dixisti, Quare fremuerunt gentes.* Itaque David laudes suas, non ut laudes suas, sed ut beneficia gratiae Dei spiritu sancto inspirante, vere scripsit, cum ait, *Misericordiam et iudicium cantabo tibi Domine*; hoc est, Ad laudem, Deus, et ad instructionem Principum, quod tu elegeris, cantabo misericordiam, et iustitiam, ad quas revocari possunt omnes virtutes, quae sunt Principibus omnibus ad bene regendos populos necessariae. Cantabo autem tibi, quis dona tua sunt, in quocumque Principe inveniantur: tua enim gratia Principes boni misericordes sunt, sed non iniusti, sed

non crudeles. *Psallam, et intelligam in via immaculata, quando venies ad me*, id est, Canam non sola voce, sed etiam per instrumentum musicum, quando veneris ad me, Spiritu sancto tuo, inspirans mihi viam immaculatam, quae consistit in misericordia, et iustitia. *Universae enim viae Domini, misericordiae et veritas*; quae eadem cum iustitia est. *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meae.* Hic iam incipit David explicare laudabiles mores suos, ut caeteri imitentur, tum successores, tum subditi. Ad hoc enim Principes in sublimi loco sedent, ut tamquam lucernae in candelabro positae, omnibus luceant. Ac primum declarat, qualis fuerit in oculis Dei, qui videt etiam in abscondito: deinde qualis fuerit publice in oculis hominum. *Perambulabam*, inquit, *in innocentia cordis mei*: id est, perambulabam viam huius praesentis vitae, conservans in primis cordis innocentiam, nihil cogitans, et nihil appetens, contra legis divinae mandata: ne forte cor meum vitiosis cogitationibus, vel desiderijs inquinarem. Atque id faciebam etiam *in medio domus meae*, in penetralibus videlicet, ubi nemo erat qui me reprehendere posset. Multi enim in foro, et in plateis modeste, ac moderate se gerunt, sed in penetralibus domus fraena libidinibus laxant. Quanta igitur, et quam severa disciplina Davidis erat, qui etiam in penetralibus domus suae, et in ipso corde, ubi solus Deus videt, innocentiam custodiebat? et credibile est ab ipso didicisse filium eius Salomonem, qui scripsit, *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ab ipso vita procedit.* Neque contentus David innocentia interiore, addit, *Non proponebam ante oculos meos rem iniustam: facientes praevaricationes odivi.* Haec enim pertinent ad innocentiam oculorum, et manuum. Avertebat enim magna diligentia oculos David ab omni spectaculo vitioso, a ludis illicitis, a choreis impudicis, ab omni aspectu rerum, quae mentem inquinare possent: sed praecipue avertebat oculos ab omni iniustitia, a muneribus, quae excaecant oculos sapientium, contractibus usurarijs, ab omni negotiatione iniusta: nec solum ipse leges divinas praevaricari nolebat; sed omnes subditos suos, quos praevaricatores noverat, odio habebat, et si quo modo poterat, eos a praevaricatione compescebat. Addit postea, *Non adhaesit mihi cor pravum declinantem a me malignum non cognoscebam.* Tanta videlicet erat in populo sanctitatis opinio de Rege Davide, ut improbi ad eum accedere non auderent. Magna laus Principis, cui deceptores, assentatores, lenones, atque alii scelerati homines appropinquare non audent. Non adhaesit mihi, inquit, homo pravi cordis, et nequam; noverant enim omnes, a me non diligi facinorosos: *Declinantem a me malignum non cognoscebam.* Sic enim erat omnibus notum me non delectari societate improborum, ut per se declinarent improbi a consortio meo, etiam me nesciente. *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar.* Alia virtus plane regis hic aperitur, in qua mirifice lucent misericordia et iudicium. Saepe enim in aulis Principum regnat livor, et invidentia; inde multi exurgunt detractores, vel adulatores, qui detrahendo eiiciunt competitores, et adulando occupant eorum loca. Sed David Rex sapiens, et iustus, detrahentes secreto proximis suis; non solum non audiebat, sed persequebatur, et ex aula eiiciebat. Addit, *Superbo oculo, et insatiabili corde, cum hoc non edebam.* Non enim solos detractores, sed etiam superbos, et cupidos David detestabatur: nihil enim tristius accidere populis potest, quam si ministri Regum superbi, aut avari sint. Abutuntur, qui eiusmodi sunt, publica potestate ad explendas cupiditates proprias, non sine magno detrimento populorum. David igitur ad mensam suam non admittebat, tamquam domesticos, et familiares, homines elatos, atque superbos, neque homines cupidos, qui opibus expleri nequeunt. *Oculi mei ad fideles terrae, ut sedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Explosis a convictu, et familiaritate, vel ministerio suo detractoribus, superbis, et avaris; eligebat, et admittebat solos fideles, et probos. Saepe enim accidit, ut Principes sic delectentur fidelitate ministrorum, quos utiles experiuntur vectigalibus et gazis suis; ut facile tolerent multa alia illorum vitia. Non sic David Rex sanctus, sed coniunctam volebat esse ministris suis fidelitatem cum probitate, et probitatem cum fidelitate. Nolebat enim amicos habere, quos inimicos Domini sui esse non ignorabat: et qui sic diligenter conservarent regias opes, ut simul flagitiis suis perderent animas proprias; et malo exemplo perderent animas populorum. Ideo subiungit, *Oculi mei ad fideles terrae*, quaerendos videlicet, et eligendos: sed simul eos, qui ambulant in via immaculata, id est, qui fidelitatem cum probitate coniungunt; hos ad ministrandum mihi semper deligebam. Denique addit, *In matutino interficiebam omnes peccatores terrae, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Concludit psalmum demonstrans zelum suum in purganda civitate Dei: in qua purgatione faciebat misericordiam, et iudicium: misericordiam erga bonos cives, liberans eos ab oppressionibus impiorum; et iudicium erga malos, debitis poenis eos afficiens. Dicit autem in matutino, se hoc iudicium exercuisse, id est, in ipso principio erumpentium malorum, antequam radices figant. Nam ubi mala crescendo invaluerunt, vix magno labore eradicari possunt. Dicit autem se disperdere voluisse omnes peccatores terrae, omnes, inquam, qui mortem merebantur, et quibus vita concedi non poterat sine periculo innocentium. Quando enim e contrario non possunt omnes peccatores disperdi, nisi cum eis multi pereant innocentes; tunc parcendum est etiam impijs, ne simul cum illis pereant iuxta parabolam zizaniorum, in qua Dominus ait, *Sinite utraque crescere, ne forte eradicantes zizania, eradicetis simul et triticum.*

Neque solae virtutes regiae, misericordia, et iustitia in Davide nostro mirifice refulserunt: sed etiam pietas, et charitas in Deum tanta, quanta vix in probatissimis sacerdotibus, et perfectis monachis, evangelio coruscante, inveniri poterit. Et tamen hic magnus vir non in templo Domini, ut Samuel, neque in desertis locis habitabat, ut san-

clus Ioannes Baptista, et nostri Paulus, et Antonius; sed aulam regiam tenebat, opibus abundabat, uxores et filios multos habebat, exercitum armatum ducebat, urbes oppugnabat, ut caperet, et captas evertebat: et tamen sic erat addictus colloquiis divinis, et orationi, ut septies in die laudes diceret Domino, et media nocte surgeret ad confitendum Domino: et cantica illa spiritualia tam multa, et tam pia scriberet, quae fontes lacrymarum producunt: quaeque iam per omnes Ecclesias suavissime concinuntur : ut factus iam sit David magister omnium Ecclesiarum, et monasteriorum.

Quid iam dicam de amore eius in Deum, et de contemptu mundi huius? Ita prorsus amor divinus cor eius occupaverat, ut diceret, « Tibi dixit cor « meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Do« mine requiram. *Item*, Quam magna multitudo « dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti ti« mentibus te ? *Item*, Gustate, et videte, quoniam « suavis est Dominus. *Item*, Sitivit anima mea ad « Deum, fortem, vivum, quando veniam, et appa« rebo ante faciem Dei ? *Item*, Renuit consolari a« nima mea: memor fui Dei, et delectatus sum. « *Item*, Quid mihi est in caelo, et a te quid volui su« per terram ? Deus cordis mei, et pars mea Deus « in aeternum. *Item*, Laetifica animam servi tui, « quoniam ad te Domine animam levavi ; quoniam « tu Domine suavis et mitis, et multae misericor« diae omnibus invocantibus te. *Item*. Ego vero « delectabor in Domino ».

Addidit quoque David ad amorem erga Deum, pietatem et religionem erga ea, quae Dei sunt, et praeparavit, quae ad templum magnificentissimum aedificandum necessaria esse videbantur, thesauros immensos. Sic enim legimus in libro priore Paralipomenon cap. 22. « Ecce ego, *inquit*, in « paupertate mea praeparavi impensas domus Do« mini auri talenta centum millia ; et argenti mil« le millia talentorum : aeris vero, et ferri non est « pondus : vincitur enim numerus magnitudine : « ligna, et lapides praeparavi ad universa impen« dia. » Ecce in quos usus David thesauros congessit suos : non in voluptates suas, vel gloriam suam, sed in obsequium Domini Dei sui. Neque vero solum amabat Dominum David ex toto corde suo: sed etiam despiciebat omnia, quae extra Deum sunt, ut plane inania, nihil solidi, et veri boni in se habentia : quod ex toto psalmo tricesimo octavo intelligi potest. « Ecce, *inquit*, mensurabiles « posuisti dies meos, *id est*, *brevissimos, qui qua« si palmo uno mensurari possint. et*, Verumta« men universa vanitas omnis homo vivens. *et* In « imagine pertransit homo, sed et frustra contur« batur. Thesaurizat, et ignorat, cui congregabit « ea *et*, Tabescere fecisti, sicut aranean animam « meam ». (aranea enim laborat in texenda tela, ut capiat muscas ; et ipsa interim exiccatur, et consumitur.) Denique addidit, « Advena ego sum, « et peregrinus, sicut omnes patres mei. *In quem « locum sanctus Ioannes Chrysostomus scribens*, « *exclamat*, Iure admirandus est magnus David, « qui in Regno, opibus, et potentia, se ipse ap« pellat inquilinum, et viatorem ; ut qui prosperi« tati non fideret : re vera enim sunt haec verba « plena sapientia ». Neque solum Deum, sed etiam proximum sic ardenter diligebat David, ut pro eo vitam suam exponere paratissimus esset. Cum aliquando saevissima pestis grassaretur in populum, clamavit David ad Deum, « Ego sum, qui peccavi, « ego qui inique egi : isti qui oves sunt, quid fe« cerunt? vertatur, obsecro, manus tuas contra me, « et contra domum patris mei. *Haec nimirum est « illa perfecta charitas, de qua loquitur Apo« stolus Ioannes, dicens*, In hoc cognovimus cha« ritatem Dei, quoniam ille animam suam pro no« bis posuit, et nos debemus pro fratribus animas « ponere.

Insignis quoque fuit patientia et humilitas Davidis, tum etiam cum Rex esset. Nam cum fugeret Absalonem filium, qui ut Regnum patri eriperet, cum ingenti exercitu adversus eum veniebat ; accidit, ut vir quidam nomine Semei, malediceret Regi, dicens, *Egredere, egredere vir sanguinum, et vir Belial* : et proiiciebat lapides contra David; cumque unus ex ducibus David vellet consurgere adversus eum, mortemque illi comminaretur, compescuit David militem suum, dicens, *Dimitte eum ut maledicat. si forte respiciat Deus afflictionem meam ; et reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna.* Sic David humiliter passus est, ut vir privatus pergere maledicendo, et lapides contra se iaciendo. quamdiu voluit, etiam si facillime posset per unum ex militibus suis, eum de medio tollere. Et cum postea Davidi ex praelio victori redeunti, idem Semei occurrisset, et veniam petiisset; facillime impetravit. Et quid mirum si veniam impetravit a Rege mitissimo. et patientissimo, de quo scriptum est, *Memento Domine David, et omnis mansuetudinis eius* ?

Porro mansuetudinis, et patientiae soror, vel mater est humilitas : quarum virtutum magistrum, ac doctorem se profitetur Christus dicens, *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Atque ea causa mihi esse videtur, cur David in psalmo quodam humilitatem suam apertissime praedicaverit, quasi glorians, ea se virtute praeditum ex insigni dono Dei fuisse, quam, ut Propheta eximius praenoscebat, in Christo, filio suo secundum carnem, primarium locum habituram. *Domine*, inquit humilis David, *non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.* Audacter hoc dicit ad eum, qui scit eum vera dicere, et eadem fiducia adiungit, *Neque ambulavi in magnis. neque in mirabilibus super me.* Ac ne forte homines non facile crederent, in tanto Rege locum tantae humilitati esse potuisse : addit iuramentum dicens, *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam : sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea.* Tremendum iuramentum, si intelligatur per experimentum : quam gravis sit poena, privatio lactis divini, haec enim sententia huius loci esse videtur , sicut infans recens amotus a lacte , manet in sinu , vel super genua matris suae, maestus et plorans ; quia privatus est dulcedine lactis, quae pro illo tempore summae delitiae illius erant ; sic anima mea privatur dulcedine visitationis divinae, quae

meae purissimae, ac solae delitiae sunt, si spiritus superbiae in anima mea locum ullum habet. Quorsum autem haec declaratio humilitatis regiae tendat, intelligi potest ex conclusione psalmi, quae est, *Speret Israel in Domino ex hoc nunc, et usque in saeculum.* haec enim est sententia horum verborum : si ego Rex et Propheta nomine efferre audeo propter potentiam, et sapientiam, neque de me ipse praesumo, sed omnem spem meam in Deo collocatam habeo: certe par est ut populus meus non in viribus suis confidat sed speret in Deo in omni tempore tam praesenti, quam futuro.

Restat ex rebus gestis Davidis, peccatum eius et poenitentia : quia enim multo plures sunt Reges, qui egent exemplis poenitentiae, quam innocentiae; ideo placuit Deo, ad multorum Principum salutem, permittere, ut hic singularis eius amicus, et vir plane secundum cor eius, in grave peccatum aliquando laberetur, et per seriam poenitentiam cito resurgeret : et peccatum eius, ac poenitentia literis publicis scriberetur, et per omnes provincias legeretur, et cantaretur, et ad memoriam saeculorum omnium mandaretur. Igitur peccavit David sanctus peccatum grande, adulterium videlicet cum homicidio coniunctus. In quo peccato multae deformitates numerari possunt. Una ex numero personarum, quas offendit, quae plurimae sunt, offendit enim David primo Uriam, militem suum fidelissimum, cui uxorem et vitam eripuit ; deinde offendit Bersabeam, quam ad peccatum adulterii provocavit, et spiritualiter interfecit : tum offendit uxores proprias, quibus fidem non servavit ; praeterea offendit populum universum ; imo etiam infideles ipso exemplo pessimo. Quod notavit Propheta Nathan. cum ait, *Blasphemare fecisti inimicos nomen Domini.* Denique offendit Deum, cuius leges aperte praevaricatus est, videlicet, *non occides*, et *non moechaberis.* Deinde gravitas peccati Davidis cognosci potest ex circumstantiis personarum. Nam offendit David Uriam primo innocentem ; secundo fidelissimum; tertio qui tum Davidi militabat ; quarto quia uxorem eius pollueret per adulterium, quasi puniendum censeret, quia iniuriam acceperat : quinto quia ipsum eundem ministrum suae mortis esse voluit, dans ei literas, quibus caedes ipsius continebatur ; sexto quia cum scripsit ad Ioab Ducem militiae, ut Uriam interficiendum curaret ; existimari voluit, eum magni criminis reum, et eo modo famam, eius maculavit. Sed ingratitudo erga Deum, praecipua causa est magnitudinis peccati Davidis. Deus enim in Davidem omnia fere dona, et privilegia contulit quae in hominem conferri posse videntur. Eum siquidem Deus ex pauperculo ovium pastore fecit Regem magnum, Prophetam eximium, Imperatorem felicissimum : donavit prudentia, robore, pulchritudine ; cumulavit divitiis, prolibus, denique rebus omnibus, quae in terris desiderari possunt. Adiecit ad haec omnia David quod non continuo resipuit, sed haesit in caeno peccati multos menses; iam enim natus erat filius ex adulterio, quando primum David resipiscere coepit; et nisi Deus, singulari beneficio gratiae suae, misisset ad eum Nathan Prophetam, diutius fortasse in luto peccati voluntatis esset. Haec tanta Peccati gravitas, hominis alioqui tam pii ; in scripturis tam accurate exponitur, ut nullus desperet, sed omnes ad poenitentiam, eamque seriam primo quoque tempore revertantur.

Alterum peccatum Davidis in Scriptura sancta narratur, quod numerari voluerit homines ad bellum idoneos in universo Regno suo. Sic enim legitur in secundo libro Regum, « Et addidit furor « Domini irasci contra Israel, commovitque David « eis dicentem, Vade numera Israel, et Iudam ; et « inventa sunt de Israel octingenta millia virorum « fortium, qui educerent gladium; et de Iuda quin- « genta millia bellaturum: percussit autem cor Da- « vid eum, postquam numeratus est populus, et « dixit David ad Dominum : Peccavi valde in hoc « facto, sed precor Domine, ut transferas iniqui- « tatem servi tui, quia stulte egi nimis ». Et mox adfuit Gad Propheta, qui nomine Dei dedit optionem David, ut eligeret in poenam illius peccati, vel septem annos sterilitatis terrae; vel tres menses infelicis belli; vel tres dies pestis crudelissimae: elegit autem David tres dies pestis. Ista numeratio potuisset videri sine culpa ; cum Deus ipse in libro Numeri iusserit numerari omnes tribus Israel. Sed poenitentia David, et ira Dei, per Gad Prophetam manifestata, et poenitentia imposita ; satis aperte indicat, et Regem, et populum peccasse, tumore superbiae, vel saltem inanis gloriae, ob tam ingentem numerum virorum fortium, in Regno alioqui non amplissime ; sed constat etiam, maius fuisse peccatum populi, quam Regis. Id quod intelligi potest tum ex illis verbis, *Et addidit furor Domini irasci contra Israel, commovitque David in eis dicentem, vade numera Israel, et Iudam* ; tum ex poena subsecuta, ex peste videlicet, quae personam Regis non attigit ; et de populo sustulit septuaginta millia virorum. Atque haec de peccatis David, quae in sacris literis manifestantur. Nunc poenitentiam cognoscamus.

Primum igitur humilitas, et mansuetudo cognosci potuit, ex eo quod cum Nathan Propheta Davidem reprehendissit nomine Dei, ac dixisset, « Haec dicit Dominus Deus Israel. Quare contem- « psisti Verbum Domini, ut faceres malum in con- « spectu meo? Uriam Hetheum percussisti gladio « et uxorem illius accepisti in uxorem tibi. Qua- « mobrem non recedet gladius de domo tua usque « in sempiternum ; et tollam uxores tuas, et dabo « proximo tuo, et dormiet cum uxoribus tuis in o- « culis solis huius. Tu enim fecisti absondite, ego « autem faciam verbum istud in conspectu omnis « Israel, et in conspectu Solis » Ad haec David neque negavit, neque factum excusavit, neque cum indignatione repulit nuntium illum : sed ait, Peccavi Domino. Et quoniam Deus, qui scrutatur corda, vidit, vocem illam ex vera et profunda contritione prodiisse: respondit ei, per eumdem Prophetam : *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris.*

Sed David non contentus hoc Prophetae responso, instituit omnes partes verae poenitentiae ad-

implere, partes verae poenitentiae, hae praecipue esse videntur, Contritio cordis, Confesssio oris, Satisfactio per opera poenitentiae, ac demum patientia in adversis, quando praesertim satis constat, immitti illa a Deo, ut per eorum tolerantiam peccata admissa purgentur. In his omnibus exemplar eximium vere poenitentium videtur fuisse David. Nam de contritione cordis, de qua testatur idem Propheta dicens, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicies*: testantur flumina lacrymarum, quae ipse fudit. Nam in psalmo sexto dicit, « Laboravi in ge« mitu meo, lavabo per singulas noctes lectum « meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. *et « apertius in psalmo centesimo decimo octavo*, « Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non « custodierunt legem tuam ». Quamvis enim hunc locum ego exposuerim alias cum Theodoreto, et Eutymio de fletu pro peccatis aliorum: tamen maiori ratione possunt nunc exponere cum sanctis patribus, Ambrosio, Hieronymo, et Augustino de peccatis propriis ipsius Davidis, et in specie de peccato cum uxore Uriae, de quo nunc agimus. *Exitus*, inquit, *aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam*, ipsi oculi mei, quando uxorem alienam concupierunt. Notant autem sancti Patres per exitus aquarum non significari guttas aliquas lacrymarum, sed rivos ingentes sive potius flumina, vel, ut loquitur sanctus Ambrosius, *continuum quoddam, et iuge profluvium lacrymarum*. Sic nimirum diluuntur peccata, sic placatur Deus; non ut multi faciunt, qui mortem filiorum, aut coniugum flumine lacrimarum deflere norunt; mortem animae propriae, ne una quidem lacrymula plangere possunt. Et tamen verum est quod Veritas dicit, *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?*

Neque vero sanctus David solis lacrymis dolorem suum expressit; sed etiam libera confessione: neque solum Prophetae Nathan dixit, *Peccavi Domino*; sed palam in oratione clamavit. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam: et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper*; et similia in multis psalmis leguntur. Neque ignorabat David, hunc psalmum cum caeteris in toto orbe terrarum usque ad mundi consummationem esse legendum; et titulum eius futurum, *Quando intravit David ad Bethsabee*. Itaque peccati confessio in Davidis poenitentia non desideratur.

Porro de ieiunio, et oratione nulla dubitatio esse potest, quin crebra ista fuerint apud Davidem post hoc peccatum patratum. Nam si in psalmo tricesimo quarto de ipso dicit, *Induebam me cilicio, et humiliabam in ieiunio animam meam*: certe id fecit, cum pro hoc maximo peccato satisfacere Deo voluit. Sanctus Ambrosius, id quod legitur in libro secundo Regum, Davidem iacuisse in terra, ieiunasse, et flevisse, quando filius ipsius ex adulterio natus aegrotabat ad mortem: non tam tribuit morti propinquae filij, quam peccato contra Deum patrato; sic enim loquitur in sermone septimo decimo super Psalmum centesimum decimum octavum. *Denique*, inquit, *filio in aegritudine constituto neque cibum sumpsit, neque regium thronum, aut cubile conscendit: sed stratus in terra, ieiuna ora lacrymis diluebat; non tam filii mortem, quam peccati poenam in illo lavare desiderans*, haec ille, qui rectissime iudicavit, si potuisset Deum placare, ob eius peccatum offensum; filium non fuisse moriturum: proinde non tam filii mortem redimere, quam Deum placare David illo suo ieiunio, et humi cubatione quaerebat.

Restat postrema poenitentiae pars, quae in flagellis Dei aequo animo suscipiendis, et patientissime ferendis posita est. Deus enim filios suos peccantes severe in hac vita flagellat, non qui odit, sed quia diligit; nam et ipsis filiis longe utilius est hic flagellis purgari, quam in alio saeculo haereditate privari. Sic enim loquitur Apostolus ad Hebraeos, *Quem diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit. Quis enim filius quem non corripit pater? quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes; ergo adulteri* (idest adulterini) *et non filii estis*, id est, filii legitimi estis, ad quos solos pertinet haereditas. Deus igitur, qui Davidem in filiis legitimis numerabat; flagellis gravissimis attrivit, praeter ea, quae ipse sibi sponte assumpserat, lacrymas, ieiunia, humi cubationes, et alia id genus. Ac primum, quod per Nathan prophetam illi comminatus est, quod in ultionem homicidii Uriae, gladius, id est, mors violenta non exiret de domo eius; ad literam impletum est. Obiit enim continuo filius ex adulterio natus: deinde Ammon filius eiusdem Davidis, ab Absalone fratre occisus fuit; postea Absalon conspiravit contra patrem, et eiecit eum ex urbe Regia; et ut maiori iniuria illum afficeret, publice expanso tentorio, incestavit uxores patris sui; quod Nathan futurum illi praedixerat: paulo post in praelio occiditur Absalon cum incredibili dolore patris; qui non tam interitum carnis, quam mortem aeternam animae considerabat, cum sciret illum periisse reum scelerum gravissimorum. His accessit exprobratio, et maledictio Semei, qui Davidem fugientem maledicebat, ut Scriptura loquitur, maledictione pessima, quasi usurpatorem alieni regni. Accessit denique fuga Davidis ex urbe sua Regia; et fuga adeo repentina, ut coactus sit Rex nudis pedibus, aperto capite, et flens per montem olivarum iter facere.

Haec sunt flagella, dura quidem, sed paterna, quibus Deus Davidem sanctum exercuit. Et quidem mortem tot filiorum patientissime tulit, ita ut intra se lugeret quidem, et sensum doloris ostenderet, sed absque murmure, absque comminatione, absque signo ullo impatientiae, aut vindictae. De uxorum, sive concubinarum publica turpitudine a filio accepta nulla mentio facta est; nisi quod eas a sua consuetudine, ut aequum erat, removit, et in locum unum conclusis, alimenta subministrari iussit, quod viverent. Exprobrationem, et maledictionem pessimi Semei, tulit summa animi aequitate, dum ipse viveret: sed quia res fuerat pessimi exem-

pli, Salomonem, qui post eum regnaturus erat, admonuit ut pro sua sapientia, delictum illud non relinqueret impunitum. Quod ergo dixerat David, quando a Semei maledicebatur, *Deus praecepit illi, ut malediceret;* non sic accipiendum est, quasi maledictio Semei fuisset laudabilis, utpote a Deo imperata: sed quod maledictio illa, quamvis falsa, et iniqua; a Deo permissa fuisset ad patientiam, et humilitatem servi sui Davidis exercendam. Ac ne quis forte miretur, quomodo potuerit maledictio illa Semei esse a Deo mandata: et tamen iniqua: legat sanctum Augustinum in libro de gratia, ex libero arbitrio, hunc nodum apertissime dissolventem.

Habemus igitur Davidem sanctum, magnis virtutibus praeditum, et a peccatis duobus, in quae, divina permissione, ob carnis fragilitatem lapsus fuerat, per veram poenitentiam divina gratia sic liberatum, ut Deus ipse testimonio suo saepe, ac saepius repetito, in Sanctorum numerum singulari privilegio retulisse videatur. Sic enim loquitur Deus, in libro Regum tertio de Salomone, cum idem esset senex, *depravatum est cor eius per mulieres, ut sequeretur deos alienos: nec erat cor eius cum Domino Deo suo, sicut cor David patris eius.* Item in eodem libro ad Hieroboam. *Non fuisti*, inquit, *sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, et secutus est me in toto corde suo.* Item in libro eodem, de Abia Rege. *Non erat* inquit, *cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris eius.* Item in libro quarto Regum, de Amasia Rege. *Fecit*, inquit, *rectum coram Domino, verumtamen non ut David pater eius: adhuc enim populus immolabat, et adolebat incensum in excelsis.* Item in eodem libro, de Achaz Rege, *Non fecit*, inquit, *quod erat placitum in conspectu Domini Dei sui, sicut David pater eius.* Item in eodem libro, de Ezechia, *Fecit*, inquit, *quod erat bonum coram Domino iuxta omnia, quae fecerat David pater eius.* Item in eodem libro, de Iosia, *Fecit*, inquit, *quod erat placitum coram Deo, et ambulavit per omnes vias David patris sui, non declinavit ad dexteram, sive ad sinistram.* Itaque videmus, Davidem sic laudari a Spiritu sancto in Scripturis sanctis, ac si fuisset Idaea optimi Regis, ut illi essent boni, qui essent illi similes: illi mali, qui essent ei dissimiles. Regnavit David annis quadraginta, vixit annis septuaginta.

VITA ET VIRTUTES

S. EZECHIAE REGIS

Ex Regibus Hebraeorum tres tantum invenio a Iesu Sirac in libro sacro, qui Ecclesiasticus appellatur, absolute laudari, et quasi in sanctorum numerum referri; Davidem, Ezechiam, et Iosiam. Et sine dubio isti fuerunt omnium optimi ita ut sancti Reges optime iure dici possint. Quare operae pretium existimavi, Ezechiae, et Iosiae res gestas, et virtutes breviter explicare. Ezechias Rex filius fuit Regis Achaz, et pater Manassae, id est, filius optimus patris pessimi; et pater optimus filii pessimi.

Fuisse autem Ezechiam virum optimum, testatur primum Spiritus sanctus per Ecclesiasticum ita loquentem. *Praeter David, Ezechiam, et Iosiam omnes peccatum commiserunt: nam dereliquerunt legem Altissimi Reges Iudae, et contempserunt timorem Dei.* Non significant autem ista verba, nullum omnino peccatum commisisse hos tres Reges, sed non commisisse peccatum in materia religionis, et fidei: reliqui enim omnes, aut idolis servierunt, aut idololatriam populo permiserunt. Isti tres in veri Dei cultu, et idololatriae execratione diligentissimi, et ardentissimi fuerunt: praeterea, tres isti, si qua in re deliquerunt ex humana fragilitate, poenitentiam sine dubio seriam egerunt, et a Deo veniam obtinuerunt. Deo Regibus caeteris ista non certò constant.

Secundum testimonium praebet Ezechiae Spiritus sanctus libro quarto Regum capite 18, his verbis, *Fecit Ezechias bonum coram Domino, iuxta omnia, quae fecerat David pater eius. In Domino Deo Israel speravit, adhaesit Domino, et non recessit a vestigiis eius, quae praeceperat Dominus Moysi. Unde et erat Dominus cum eo.* Praeclara sane laudatio, in eo libro scripta, in quo falsitas inveniri non potest.

Tertium testimonium sanctitatis Ezechiae idem Spiritus sanctus reddidit, per ipsummet Ezechiam, qui cum audivisset ab Isaia Prophela, se ex morbo, in quem inciderat, moriturum; cravit ad Dominum dicens, *Obsecro Domine memento quaeso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod placitum est coram te fecerim: flevitque Ezechias fletu magno.* Hanc laudationem fuisse veram, testatur Isaias propheta, qui scribit, eam orationem, ut veram et Deo gra-

tam, continuò fuisse exauditam a Domino. Sic enim loquitur Isaias, *Et antequam egrederetur Isaias mediam partem atrii, factus est sermo Domini ad eum, Revertere, et dic Ezechiae Duci populi mei. Haec dicit Dominus Deus David patris tui, audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas, et ecce sanavi te: die tertio ascendes templum Domini, et addam diebus tuis quindecim annos.* Et quia cupiebat Ezechias aliquod signum huius tam laetae promissionis; addidit Isaias, *Hoc erit signum a Domino, quod facturus sit Dominus sermonem, quem locutus est; Ecce ego reverti faciam umbram linearum, per quas descenderat in horologio Achaz in sole, retrorsum decem lineis, et reversus est sol decem lineis per gradus, quos descenderat.* Mirabile prorsus signum, non absimile illi, quod fecit Iosue, cum Solem stare fecit. Itaque, ut crederet Ezechias, se vere sanandum a morbo illo lethifero, ut supervictum multos annos; fecit Deus, ut crescerent horae illius diei, et pro duodecim horis diurnis fierent viginti duae. Haec sunt argumenta manifestissima, quod Ezechias non superbe et falso dixerit, se ambulasse coram Deo in veritate, et in corde perfecto; sed umiliter, et veraciter, non iactans propriam virtutem, sed Dei dona commemorans.

Quantum testimonium sanctitatis eiusdem, dare possunt opera eius: siquidem incredibili zelo purgavit Hierusalem ab omni illa foeditate idololatriae, quam in eam invexerant Reges, qui cum praecesserant, et praesertim parens eius Achaz, ut habetur in libris Regum. Neque solum purgavit civitatem ab omni cultu falsorum Deorum; sed incredibili labore, et sumptu restituit altare Domini, et sacrificia secundum legem Domini, et omnes sacros ritus, et caeremonias, ac denique renovavit totam faciem verae religionis non parcens labori, nec sumptibus: quae omnia legi possunt in libro posteriore Paralipomenon. Neque contentus fuit propria religione et pietate sua, sed excitavit primum sacerdotes et levitas ad serviendum Domino cum omni alacritate, et puritate, deinde scripsit etiam epistolas ad omnes filios Israel, dispersos in variis civitatibus, cohortans omnes ad resipiscentiam, et ad serviendum soli Deo vivo et vero; et cohortationibus suis profecit plurimum. Itaque non tantum Regis pii munus implevit, sed etiam sacerdotis et concionatoris, prout ea tempora postulabant.

Neque minus fuit Ezechias fortis in rebus adversis, quam diligens, et accuratus in prosperis: erat vero fortitudinis huius causa, quod multum omnino sperabat in Domino, non haesitabat in fide, non diffidebat de auxilio Domini; sed cum parente suo David dicere poterat, *Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo? si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Cum enim Sennacherib Rex Assyriorum cum ingentibus copiis varias provincias devastasset, et iam Hierosolymae immineret, prae multis victoriis tumidus; misit nuncios, et literas ad Ezechiam: in quibus dicebat, « Non te seducat Deus tuus, in quo habes fiduciam: « numquid liberaverunt dij gentium singulos, quos « vastaverunt patres mei? *Ezechias* ascendit in do- « mum Domini, et expandit literas coram Domino, « et ait Domine Deus Israel, qui sedes super che- « rubim, tu es Deus solus Regum omnium terrae, « tu fecisti coelum et terram. Inclina aurem tuam, « et audi; aperi oculos tuos, et vide; audi omnia « verba Sennacherib, qui misit, ut exprobraret no- « bis Deum viventem. Vere Domine dissipaverunt « Reges Assyriorum gentes, et terras omnium, et « miserunt deos eorum in ignem: non enim erant « dii, sed opera manuum hominum ex ligno et la- « pide, et perdiderunt eos. Nunc ergo Domine « Deus noster salvos nos fac de manu eius, ut « sciant omnia Regna terrae, quia tu es Dominus « Deus solus. » Hanc orationem plenam fide, et fiducia, Dominus audivit; et misit Isaiam ad Ezechiam, quid illi diceret, *Hanc dicit Dominus Deus Israel, quae deprecatus es me super Sennacherib Regem Assyriorum audivi.* Nec distulit Dominus, sed illa ipsa nocte misit Angelum suum, qui percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia; et ipse Rex visa strage tanti exercitus, recessit inglorius: et cum rediisset in Regnum suum, et adoraret idolum suum, a filiis propriis caesus, misere vitam finivit. Ex his apparuit, Deum Ezechiae esse vere Deum solum; et ipsum Ezechiam verum servum, et amicum Dei.

Neque vero Ezechias omisit etiam partes suas in praeparatione belli; quamvis fiducia eius potissimum esset in Deo: nam ut scribitur in libro posteriore Paralipomenon, antequam Sennacherib perveniret ad portas Hierusalem; Ezechias « inito cum « Principibus consilio, visisque fortissimis ut ob- « turarent capita fontium, qui erant extra urbem, « et hoc omnium decernente sententia; congrega- « vit plurimam multitudinem, et obturaverunt om- « nes fontes, et rivum, qui fluebat in medio terrae, « dicentes, Ne veniat Reges Assyriorum, et inve- « niant aquarum abundantiam. Aedificavit quoque « agens industrie, omnem murum, qui fuerat dis- « sipatus, et extruxit turres desuper, et forinsecus « alterum murum: instauravitque Mello in civitate « David, et fecit universi generis armaturam, et cly- « peos: constituitque Principes bellatorum in exer- « citu, et convocavit universos in platea civitatis, ac « locutus est ad cor eorum, dicens, Viriliter agite: « et confortamini: nolite timere, nec paveatis Re- « gem Assyriorum, et universam multitudinem, « quae est cum eo. Multo enim plures nobiscum « sunt, quam cum illo: cum illo enim est brachium « carneum; nobiscum Dominus Deus noster, qui « auxiliator est nostri, pugnatque pro nobis, *haec* « *ille, qui cum ait,* multo plures sunt nobiscum, « quam cum illo; » significat, Deum esse Dominum Sabaoth, id est, exercituum; ac per hoc semper habere secum multa millia angelorum: significat etiam, tam ipsum Deum, quam eius ministros, plus posse, etiam solos, quam innumerabiles homines, armatos: quod vel ex eo potest intelligi, quod unus Angelus statim occidit centum octoginta quinque millia Assyriorum. Habemus igitur, Regem Ezechiam virum fuisse omni ex parte perfectum, prudentem, eloquentem, pium, religiosum, fortem, amantem populi, et super omnia cultorem Dei. Vixit annos quinquaginta quatuor: regnavit annis viginti novem.

VITA ET VIRTUTES

SANCTI IOSIAE REGIS

Sancti Iosias Rex simillimus fuit Regi Ezechiae: nam et ipse patrem habuit valde malum et filium reliquit etiam malum. Fuisse vero Iosiam, Regem optimum, et sanctissimum; iisdem testimoniis docere possumus, quibus probavimus, Ezechiam sanctitate floruisse.

Primum igitur sanctitatem Iosiae Regis praedicat Spiritus sanctus in libro quarto Regum ubi sic legimus, « Fecit Iosias quod placitus erat coram « Domino: et ambulavit per omnes vias David pa- « tris sui: non declinavit ad dexteram, sive ad si- « nistram ». Magna laus, similem fuisse Davidi viro laudatissimo. Deinde testatur sanctitatem eiusdem Iosiae Ecclesiasticus; non solum quia iungit Iosiam cum Ezechias, et Davide: sed etiam quia speciali praeconio illum ornavit, dicens, *Memoria Iosiae in compositionem odoris facta, opus pigmentarii, in ore quasi mel indulcabitur eius memoriae: et ut musica in convivio vini.* Quibus verbis declaretur bonus odor, id est, optima fama, quam post se reliquit Iosias: et quam dulce fuerit poteris vel cantare, vel audire res eius praeclare gestas. Praeterea, testis fide dignissimus pietatis Iosiae fuit Hieremias Propheta, qui lamentationes scripsit, de morte Iosiae. Sic enim legitur in libro posteriore Paralipomenon, « Universus Iuda, et « Hierusalem luxerunt Iosiam; Hieremias maxi- « me, cuius omnes cantores, atque cantatrices u- « sque in praesentem diem lamentationes super « Iosiam replicant, et quasi lex obtinuit in Israel ».

Denique bona opera Iosiae testimonium peribent amplissimum de fide, et vera pietate ipsius. Nam, ut legitur in libro Regum, et in libro posteriore Paralipomenon; Iosias imitatus Ezechiam, purgavit civitatem, et Regnum ab omni idololatria evertit altaria, et combussit, et abstulit omnia idola, et vasa, atque instrumenta, pro cultu idolorum excogitata, abstulit phitones, et ariolos: et reduxit omnia, quae ad veram religionem pertinebant incredibili labore, et studio, sic ut Scriptura testetur, similem illi non fuisse ante eum Regem, *qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, et in tota anima sua et in universa virtute sua iuxta omnem legem Moysi*: neque post eum surrexisse similem illi. Denique, quia peccata priorum Regum furorem Domini ita provocaverant, ut statuerit omnino tradere omnem terram illam in potestatem Regum Babyloniae, et gentem illam Iudaicam mittere in captivitatem: iussit dici servo suo Iosiae verba haec, *Colligam te ad patres tuos, et colligeris ad sepulchrum tuum in pace; ut non videant oculi tui omnia mala, quae inducturus sum super locum istum.* Itaque anno tricesimoprimo Regni sui, aetatis vero tricesimonono, occisus in bello de hac vita migravit.

VITA ET VIRTUTES

SANCTI IOSAPHAT REGIS

Post tres Reges, Davidem, Ezechiam, et Iosiam, qui soli ex Regibus Hebraeorum absolute laudantur, et viri sancti, ab Ecclesiastico in capite quadragesimonono; sex sunt alii, qui laudantur in libris Regum, et Paralipomenon, quod fecerint rectum in conspectu Domini, Asa, Iosaphat, Ioas, Amasias, Azarias, et Ioatam. Sed iidem etiam reprehenduntur, quod excelsa non abstulerint, in quibus sacrificabant idolis filii Israel; et praeterea solus Iosaphat absolute laudatur, ut vere pius, et amicus Dei; in reliquis multa alia reprehenduntur. Quare solius Iosaphat, quinque aliis praetermissis, vitam et virtutes ut vere sancti Regis adiiciam. Iosaphat igitur, ut scribitur in libro tertio Regum, extremo, triginta quinqui annorum erat, cum regnare caepisset, et vigintiquinque annis regnavit in Hierusalem. Virtutes eius praecipuae narrantur in secundo libro Paralipomenon capite septimodecimo, et sequentibus tribus.

Prima virtus eius fuit fides in Deum, et odium in idola: nam, ut Scriptura loquitur, *ambulavit in viis David Patris sui, et non speravit in Baalim, sed in Deo patris sui. et perrexit in praeceptis illius, et non iuxta peccata Israel.* Deinde altera virtus eius in eo singulariter emicuit, quod curavit, ut multi viri docti mitterentur in omnes partes Regni, qui eudirent populos circa legem, et praecepta Dei; qui circuibant cunctas urbes Iuda. Quae res adeo, ut Inde secutus sit pavor super omnia Regna terrarum, nec audent bellare contra Iosaphat: quin etiam Philistaei mittebant illi munera et vectigal argenti: Arabes quoque adducebant pecora arietum et hircorum. Sed quod multo gratius fuit Deo, illud est, quod abiit idem Rex in Bersabee, et usque ad montem Ephraim, et revocavit eos ad Dominum Deum patrum ipsorum. Itaque concionatoris officio functus est, cum tanta efficacia et fructu; ut integros populos ab infidelitate ad cultum veri Dei coverterit.

Tertia virtus, et quidem maxime propria Regum, est iustitia, quam administrari iubebat cum summa integritate, et cum timore Dei, apud quem non est iniquitas, et qui omnia cernit. Illud quoque dignissimum memoria est, quod nolebat Iudices Regni miscere se in iis, quae ad Sacerdotes pertinent. *Amasias*, inquit, *Sacerdos, et Pontifex vester, in his quae ad Deum pertinent, praesidebit: Porro Zabadias, qui est Dux in domo Iuda. super ea opera erit, quae ad Regis officium pertinent.*

Quarta virtus est fiducia maxima in Deum, praesertim tempore belli. Nam cum convenissent Moabitae, et Ammonitae cum maximo exercitu, adiunctis sibi etiam Syris; et res Iosaphat in maximo periculo essent: Iosaphat continuo totum se contulit ad rogandum Deum, et praedicavit ieiunium universo populo suo; et orans Deum dicebat, « In « nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possi- « mus huic multitudini resistere: sed cum igno- « remus, quid agere debeamus, hoc solum habe- « mus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. « *Et ecce post orationem Regis Iosaphat, conti- « nuo surrexit Propheta, nomine Iahaziel, et « facto super eum spiritu Domini, ait,* Haec dicit « Dominus vobis, Nolite timere, nec paveatis hanc « multitudinem: non est enim vestra pugna, sed « Dei: cras descendetis contra eos: non eritis « vos, qui dimicabitis: sed tantummodo confiden- « ter state, et videbitis auxilium Domini super vos, « Iuda, et Hierusalem: nolite timere, nec pavea- « tis, cras egrediemini contra eos, et Dominus « erit vobiscum. *Tunc Iosaphat auditis verbis « Prophetae, locutus est ad populum dicens,* « Audite me viri Iuda, et omnes habitatores Hie- « rusalem, credite in Domino Deo vestro, et secu- « ri eritis: credite Prophetis eius, et cuncta eve- « nient prospera. Deditque consilium populo, et « statuit cantores Domini, ut laudarent eum in tur- « mis suis, et antecederent exercitu, ac voce con- « sona dicerent, Confitemini Domino, quoniam in « aeternum misericordia eius: cumque coepissent « laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in « semetipsos, filiorum scilicet Ammon, et Moab, « montis Seir, qui egressi fuerant, ut pugnarent, « contra Iudam, et percussi sunt. Namque filii Am- « mon, et Moab consurrexerunt adversus habitato- « res montis Seir, ut interficerent et delerent eos; « cumque hoc opere perpetrassent, etiam in seme- « ipsos versi mutuis concidere vulneribus. Porro « Iuda cum venissent ad speculam, quae respicit « solitudinem, vidit procul omnem late regionem « plenam cadaveribus, nec superesse quemquam « qui necem potuisset evadere. Venit ergo Iosa- « phat, et omnis populus cum eo ad detrahenda « spolia ».

Hinc apparet, quam facile sit Deo fideles suos

protegere, et locupletare. Atque haec est causa, cur Deo valde displiceat, cum ii, qui experti sunt beneficia Dei, fiduciam suam, vel partem fiduciae collocant in hominibus, ac praesertim inimicis ipsius Dei: praesertim si propterea amicitiam cum illis contrahant, vel foedus percutiant, id quod ipsi Regi Iosaphat Propheta Iesu dixit nomine Dei. « Impio, *inquit*, praebes auxilium, et his qui oderunt Deum amicitia iungeris, et idcirco iram quidem mereberis: sed bona opera inventa sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Iuda, et praeparaveris cor tuum, ut requiretur Dominum Deum patrum tuorum. *Et alibi alius Propheta dixit eidem Iosaphat*, Quia habuisti foedus cum Ochozia Rege impio, percussit Dominus opera tua, contritaeque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis. *Sed gravior fuit reprehensio divina contra Regem Asa, patrem Regis Iosaphat. Sic enim locutus est Propheta Hanani ad Asa*, Quia habuisti fiduciam in Rege Syriae, et non in Domino Deo tuo: idcirco evasit exercitus Regis Syriae de manu tua, Nonne Aethiopes, et Libyes multo plures erant quadrigis, et equitibus, et multitudine nimia: quos cum Domino credidisses, tradidit in manu tua? oculi enim Domini contemplantur universam terram, et praebent fortitudinem iis, qui corde perfecto credunt in eum. Stulte igitur egisti: et propter hoc ex praesenti tempore adversum te bella consurgent », haec Propheta, ad Regem Asa, alioqui satis bonum: sed quia reprehensionem non aequo animo accepit, sed indignatus valde Prophetam in carcerem trusit, et interfecit de populo in tempore illo plurimos; non tardavit flagellum Domini. Nam aegrotavit dolore pedum vehementissimo: et nec in infirmitate sua quaesivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est.

Hoc sane exemplo admoneri possunt Principes Christiani, ut non faciles sint ad amicitiam, et foedera cum paganis, vel haereticis, etiamsi ad tempus utilia videantur. Hinc enim et Iudas Machabaeus, et fratres eius Ionathas et Simon, viri fortissimi, dum in solo Deo fiduciam posuerunt, victorias pene incredibiles de hostibus omnibus reportaverunt: sed ubi cum Romanis amicitiam contraxerunt, et in auxilio illorum spem ponere coeperunt; brevi omnes tres necati sunt. Et Christianis temporibus Fridericus Secundus Imperator, cum auxilia Saracenorum, Christi hostium, magnifacere, et in illis confidere coepit; brevi, Deo illum puniente, et Imperium et Regnum Neapolitanum, et filios, et vitam ipsam amisit. Sed noster Iosaphat, quamvis in hac relapsus sit, ut homo; tamen multis bonis operibus plenus, et multis virtutibus ornatus, id a Domino obtinuit, ut solum iactura temporali, eaque non magna puniretur.

VITA ET VIRTUTES

IUDAE MACHABAEI

Post Reges Hebraeorum, non alios invenimus in testamento veteri Principes pietatis nomine insignes, quam Zorobabelem, cum Nehemia; et Iudam Machabaeum cum fratribus Ionatha et Simone. Sed de Zorobabele, quem mirifice laudat Ecclesiasticus cum Nehemia, nihil habemus, praeter nomen in libris duobus Esdrae, et in Prophetis Aggeo, et Zacharia: de Nehemia nihil fere habemus nisi ingens desiderium redaedificandae Hierosolymae, in toto libro secundo Esdrae. His igitur praetermissis, ad Iudam Machabaeum veniamus, quem non solum Scriptura in duobus libris Machabaeorum; sed etiam sancti Patres Ambrosius in libris de officiis, Augustinus in libris de civitate Dei, et Ioannes Chrysostomus in explicatione Psalmorum, mirifice laudant. Iudas igitur Machabaeus Princeps Iudaeorum incidit in ea miserrima tempora, in quibus Antiochus Epiphanes Rex Syriae, non solum bonis temporalibus Iudaeos spoliabat, sed etiam divinam religionem illis a maioribus traditam, extinguere, et ad idolorum cultum eos omnes traducere conabatur. Cuius rei testimonium reddere possunt egregia martyria Eleazari, et septem puerorum cum matre ipsorum, quae habentur in posteriore libro Machabaeorum; de quorum laude sanctus Gregorius Nazianzenus orationem pulcherrimam habuit ad populum.

Porro Iudas Machabeus, de cuius rebus gestis praecipue scribitur in duobus libris, qui dicuntur libri Machabaeorum, quia de hoc eminentissimo viro potissimum tractant; filius fuit Matathiae sacerdotis optimi, qui primus zelo Dei ardere coepit cum vidisset in civitate sua compelli Iudaeos ad veram religionem deserendam. Fuit autem Iudas Machabaeus post patrem Sacerdos et Princeps

populi sui, pius, ac religiosus valde in Deum; sicut etiam misericors et benignus in fratres, praecipue pauperes. De pietate in Deum testantur illa verba Scripturae, *Erat enim pro uxoribus et filiis, itemque pro fratribus, et cognatis minor sollicitudo: maximis vero, et primus pro sanctitate timor erat templi.* Et cum essent pugnaturi adversus hostes, magis in oratione ad Deum, quam in viribus suis, et armis confidebant, sic enim legimus. *Et ieiunaverunt in illa die, et induerunt se ciliciis, et cinerem imposuerunt capiti suo*, et infra, *Sancta tua conculcata sunt, et Sacerdotes tui facti sunt in luctum, et in humilitatem. Et ecce nationes convenerunt adversum nos, ut nos disperdant: quomodo poterimus subsistere ante faciem eorum, nisi tu Deus adiuves nos?* et alio loco, *Considerans Machabaeus adventum multitudinis, et apparatum varium armatorum, et ferocitatem bestiarum; extendens manus in coelum, prodigia facientem Deum invocavit, qui non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam. Dixit autem invocans hoc modo, Tu Domine, qui misisti Angelum tuum sub Ezechia Rege Iuda, et interfecisti de exercitu Sennacherib centum octoginta quinque millia: et nunc dominator coelorum mitte Angelum tuum bonum ante nos in timore, et tremore magnitudinis brachii tui, ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum: et hic quidem ita peroravit. Nicanor autem, et qui cum eo erant, cum tubis et canticis admovebant. Iudas vero, et qui cum ipso erant, invocato Deo per orationes congressi sunt: manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minus triginta quinque millia, praesentia Dei magnifice delectati.* Et rursum in alio bello dixit Iudas viris, qui secum erant, *Ne timueritis multitudinem eorum, et impetum eorum ut formidetis. Mementote qualiter salvi facti sunt Patres nostri in mari rubro, cum sequeretur eos Pharao cum exercitu multo: et nunc clamemus in coelum, et miserabitur nostri Deus noster, et memor erit testamenti patrum nostrorum, et conteret exercitum istum ante faciem nostram hodie; et scient omnes gentes, quia est qui redimat, et liberet Israel*, et infra, *Et congressi sunt, et contritae sunt gentes. Et anno sequenti iterum venit Lisias, et adduxit sexaginta millia peditum, et quinque millia equitum; et eos quoque Iudas Machabaeus cum parva manu oratione ad Deum, magis, quam armis, debellavit.* Nec minus opere, quam verbis Machabaeus pietatem suam in Deum demonstravit. Nam victoria potitus, non cogitavit de domo sua privata restituenda; sed dixit, *Ecce contriti sunt inimici nostri, ascendamus nunc mundare sancta, et renovare.* Et quod dixit, fecit; summa enim diligentia, et celeritate purgavit templum ab omni contaminatione, qua polluerant illud idololatrae, et restituit omnia, quae secundum legem Domini ad cultum Dei vivi et veri necessaria erant. Atque haec pauca de pietate erga Deum.

Pietas, sive charitas fraterna erga proximos, ex eo cognosci potest, quod cum spolia de hostibus Iudas Machabaeus reportabat; non ea cum solis militibus dividebat, sed memor erat pauperum, senum, aegrotorum, viduarum, et aliarum miserabilium personarum, sic enim legimus, *Debilibus, et orphanis, et viduis diviserunt spolia; et residua ipsi cum satis habuerunt*, et infra, *Et plures praedas diviserunt, aequam portionem debilibus, pupillis, viduis, sed et senioribus facientes*; Nec solum pii, et misericordes erant Machabaei in pauperes viventes; sed etiam in animas defunctorum, praesertim eorum, qui in bello ceciderant, sic enim loquitur Scriptura. « At vero fortissimus Iudas hortabatur populum conservare se « sine peccato, sub oculis videntes quae facta sunt « pro peccatis eorum, qui prostrati sunt. Et facta « collatione duodecim millia drachmas argenti « misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium ». De qua re sic loquitur sanctus Augustinus in libro de cura pro mortuis « In « Machabaeorum libris legimus oblatum sacrificium pro mortuis: sed et si nusquam in scripturis veteribus legeretur; non parva est universae « Ecclesiae, quae in hac consuetudine claret auctoritas: ubi in precibus Sacerdotis, quae Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum « habet etiam commendatio mortuorum ». Itaque Iudas Machabaeus non solum viventibus, sed etiam mortuis misericordiae operibus indigentibus plenissime satisfecit.

Quod autem gratissima fuerint Deo praelia Iudae Machabaei, Scriptura duobus in locis manifeste declarat. Unus locus est in secundo libro Machabaeorum, ubi haec verba leguntur, *Sed cum vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de caelo viri quinque in equis, fraenis aureis decori, ducatum Iudaeis praestantes, ex quibus duo Machabaeum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conservabant: in adversarios autem tela, et fulmina iaciebant. Ex quo et caecitate confusi, et repleti perturbatione cadebant.* Alter locus est in eodem libro, paulo infra, ubi eiusmodi visio describitur. *Erat autem huiuscemodi visus, Oniam, qui fuerat Summus Sacerdos, virum bonum et benignum, verecundum visu, modestum moribus, et eloquio decorum, et qui a puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem orare pro omni populo Iudaeorum. Post haec apparuisse alium virum aetate, et gloria mirabilem, et magni decoris habitudine circa illum. Respondentem vero Omnia dixisse, Hic est fratrum amator, et populi Israel, hic est, qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate, Hieremias Propheta Dei. Extendisse autem Hieremiam dexteram, et dedisse Iudae gladium aureum, Accipe sanctum gladium, munus a Deo, in quo deiicies adversarios populi mei Israel.*

Istae certe visiones admirabiles manifeste demonstrant, Iudam Machabaeum gratissimum fuisse Deo; et non sua virtute, sed Dei omnipotentis peculiari auxilio victorias tam multas, et tam praeclaras de suis hostibus reportasse. Pugnavit enim cum parva manu militum, primo cum quatuor Du-

cibus Antiochi Epiphanis Regis Syriae, et cum quatuor eorum magnis exercitibus, et de omnibus victoriam reportavit. Primus Dux Antiochi fuit Apollonius, de quo sic loquitur Scriptura divina. « Et congregavit Apollonius gentes, et a Samaria « virtutem multam, et magnam ad bellandum con- « tra Israel. Et cognovit Iudas, et exiit obviam « illi; et percussit, et occidit illum, et ceciderunt « vulnerati multi, et reliqui fugerunt: et accepit « spolia eorum, et gladium Apollonii abstulit Iu- « das, et erat pugnans in eo omnibus diebus. *Al- « ter Dux Antiochi Seror fuit, de quo sic legimus « in eodem loco.* Et audivit Seror Princeps exer- « eitus Syriae, quod congregavit Iudas congrega- « tionem fidelium, et Ecclesiae secum, et ait, Fa- « ciam mihi nomen, et glorificabor in Regno, et « debellabo Iudam, et eos, qui cum ipso sunt, qui « spernebant verbum Regis. Et praeparavit se, et « ascenderunt cum eo castra impiorum, fortes au- « xiliarii, ut facerent vindictam in filios Israel. Et « exivit Iudas obviam illis cum paucis, et dixe- « runt ei, Quomodo poterimus pauci pugnare con- « tra multitudinem tantam, et tam fortem, et nos « fatigati sumus ieiunio hodie. Et ait Iudas, Fa- « cile est concludi multitudinem in manu pauco- « rum, et non est differentia in conspectu Dei « caeli liberare in multis, vel in paucis; quoniam « non in multitudine exercitus victoria belli, sed « de coelo fortitudo est. Ut cessavit autem loqui, « insiluit in eos subito, et contritus est Seror, et « exercitus eius in conspectu ipsius ». Tertius Dux fuit Nicanor cum Ptolomaeo, et Gorgia, qui cum quadraginta millibus peditum, et septem mil- libus equitum, venerant, et mandato Regis Antio- chi, ut delerent omnem gentem Iudaeorum. Sed contra accidit. Nam Iudas ait suis, « Ne timueritis « multitudinem eorum, et impetum eorum ne for- « midetis. Et exierunt de castris in praelium, et « tuba cecinerunt hi, qui erant cum Iuda et con- « gressi sunt, et contritae sunt gentes, et fugerunt « in campum; novissimi autem omnes ceciderunt « in gladio. Et Iudas reversus est ad spolia castro- « rum, et acceperunt aurum multum, et argentum, « et hyacintum, et purpuram marinam, et opes « magnas; et conversi hymnum canebant, et be- « nedicebant Deum in coelum, quoniam bonus, « quoniam in saeculum misericordia eius ». Quar- tus Dux fuit Lysias, qui anno sequente venit cum sexaginta millibus peditum electorum, et quinque millibus equitum. Et occurrit illis Iudas cum de- cem millibus militum, et commiserunt praelium, et ceciderunt de exercitu Lysiae quinque millia virorum; et reliqui fugerunt, et Lysias inglorius abiit Antiochiam. Deinde pugnavit Iudas cum fini- timis gentibus, ac praecipue cum quatuor: pri- mum cum Idumaeis, quos percussit plaga magna. Deinde cum Ammonitis, quorum Dux erat Timo- theus, et habebat manum fortem, et populum co- piosum: et commisit Iudas cum eis praelia multa, et contriti sunt in conspectu eius. Tertio cum Ga- laaditis multa praelia Iudas commisit. Quarto cum Galilaeis Simon frater Iudae, et ex ipsius Iudae mandato multa quoque praelia felicissime fecit.

Post haec Antiocho Epiphane defuncto, Antio- chus Eupator eius successor, venit in Iudaea cum exercitu, copiosissimo centum et decem millium peditum, et equitum quinque milliuin, et curruum falcatorum trecentorum. Vicit autem tam ingentem exercitum Iudas primum oratione, et ieiunio tri- duano armatus; deinde, gladio cum suis paucis adversus multitudinem hostium fortiter pugnans: sic enim et plurimos occidit, et reliquos in fugam egit; et tandem ad pacem, et amicitiam Regem compulit.

Denique, cum Demetrio Antiochi Eupatoris suc- cessore postrema duo bella Iudas fecit. Sed tamen non ipse per se Rex ad bellum venit, sed misit duces suos, Alcimum, et Bacchidem, qui tamen nihil profecerunt. Deinde misit Nicanorem cum exercitu magno: sed Iudas, cum solis tribus mil- libus militum, exercitum illum contrivit; et pri- mus omnium periit Nicanor, qui superbe nimis, et arroganter locutus fuerat dicens. *Nisi traditus fuerit Iudas, et exercitus eius in manus meas; continue cum reversus fuero in pace, succen- dam domum istam, templum videli et Dei.* Po- stremo, addidit Demetrius, audita morte Nicano- ris, mittere in Iudaeam Bacchidem, et Alcimum, cum ingenti exercitu; in quo ultimo praelio, cum per totam diem pugnatum esset ab octingentis mi- litibus Iudae adversus viginti millia peditum, et duo millia equitum; is fuit exitus praelii, ut Dux Regis Demetrii amiserit exercitum copiosum; et exercitus Domini amiserit Ducem fortissimum Iu- dam. Hinc scriptura sancta encomium illud de Iuda contexuit. « Et dilatavit, *Iudas*, gloriam po- « pulo suo, et induit se loricam, sicut Gigas, et « succinxit se arma bellica sua in praeliis, et pro- « tegebat castra gladio suo. Similis factus est leo- « ni in operibus suis, et sicut catulus leonis ru « giens in venatione. Et persecutus est iniquos « perscrutans eos, et qui conturbabant populum « suum, eos succendit flammis: et repulsi sunt « inimici eius prae timore eius, et omnes operarii « iniquitatis conturbati sunt, et directa est salus « in manu eius. Et exacerbabat Reges multos, et « laetificabat Iacob in operibus suis, et in saecu- « lum memoria eius in benedictione. Et peram- « bulavit civitates Iuda, et perdidit impios ex eis, « et avertit iram ab Israel, et nominatus est usque « ad novissimum terrae ».

Sed unum est, in quo videtur Iudas aliquid hu- mani passus, Deo hoc permittente, ad instructio- nem Principum caeterorum; siquidem audita glo- ria Romanorum, misit ad eos Legatos, ac petiit amicitiam eorum, ut amicitia illa fretus, deinceps liber esset ab infestationibus Regum Graecorum. Atque exemplum Iudae secuti sunt postea fratres eius Ionathas, et Simon, qui post illum, principa- tum Iudaeorum obtinuerunt; uterque enim amici- tiam Romanorum honorifica legatione missa pe- tiit, et obtinuit: sed ut ostenderet Dominus, non debuisse Iudam, qui tot et tam manifestis signis auxilium Dei praesentissimum semper agnoverat, aliquid de spe illa sua in Deum concepta, remit- tere, neque ullam eius partem in Romanos idolo- latras; derivare permisit ut primo quoque tempo- re post amicitiam cum Romanis contractam, in

praelio Iudas ipse occideretur. Iam enim non aderant duo illi coelestes milites, qui medium tenentes Iudam ab omni ictu lanceae, vel gladii protegebant; et quod Iudae contigit, idem et fratribus accidit: uterque enim post initam societatem cum Romanis interfectus fuit.

Neque haec dico, quod existimem Iudam Machabaeum ob amicitiam cum Romanis initam, a gratia Dei Omnipotentis excidisse: absit enim a me iudicium tam temerarium. Nam si Rex Iosaphat qui cum Achabo Rege impio, et idololatra affinitatem contraxerat, et foedus in bello inierat; audivit a Nuntio Dei, « Impio praebes auxilium, et his « qui oderunt Deum amicitia iungeris? et idcirco « iram quidem Domini merebaris, sed bona opera « inventa sunt in te, eo quod abstuleris locus de « terra Iuda, et praeparaveris cor tuum, ut requi- « reres Dominum Deum patrum tuorum ». Quanto magis de Iuda Machabaeo credendum est, eum ob amicitiam cum Romanis initam, non excidisse a gratia Dei, cum et Romani minus impii fuerint, quam Achab; et Machabaeus opera bona plurima, et fortasse gratiora Deo fecerit, quam Iosaphat.

LIBER TERTIUS

HIC POSTREMUS

liber continet vitas sanctorum principum testamenti novi

VITA ET VIRTUTES

THEODOSII IMPERATORIS

Primus christianus Imperator, Constantinus magnus et plane egregius fuit. Sed quoniam vitam eius scripsit Eusebius Caesariensis haereticus Arianus, et ab illo hauserunt quicquid scriptis de rebus eius gestis mandarunt Socrates, Sozomenus, et alii posteriores : ideo vitam illam praetermittendam mihi esse existimavi : praesertim cum historias Eusebii Gelasius Papa interscripta opocrypha retulerit.

Post Constantinum celeberrimus, et religiosissimus Theodosius fuit, quem Sanctus Ambrosius non dubitat inter eos connumerare, qui statim ab obitu, in coelum ascendunt. Sic enim loquitur in oratione funebri de eius laudibus habita ad populum, « Convertere, *inquit*, anima mea in requiem « tuam. in quam festinavit ingredi Theodosius, *et « paulo infra.* Absolutus igitur dubio certamine, « fruitur nunc Augustae memoriae Theodosius. « luce perpetua. *et infra*, Manet ergo in lumine « Theodosius, et sanctorum coetibus gloriatur. « *Et quoniam potuisset illi obiici peccatum coe- « dis thessalonicensis ; respondet in eodem loco « idem Sanctus Ambrosius, dicens.* Dilexi virum, « qui magis arguentem, quam adulantem proba- « ret. Stravit omnem quo utebatur, insigne re- « gium , deflevit in Ecclesia publice peccatum « suum, quod et aliorum fraude obrepserat. gemi- « tu, et lacrymis oravit veniam, quod privati eru- « bescunt, non erubuit Imperator publice agere « poenitentiam. Neque ullus postea dies fuit, quo « non illum doleret errorem ». Sancto Ambrosio Sanctum adiungamus Augustinum. Hic in libro quinto de civitate Dei miris laudibus effert fidem et pietatem Imperatoris Theodosii ; quem dicit in bello magis orando, quam feriendo pugnasse : et hoc tam manifestum fuisse : omnibus, ut etiam Claudianus Poeta Gentilis de eo cecinerit.

O nimium dilecte Deo, tibi militat aether
Et coniurati veniunt ad classica venti.

et enumeratis bonis operibus eius concludit, Haec ille secum, et si quae similia, quae enumerare longum esset, bona opera tulit, ex isto temporali vapore cuiuslibet culminis et sublimitatis humanae, quorum operum merces est aeterna felicitas, cuius dator est Deus, solis veraciter, piis.

Addam et tertium testem pietatis Theodosii Sanctum Paulinum Nolae Episcopum. Hic in epistola nona ad Severum loquens de laudatione sua in Theodosium. « Non tam , *inquit*, Imperatorem, « quam Christi servum, non dominandi superbia, « sed famulandi humilitate potentem, nec Regno « sed fide Principem praedicavi. *Denique Auffi- « nus, qui eodem tempore vixit, in libro undeci- « mo Historiae Ecclesiasticae sic loquitur.* Igitur, « (Theodosius) praeparatur ad bellum, non tam « armorum, telorumque, quam ieiuniorum, oratio- « numque subsidiis : nec tam excubiarum vigiliis, « quam obsecrationum pernoctatione munitus. cir- « cuibat cum sacerdotibus et populo omnia oratio- « num loca ; ante martyrum, et Apostolorum the- « cas iacebat cilicio prostratus, et auxilia sibi fida « Sanctorum intercessione poscebat. *et paulo in- « fra.* Tunc Theodosius, ut conversas suas acies « vidit, prostratus in conspectu Dei, Tu, inquit, o- « mnipotens Deus nosti, quia in nomine Christi « Filii tui ultionis iustae suscepi : si secus, vindi- « ca in me : si vero cum causa probabili, et in te

« confisus huc veni, porrige dexteram tuam, ne « forte dicant gentes, ubi est Deus eorum? *et pau-* « *lo post*, Etenim compertum est, quia post illam « Imperatoris precem, quam Deo fuderat, ventus « ita vehemens exortus est, ut tela hostium in eos « qui iecerant, retorqueret : cumque magna vi « persistente vento, omne iaculum missum ab ho- « stibus frustraretur ; fracto adversariorum animo, « seu potius divinitus repulso ; Eugenius (Tyran- « nus) ante Theodosii pedes, vinctis post terga « manibus adducitur, ibique finis vitae eius, et « certamini fuit ». Ex his quatuor testibus, omni fide dignissimis, facile potest intelligi, Theodo- sium nostrum, non solum pium fuisse Principem, sed etiam cum Mose, et Iosue, cum Davide, et Eze- chia posse conferri, ad quorum preces Deus, cum eorum hostibus manifeste pugnabat.

Sed ut ordine res eius gestae intelligantur, ad- feremus in medium ea omnia, quae Theodoretus in historia sua literis mandavit : quamvis enim res easdem Socrates et Sozomenus scripserint : tamen Theodoretus maiori fide dignus est ; cum Socrates et Sozomenus labe haereseos Novatianae infecti fue- rint ; et de Sozomeno scribebat sanctus Gregorius in epistola ad Eulogium Episcopum Alexandrinum Sozomenum in historia sua multa mentiri : quod etiam de Socrate dici potest, ut nos ostendimus in libro de clericis capite vicesimo. Sic igitur Theo- doretus scribit. Per idem tempus Theodosius, vir cum ob maiorum splendorem, tum ob suam ipsius fortitudinem percelebris, et propterea in invidiam non ab illis modo, qui pares erant dignitate, ve- rum etiam a tribunibus suis, vacatus; in Hispaniam ubi et natus erat, et educatus, aetatem degit. Ita- que Imperator incertus animi quid ageret, (quip- pe barbaros adeo insolenter effecerat victoria, ut difficiles admodum expugnatu tum essent, tum viderentur) : tandem sibi persuasit, si Theodosium Ducem belli gerendi constitueret, Imperium ma- lis, in quibus versabatur, penitus liberatum iri. Quare confestim Theodosium evocat ex Hispania, ducem creat, et cum exercitu, quem in unum col- legerat, mittit. Qui fide communitus, alacri animo et erecto, iter suscipit : et ingressus in Thraciam, barbarosque ex adverso venientes conspicatus ; aciem veluti praelium facturus instruit : facta au- tem levi pugna, cum barbari Romanorum impe- tum sustinere non possent, aciem deserunt : atque terga dantes fugae se mandant, quos Romani, quantum poterant, persequuntur, magnaque bar- barorum sit caedes. Nam non a Romanis solum, sed ab se mutuo interfecti ceciderunt. Quare cum quamplurimi essent ad hunc modum trucidati : et pauci qui latere potuerant Istrum traiecissent : Dux ille longe praestantissimus Theodosius, copiis suis in Urbes vicinas distributis, ad Imperatorem Gratianum celerrime, quo suae victoriae ipse nun- tius esset, proficiscitur. Atque cum Imperator, quae narrabat, ne credibilia quidem putaret, et fa- ctum supra modum miraretur : illi, quos stimuli pungebant invidiae, aiunt, eum fugae se dedisse, et exercitum amisisse. Theodosius igitur postulat ab illis, qui contradicerent, ut nuntios mittant, perque eos multitudinem barbarorum interfecto- rum diligenter cognoscant : facile enim esse ex spoliis numerum perdiscere. Cui orationi offensus Imperator, misit nuntios, qui res gestas explora- rent, eique postea referrent. Duci autem optimo Theodosio interim apud Gratianum commoranti, divina quaedam visio ab ipso omnium Rectore Deo obiecta est. Videbatur enim videre divinum Mele- tium Ecclesiae Antiochenae praesulem, chlamidem sibi Imperatoriam iniicere, et coronam illi honori convenientem capiti imponere. Quae cum noctu secundum quietem vidisset, prima luce cuidam ex familiaribus indicavit. Ille somnium manifestum esse dixit. Ac perpauci dies iam intercesserant, cum redeunt nuntii, qui ad res a Theodosio ge- stas cognoscendas profecti fuissent ; retuleruntque permulta barbarorum millia trucidata esse. Itaque Imperator iam pro certo persuasum habens, se non sine summo Imperii commodo eum delegisse, Imperatorem quoque designavit, et illis Imperii partibus, quas Valens rexerat, ei commissis, ipse in Italiam contendit, Theodosiumque in Imperii partes ei assignatas dimisit. Qui ut primum Impe- rium obtinuit, Ecclesiis, prae ceteris rebus, dili- genter prospicere coepit, et ut Episcopi suae di- tionis, Constantinopolim ire maturent, admonet. Nam sola ea Imperii pars Ariana labe passim com- maculata fuit : pars autem versus occidentem ab ea libera permansit ; siquidem Constantinus filius Constantini Magni natu maximus, et Constans mi- nimus natu, paternam fidem integram conserva- bant : quin etiam Valentinianus Imperator Occi- dentis, veram pietatem synceram, et incorruptam custodiebat. Imperii vero pars, quae spectat ad Orientem ex multorum nequitia Arianam labem contraxit, ob nimiam Constantii Imperatoris faci- litatem ; et improbam Valentis item Imperatoris nequitiam.

Per idem tempus Iustina Valentiniani senioris coniux, et Valentiniani iunioris mater, Arianae do- ctrinae semina, quae vivente marito occultare stu- duit, cum filii sui mollem, et flexibilem animum cerneret ; proferre coepit audacius. Adolescens autem matris monita usui fore arbitratus, primum cum Ambrosio communicat, ratus si hunc ad suam perduceret sententiam, se alios facile superatu- rum. At Ambrosius revocat illi in memoriam pa- ternam pietatem ; et simul exponit doctrinarum differentiam, et quo modo haec, id est, Catholi- cae, cum doctrina Domini et Apostolorum praedi- catione conveniunt ; illae vero, id est, haereticae, ab utraque dissentiant ; et legibus Ecclesiae, Spi- ritus sancti instinctu sancitis, perspicue repu- gnent. Adolescens vero, utpote adolescens, et a matre errore caecata incitatus ; tantum aberat ut Ambrosii orationi assentiretur, ut etiam iracundia inflammatus, Ecclesiae parietes turmis peditum tum gravi, tum levi armatura tectorum, circumsi- deret. Ubi autem fortissimum illum bellatorem his rebus minime perterrefactum videt (eas enim pro larvis, quae ad terrendos pueros obiici solent, habebat Ambrosius) tantem bile commotus palam dat ei mandatum, ut e sacri templi vestibulis egre- diatur. Tum Ambrosius, Non sum istud, inquit, facturus, neque ovile ovium proditurus lupis ; ne-

quc blasphemiae auctoribus sacrosanctum Dei templum traditurus; sed si libet, me interficere hic intus, vel cuspide hastae, vel gladio confodito: sum enim cupide, ac libenter hanc caedem excepturus. Longo autem pompore post, ubi Maximus de facinore contra praeclarissimum veritatis praeconem Ambrosium; per Valentinianum admisso, certior factus est; scribit ad Valentinianum literas, hortaturque uti tum a bello contra pietatem faciendo desistat, tum ne paternam pietatem prodere moliatur, postremo minatur, bellum, si non obtemperet, se contra eum susceplurum, atque quod literis significaverat, factis praestitit. Nam collecto exercitu Mediolanum, ubi aetatem agebat Valentinianus, mature contendit: cuius adventu cognito, Valentinianus fugit in Illyricum, iam edoctus experientia quid commodi maternum attulisset consilium. Theodosius autem omni laude cumulatus Imperator, cum certior factus esset tam de rebus ab adolescente Valentiniano Imperatore gestis, quam de Tyranni Maximi literis; scribit ad Valentinianum, non debere eum mirari, quod sibi Imperatori terror incussus fuerat, et robur Tyranno adiunctum. Nam Imperatorem armis pietatem impugnasse; Tyrannum eamdem defendisse. Atque illum hac prodita, inermem in fugam conjectum; hunc ea veluti armis munitum, eum illa nudatum devicisse; pietati enim eius legislatorem favere. Ista quidem cum longo a Valentiniano abesset, scripsit Theodosius. Atque simul ut accepit de fuga Valentiniani, venit ei subsidio, illumque iam e proprio Imperio ejectum, et ad suam ditionem accedentem conspicatus, primo animo eius adhibet curationem, impietatis morbum altius insitum evellit, et ad pietatem paternam reducit: deinde iubet bono animo esse: contra Tyrannum bellum gerit, sine sanguinis effusione adolescenti restituit Imperium, et Tyrannum interficit. Nam rem iniustam se facturum putavit, et foedera cum Gratiano pacta violaturum; si non poenas de interfectoribus suis repeteret.

Post Theodosii illinc reditum, Amphilochius ille admirabilis, accessit Imperatorem oraturus, ut ex urbibus, Arianorum conventus ejiciat. At Imperator, postulationem illam nimis severam, et inhumanam arbitratus, reiecit. Sapientissimus igitur Amphilochius, re ad tempus tacita, aliam rationem ad id quod volebat, obtinendum, eamque plane memorabilem excogitavit: nam cum alio tempore forte intra palatium esset, videretque astanti Imperatori filium suum Arcbadium, qui nuper Imperator creatus fuerat; ipsum Imperatorem Theodosium, ut mos est, salutavit ille quidem, sed filium sine honore dimisit Imperator autem ratus Amphilochium oblitum officii, iubet ad filium accedere, eumque salutare. At Amphilochius respondit, satis esse, quod ei honorem habuerat. Itaque Theodosius rem acerbe, et graviter ferens, probrum filio objectum, iniuriae loco sibi ipsi illatae numeravit. Tum sapientissimus Amphilochius declarans Imperatori quod animo instituebat, contenta voce, Vides, inquit, o Imperator, quam agre ignominiam filii tui patiaris, imo vero illis qui eum insultant, vehementer succenses. Credas igitur mihi velim, huius universitatis rectorem Deum, eos qui contra filium suum unigenitum loquuntur blasphemias, itidem detestari, et tamquam ingratos erga servatorem, et patronum suum odio prosequi. Cuius institutum cum hoc pacto cognovisset Imperator; facta eius, dictaque simul admiratus; legem protinus conscripsit, quae vetabat, conventus ab haereticis agi. Verum omnes communis humani generis adversarii tendiculas vitare, non adeo facile est. Quapropter admirabilis ipse Imperator humanae naturae particeps a perturbationibus minime vacuus fuit: quippe immoderata animi concitatione, cum iusta iracundia coniuncta, facinus crudele commisit. Quod quidem ad legentium utilitatem hoc loco commemorabo: nam eiusmodi, profecto est, ut Imperator iste admirabilis ob id tum in crimen merito vocari, tum contra summa laude, ac praedicatione efferri debeat.

Thessalonica urbs est amplissima illa quidem, et multis hominibus frequentata: quae tametsi subiecta est ditioni Macedonum; prae cunctis tamen urbibus Thessaliae, Achaiae, et aliarum gentium plurimarum, quas Praefectus Illyriae moderatur; primas obtinet. In hac civitate cum forte seditio concitata esset, magistratus aliquot obruti lapidibus fuere, et gravibus contumeliis vexati. Quibus rebus nuntiatis, Imperator bile accensus: flammas neutiquam repressit iracundiae, sed illius arbitrio permisit pronunciandae sententiae de supplicio Thessalonicensibus irrogandae potestatem. Iracundia igitur hanc auctoritatem nacta gladios contra omnes distrinxit, et insontes pariter cum sontibus trucidavit. Nam septem hominum millia, uti ferunt, interfecta fuerunt, in qua occisione non iudicium antecesserat, neque auctores tam horrendi facinoris iusta et legitima sententia condemnati; sed omnes simul, veluti spicae in messe desectae, concisi fuerunt. Hac miseranda et lugubri calamitate cognita, Ambrosius Imperatori Mediolanum adventanti, et in sacrum templum ingredi cupienti; extra sacra vestibula obviam procedit, vetatque in templum intrare, et his fere verbis eum affatur. Est verisimile, o Imperator, te ignorare caedis abs te patratae magnitudinem, neque post sedatam iracundiam admissum facinus pervidere: nam imperatorius fortasse principatus peccatum agnoscere non sinit, sed potestas effundit rationi caliginem. Verum quae sit natura nostra, et quam fragilis ac fluxa considerandum est, et in avitum pulverem ex quo orti sumus, et in quem recasuri, acies mentis intendenda, neque ipse splendore purpurae deceptus, corporis, illa operti imbecillitatem ignorare debes. Quin etiam illis imperas, qui et eiusdem sunt naturae participes, atque adeo conservi. Unus enim Dominus omnium, et Rex, huius universitatis fabricator Deus. Quibus igitur oculis intueberis templum illius, qui est omnium Dominus? quibus pedibus sanctum, illud solum calcabis? qui quaeso manus iniusta caede, et sanguine respersas extendere audebis, et iisdem sacrosanctum corpus Domini accipere? aut quomodo venerandum eius sanguinem ori admovebis, qui furore irae iubente tantum sanguinem tam inique effudisti? Recede igitur, et ne conare

novo scelere scelus ante editum augere : sed capesse vinculum, quo ut ligeris Dominus omnium coelitus sententiam dat, quod quidem vinculum vim habet, et morbum animi depellendi, et te ad sanitatem restituendi. Huic orationi obsecutus Imperator, (nam divinis educatus eloquiis accurate norat, tum quae essent officia sacerdotis, tum quae Regum propria) cum gemitu et lacrymis ad palatium revertitur. Atque longo temporis spatio dilapso (octo enim menses iam praeterierant) servatoris natalitia fuere celebrata. Imperator autem considet in palatio lamentis se dedens, et magnam vim profundens lacrymarum. Quod cum animadvertisset Ruffinus, qui tum magister aulae fuit, magnaque apud Imperatorem auctoritate, utpote familiaritate ei coniunctior : ad illum accedit, rogat caussam fletus. Tum Imperator lugens acerbius, et maiorem in modum flens, tu, inquit, Ruffine ludis: nam quantis in malis verser, non sentis. Ego vero gemo, et meam ipsius deploro calamitatem, dum mente complector quam facilis aditus ad sacrum templum servis et mendicis pateat, liberque illis ad Dominum suum deprecandum detur introitus: mihi autem non modo ad illum locum, verum etiam ad Coelum ipsum accessus praeclusus sit. Nam venit mihi in mentem sententiae a Domino prolatae, quae palam dicit. *Quemcumque ligaveritis super terram, erit ligatus et in coelis.* Cui Ruffinus, Curram, inquit, si placet, ad Episcopum, ei supplicabo, persuadeboque, ut tua solvat vincula. At non est, inquit Imperator, tibi morem gesturus: novi enim adeo iustam Ambrosii sententiam, ut non metu potestatis imperatoriae sit legem Dei violaturus. Verum cum instaret Ruffinus, pollicereturque se Ambrosio persuasurum, Imperator iubet propere abire ; ipseque falsa spe inductus, et Ruffini confisus promissis, paulo post sequitur. Ut primum autem Ruffinum divus vidit Ambrosius, Videris mihi, inquit, Ruffine canum impudentiam imitari. Nam tametsi tuo suasu tam crudelis facta est caedes: tu tamen ita perfricuisti os, ut nec pudeat, nec pigeat tanta rabie contra imaginem Dei insanivisse. Ubi vero Ruffinus obnixe eum oraverat, dixeratque Imperatorem brevi adfuturum; Sanctus Ambrosius divino zelo accensus, Ego, inquit, Ruffine praedico, me illum ab introitu sacri vestibuli prohibiturum: quod si Imperium mutarit in tyrannidem, caedem lubens equidem accipiam. Quibus auditis Ruffinus Imperatori per nuntium significat, hortaturque ut maneat in palatio. Quae cum Imperator in medio foro accepisset, Eo, inquit, illuc nihilominus, quo iustas debitasque contumelias subeam. Ubi vero ad sacros templi parietes advenit, non ingreditur in templum ille quidem ; sed ad Episcopum, qui in aedicula salutatoria sedebat, accedens obsecrat, ut vincula illi solvat. At Ambrosius eius adventum dixit esse tyrannicum, eumque ipsum contra Deum insanire, et illius leges proterere. Tum Imperator. Non obstinato animo, inquit, leges sancitas impugno, neque sacra vestibula per nephas introire cupio : sed oro, uti mihi solvas vincula, et proponas tibi ante oculos clementiam illius, qui est Dominus omnium, et ne mihi occludas ianuam, quam ille omnibus, quos peccatorum suorum poeniteat, patefecit. Cui Ambrosius, quam tu, inquit, poenitentiam, post tam grave scelus admissum ostendis? quae medicamenta ad vulnera tam difficilia curato sananda adhibuisti ? tuum est, inquit Imperator, medicamenta ostendere, aeque temperare, et vulnera, quae aegrius curantur obligare: meum autem, quae sunt adhibita accipere. Tum Divus Ambrosus, Quoniam, inquit, iracundiae permisisti iudicium, et non rectae rationi, sed animo irato obsecutus sententiam pronunciasti : conscribe legem, qua deinceps sententiae per iracundiam pronuntiatae, irritae sint et nullius momenti: cognitiones que causarum de caede, et publicatione bonorum ad triginta dies scriptis proditae maneant, uti recta ratione de illis iudicium des, atque diebus illis confectis, qui decreta illa scripserint, mandata tua tibi ostendant. Ac tum quidem compressa iracundia, ratione sola causam expendens, inquires in decreta, et ita perspicies, iniqua sint, an aequa, quod si iniqua deprehenderis, certum est, ea decreta scriptis mandata te dilaceraturum, sin aequa confirmaturum; sicque manifeste intellecturum, numero dierum, interiectorum nihil de auctoritate decretorum recte sancitorum omnino detractum esse. Istud consilium. Imperator, quoniam prudentissimum esse censebat, libenter amplexatus: iubet exemplo legem conscribi, suaque subscriptione confirmat. Qua re confecta Divus Ambrosius eius vincula solvit. Itaque Imperator fidelissimus in sanctum templum ingressus, non stans Dominum precatus est, neque genibus flexis; sed pronus humi abiectus versum illum Davidis recitavit. *Adhaesit pavimento anima mea, vivifica me, secundum verbum tuum*, atque capillos manu lacerans, frontem ferire, lacrymarum guttis solum rigare, veniamque supplex petere coepit. Ubi autem tempus postulavit, ut dona sacrae mensae offerret ; surgit, atque non minorem lacrymarum, vim, quam antea effundens in sanctuarium ingressus est. Cum vero uti solebat, obtulisset, intus prope cancellos mansit. At rursus magnus ille Ambrosius non conticuit quidem, sed locorum differentiam eum docuit. Ac primum sciscitatur, eaque re egeret : et cum respondisset Imperator , se expectare divinorum mysteriorum perceptionem ; significat illi per primarium diaconum, qui ei ministrabat, ad loca interiora solis sacerdotibus aditum patere: eademque aliis omnibus inaccesa esse. Iubet igitur, ut exeat, et eum reliquis laicis consistat: nam purpura, inquit, Imperatores facit, non sacerdotes. Quam admonitionem itidem excepit lubens Imperator fidelissimus, respondiltque se non animi confidentia inductum mansisse intra cancellos, sed hanc consuetudinem Constantinopoli didicisse ; quare habeo etiam, inquit, pro hac medicina gratiam.

Tantis, et tam eximiis virtutibus enituit tum Episcopus, tum Imperator. Utrumque enim admiror, alterum propter ingenuam loquendi libertatem, alterum propter facilem obedientiam : et illum propter divini zeli ardorem, alterum propter synceram fidem. Imperator autem pietatis praece-

pta, quae ab illustri illo Episcopo didicerat, etiam cum revertisset Constantinopolim observavit. Nam cum divino quodam festo ad templum veniret, statim ut dona sacrae mensae obtulerat, exivit. Atque cum Nectarius, qui id temporis illius Ecclesiae antistes fuit, rogaret, cur non maneret intus, gemens inquit; aegrè tandem didici, quid inter Imperatorem intersit, et Episcopum: aegre tandem reperi veritatis magistrum; nisi solum Ambrosium novi Episcopum, dignum eo nomine. Tantum commodi reprehensio, a viro virtute praestanti adhibita, secum apportare solet.

Alia porro causa suppetebat huic Imperatori, ex qua similiter utilitatis percepit non parum: nam coniux eius Placilla, numquam destitit divinas leges ei in memoria redigere; seque primum eisdem accurate ipsa erudierat. Siquidem ea non Imperatorio principatu se insolenter extulit: sed divinum, quo flagrabat desiderium augere studuit: quippe beneficii magnitudo amorem erga Dominum multo reddidit ardentiorem. Itaque ad eos sublevandos, qui mutila corpora, membraque omnia labefactata haberent: nihil non diligentiae et curae adhibuit, atque ad eam rem non servorum opera usa est: sed illa ipsa hoc fungi ministerio, adire eorum hospitia, et singulis necessaria suppeditare voluit. Simili quoque ratione Ecclesiarum hospitia visere, aegrotis in lecto decumbentibus curationem adhibere, tractare ollas, iusculum gustare, patinam illis deferre, frangere panem, offas porrigere, eluere pocula: omnia denique alia munera obire, quae servi et ancillae exequi solent. Atque illis, qui eam ab hoc genere ministerii avocare studebant, respondit, aurum distribuere decere Imperatorem: se autem pro ipso Imperio ei, qui idipsum dederat, illam operam offerre debere. Quin etiam crebro solebat marito dicere: semper te, mi vir, oportet cogitare, olim fueris, et qui iam sis. Ista assidue animo complectens, non te iurgatum ostendes erga patrenum: sed Imperium, quod suscepisti, iuste et legitime gubernabis: atque eo rite administrando, cum qui ipsum donaverit, auguste, sancteque coles. Eiusmodi sermonibus semper habitis, semina virtutum animo eius mandata praeclarissime, commodissimeque rigavit. Ista quidem ante virum migravit e vita: post cuius mortem non ita diu facinus quoddam forte fortuna commissum accepimus, quod incredibilem amorem Imperatoris, quo eam complexus est, perspicue patefecit.

Imperator crebritate bellorum coactus novum quoddam, et peregrinum tributi genus civitatibus imposuit: quod quidem Antiochia non tulit, sed plebs cum videret eos, a quibus exigebatur tributum propter inficiationem suspendi, tum alia patrat maleficia, quae multitudo imperita occasionem seditionis nacta patrare solet, tum statuam aeneam Placillae Imperatricis deturbat, et per magnam Urbis partem trahit. Quibus auditis Imperator, ut par erat, graviter commotus, omnia privilegia urbi illi adimit: et principatum Laodiceae, vicinae civitati tradit, quippe istud Antiochenos gravissime laturos existimavit, postremo se urbem incensurum, penitusque vastaturum minatur, atque adeo in pagum redacturum. Porro magistratus quosdam in illo audaci facinore deprehensos prius interfecerunt, quam de ipsa tragica clade Imperator certior factus esset. Imperator autem quamvis omnia quae fuerat minatus, imperavit fieri; tamen lex, quae hortatu magni illius Ambrosii lata erat, obstabat, quo minus fierent. Ubi vero nuntii, qui urbi Imperatoris minas exponerent, eo adveniunt, nempe Elebocus Dux exercitus, et Caesarius Praefectus palatii; omnes minis illis perterriti in magno metu erant. At virtutis athletae, qui ad montis radices habitabant, quique multi erant, et viri optimi; hos duos monere, et hortari coeperunt. Ex quorum numero fuit sanctissimus Macedonius. Iste in montium verticibus vitam agens noctes, diesque omnium Servatori synceras preces offerebat: qui neque Imperatoris violentiam pertimescere, neque de potestate eorum, qui missi erant, laborare visus est: sed in urbe media, prehenso alterius pallio, ambos ex equis descendere iubet. Illi vero cum viderent senem statura exigua, pannis sordidis amictum; primo indignari quidem; sed ut primum a quibusdam eorum, qui antecedebant, viri illius virtutem didicerunt; desiliunt ex equis, illius genua amplecti, veniam denique petere coeperunt. Macedonius divina imbutus sapientia, tali oratione eos compellat. Dicite, viri charissimi, Imperatori haec verba, non solum Imperatorem esse, sed etiam hominem. Itaque ne oculos tantummodo ad Imperium adijciat, sed suam etiam naturam mente contempletur: nam cum homo sit, illis imperat, qui sunt eisdem naturae participes; humanam autem naturam ad imaginem, et similitudinem Dei fabricatam esse. Quare ne tam crudeliter, et inhumane imaginem Dei è medio tolli iubeat: nam bilem movet opifici, cum eius imaginem contumeliose tractet. Consideret enim quam iniquo animo tulerit ipse aeneam imaginem coniugis contumelia affectam esse; se tamen in imaginem Dei contumeliosum esse non dubitare. Ac quantum intersit inter imaginem inanimam, et animatam, vivam, et ratione praeditam; omnibus qui sunt ratione praediti, perspicum est. Illud praeterea secum cogitet, nobis perfacile esse pro una aerea imagine multas fabricare: sed eum omnino non posse facere vel pilum unum illorum, qui interfecti sunt. Hac audita oratione viri illi admirabiles, eam ad Imperatorem retulerunt: qua cum eius iracundia restincta esset, pro minis, quas iactaverat, scripsit literas, quibus se purgabat, iraeque causas in illis exposuit. Non oportebat, inquit, si quid a me peccatum esset, coniugem summis laudibus merito decorandam, post mortem tantam contumeliam subire: sed si qui mihi succensuissent in me furentis animi impetus convertere debuissent. Adiunxit etiam, se acerbe tulisse, et valde animo discruciatum esse, cum intellexisset, quosdam a Magistratibus trucidatos fuisse. Ista quidem a me sunt propterea commemorata, quod tum iniquum putabam, ut libertas loquendi a Macedonio monacho longe praestantissimo usurpata, oblivione deleretur; tum perutilem illam legem magni Ambrosii suasu conscriptam omnium oculis subiicere cupiebam.

Iis confectis rebus, Imperator fidelissimus omne suum studium ad errorem gentilium evertendum transtulit, legesque promulgavit, quibus imperatum erat, ut simulachrorum phana diruerentur. Nam Constantinus Magnus omnibus praeconiis merito efferendus, videns adhuc orbem terrae caeco errore furentem, tametsi vetuit omnino daemonibus hostias immolari ; non tamen eorum delubra demolitus est, sed mandatum solum dedit, ne quisquam ad ea accederet ; quin etiam istius filii sunt paterna diligenter persecuti vestigia. Iulianius autem impietatem renovare, et flammam veteris fraudis iam pridem extinctam de integro accedere, laboravit. At cum Iovianus Imperio potitus esset, simulachrorum cultum omnino vetuit. Valentinianus quoque ille magnus eisdem legibus Europam praeclare gubernavit. Caeterum Valens sicut aliis omnibus permisit potestatem, eam quam vellent religionem amplectendi, et eos colendi Deos, quos ipsi pro Diis haberent : ita adversus solos doctrinae Apostolicae propugnatores bellum continenter gessit. Itaque toto tempore, quo ille regnabat; ignem in aris accendere, libamenta et hostias simulachris immolare, gentiles non destiterunt. Quae omnia cum fidelissimus Imperator Theodosius pro certo comperisset, extirpavit radicitus, et sempiterna oblivione obruenda curavit. Atque ex Episcoporum numero Marcellus Apamearum Antistes, vir in rebus omnibus longe praestantissimus, lege Imperatoris, tanquam machina bellica, omnia delubra Urbis, cuius Episcopus erat, prorsus expugnavit. Theophilus quoque Alexandrinus Episcopus, Urbem suam errore in simulachris colendis liberavit.

Iam vero Imperator cognita morte Valentiniani iunioris, et Eugenii tyrannide ; in Europam exercitum traducit. Eodem tempore Ioannes quidam monasticum vitae genus excolens, vixit in Aegypto, qui gratia Spiritus sancti imbutus, sciscitantibus multas res futuras praedixit. Ad istum misit Imperator nuntium, quaesitum, an bello cum tyrannis decertaret; avebat enim de eo fieri certior. Qui, uti praedixerat, cum in primo bello victoriam sine sanguine habiturum : sic in posterum, post multam hominum caedem, superiores laturum significavit. Qua spe indutus Imperator, complures ex hostibus acie instructa telis confixit, multosque ex barbaris, qui ei auxilio venerant, amisit. Ibi cum Duces dicerent, nimis paucos ad praelium de integro ineundum superesse, hortarenturque, ut bellum aliquamdiu intermitteret, quo ineunte vere exercitu collecto, hostes multitudine vincerent : Imperator fidelissimus eorum consilium repudiavit. Nam non committendum, inquit, est, ut salutaris crux, tantae arguatur imbecillitatis ; Herculisque statuae tantum virtutis nostro testimonio tribuatur : quippe ut crux nostrum exercitum; ita illa hostium antecedit. Qua oratione cum tanta in Deo fiducia habita, cum copiae relictae, et paucae admodum essent, et animi fractae ; sacra aede in vertice montis, ubi castra, fecerunt, reperta, totam noctem huius universitatis gubernatorem precibus sollicitavit : sub tempus autem noctis, quo galli cantare solent, somnus eum oppressit. Qui humi stratus videre sibi visus est duos viros candido indutos amictu, equis albis vehi, qui ipsum bono animo esse, timorem abiicere, prima luce arma capere, et exercitum in aciem educere iubent : nam se auxiliares, et velut antesignanos ad eum missos esse, et alterum esse Ioannem Evangelistam, alterum Philippum Apostolum esse. Hac oblata visione Imperator, preces fundere non desistit : sed attentiore cogitatione eas Deo adhibet. Eadem quoque visio militi secundum quietem apparuit, qui Praefecto suo eam narravit : ille eum deducit ad Tribunum militum, Tribunus autem ad Ducem. Dux novi aliquid inde portendi ratus, Imperatori significat. Tum Imperator, non mei causa, inquit, haec visio oblata est (ipse namque illis qui victoriam promiserant, fidem habui) sed ne quisquam existimaret me, utpote praelii faciendi cupidum, eam confinxisse. Huic igitur militi Deus, Imperii mei propugnator, hanc obtulit visionem, ut mihi eandem narranti certum testimonium daret. Nam mihi primum communis omnium Dominus, illam ostenderat. Quare omni metu prorsus amoto antesignanos nostros, et Principes belli gerendi sequamur : nemo bellantium multitudine metiatur victoriam, sed eorum potentiam, qui se Duces nobis praebent, quisque consideret. Hac oratione militum animis valde confirmatis, omnes de monte deducit. Tyrannos autem cum videret milites procul a se ad praelium ineundum paratos, ornat exercitum, et aciem instruit. Ipse vero colle quodam occupato, ait militibus suis, Imperatorem iam quasi mori cupientem, et desiderio ex hac vita abeundi, flagrantem praelio decertare. Dat igitur mandatum Ducibus, ut vivum eum ad se, et vinculis constrictum adducerent. Postquam autem phalanges ordine locatae erant, satis animadverti potuit, cum quam ingentes hostium copiae essent ; tum quam paucae cum Imperatore iungerentur in acie. Cum autem tela utrinque coniici coepta sunt, tunc antesignani Imperatoris vere promissa praestitere. Nam ventus violentus e regione hostibus irruens, illorum sagittas, iacula, spiculaque in ipsos retorquet, adeo ut nullum teli genus eis adiumento fuerit, neque miles gravis armaturae, neque sagittarius, neque iaculator Imperatoris exercitum laedere potuerit. Quin etiam tanta pulveris copia in eorum facies impetu ferebatur, uti palpebras decludere, et pupillas oculorum pulveris vi graviter oppugnatas regere, et tueri eos coegerit: Imperatoris autem exercitus nullo damno, incommodove ex illo turbine accepto, fidentibus animis hostes trucidant. Qui quidem his rebus perspectis, et divino auxilio, quod Imperatoris copiis allatum erat, cognito, abiectis armis, veniam ab Imperatore supplices petunt. Ille autem flexit animum, et illorum misericordiam capit. Iubet denique Tyrannum celeriter ad se adduci. Illi igitur propere collem ascendunt, in quo Tyrannus ignarus rerum iam gestarum confidebat. Qui cum eos anhelantes videret, ipsaque anhelitus crebritate adveniendi iudicantes celeritatem : victoriae nuncios esse suspicatus est. Rogat, num Theodosium, ut illis erat imperatum, vinctum adducerent. Cui illi, non eum, inquiunt, adducimus ad te : sed te hinc ad eum

abducimus. Hoc namque in mandatis dedit summus huius universitatis moderator Deus. Quae cum dixissent, et e solio erepto vincula iniiciunt, abducunt vinctum, et qui paulo ante insolenter gloriatus fuerat, captivum ad Theodosium deducunt. Imperator autem primum iniuriarum in Valentinianum, et impie occupatae tyrannidis, eum in memoriam revocat : deinde, bellorum contra Imperium legitimum susceptorum causa, cum irrisione reprehendit statuam Herculis, qua fretus tam audax, temerariumque facinus admiserat. Postremo iustam, aequamque de supplicio illi irrogando sententiam pronunciat. Talem se Theodosius cum in pace, tum in bello praestitit. Quippe semper divinum imploravit auxilium. Hac parta victoria in morbum delapsus, filiis Imperium distribuit, ac maiori natu eam partem, quam ipse rexerat : minori autem Europae tradidit gubernacula. Utrumque veram pietatem colere hortatur : ea enim pacem conservari, bellum extingui, hostes in fugam verti, trophaea erigi, et victoriam denique constare. Hac hortatione filiis adhibita, obiit mortem, cuius gloria sempiternae memoriae commendata est.

Collatio Theodosii cum Davide.

Rectissime Theodosius Imperator cum Davide Rege conferri posse videtur. Uterque bellator felicissimus fuit, uterque pietati in Deum addictissimus ; uterque mitis, et humilis valde, uterque peccatum grande commisit, uterque ita serio peccatum suum lacrymis lavit; ut cor utriusque super nivem dealbatum fuisse videatur. Multa praelia fecit David, et semper victor evasit, quia non in gladio, et arcu suo confidebat ; sed in Deo vivo, et vero, qui est Dominus exercituum. Sic noster Theodosius multa praelia fecit ; sed tria potissimum. Primum adversus barbaros, qui cum Istrum flumen transivissent cum ingentibus copiis, ut non solum Thraciae, sed toti Orienti terrorem maximum incusserint : occurrit illis Theodosius, nondum Imperator ; sed a Gratiano Imperatore Dux militum electus : et primo proelio tanta celeritate illos fudit, ut cum Caesare dicere posset, *veni, vidi, vici*, eaque causa fuit, ut Gratianus eum consortem imperii declaraverit. Alterum fuit committendum potius, quam commissum praelium cum maximo Tyranno, qui Gratianum Imperatorem occiderat, et Imperium eius invaserat: sed hoc, ut Abbas Ioannes, vir sanctissimus illi praedixerat, sine sanguine militum suorum confecit, occiso repenta Tyranno, et occidentali Imperio recuperato. Tertium praelium cum Eugenio altero Tyranno commisit, sed pugnante Deo de caelo pauci multos vicerunt, ut paulo ante dictum est. Itaque tam Theodosius, quam David divina protegente dextera, in omni praelio victor evasit.

De pietate, et fide Davidis testimonium habemus ab Ecclesiastico, qui loquens de Regibus testamenti veteris, scribit, omnes Reges illos peccavisse, praeter Davidem, Ezechiam, et Iosiam; reliqui enim omnes vel idololatrae fuerunt, vel idololatriam permiserunt. Idem nos de Theodosio dicere possumus, si comparetur ad Imperatores, qui ante illum fuerunt, uno excepto Philippo, qui tamen Idololatriam non sustulit, nec prohibuit. Deinde Constantinus Magnus, et eius filii, ut etiam Iovianus, et Valentinianus cum filius Idololatriam prohibuerunt, sed non everterunt, quin potius Valens Imperator eam liberam esse voluit, et Iulianus Apostata eamdem exercuit, et fovit. Primus, qui cultum inanium Deorum severe prohibuit, et Phana, ac templa deorum evertit, et idololatriam funditus extirpavit, Theodosius fuit, ut Theodoretus testatur. Ad haec Rex David mitis, et humilis fuit, et arguentes se patienter audiebat ; ut intelligi potest ex increpatione Nathan Prophetae : noster quoque Theodosius, non solum mitis et humilis, sed sacerdotibus Domini obedientissimus fuit. Iussit illum aliquando Sanctus Ambrosius exire de sanctuario, et cum reliqua plebe consistere : paruit continuo, et gratias egit, quod ab Ambrosio didicisset differentiam inter sacerdotes, et laicos, quam differentiam apud Constantinopolim discere non potuerat. Et tamen hic non erat unus ex Regibus, sed Imperator Orientis, et Occidentis universi. Multa praetereo causa brevitatis.

Venio ad comparationem peccati, et poenitentiae. David peccavit adulterans alienam uxorem, et maritum eius occidi procurans: qua occasione non ille solum, sed permulti alii perierunt : ut intelligi potest ex libro secundo Regum. Theodosius iratus quod apud Thessalonicam, seditione facta Magistratus publici lapidibus obruti fuissent ; iussit a militibus suis occidi obvios quosque de populo: et caedes ascendit ad numerum septem millium hominum. Admonitus postea David a Nathan Propheta, poenitentiae egit: admonitus Theodosius ab Ambrosio Episcopo, simili modo poenitentiam egit. Comparemus nunc peccatum cum peccato, et poenitentiam cum poenitentia. Peccatum Regis David ex concupiscentia carnis ; peccatum Imperatoris Theodosii ex iracundia originem duxit. Sed peccatum David fuit geminatum, adulterium videlicet cum aliena coniuge, et occisio multorum innocentium sine ulla causa iusta ; peccatum Theodosii fuit unum, et ex iusta causa, ultionis videlicet iniuriae in publicos Magistratus. Itaque peccatum Theodosii in eo solum positum fuit, quod iracundia vehemens effecit, ut ultionis iustae metas excederat. Addit autem Sanctus Ambrosius in oratione de obitu Theodosii, flevisse illum peccatum, quod ei aliorum fraude obrepserat: quae certe circumstantia culpam illius non parum extenuat. Huc accedit, quod Deus ipse videtur peccatum Davidis gravius iudicasse, quam peccatum Theodosii: Davidi enim per Nathan significari iussit, filium ex adulterio natum paulo post moriturum ; et gladium ex eius domo non recessurum, et uxores eius publice violandas, quae vaticinia brevi adimpleta sunt omnia : Theodosio nostro post peractam poenitentiam, omnia prospere evenerunt. Poenitentia Davidis sine dubitatione ulla seria, et gravis, et diuturna fuit ; sed tamen privata, inter domesticos parietes, in gemitu, et lacrymis : et poenitentia Theodosii, non solum seria, et gravis, et diuturna sed etiam publica fuit. Primum per menses octo,

Sancti Ambrosii iussu ab ingressu templi, communicatione sacramentorum abstinuit; quod totum tempus in lacrymis, et dolore consumpsit. Deinde publice in templo coram populo humi stratus pavimentum lacrymis lavit, frontem percussit, capillos sibi evulsit. Ita Deo, Sacerdotibus, et toti Ecclesiae satisfecit. Et, quod argumentum est verissimae et maximae poenitentiae; toto vitae tempore peccatum illud postea deflevit. Sic enim loquitur Sanctus Ambrosius in oratione paulo ante commemorata. « Neque ullus postea dies fuit, quo « non illum doleret errorem, quod utique a Sancto « Davide didicisse videtur, qui ait in psalmo, quem « proprie scripsit ob peccatum homicidii cum a- « dulterio coniunctum. Peccatum meum contra me « est semper ». Sit igitur David pariter cum Theodosio, et Theodosius cum Davide speculum fidei, iustitiae, humilitatis, religionis, et poenitentiae omnibus Regibus, aliisque Principibus, ut cum Regnum temporale dimiserint, Regnum adipiscantur aeternum.

Obiit Theodosius anno Domini 395. cum vixisset annos quinquaginta, et imperasset cum Gratiano et Valentiniano iuniore annos quatuordecim, et solus in toto orbe Romano annos duos, relictis Imperii haeredibus, filiis suis, Archadio, et Honorio.

VITA ET VIRTUTES

TIBERII IMPERATORIS OPTIMI ET RELIGIOSISSIMI

Tiberius Imperator cum Iustino regnavit, ut Caesar, annis tribus, solus autem, ut Augustus, annis quatuor. Fuit autem omnibus Dei donis mirifice exornatus, sed potissimus quatuor. Primum enim populos sibi subiectos gubernavit, ut pater, non ut dominus; ex quo factum est, ut ab omnibus subditis mirifice diligeretur. Deinde in bello, quod gessit cum Persis, exercitum tam copiosum collegit, et virorum fortissimorum plenum, ut nullus unquam Imperator eiusmodi castra habuisse legatur; proinde mirum non fuit, si Persas omnino domuerit. Ad haec, erga pauperes Christi, ob eiusdem Christi amorem usque adeo liberalis, et munificus, fuit, ut metas omnes liberalitatis excessisse videatur: cum eius praedecessor Iustinus et eius successor Mauritius avarissimi fuisse legantur. Ex quo factum est, ut Iustinus in poenam peccati in delirium inciderit, et coadiutore in Imperio opus habuerit; et Mauritius exosus Militibus factus, cum uxore et liberis occisus fuerit. Denique in fide catholica asserenda, et defendenda ardentissimus fuit, sic ut amicissimo antistiti, et de se optime merito, Eutichio Episcopo Constantinopolitano non pepercerit, cum eum a sancto Gregorio Romano, tunc diacono, post Pontifice, de haeresi convictum fuisse animadvertit. Haec, et alia eiusdem generis ex quatuor scriptoribus, duobus Graecis, Evagrio, et Nicephoro; et duobus Latinis, Gregorio Toronico, et Gregorio Romano cognosci possunt: qui omnes, Nicephoro excepto ipsius Tiberii Augusti tempore floruerunt. Sed iam Evagrium audiamus, Tiberii laudes enarrare incipientem.

Interea temporis Iustinus de consilio Sophiae, Tiberium Caesarem declarat: taliaque verba in eo declarando locutus est, qualia a nulla historia vel vetere, vel recentiore, sunt omnino commemorata, Deo videlicet propitio ei tempus largiente, tum ad sua ipsius peccata confitenda, tum ad explicanda ea, quae ex usu Reip. forent. Nam cum Ioannes Episcopus una cum suis, cumque Principes ac Magistratus, cum denique milites Praetoriani in atrio sub dio, ubi eiusmodi negotia de more inveterato agi solent, in unum cogerentur; Iustinus Tiberium tunica induens Imperatoria, et laena circumvestiens, sic clara voce locutus est. Ne te in errorem inducat vestis splendor, neque illustris ornatus istarum rerum, quae sub aspectum cadunt, decipiat: quibus ipse in fraudem impulsus, imprudens me ipsum gravissimis suppliciis obnoxium reddidi. Itaque tu in Rep. summa cum mansuetudine, et animi lenitate regenda, mea vitia praestato. Atque digito magistratus demonstrans. Non oportet, inquit horum consiliis morem gerere: nam hi me in istas, quas cernis miserias deduxerunt. Aliaque eius generis protulit verba, quae omnes cum in maximam traduxere admirationem, tum ad immensam vim lacrymarum profundendam impulere.

Erat iste Tiberius corpore maxime procero et robusto, et pulchritudinis excellentia omnium opinione maiore, adeo ut non Regibus solum, et Imperatoribus, sed omnibus etiam hominibus facile praestaret. Ac primum, quod ad corporis formam attinet, ea principatu plane digna fuit: quod autem spectat ad animum, illum mansuetudo, et benignitas exornavit. Primo ipso aspectu omnes videbatur ad se diligendum invitare. Divitias eas

putavit, quae cuique satis essent ad largiendum, non solum ad necessitatem, verum etiam ad affluentiam. Nam non istud modo considerabat; quod qui opis indigeant, illis beneficia accipienda sint, sed quod Imperatorem Romanum deceat liberaliter dare. Aurum vero adulterium existimavit, quod cum subiectorum lacrymis collectum est. Qua re inductus, tributum unius integri anni vectigalibus condonat. Quin etiam praedia, quae Ardamanes tributis impositis fere labefactaverat, quasi in libertatem vindicavit; et non modo damum, pro eius magnitudine, sed etiam cum foenore sarcivit. Atque iniquas largitiones, pro quibus alii Imperatores suos subiectos magistratibus pro libidine abutendos exponere, et quadammodo divendere consueverant, remisit, cavitque per leges ne quid eiusmodi in posterum committeretur.

Idem Tiberius cum pecuniam malam, et inique partam ita collocasset, sicut ratio et aequitas postulabat, res ad bellum faciendum necessarias parare, ingentem cogere exercitum virorum facile praestantissimorum tam ex gentibus transalpinis circiter Rhenum incolentibus, quam ex cisalpinis, quin etiam ex Massagetis, aliisque ex genere Scytharum, ex Paeonia praeterea, Myssia, Illyria, et Isauria collectorum, adeo ut prope centum quinquaginta turmas equitum lectissimorum instructas haberet: quorum subsidia Chosroem, qui statim post Daras expugnatas, tempore aestivo in Armeniam invaserat, indeque iter versus Caesaream urbem Cappadociae primariam susceperat, penitus profligavit. Iste Chosroes tam insolenter se gessit adversus Imperium Romanorum, uti cum Imperator legatos ad eum misisset, illis ne se quidem adeundi potestatem facere dignaretur; sed iuberet eos Caesaream usque sequi. Ibi namque se consilium de eorum legatione initurum dixit. Postquam vero exercitum Romanum ex adverso sibi occurrentem, et a Iustiniano fratre Iustini, qui tam miserabiliter interfectus fuit, gubernatum, et armis firme munitum, et turbas classicum canentes, et signa ad pugnam sublata, et milites acute vociferantes, et in acie pulchro ordine locatos, iram, et furorem anhelantes, et tantum, ac tam egregium equitatum, quantum nemo aliquando ex Imperatorum numero, vel ipsa cogitatione conceperit, animadvertit, vehementer obstupefactus; prae re tam insperata, inexpectataque ex intimo pectore ingemuit, et praelium exordiri noluit. Eum igitur pugnam differentem, cunctantem, terentem tempus, et callide ludificantem, Curs Scytha, qui dextero cornu exercitus Romani praefuit, adortus est: et cum Persae impetum eius ferre non possent, sed aciem penitus desererent; Curs magnam caedem hostium fecit. Postremum agmen a tergo invadit: ubi apparatus tum Chosrois, tum totius exercitus locatus fuit. Capit thesaurum Regis universum, et omnem praeterea apparatum bellicum, idque Chosroe inspectante, toleranteque, atque hoc potius perpetiendum arbitrante, quam Curs impetu facto in ipsum irrueret. Curs igitur cum suis magna pecuniae vi, et multis spoliis potitus est: iumenta cum sarcinis, inter quas ignis fuit, quem pro Deo coluit Chosroes, abducit: atque Persarum exercitu repulso, laetum paena canentes, sub crepusculum redit ad suos, qui iam stationes, in quibus ordine locabantur, reliquerant. Et adhuc neque Chosroes, neque illi praeliari caeperant; sed quaedam dumtaxat velitares pugnae factae sunt; sicubi singuli ex utroque exercitu, uti fieri solent, cum singulis congrederentur. Chosroes autem ingenti rogo nocte accenso, praelium nocturnum instituit. Ac cum Romani duos haberent exercitus, illum, qui versus Septentrionem erat, intempesta nocte adoritur. Quo repente, et de improviso pedem referente, Melitinam urbem sitam in proximo, praesidiis nudatam, atque prorsus desertam a civibus, invadit; qua igne absumpta, parat se ad fluvium Euphratem traiiciendum. Ubi vero copiae Romanorum in unum coactae, eum sequi caeperunt; ipse metuens de salute sua, conscenso elephante, fluvium transmittit: magna autem pars exercitus sui tranando flumine, undis obruta est. Quam submersam cum accepisset, mature decessit. Itaque Chosroes hoc postremum supplicium, pro insana temeritate contra Romanos admissa luens, una cum suis, qui superarant, in orientem revertit. Ibi autem pactas habuit inducias, ne quis eum invaderet. Iustinianus vero incursione cum toto exercitu in fines ditionis Persarum facta, tota hyeme ibi commoratus est; nemine quicquam omnino ei exhibenti molestiam. Circiter vero Solistitium aestivum redit, nulla parte exercitus amissa: atque in finibus, quibus Romanorum, et Persarum Imperium terminatur, cum magna vitae prosperitate, et rerum gestarum gloria, totum aestatis tempus contrivit. Cosroes autem ingenti doloris cumulo oppressus, animo fracto, et ancipiti cura debilitato languens, crebris denique et variis aegritudinis fluctibus demersus, miserandum in modum interiit: ac legem, quam scripsit, ne Rex Persarum in posterum contra Romanos arma ferret, velut sempiternum suae fugae monimentum post se reliquit. Quo extincto, Ormisdes eius filius regnum capescit: de quo in praesentia omitto dicere, quandoquidem res deinceps exponendae, me ad se vocant, et sermonis nostri cursum eo transferri expectant.

Audivimus Evagrium: audiamus nunc Gregorium Turonicum. Cum autem Iustinus Imperator amisso sensu, amens effectus esset, et per solam Sophiam Augustam eius Imperium regeretur, populi, ut in superiore iam libro diximus, Tiberium Caesarem elegerunt, utilem, strenuum, atque sapientem, eleemosynarium, inopumque omnium defensorem. Qui cum multa de thesauris, quos Iustinus adgregavit, pauperibus erogaret; et Augusta illa eum frequentius increparet, quod Rempublicam redegisset in paupertatem; dicereique: Quod ego multis annis congregavi, tu infra paucum tempus prodige dispergis: aiebat ille, Non deerit fisco nostro: tantum pauperes eleemosynam accipiant, aut captivi redimantur. Ille est enim magnus thesaurus, dicente Domino. *Thesaurizate vobis thesauros in caelo, ubi neque tinea corrumpit, et ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Ergo de quo Deus dedit, congregemus per pauperes in caelo, ut Dominus nobis augere in digne-

tur in saeculo. Et quia ut diximus, magnus, et verus Christianus erat, dum hilari distributione pauperibus opem praestat, magis, ac magis ei Dominus subministrat. Nam deambulans per palatium, vidit in pavimento domus tabulam marmoream, in qua Crux Dominica erat sculpta, et ait, Cruce tua Domine frontem munimus, et pectora; et ecce crucem sub pedibus conculcamus. Et dicto citius, iussit eam auferri, defossaque tabula, atque erecta, inveniunt subter et aliam hoc signum habentem. Nonciantesque iussit et illam auferre. Qua amota reperiunt et tertiam: iussuque eius et haec aufertur. Qua ablata inveniunt magnum thesaurum habentem supra mille auri centenaria. Sublatumque aurum, pauperibus adhuc abundantius, ut consueverat, subministrat: nec ei Dominus aliquid deficere permittebat, pro bona voluntate sua.

Quid ei in posterum Dominus transmiserit, non omittam. Narses ille dux Italiae, cum in quadam civitate domum magnam haberet, in Italiam cum multis thesauris egressus, ad supra memoratam urbem advenit: ibique in domo sua occulte cisternam fodit, in qua multa millia centenariorum auri, argentique reposuit; ibique interfectis conscIis uni tantummodo seni, per iuramentum condita commendavit. Defunctoque Narsete, haec sub terra latebant. Cumque supradictus senex, huius eleemosynas assidue cerneret; pergit ad eum dicens. Si, inquit, mihi aliquid prodest, magnam rem tibi Caesar edicam. Cui ille, Dic, ait, quod volueris; proderit enim tibi, si quiddam nobis profuturum esse narraveris. Thesaurum, inquit, Narsetis reconditum habeo, quod in extremo vitae positus celare non possum. Tunc Caesar Tiberius gavisus, mittit usque ad locum pueros suos. Praecedente vero sene, hi sequuntur adtoniti. Perveniensque ad cisternam, deopertamque ingrediuntur: in qua tantum aurum, argentumque reperiunt, ut per multos dies vix evacuaretur a deportantibus. Ex hoc ille amplius hilari erogatione dispensavit egenis.

Dum haec gererentur, Iustinus impleto Imperii octavo decimo anno, amentiam, quam incurrerat, cum vita finivit. Quo sepulto Tiberius Caesar arripuit iam olim adgressum Imperium. Sed cum cum secundum consuetudinem loci ad spectaculum circi praestolaretur populus processurum, parare ei cogitans pro parte Iustiniani insidias, qui tunc nepos Iustini habebatur; ille per loca sancta processit. Completaque oratione, vocato ad se urbis Papa cum consulibus, atque praefectis, palatium est ingressus. Dehinc indutus purpura, diademate coronatus, throno Imperiali impositus cum immensis laudibus Imperium confirmavit. Factionarii quoque operientes ad circum cum cognovissent quae acta fuerant, pudore confusi sine effectu regressi sunt, nihil homini, qui in Deo spem posuerat, adversari valentes. Transactis igitur paucis diebus adveniens Iustinianus, pedibus se proiecit Imperatoris, quindecim ei centenaria auri deferens ob meritum gratiae. Quem ille secundum patientiae suae ritum colligens, in palatium iussit adsistere. Sophia vero Augusta, immemor promissionis, quam quondam in Tiberium habuerat; insidias ei tentavit intendere. Procedente autem eo ad villam, ut iuxta ritum Imperialem triginta diebus ad vindemiam iocundaretur; vocato clam iustiniano Sophia, voluit eum erigere in Imperium. Quo comperto, Tiberius cursu veloci ad Constantinopolitanam civitatem regreditur. Apprehensamque Augustam, ab omnibus thesauris spoliavit, solum ei victus quotidiani alimentum relinquens. Segregatisque pueris eius ab ea, alios posuit de fidelibus suis, mandans prorsus, ut nullus de anterioribus ad eam haberet accessum. Iustinianum vero abiurgatum tanto in posterum amore dilexit, ut filio eius filiam suam promitteret: rursumque filio suo filiam eius expeteret: sed non est res sortita effectum. Exercitus eius Persas debellavit, victorque regressus, tantam molem praedae detulit, ut crederetur cupiditati humanae posse sufficere. Viginti Elephanti capti ad Imperatorem deducti sunt.

Audiamus nunc Sanctum Gregorium disputantem cum Eutychio Patriarcha de resurrectione carni, ut intelligamus Tiberium Imperatorem non pepercisse Eutychio erranti: quamvis ipsum Eutychium maximi faceret, eo potissimum nomine, quod sibi imperium praedixisset, ut Eustathius in eius vita testatur. Sic igitur loquitur Sanctus Gregorius in lib. Moralium quartodecimo. *Et sursus circumdabor pelle mea. Dum aperte pellis dicitur, omnis dubitatio verae resurrectionis aufertur: neque sicut Eutychius Constantinopolitanae urbis Episcopus scripsit, corpus nostrum in illa resurrectionis gloria erit impalpabile. ventis, aereque subtilius. In illa enim resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile per effectum spiritualis potentiae, sed palpabile per veritatem naturae. Unde etiam Redemptor noster dubitantibus de sua resurrectione discipulis ostendit manus, et latus, palpanda ossa, carnemque praebuit dicens, Palpate, et videte, quia spiritus carnem, et ossa non habet, sicut me videtis habere. Qui cum eodem Eutychio in Constantinopolitana Urbe positus hoc evangelicae veritatis testimonium protulisses, ait: Idcirco Dominus hoc fecit, ut dubitationem resurrectionis suae de discipulorum cordibus amoveret. Cui ego, Mira, inquam, est res valde ut quamastruis, ut inde nobis dubietas surgat, unde discipulorum corda a dubietate sanata sunt. Quid enim deterius dici potest quam ut hoc nobis de eius vera carne dubium fiat, per quod discipuli eius ad fidem ab omni sunt dubietate separati. Si enim non hoc habuisse astruitur, quod ostendit: unde fides discipulis eius confirmata est, inde nostra destruitur.* et paulo infra, *Cum piae memoriae Tiberius Imperator secreto me, et Eutychium suscipiens, quid inter nos discordiae versaretur agnovit, et utriusque partis allegationes pensans, eundem librum, quem de resurrectione scripserat, suis, quoque allegationibus destruens deliberavit, ut flammis cremari debuisset.* Haec Sanctus Gregorius. Ex qua historia perspicue cernitur, quantus fuerit in eo Principe catholicae fidei zelus. Erat enim Eutychius non solum Imperatori gratissimus; et ami-

cissimus; sed etiam Episcopus Regiae civitatis, et vir doctus, qui libros iam scripserat, et quod maius est, opinione sanctitatis, et signis, atque miraculis editis clarissimus. Contra, Gregorius homo externus, ordine diaconus, aetate iunior, nulla scriptione celebris, nullo miraculo edito illustris, nullo beneficio Imperatori adstrictus: et tamen ubi cognovit Imperator, opinionem Eutychii haereseos labe esse suspectam: non solum eam reiiciendam censuit, sed etiam librum ipsum continuo flammis voracibus cremandum existimavit. Itaque pius Imperator, ubi periculum fidei catholicae vidit, oblitus est amicitiae, et beneficiorum Eutychii, necnon dignitatis pontificalis, aetatis senilis, opinionis doctrinae, vitae sanctitatis, et famae caelestium miraculorum: et cum Apostolo clamandum censuit, Etiam si Angelus de caelo evangelizet, praeter id, quod hactenus evangelizatum est nobis anathema sit.

Audiamus rursus Gregorium Turonicum de felici exitu ex praesenti vita Imperatoris Tiberii. Hoc anno Tiberius Imperator migravit a saeculo, magnum luctum relinquens populis de obitu suo. Erat enim summae bonitatis, in eleemosynis promptus, in iudiciis iustus, in iudicando cautissimus, nullum despiciens, sed omnes in bona voluntate complectens, omnes diligens; ipse quoque diligebatur ab omnibus. Hic cum aegrotare caepisset, et se iam vivere desperaret, vocavit Sophiam Augustam, dicens. Ecce iam impletum sentio tempus vitae meae, nunc cum consilio tuo eligam, qui Reip. praeesse debeat. At illa Mauritium quemdam elegit, dicens, Valde strenuus, et sagax est vir iste: nam et saepius contra inimicos Reip. dimicans, victorias obtinuit. Haec enim dicebat, ut isto transeunte, huius coniugio necteretur. Sed Tiberius postquam consensum cognovit Augustae de huius electione, iussit exornari filiam suam ornamentis Imperialibus; et vocato Mauritio ait, Ecce cum consensu Sophiae Augustae ad Imperium eligeris: in quo ut firmior sis, filiam meam tradam tibi. Et accedente puella, tradidit eam pater Mauritio, dicens, Sit tibi Imperium meum cum hac puella concessum. Utere ea felix, memor semper, ut aequitate, et iustitia delecteris. At ille accepta puella duxit eam ad domum suam; et transacta solemnitate nuptiarum, Tiberius obiit. Igitur celebrato iustitio, Mauritius indutus diademate, et purpura, ad circum processit: acclamatisque sibi laudibus, largitis populo muneribus, in Imperio confirmatur.

Audiamus denique Nicephorum de morte Tiberii haec narrantem. Imperator in lecto suo repositus, in somnis viri speciem ex forma, quae neque verbo, neque scripto exprimi queat, et veste tam candida, ut cubiculum eius illustraret, vidit. Vir is manu protensa talia verba ad eum praefatus. Haec tibi, Tiberi, ter sanctum numen renuntiat. Tyranni impii Imperii tui temporibus non exctabunt. Postquam autem evigilavit, somnium illud amicis exposuit; legibus deinde natura, quamvis Imperator esset, obsecutus, terrenam tunicam deposuit, anima autem veluti umbraculum quoddam, ad sedes superas evolante. Imperio Tiberius cum Iustino tribus annis, solus autem quatuor annis praefuit. Haec Nicephorus. Porro visio illa mirabilis ad Imperium temporale Tiberii referri non potuit; cum iam completum esset: neque ad Imperium successoris, cum constet, Mauritium a Phoca tyranno crudeliter interfectum fuisse. Proinde necesse est, promissionem illam ad caelestis Imperii securitatem esse referendam, ad cuius consortium Tiberius vocabatur; unus enim ex illis fuit, quibus in iudicio dicitur, Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare etc. Obiit Tiberius Imperator anno Domini 386 cum imperasset annos septem, tribus cum Iustino, quatuor solus.

VITA S. VENCESLAI

REGIS BOHEMIAE

Ex D. Ioannis Dubravii Olomucensis Episcopi historiae Boemicae, libro quarto, et quinto conscripta. Consentiunt manuscripti codices, et antiquissima Martyrologia.

Sanctus Venceslaus Boemiae Rex, patre Christianissimo simul ac religiosissimo Vratislao, matre vero Drahomira Lucensi, a Christiana religione alienissima, progenitus fuit. Siquidem longe severiorem, immanioremque in Christianos, quam Iezabel in prophetas, ea se exhibuit, Qua de causa Ludmilla Vratislai Ducis mater, per speciem visitandi, salutandique Drahomiram matrem suam Pragam adiit. Re vera ut alterum filiorum (duos enim habebat, Venceslaum, et Boleslaum) sibi dari nutriendum impetraret. Cui cum oblata esset tam a patre, quam a matre legendi, utrum accipere vellet, potestas, Venceslaum, in quo melior indoles, meliorque spes elucebat, sibi adoptavit, aluitque deinceps pro suo: praeceptorem ei adiungens Paulum, virum opinione sanctitatis celebrem. Hic domi aliquamdiu puerum docuit, post auctor fuit, ut Budecum, ad Nycenum presbyterum ludi illic magistrum mitteretur, inquiens, maiores ibi eum in literis et disciplinis Christianis profectus facturum, inter multos condiscipulos Christianos. Nam haec praecipua cura erat aviae, ut nepos Christianam religionem ante omnia disceret, coleretque.

Interim marito funerato, filiisque adhuc aetate imbecillioribus, Drahomira regionem invadit, ac statim odium in Christianos male diu dissimulatum detegit, edicto proposito, ut templa Christiani occluderent, cultu, caeremoniisque abstinerent. Sacerdotes, populum ne docerent, nec ludimagistri discipulos. Secus facientibus carcer, exilium, mors denunciata. Pragae Magistratus immutati, et pro Christianis Idololatrae crudelissimi substituti, quorum instinctu clam palamque, ac semper impune fidei cultores indigne tractabantur, occidebanturque. At si quis ex Christianis, vel se defendendo, unum illorum aliquem interfecisset, pro uno in decem capita animadvertebatur. Tum vero, secundum tam impia, tamque immania matris facinora, Venceslaus, qui hactenus, ne in principatum succederet, aetatis, studiorumque excusatione utebatur, aviae maxime hortatu, pollicentis se quoque curarum nepotis fore participem, magno omnium assensu, regimen in Boemos suscepit.

Ad tollendam igitur fraternam discordiam quam plerumque inter fratres bona individua suscitare solent, in ipso statim principatus introitu decernitur, ut Boleslao fratri iuniori pars aliqua haereditatis assignetur, finesque utriusque ditionis constituantur. Boleslavia, ei assignata est cum territorio suo ultra Albim, ita ut Albis fluvius citra, utraque terras finiret. Mater iuniorem filium moribus suis congruentem secuta est. Venceslaus principis thronum solus Pragae obtinuit. Alius fortasse mutato honore, id quod subinde usu venire videmus, mores quoque aucta dignitate et potentia immutaret: at Venceslaus ab omni ambitione invictus, demissius pene Princeps, quam privatus agebat, aliquantoque diligentius observabat, ne quid de instituto prioris vitae apud aviam transacta intermitteret. Nam et noctibus intensius quam prius ad psallendos psalmos, laudesque Deo dicendas utebatur, et dies per plura pietatis officia transigebat, crebrius in funus prodeundo, languentes invisendo, laceros, nudosque convestiendo, pauperes alimentis sustentando. Instituerat praeterea sibi inediae ac vigiliae quoddam, quasi cum avia certamen experiri satagens, ipse, an illa saepius ieiunaret, pervigilaretque.

Interim Drahomira dirumpi prae invidia, secumque nefaria adversus socrum meditari, quod illa maiore gratia apud Venceslaum quam ipsa mater polleret, religionemque Christianam nimis prolixe provocheret. Nec longius nefaria meditata perficere distulit, quam invenit caedis perficiendae audaces sicarios. Instante exilii die, quem Ludmilla futurum, divinitus praeviderat, vocat ad se clientulos omnes, mercedemque cuique suam dissolvit. Et praeterea quicquid in penu, in cella, in horreis, loculis redundaret, id sua manu in sinus, ususque pauperum transtulit. Post haec remotis arbitris, ac solo adhibito Paulo sacerdote, ante aram provolvitur, sactaque exomologesi, de manu eiusdem Sacerdotis sacrosanctum vitae accipit viaticum, mox inde sinu suo propitium Deum exorat, cum ecce tibi eadem hora submissi a nuru, Thomas et Cumo, non tam genere, quam scelere nobiles, in sacrarium irrumpunt, ac velo, quo sancta vidua caput velatum habuit, elisis faucibus prostratam suffocant.

Non desuere qui Venceslaum ex caede aviae vehementer perturbatum, ad ulciscendum inflammarent. Alii, si ipse ulcisci vellet, sibi hanc dari provinciam deposcebant. Virosque ille, quam po-

fuit, gravissimis verbis corripuit, quod aliena a pietate erga qualemcumque matrem, aliena deinde a modestia, et tolerantia Christiana suadere auderent, ignari, aut parum memores, quod ore suo dicat Dominus : *Mea ultio est, et ego retribuam illis in tempore.* Quemadmodum evenit, anno nondum revoluto, ut ambo sceleris ministri, non solum misere, sed etiam notabiliter extinguerentur: notam videlicet uterque suam ad posteros transmittentes. Nam cum alter eorum barba rutila insignis, alter male pedatus esset, non aliter nati natorum, et qui hodie nascuntur ab illis, vel rufescunt, vel a pedibus laborant : nam utraque familia apud Boemos etiam nunc extat. Caeterum impiae matri ideo impunitas diuturnior concessa videbatur, ut filii pietas, quo diutius illum mater insectaretur, hoc clarior evaderet. Tametsi alios quoque praeter ipsam matrem, molestos sibi, infestosque habuit, quasi parum idoneus ad exequenda Principis munia, quae exequi, non per sacra et caeremonias, sed magis per arma et acies oporteret.

Ante alios autem Radislaus Gurimensis Princeps, Mistibogii filius, hac vana spe inflammabatur, quasi solo armorum terrore Venceslaus expugnari posset, agros eius incursare, armatosque illi viros ostendere incipit, nec ullos legatos de pace agentes, audire vult; immo quo magis Venceslaus paci studuit, eo maiorem etiam suspicionem pavoris adversario faciebat, adeo ut superbissime tandem Venceslao responderet : se, nisi tradito sibi totius Boemiae principatu, ab armis non discessurum. Coactus igitur a suis Venceslaus, militem, atque aciem contra Radislaum instruit : vidensque omnino iam sibi dimicandum esse, classicum cani vetat, priusquam ipse Radislao alloquatur. Data alloquendi potestate, Si aliter, inquit, nisi praelio res pacificari nequit, cur non potius sine magna aliorum clade, sine multo insontium sanguine, ipsi inter nos singulari certamine decernimus ? victoriae permisturi, uter utri iustius imperare debeat. Perinde quasi iam manibus victoriam Radislaus teneret, conditione proposita laetari, instareque, et ad pugnam inundam festinare. Loriculam super cilicinam vestem indutus, parvoque ensiculo succinctus erat Venceslaus, cum in arenam prodiret. At Radislaus cataphractus, hastatusque cum longa insuper machera contra sese inserebat, erecta utrimque acie velut ad novae rei spectaculum. Novum enim esse videbatur, ut ipse Venceslaus pro imbelli habitus, componere se cum bellatore auderet. Ubi sub ictum ventum est, alter signo crucis frontem pingit, alter hastam vibrare festinat, idemque subito Angelos videt, atque hanc vocem velut ab homine promptam, pone se exaudit : *Ne feri.* Ac nemine conspecto, qui illam promiserit, vim numinis, favore propitio Venceslaum prosequentis veritus humi procumbit, veniam audaciae exposcit, seque potestati victoris permittit. Allevat prostratum Venceslaus, dataque venia, et dignitate ei restituta, monet ut contumaciam in obsequium debitum vertat, ne post gravius ab irato numine plectatur.

Haec in Germaniam celeriter nuntiata, aulam Caesaris apud alios admiratione, apud quosdam irrisione affecerunt. Ottho tunc regnabat, qui Germanorum primus coronam Caesaream legitime sibi traditam in Germaniam intulit, vir illo honore, ob celebrem pietatem, et raram in bellis felicitatem non indignus, nec alienus a Venceslao propter eximias ipsius virtutes : et qui una cum aliis Germaniae Principibus, maiestatem Caesaream officiose, comiterque conservabat. Is Ottho deliberandi causa diem ad conveniendum Principibus Vormaciam, edixerat, quo ubi Venceslaus quoque vocatus sine ulla dilatione venisset, dicitur postridie dum solemne sacrificium cunctantius Sacerdos facit, ipse similiter cunctantius curiam introiisse, eamque moram, quasi ex ambitione nata fuisset, Principes adeo aegre tulisse, ut conspirarent, ne quis ipsorum venienti assurgere, neu supra se locum confidendi dare vellet. Persuasum denique Caesari fuisse, ut sine ullo honore Boemum velut arrogantem transmitteret. At Caesar ex conspectu duorum Angelorum, qui Venceslaum in curiam deducebant, subitoque ibidem disparuerant, obstupefactus, throno exilit, adversum vadit, ipsumque Venceslaum tantum non adorat, ac manu mox sua ad subsellia perductum, assidere sibi proximum iubet. Caeteris vehementer factum admirantibus, Caesar facti causam aperit, vicissimque miratur, quod nemo praeter se quispiam Angelos, tam clarum, manifestumque sui spectaculum exhibentes, oculis suis adspexerit. Hic Moguntinus Pontifex, se quidem nihil plane vidisse inquit, caeterum horrore quodam se perfusum fuisse confitetur, ac tunc demum famae quoque nuper invulgatae, quemadmodum videlicet interventu numinis ab hostis impetu servatus fuerit Venceslaus, fidem se habere, quando in praesens paria numina eumdem a calumnia vindicaverint : quare inde simul universi errati veniam deprecantur.

Caesar praeterea hunc tam liberalem hospiti habuit honorem, ut potestatem ei petendi concederet, quicquid petendum sibi a Caesare putaret. Existimabat autem Caesar, gloriosa et ambitiosa petiturum. At is brachium divi Viti ex Gallia, sub Ludovico Pio Corbe iam in Saxoniam translati, magnaque religione in Boemia culti : dein Sigismundi quoque Burgundiae Regis, propterea quod Vandalicae nationis fuerit, reliquias sibi dari postulavit. Ad quae postulata Caesar subridens. Feres tu, inquit, primo quoque a reditu nostro in Saxoniam tempore, quas habere cupis reliquias : interim dona Caesare digna a nobis accipe : Regium in primis decus, quo te ex dignitate tua merito decoramus, deinde tributo absolvimus, quod Carolus quondam solvendum Caesaribus instituerat. Iussit postremo et insigna sua Venceslaum ferre, fuscam aquilam in clypeo candido. Facile hoc, et illud alterum de tributo amplexus est Venceslaus, sed idem caput suum diademate cingi, seque Regem inungi, aut Regem a suis appellari nullo pacto sustinuit: quamquam a Caesare, atque ab aliis Regibus, et Principibus Rex in epistolis salutaretur.

Allatis ex Saxonia sanctorum corporum Pragam

reliquiis, Venceslaus omnia aedificia missa faciens, applicare architectum manus ad aedem divo Vito designandam, construendamque imperat. Subiiciens dignissimum esse, ut profanis aedificiis sacra antevertant. Caeterum antequam illa inchoata erat, iam in templo divi Georgii a patre suo extructo Venceslaum locum sepulcro, in quo avia Ludmilla transferretur, delegerat, simulque absolverat, ita ut nihil iam reliqui superesset, nisi ut translatio funeris ex arce Thein, in arcem Prasensem a Sacerdotibus peragerctur. Avertere unus aliquis ab instituto Venceslaum cupiebat, inquiens iam pridem corpus aviae conputruisse; quandoquidem plus triennium esset, cum illud terra obrutum iaceret, proin nimis seram fore eius corporis translationem. Excipit Venceslaus. Et si quidem iam in pulverem sit redactum, vel ipsum pulvisculum perferri ad me cupio; sed contra fortasse eveniet, ac tu mi pater autumas: fac modo ut desiderio meo una cum caeteris morem geras. Paret ille, seque suis Collegis addit comitem, usque ad locum ubi sepulta erat Ludmilla: sepulchro recluso, nares statim omnium odor perfudit suavissimus, adhucque suavior arcula reclusa, in qua corpus labe incorruptum, integrumque iacebat, nisi quod parum quiddam ei de naso decerpserat arculae tabella confracta, quam incuriose quidam tractaverat. Igitur laeti re praesenti Sacerdotes, feretrum subeunt, corpusque miraculis clarum, quo iubet Venceslaus deportant, conduntque Sed enim Architecti quoque in templo divi Viti proximo operas urgent, ut opus celerius excrescat, festinante Venceslao ad novi templi dedicationem, sanctarumque reliquiarum consecrationem.

At tunc primum creandi Pontificis mentio orta: siquidem nullus ad eam usque diem Pontifex in Boemia creatus erat, sed a principio Moraviae Antistes, postea ex Bavaria Ratisponensis, officio Pontificali apud Boemos fungebatur. Idem Ratisponensis in Moravia quoque aliquandiu faciebat, quamdiu videlicet vacua sedes ibidem suo Praesule fuerat, nempe annis quinque, et triginta. Quamquam igitur Venceslaus Ratisponam pro Pontifice (divus Vuolffgangus tunc Pontifex ibi erat) qui templum divo Vito destinatum in arce Pragensi dedicaret, suos quosdam miserit, non ideo tamen curam remisit quaerendi viam, qua facillime ad inducendum Pragam Praesulem, ut instituerat, pervenire posset, sed has eius pias curas, sicut plerasque alias ad religionem pertinentes, mater nimis impia interturbare non destitit. Pari modo, ut mater, Boleslaus moratus, armatusque ad turbandam et oppugnandam fratris pietatem fuit. Nam si alias unquam momenti afferat ad ingenerandos hominibus mores, tum certe in illis duobus alumnis ex eisdem parentibus prognatis, mirifice demonstravit. Nam Venceslaus, qui a Ludmilla muliere religiosa educatus a puero fuerat, omnibus pietatis, et cuiusvis praeterea virtutis numeris vir absolutissimus evasit: sicut è diverso Boleslaus tum impius, tum saevus, tum indomitus et violentus: quia Drahomira, quae Boleslaum aluit, comparibus vitiis infectissima erat, paratissimaque per quamlibet occasionem incrementa bonae religionis impedire, ac potissimum in Sacerdotes desaevire, quasi penes illos culpa resideret, quod disciplinae (ut ipsa dicebat) ignavissimae deditus Venceslaus, maiorem diei, noctisque partem, circum sacella et aras, aliisque caeremonias, quam in negotiis seriis, et ad Principem pertinentibus contereret; quodque illorum ipsorum Sacerdotum instinctu, neque reverentiam erga matrem, neque charitatem erga fratrem continuaret.

Itaque custodes plagosi per vias appositi erant qui ictu plagarum sacerdotes prohiberent, quo minus Venceslaum per quotidiana officia adire possent. Qua de re factus certior Volffgangus, venire in Boemiam ad dedicandum templum supersedit, hac excusatione usus tamquam brevi futurum esset, ut Antistes Pragae inauraretur. Caeterum nec Venceslaus favorem erga sacerdotes, cultumque, nec vicissim illi officium solitum, qualicunque iniuria accepta, interrumpi sibi permiserunt. Furente in dies magis Drahomira, cum quotidie ferme audiret, tanti esse Venceslaum in sacerdotes obsequii, ut ipse manibus vinum inter sacra, libaque, ut thura illis subministraret, ut identidem illos domi quemque suae inviseret, necessarisque rebus ante tempus succurreret, usque a servitute profana multos redimeret, et ad servitia Dei illos converteret: ut denique noctu plerumque, vel in ipsa hyeme nudis incederet pedibus ad templa, in quibus pervigilia celebrabant sacerdotes. Ferunt Podivinum, qui intimus Venceslao, et assiduus comes fuerat, male aliquando a frigogore, et nivibus acceptum fuisse, quamquam ipse calceatus, Ducem suum discalceatum subsequeretur, rursus tamen subito incaluisse, cum primum videlicet pedes suos, quemadmodum iussus erat, vestigiis Ducis impresserat.

Paulisper inter haec suam rabiem Drahomira remisisse videbatur, postquam certior facta erat, Venceslaum taedio vitae aulicae, et curarum publicarum, circumspicere locum sepositum in quem cum sodalibus Divi Benedicti cucullatis, ipse quoque sodalis futurus diverteret. Nam et Romam ad Pontificem suos iam misisse inaudierat, qui peterent, ut illius auctoritate liceret in Boemia eiusmodi sodalitium institui. Sed dum Romanus Pontifex legatos diutius propter domesticas seditiones retinet, dumque interim Venceslaus de consuetudine sua, deque sacris, et caeremoniis nihil quidquam intermittit; non sustinens dilationem impatientissima mulier, conceptum iam pridem de tollendo Venceslao parricidium properat. Natalis tunc dies infantuli, recens ex Boleslao editi se obtulerat. Ad hunc simul concelebrandum mater iuxta atque Boleslaus frater verbis suavissimis Venceslaum invitant, gaudio ipsorum communi oblatum esse tempus dicentes, quo tota domus principalis merito gaudere debeat, nato ex Boleslao Principe, qui spem successionis in principatu Boemiae continuaret. Siquidem Venceslaus praeter alia rebus in aliis abstinentiam, et continentia, constantiaque servatae quoque in omne aevum suum virginitatis suae clarus fuit: Et Boleslaus tunc primum pater esse incepit, producto ad spem successionis filiolo.

Hoc igitur modo invitatus Venceslaus, tametsi multo satis tempore, a quovis matris, fratrisque contubernio se removisset, attamen ut antiquum servaret morem suum, nemini cuiquam, non solum natura coniunctissimis, officium suum denegandi ad natalitia se Boleslaviam venturum ad diem recepit. Interimque in cubiculum secedens, quos fidelissimos habuit, secum ad fenestram seducit, iubetque eos in atrium Pauli presbyteri, frequentia sacerdotum refertum despicere : ac mox alte suspiria ducens, Quam cuperem, inquit, vanus videri augur, utinamque fiat, ut irritum venti secum auferant meum augurium; videre tamen mihi iam videor, eum locum, qui mea cura, tanto sacerdotum coetu, quantum cernitis celebratur, paulo post discessu hinc meo, repente desertum iri, caedem videlicet sacerdotum futuram per ista divinans, quae illis ab interitu suo immineret. Caeterum qui tunc praesentes aderant, non intelligebant, quorsum dicta haec tenderent. Podivinus tamen, scopum coniectura attingebat, cum Ducem suum revocare a proposito Boleslaviam eundi tentaret, sed incassum. Olim namque pro religione, et pietate Venceslaus, nullum periculum, nullum casum, nullum vitae discrimen sibi vitandum putavit, ideoque die lustrali appetente, nihil amplius moratus, quam dum se apud sacerdotem expiat, dum arae adstat, dum sacrosanctum delibat libum, extremum salutis viaticum, inde continuo Boleslaviam petit. Sed neque Boleslaus procrastinat fratri ire obviam, eum complecti, gratulari adventui composita adulatione. Convivio dein mater adhibita, quanto magis ad omne facinus exercitata erat, tanto blandius hospitem filium habuit, traxitque in seram noctem convivium.

At Venceslaus quamquam intelligeret quo tenderent blanditiae, et quam ob rem produceretur convivium, non tamen omisit, quin de media nocte surgens, iret in templum, ut orationes solitas Deo optimo commemoraret. In ea re occupatum invadit Boleslaus frater, a matre ad scelus vigilantiore excitatus, ac primo ab ictu suo frustratur, ense sibi ob insperatum stuporem elapso, mox redeunte animo et furore, quem sceleris participes clientuli extingui non patiebantur, ictum repetit, ac facile inermem fratrem, patienterque plagam excipientem, interficit: dissimulataque nece mane statim filium lustrat, nomenque ei inter lustrandum, Strachyquas, a terrore convivii mutato vocabulo, quod ipse terribile parricidio effecerat, indit. Adeo gloriari in malitia etiam sua gestiebat, qui potens erat in iniquitate, nescius adesse Deum bonis omni tempore, tum in vita, tum in morte, quemadmodum illustrissimo tunc patuit exemplo. Eadem quippe nocte Rex Daniae (vide quanto intervallo a Boemia semotus) per quietem se admonitum oraculo testatus est, ut Venceslai in Boemia a fratre obtruncati, memoriam sibi colendam susciperet : id quomodo ab ipso factum, caeremoniae, sacerdotes, templum in Dania divo Venceslao dedicatum declarant. Ut interim alia pene infinita miracula data opera transeamus, partim quia nota, et illustria, partim quia decantata a nostratibus, diebus pene omnibus habentur.

Boleslaus, parto audacia, et scelere principatu, audacter etiam illum, et non sine scelere ab initio gessit, idque non obscure. Siquidem clara voce, omnibus qui aliqua cum divo Venceslao familiaritate coniuncti erant, ac praecipue sacerdotibus, quicumque sua sponte Boemia non decederent, carcerem, exilium, eodem denunciavit. Adiecit mater ne caesi terrae mandarentur, sed abiecti, ut in campis iacerent, esca dilaniauda canibus, alitibusque. Intra breve igitur tempus vaticinium divi Venceslai completum fuit, vaticinantis, fore ut a discessu suo, atrium Pauli presbyteri, sacerdotibus vacuum redderetur. Correptus inter praecipuos ad supplicium Podivinus quoque, totum biennium in furca sub dio pendens, nulla labe violari ne dum corrumpi, conficique potuit, donec post haustam terrae hiatu Drahomiram, sepeliretur. Nam quo manifestior grâviorque pena appareret, quae merito de crudelissima atque impiissima muliere exigenda fuerat, eo loci, quo adhuc insepulta iacebant ossa occisorum sacerdotum ; terra sua sponte dehiscens vivam Drahomiram una cum curru, et qui simul vehebantur absorbuit, auriga solo incolumi qui ad aram iuxta sitam (nunc haud extat) equo desiliens accurrit, cum sorte tintinnabulum tinnire audisset, ut corpus Domini adoraret, execrante illum Drahomira omnibus maledictis. Quare locum eum etiam num, ut execratum, funestumque declinant viatores, qui arcem Pragensem ab occidentali plaga petunt. Quamquam terra eodem loci in statum pristinum cohaeserit. Puniti, et illi divinitus, qui Boleslaum assectati, gladios etiam suos adversus divum Venceslaum strinxerunt : pars enim eorum mente alienata, in rabiemque versa praecipites ex alto deorsum se dabant : quidam in eos gladios, quos nudaverant, incumbere. Ad haec, templi paries, quem prope occisus fuit divus Venceslaus, velut caedis ipse quoque conscius, aut potius, ut testis foret sceleris sempiterni, nulla ullius opera abstergi, eluique potuit a cruore, quo respersus ex corpore divi Venceslai fuerat.

Haec tandem tot prodigia, tanquam varia supplicia, Boleslaum exterruerunt, ut mitius deinceps cum christianis agere, saevitiamque suam adversus illos remittere inciperet. Accessit praeterea novus ex Caesare Otthone terror, minitante fratricidii ultionem, cum primum Hunnicum bellum confecisset. Quippe Hunni ex Pannonia usque in Sveviam progressi urbem Augustam obsidione premebant, tanta sucrum multitudine, ut dubitaverit Otho, prodire ne in aciem contra tantas copias, an castris se tenere securius fuerit : sed dubitantem Uldricus, Augustae Praesul, in divorum numerum postea relatus, indicto unius dici ieiunio, ad ineundam pugnam impulit: certam ei victoriam (si pugnaverit) promittens. Nec fefellit : tantam enim inter Hunnos stragem Otho edidit, ut Lycus Augustanus fluvius, mutatis in cruorem aquis, alveum suum foedaverit. Capti in eadem pugna duo Hunnorum Duces, supplicia crucibus luerunt. Ex Caesarianis maxime insignis, Conradus, Otthonis gener cecidit. Atque hoc interim spatio, quod per moras huiusce praelii interiectum fuit, Boleslaus,

vicum quem inhabitabat, fossis, vallis, moenibus cingendum, muniendumque suscipit ; et quo celerius susceptum opus perficiat, vicinae nobilitati iniungit, ut certum quisque paterfamilias colonorum suorum numerum operi continuando attribuat. Coepit abnuere operam eiusmodi senex quidam nobilis, inquiens: Exemplum se a maioribus non accepisse, ut aedificandis muris operam aliquam locaret, sed ut potius pro salute Principis in campo, et in ipsa acie, sive eques, seu pedes dimicaret. Hic saevus Boleslaus (sic iam is passim cognominabatur) solita saevitia incensus: At ego, inquit, nunc statim exemplum in te statuam, quo caeteri admoniti discant parere Principibus, non autem imperia illorum contemnere : strictoque gladio miserandum senem confodit, ac denuo vicinis iniungit, ut iussa obedienter faciant.

Operi absoluto, cinctoque oppido, nomen Boleslavia manet. Huic oppido cum Ottho appropinquaret, missis obviam legatis Boleslaus pacem magnis precibus eum ipsis oppidanis caepit petere. Valde praecise Ottho eis respondit, aliter pacem coire non posse, nisi dedito sibi fratricida Boleslao. Porro Boleslaus omnibus rebus ad sustinendam obsidionem necessariis, frumento, pecore, telis, armis, viris instructus in oppido erat. Non ita Caesar foris commeatu abundabat, vacuis ubique ex vicino horreis, et pecoribus longius in sylvas abactis. Unde paulo post factum, ut Caesar ob rerum penuriam mutata duriore sententia, animum ad molliora deflecteret. Cum igitur denuo Boleslaus, quamquam satis, ut dixi, instructus, conscientia tamen scelerum timidus. gratiam Caesaris ambiret. pacemque oraret, eam his tandem legibus impetravit. Prima erat, ut commissa piacula omnibus modis expiaret. Altera, ut exules Christianos revocaret ab exilio. Tertia, ut tributum nuper remissum denuo exolvendum reciperet. Ultima, ut eadem conditione, atque caeteri Germaniae Principes, in nomen Caesaris iuraret.

Obsidione soluta, Boleslaus suis praecepit, ut e conspectu suo sepulcrum, et corpus sancti Venceslai removeant, idque noctu, per multas tenebras Pragam transferant, occulteque sine arbitris condant in aede divi Viti, ab eodem Venceslao aedificata. Graviter nimirum ferebat signa et prodigia, identidem ad corpus sanctum nunc in caecos, nunc in claudos, nunc in sordos edi : putabatque fore, ut illo ad divi Viti aedem, sepulto, Vito etiam potius, quam Venceslao miracula edita attribuerentur, Sed vide, ut se innocentia et sanctitas, ut denique ipsa veritas contra astum et improbam calliditatem perfacile defendant. Plaustro corpus impositum fuit, iussusque auriga quantum posset accelerare, ut ante lucem e Boleslavia Pragam perveniret. At aurigam magis equi, quam ipse equos regebant. Itaque cum primo ad amnem, cui Rochetnicze vocabulum, aquis tunc redundantem, deinde ad Vultaviam adhuc redundantiorem ventum esset, non ponte, ut ille volebat, sed pleno alveo , utrum amnem equi transeunt , pedibus tantum non siccis, mox ultra Vultaviam ad carcerem arci Pragensi subiectum, immobiliter subsistunt, nec inde ulla vi se amoveri patiuntur nisi die clarissimo, cum iam multorum aliorum spectatorum oculis res esset testatissima, corpus divi Venceslai vectores vehere, id quod obstinare prius illi negabant, quam vincti ad unum omnes e carcere illo dimissi fuissent. Corpus praeterquam quod a corruptione post triennium incolume repertum est, insuper etiam ab omnibus vulneribus erat percuratum, una tantum auricula capiti defuerat, eam Premislava Venceslai soror ad limen templi, in quo occisus frater erat, inventam. arcula clausam habuit. Caeterum re, ut gesta fuit, cognita, ne quid de corpore sancto desideraretur eamdem statim Pragam misit, statimque illa capi suo adhaesit.

Occisus fuit S. Venceslaus anno Domini 937. Vide Aeneam Sylvium in historia Boemica cap. 14 et Cardinalem Baronium tomo 10. Annalium, et in notis Martyrologii ad diem 28. Septembris.

VITA ET VIRTUTES

SANCTI HENRICI IMPERATORIS

Vitam eius scripsit Adelbodus Episcopus Ultraiectensis, teste Sigeberto In lib. de viris Illustribus cap. 139.

Quam nos hic posuimus, descripsit Henricus Canisius in sexto tomo antiquae lectionis: an sit eadem cum illa, quam scripsit Adelbodus, ignoramus: sed cuiuscumque sit gravis valde et fide dignissima est.

Anno ab Incarnatione Domini millesimoprimo, ab Urbe autem condita millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo. Otthone tertio defuncto Romae, vacante Regni solio, cum de Principe ageretur subrogando, omnium vota nutu divino ad eum inclinantur, qui tunc in Regno potissimus habebatur. Fuit namque eodem tempore quidam Dux Bavariorum nomine Henricus, Henrici eiusdem gentis Ducis filius, (cuius temporibus sanctus Vuolfangus Ratisponensium praefuit Episcopus) tam bonitate, quam nobilitate Regia conspicuus, et universa morum honestate praeclarus. Hic initium sapientiae timorem Domini pleniter est sequutus; quia erat omni litterarum studio principaliter imbutus, et totus sana fide, et actione catholicus. Hic ergo ab omnibus pari voto, et communi consensu omnium asciscitur, divina utique disponente clementia, ut per temporalis Regni fastigia ad culmen regni caelestis pertingeret. Terrena enim bona omnia sicut usu malo a salute praepediunt, sic alios usu bono ad salutem perducunt.

Cumque praedictus Rex Henricus ne dum Caesaris, vel Imperatoris obtineret dignitatem, apparuit ei Ratisponae Beatus Vuolfangus tali visione. Visum namque est, quod manens in Ecclesia sancti Emmerammi Episcopi, et Martyris, accederet orandi gratia ad Beati Vuolfangi sepulchrum, in eadem basilica situm; cumque ibidem Dominum et sanctum Vuolfangum intimis precibus conaretur exorare, subito videbatur ei ipse sanctus Vuolfangus astare, eumque huiusmodi verbis appellare, Intuere diligenter litteras in muro, quae sunt secus tumulum meum scriptas. Erat autem sicut videbatur scriptum solummodo: Post Sex. Evigilans vero Rex, diuturna tractatione secum revolvit paucissima huius visionis scripta. In primis ergo arbitratus, quod post sex dies esset moriturus, multa dispensat pauperibus; cumque dierum sex numerus praeterisset, putavit praedictam visionem ad sex menses pertinere, et eadem coepit timere. Transactis vero sex mensibus; cum nihil infirmitatis in se pateretur, arbitratus est hunc numerum ad sex annos pertinere; ideoque quae et super coepit timere, Dumque sex annorum numerus integer praeteriisset, et septimi anni dies revolutus venisset, ipso die per Apostolicam benedictionem suscepit Caesaris dignitatem. Tunc tandem sentiens qualis esset sua visio, gratias egit Deo, sanctoque Vuolfango, qui sibi talem dignatus est revelare sublimitatem.

Unctus ergo in Regem beatissimus Dei famulus Henricus, tempolaris Regni non contentus angustiis, pro adipiscenda immortalitatis corona, summo Regi, cui servire, regnare est, militare disposuit. Summam etiam diligentiam in amplificando cultu religionis adhibuit. Ecclesias Dei ditare possessionibus, et immensis ornatibus augere coepit. Sedes quoque Episcopales Hildinshein videlicet, ubi a puero fuit enutritus, et litteras edoctus, Magdeburge et Argentinam, et Merseburg, quae barbarica immanitate adiacentium Sclavorum vastatae fuerant, restauravit; et tam ipsis, quam aliis Episcopatibus per universum Regnum in possessionibus et ornatibus innumera dona distribuit. Hildinsheimensi vero Ecclesiae sanctum Gothardum divina edoctus revelatione praefecit Episcopum. Quid autem Merseburgensi Ecclesiae prae aliis contulerit, futurorum ex parte volumus notificare. Haec etenim Ecclesia tempore magni Otthonis, illius, inquam, qui iuxta Lucum fluvium sub sancto Udalrico Pontifice glorioso Ungaros prostravit, et Reges eorum, Levicam, et Assur Ratisponae Principibus hoc fieri adiudicantibus, in patibulis suspendit; assiduis incursionibus, et hostili vastatione Sclavorum redacta est ad nihilum. Et quia violentiis vicinarum nationum non poterat resistere, in passionibus, in religione, et in omnibus, quae ad Pontificalem dignitatem pertinebant, penitus coepit deficere.

Accidit autem eodem tempore, ut Magdeburgensis Ecclesiae Archiepiscopus universae carnis viam

ingrederetur, et Merseburgensis Praesul propter sapientiam sibi a Deo praestitam, et propter virtutes plurimas, quibus ornatus erat, ob quas et Ottboni Magno gratissimus erat, in cathedram Magdeburgensem a praedicto Rege, constitueretur. Factum est autem, ut Merseburgensis Episcopatus prorsus destrueretur, et quae potiora erant illius Ecclesiae, in praediis, in ministerialibus, in ornamentis, in ditionem Magdeburgensis Ecclesiae transferrentur, et de quibusdam reliquiis possessionum, quae Merseburgensi Ecclesiae remanserant, Abbatia inibi constitueretur. Quod factum usque ad tempus piissimi Confessoris Christi Henrici sine mutatione permansit. Qui convocatis Principibus Regni sui apud Chuselingenburg curiam celebravit, atque universis in idipsum consentientibus, Poloniam, et Bohemiam, caeterasque Sclavorum adiacentes regiones, quae fines Regni sui vastaverant, debellare disposuit. Congregato itaque exercitu contra praedictas nationes, aciem direxit, et transiens per locum qui Uvalbech dicitur, gladium sancti Hadriani Martyris, qui pro reliquis multo tempore ibidem servabatur, accepit quo accinctus ex toto corde suo clamavit ad Dominum, dicens, *Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma et exurge in adiutorium mihi.* Inde progrediens castrametatus est in campo, in quo Merseburgensis Ecclesia sita est, ut videns locum desolatum, ingemuit, et ait, Beate Laurenti Martyr Christi, si tuo interventu has barbaras nationes, ad quas pergo Romano Imperio, et Religioni Christianae subiugavero; locum istum desolatum, tuo nomini consecratum, divina favente gratia, in pristinae dignitatis statum reformabo. Ut ergo Princeps Poloniae et Bohemiae, et caeterorum Sclavorum primates, Romanum Imperatorem cum exercitu suo, ut eos debellaret, advenire cognoverunt; collecta innumerabili barbarorum multitudine, in bellum obviam processerunt. Quod Regi piissimo per speculatores suos citissime innotuit in omnibus angustiis suis solebat, ad orationis arma confugit. Et invocato super se nomine Domini, beatis Martyribus Laurentio, Georgio, et sancto Hadriano; semetipsum, suumque exercitum protegendum cum summa devotione commisit. Cumque omnes Communionem corporis et sanguinis Dominici percepissent, ad locum certaminis pervenerunt. Ubi cum Rex beatissimus verbis exhortatoriis, quatenus viriliter agerent, animos singulorum confortasset; videns adversariorum innumerabilem multitudinem, clamavit ad Dominum, dicens. *Domine Deus, qui conteris bella ab initio, eleva brachium tuum super gentes, quae cogitant servis tuis mala: Disperge illos in virtute tua, et destrue eos protector noster Domine: Deus meus pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti.*

Haec eo orante aperti sunt oculi eius, et vidit gloriosos Martyres sanctum Laurentium, beatum Georgium, et sanctum Hadrianum cum Angelo percutiente exercitum suum praecedentes, et hostium cuneos ad fugam propellentes. Et sicut exercitus Sennacherib ab Angelo percutiente contritus est et disperiit; sic omnis ista barbarorum immanis multitudo per virtutem Dei contrita, proiectis armis sine effusione sanguinis Christianorum fugae praesidium quaesivit. Quod videns Rex sanctissimus, elevatis oculis ac manibus in coelum gratias egit Domino dicens, Benedico te Rex coeli, et terrae, qui superbis resistis, et humilibus das gratiam, qui custodisti diligentes te, et glorificatus es in gentibus propter datam nobis de coelo victoriam. Victis itaque barbaris, et quae ad futuram pacem prodesse poterant pactione firmissima stabilitis; Rex beatissimus cum suis reversus est ad propria, universis glorificantibus Deum, et laudantibus, qui praestat auxilium omnibus in se sperantibus. Cumque Imperator Christianissimus Poloniam, Bohemiam, et Moraviam tributaria fecisset; ob reverentiam Sancti Laurentii Martyris, conculcationem, et destructionem Merseburgensis Ecclesiae, caepit pro misericordiae, et pietatis intuitu respicere, et ad nihilum redactam, in aedificiis, in ministerialibus, in saecularibus possessionibus, in ornamentis ecclesiasticis in pristinum gradum Pontificalis dignitatis, sicut Deo, et Sancto Laurentio voverat, studuit restaurare. Nec prius ab operibus misericordiae destitit, quoadusque praefatam Ecclesiam ad antiquae statum dignitatis, et honorem pristinae religionis ex integro reduceret. Denique Rex gloriosus Episcopum Bambergensem ex integro in suo domate fundavit; terminis videlicet ab adiacentibus Episcopatibus concambio legitimo cummutatis. Eundem vero Episcopatum Apostolorum Principibus Petro, et Paulo, et pretiosissimo Martyri Georgio attitulatum; speciali iure Sanctae Romanae Ecclesiae contradidit, ut et primae sedi debitum divinitus honorem impenderet, suamque plantationem, tanto patrocinio firmius communiret.

Frater eius erat Bruno Augustenses sedis Episcopus, qui felicibus eius actibus invidens, multas ei adversitatum iniurias, in quantum potuit, inferebat; et ubi per se non potuit, inferentibus se adiunxit, aliosque ad inferendas exhortando stimulos suae pravae incitationis subiunxit. Cui Rex gloriosus non talionem reddebat, verum etiam instructus fraterna dilectione omnia dissimulando, et patienter sufferendo, illum bono vincere satagebat. Quanta autem eius munificentia, quanta erga Deum eius benignitas, atque largitas extiterit tam in illa Bambergensi Ecclesia, quam in aliis compluribus locis, manifestis operum declaratur indiciis: Solum quippe Deum sibi elegit haeredem, quatenus et ipse in consortium haereditatis aeternae illum assumere dignaretur. Liberos enim, nec secundum carnem habebat, nec expectabat, quia eam, quam pro coniuge habere videbatur, Chunigundam nomine, dicitur numquam cognovisse. Sed qualiter hoc innotuerit ad communem aedificationem non est praetereundum, ut et castimoniae exemplis erudiamur, et divinorum secretorum admiratione moveamus, considerantes quemadmodum diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; tantis namque ac talibus bonis tentatio deesse non potuit. Invidus enim omnium bonorum diabolus, cum thorum immaculatum sau-

ciare non potuisset, zelotypiae livore foedare cogitavit, volens saltem famam eius laedere, cui non potuit corruptionis vulnus infligere; facta est igitur auctore diabolo, suspecta criminis, quae non noverat maculam corruptionis. Sed quia crudelis est, qui infamiam negligit, expurgationis gratia sibi iudicium elegit; quod propter duritiam hominum institutum esse cognoscitur. Cumque Deo dilecta ad illud iudicium, velut ovis ad occisionem duceretur, ingemuit, et ait, Domine Deus creator coeli, et terrae, qui probas, renes, et corda, iudica iudicium meum, et eripe me, te enim testem invoco hodie, et iudicem, quia nec hunc praesentem Henricum, nec alterum quenquam virum carnali commixtione unquam cognovi. Haec dicens stupentibus, ac flentibus universis, qui aderant, vomeres candentes nudo vestigio calcavit, et sine adustionis molestia transiit. Ita Deus omnipotens vinculum castae dilectionis servavit, innocentiam comprobavit, integritati custodiam humilitatis adhibuit.

Inter haec beatissimi Principis Henrici gloria magis, ac magis proficiebat, et gratia Dei erat cum ipso. Non declinavit clypeus eius de bello, et hasta eius non est aversa. Apuliam a Graecis diu possessam Romano Imperio recuperavit, et eidem provinciae Ismahelem ducem praefecit qui postea in urbe Bambergensi mortuus, et in capitulo maioris Monasterii sepultus requiescit in Domino. Beneventanum Monasterium condidit, et omni ornatus decore locupletavit. Cumque civitates Apuliae pertransisset, et quae ad utilitatem, et honorem regni pertinebant, prudenter in eis disposuisset, coepit in infirmitate calculi laborare. Cuius morbi molestiam vir sanctus tanta patientia sustinuit, ut passionis carnis ad custodiam humilitatis Deo sibi collatas assereret, et flagellum correptionis certissimum signum dilectionis affirmaret: fomenta tamen curationum sibi fecit adhiberi, sed nulla medicorum arte potuit liberari. Ingravescente autem dolore ascendit in montem Cassinum petens Beati Benedicti, et Sanctae Scholasticae sororis eius auxilium; et cum oraret, coepit cogitare, quae de translatione Sancti Benedicti, eiusque sororis audierat, quia videlicet reliquiae eorum dicebantur furtim ablatae, et in alium locum translatae, ideoque coepit de corporali eorum praesentia dubitare: Completa vero oratione ad hospitium se contulit, ac lassatus, ac debilitatus ex itinere in secretulo se collocavit. Cumque obdormivisset, audit sibi Sanctum Benedictum assistere, et ferrum sectorium ad medicinales sectiones aptatum manu tenere, qui dixit ei, Quia sperasti in Deo, et in sanctis eius, ecce missus sum a Deo, ut per medicinam meam ab infirmitate tua libereris. Ecce ego cuius ossa furtim ablata esse putaveras, praesentiam meam tibi exhibeo, et in argumentum veritatis passiones tuas curabo. Haec dicens partem illam corporis, quae calculum tenebat ferro medicinali aperuit, et evulso molliter calculo, huiusmodi vulneris sanatione subita redintegravit, et calculum, quem tulerat in manu Regis dormientis reposuit. Quo facto Christianissimus Imperator, evigilans pertractavit secum, quae circa se gesta fuerant per Confessorem Christi: vidensque calculum, quem manu tenebat, vocavit satellites suos, qui more regio semper sibi assistebant, et dixit ad eos: Pontifices, et Principes Regni nostri ad nos vocate, ut cognoscant, et videant mirabilia Dei, quae ineffabilis, et inenarrabilis misericordia cum potentia eius fecerunt in me: at illi mandata Regis cursu celeri perferentes ad Principes; adduxerunt eos; et cum venissent ad eum, dixit eis, Fratres, et commilitones mei *magnificate Dominum meum, et exaltemus nomen eius in idipsum*, quia ipsa est *magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis eius non est finis*. ipse percutit, et medetur, flagellat peccatores, et poenitentibus miseretur. *hunc humiliat, et hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto*. En ego, qui heri morti proximus fui, per misericordiam Dei hodie sanus vobis appareo, et aculeum mortis, quem heri gestavi inclusum corpori meo, hodie oculis vestris visibiliter ostendo. His dictis ostendit eis calculum, quem manu tenebat; et ostendens eis vulneris cicatricem, omnia quae per Sanctum Benedictum circa se gesta fuerant, cunctis audientibus ex ordine referebat. At illi videntes, et audientes mirabilia Dei plus, quam possit credi, admirati sunt, et benedicentes Deum, diuque in laudem eius acclamantes, de incolumitate regis gavisi sunt: rursumque Rex ad eos ait; Quas gratiarum actiones, aut quae munera tantis beneficiis condigna medico nostro Sancto Benedicto possumus rependere? At illi omnes iudicaverunt eum regia munificentia esse dignum. Rex vero consilio Principum suorum ingentia munera in praedis, in auro, in argento, in ornamentis plurimis Ecclesiae Sancti Benedicti contulit; et vale faciens Fratribus eiusdem Ecclesiae ministris a Cassino monte hilaris, et sanus recessit. Ab eo autem tempore, et deinceps quadam speciali dilactione, ei veneratione Sancto Benedicto, et omnibus Monasticae religionis cultoribus studuit deservire, et in amplificandis, et rebus protegendis Ecclesiasticis benignus, et devotus Pater existere.

Inde iter faciens Romam pervenit, ubi a Benedicto VIII. Papa benigne, et honorifice susceptus; quantas miserationes, et beneficia per Sanctum Benedictum, ei Dominus contulerit, indicavit. Apostolicus vero gratias egit Deo pro omnibus beneficiis suis, et pro salute Regis, et totius populi catholici obtulit sacrificium laudis. Eodem tempore Rex sanctissimus Bambergensem fundum cum omnibus pertinentiis suis Beato Petro Apostolorum Principi contradidit, et Apostolico Praesuli in perpetuum defendendum commendavit, et in memoriam huius pactionis singulis annis album ambulatorem cum faleris Romano Praesuli dari constituit. Hoc quoque humilitate, et devotione apud Dominum Apostolicum obtinuit, ut Alemanniam intraret, et Bambergensis Ecclesiae novam plantationem visitaret; quod et ita factum est. Nam in proximo Apostolicus advenit Alemaniam, et omnibus civitatibus regionis illius peragratis, tempore quo condixerit urbem Bambergensem adire disposuit. Venit ergo feria quinta maioris hebdomadae,

hoc est in Coena Domini, hora sexta, sacris Pontificalibus indumentis indutus, sicut iam ad peragenda divina mysteria, et solemne diei illius officium processurus erat, et suscipitur gloriosissime ab Imperatore, et universis, qui aderant Principibus, omnique clero, et populo, inaestimabili exultationis tripudio. Ut autem in adventu tam insoliti, tamque exoptati hospitis Deo nostro iucunda, decoraque exhiberetur laudatio, Imperator prudentissimus in occursum eius quatuor psallentium decenter ordinavit; primum in ulteriori ripa fluminis; secundum in citeriori; tertium ante portam civitatis; quartum in atrio Ecclesiae, ubi primus omnium ipse Rex data manu Papae in domum Domini introduxit, atque divinis hinc inde hymnis canora suavitate resonantibus in Episcopali Cathedra collocavit. Quid plura? debitum huius sacratissimae diei cum duodenis Episcopis cooperatoribus Apostolicus Pontifex, et aliorum sequentium dierum summa cum devotione celebravit. In sancta autem Dominica Paschae, cum in matutinali officio Aquilciensis Patriarcha lectionem primam, Archiepiscopus autem Ravennas secundam, ipse Apostolicus tertiam recitaret; cumque omni ornatu processio ageretur; sicut dignitatem Apostolicam condecuit, in sancta solemnitate solemnitatum, quis non iudicet tam religiosam celebritatem, nostrisque in regionibus inusitatam, merito in memoriam omnium Bambergensis Ecclesiae filiorum perpetuo haberi, et memoriale eius in saeculum non derelinqui?

Ut autem ad superiora redeamus, unde paulisper digressi sumus, postquam vir sanctus a beato Benedicto calculi molestia sanatus Romam pervenit, ibique a venerabili Papa Benedicto omnia quae petierat, impetravit. Munitus Apostolica benedictione Alpes Apenninas transcendit; et dimisso exercitu in terram suam Cluniacum causa orationis eius cum paucis familiaribus perrexit, eo quod multa de religione, et statu loci illius audiret. Ubi cum multa religionis, et sanctitatis signa vidisset, sancti Spiritus igne succensus, coronam auream pretiosissimis gemmis adornatam, ad Missam quae de Cathedra sancti Petri celebratur, obtulit; et Monachorum fraternitatem suscipiens cum maxima humilitate, et cordis contritione orationibus eorum se commendavit, et in supplementum rerum necessariarum optima predia in Alsatia eidem Congregationi contradidit.

Inde iter faciens per Leodium, et Treverim transivit, et Congregationes inibi Deo famulantes plurimis largitionibus, et praediis ditavit. Et mirum quod homo Dei, qui circa utilitates ecclesiasticas, et salutem animae suae tanto studio flagrabat, in nullo provectum sui Regni neglexit; quinimo sine effusione sanguinis, pietate, et sapientia terminos Regni sui dilatavit, et Imperialem dignitatem, gloria, et honore ampliavit, et ornavit. Bohemiam vicit, Burgundiam subiugavit, Pannoniam quoque fidei Catholicae, et Romano Imperio coadunavit.

Victor ergo aliarum nationum Apostolus fuit Hungarorum. Cum enim omnes adhuc infideles essent, ad fidei Catholicae attraxit confessionem. Quod ut facilius fieret sororem suam Gisilam Stefano Regi in matrimonium collocavit, secundum Apostolum dicentem, *Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificatur mulier infidelis per virum fidelem.* Stephano itaque Rege baptizato, universa Pannonia recepit verbum vitae: et mira rerum novitate, per Reges Apostolos baptismi gratiam percepit. Quam praeclara tanti Apostolatus societas, quam veneranda utriusque sanctitas, per quos tot sunt salvati et sanctificati? Praefatus autem Rex Hungarorum religiosus, Deoque devotos, postea in executione bonorum operum permansit, quod divina pietas post mortem eius evidentibus indiciis ad sepulturam eius factis signorum, miraculis demonstravit. Burgundionum quoque non humana, sed divina fuit victoria. Nam cum armis, et omnibus belli copiis essent instructi viri ad bella doctissimi, armis depositis, non hominis metu, sed nutu Dei, rogantes ea quae pacis sunt, dextras dederunt.

Sicut enim ad declaranda beati Martini merita Dominus pacificum fecit exercitum; ita et nunc servi sui beati Henrici meritis consimilem virtutem dignatus est ostendere. Similem ergo fecit illum Dominus gloriae Sanctorum: et sicut Moyses precibus magis quam armis triumphavit; ita gloriosus Princeps per arma iustitiae bella omnia consummavit, et sine funere, et absque cruore semper triumphavit. Denique consummatis huius vitae laboribus, postquam bonae opinionis odorem longe, lateque olere fecerat, locumque sibi dilectum, et caetera monasteria ditando, et ornando, et excolendo ad perfectum adduxerat, ad percipiendam immarcescibilem coronam a Domino vocatus est, ab ergastulo carnis; qui cernens diem mortis sibi imminere, vocatis ad se parentibus, et cognatis beatissimae Imperatricis Chunigundae, necnon etiam quibusdam Regni Primoribus, manu eam apprehendit, et commendavit eam illis, huiusmodi verbis memoria dignissimis. *Hanc ecce*, inquit, *mihi a vobis, immo a Christo consignatam, ipsi Christo Domino nostro, et vobis resigno virginem vestram.* Discite ergo divites huius saeculi facere *vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in aeterna tabernacula.*

Huius vero gloriosissimi Principis praeconia linguam carnis tacere non convenit, in cuius transitu confutatis daemoniis, triumphantibus Angelis caelum exultavit. Defuncto itaque beatissimo Dei famulo Henrico anno Regni sui vigesimoquarto, Imperii undecimo, vitae vero suae quinquagesimosecundo, corpus eius Bamberg in Ecclesia Beatorum Apostolorum Petri et Pauli honorifice sepelitur; ac postmodum multis miraculorum virtutibus a Domino glorificatur. Post huius sanctissimi Principis excessum, Conradus unus ex Regni Primoribus Regali solio sublimatus consilio Brunonis Augustensis Episcopi, fratris sancti Henrici Imperatoris, qui semper, ut superius dictum est, eius felicibus actibus invidebat; Episcopatum Bambergensem destruere meditabatur, quia idem Bruno Episcopus promisit sorori suae Gisilae Reginae Hungarorum omnia praedia haereditario iure ad se

pertinentia, filio eius Henrico contradere. Locus ergo et tempus conventui statuitur, ubi haec res ad certum perducatur. Nocte vero quae diem huius negocii praecesserat, Eberhardus primus Bambergensis Episcopus ad tentorium praedicti Brunonis clam accessit; lectoque eius assidens, multa super hac re monendo, obsecrando, memoriam fratris animo inculcando cum eodem sollicitus egit. Transacta vero multa hora noctis Eberhardus Episcopus recessit; et cum Bruno Episcopus obdormivisset, visus est ei frater suus Imperator lecto suo astare, faciemque suam barba ex una parte depilata, deturpatam obiectare. Cui super hac re suspenso et admiranti, quis tam temerarios ausus in eum praesumeret; interroganti respondit, dicens, Tu haec fecisti, qui me, et sanctos Dei, quos ego rebus a Deo mihi concessis, ditavi, despoliare disposuisti. Cave ergo ulterius super hac temeritate, ne incaepta huas cum magna infelicitate. Ad haec ille expergefactus, de visione nimium est perterritus, omniumque membrorum horrore, ac tremore graviter attactus. Mane autem facto, cum diu expectatus ad conventum Procerum non veniret, Gisila Regina pro filio sollicita, missis nunciis, rogavit illum obnixe, ut adveniens inomissa perficeret. Ille vero affirmavit se tanta infirmitate gravari, ut nec de lecto surgere, nec pedem posset quoquam movere. Cumque rogaretur, ut se in lecto ad conventum portari pateretur, quo vel sic promissio perficeretur; omnino abdicavit, seque in Deum, et in Sanctos eius peccasse, libera tandem voce proclamavit. Sic itaque divina pietas per merita famuli sui, ne spe, quam in se potuit fraudaretur, omnia pravae illius conspirationis machinamenta repressit; idque quod ab eo bene coeptum est, confirmando semper exinde ad meliora provexit.

Sed iam nunc ad miracula, quae post felicem transitum eius, ad declaranda eius meritorum insignia, ad sepulchrum illius operatus est Dominus, veniamus.

Mulier quaedam contracta in ipsa manebat civitate, adeo incurvata, ut ad gradiendum nullatenus erigi posset: sed potius manibus reptaret, quam pedibus ambularet. Huic orationibus frequenter incumbente, divinitus inspiratum est, ut ad memoriam beatissimi viri accederet, atque omnipotentis Dei misericordiam obnixius imploraret; quod dum faceret in anniversario die ipsius, subito cernentibus cunctis adstantibus, facta est quasi in ecstasi, ac postea nervi qui dirignerant, sensim dissolvi, et omnia corporis membra crepitantia caeperunt extendi; mulierque erecta usum ambulandi, et reliqua membrorum officia cum omni sanitate recepit.

Quidam Aedituus in ordine laico ad custodiam deputatus Ecclesiae, furtis coepit assuescere, et quaecumque poterat in ipsa Ecclesia clanculo, decrustabat; sed cum iam inolita vitiorum consuetudine, ipsam consuetudinem peccandi iam quasi legem sibi fecisset, misericorditer a Domino corripitur. Quadam enim nocte, dum in eadem Ecclesia somnum caperet, servus Dei aspectu terribilis ei apparuit, et aspere invectus in eum, dixit, Species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum, quare hoc, et hoc fecisti? Scito quia rem iniquam operatus es. His dictis de stratu eum protraxit, et multis verberibus caesum, cruentatum dereliquit. Haec quidem somnians pertulit, sed expergefactus signa plagarum evidentia demonstravit, et verba verborum argumentis comprobavit. Taliter ab immani praecipitio retractus, in ministerio suo usque ad provectiorem aetatem in eadem Ecclesia permansit; et in eius correctione multi alii correcti sunt, glorificantes Deum, qui per servum suum iam coronatum in caelis, talia adhuc operatur in terris.

Quadam vice contigit incerto casu cuidam, ut dissocialis naturalibus instrumentis ab invicem, mandibula loco suo dimota, et oris officium impediret, et naturalem humani decoris compositionem deformaret. Talibus circumventus incommodis, clamavit ad Dominum, et divinae pietatis obnixius imploravit auxilium: ut ergo manifestaretur opera Dei in illo, multis intervenientibus, ad tumbam beati Henrici accessit, et capite superimposito, tam diu precibus institit, quoadusque meritis ipsius sanitatem accepit.

Item alio tempore contigisse in veritate audivimus, ut quidam in paralysi adeo vexaretur, ut exinde usum brachii iam perdidisset; nutu autem divino admonitus est, ut ad sepulturam sancti corporis accederet, et prostratus in oratione, Dei omnipotentis misericordiam, et beatissimi viri ibidem requiescentis merita invocaret. Toto itaque corpore prostratus orationibus incubuit, corde magis quam ore decantans cum Propheta. *Adhaesit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum.* Quid ergo? Christus filius Dei, qui super terram gradiens, manum aridam habentem sanavit, ibidem nunc sedens ad dexteram Patris, eodem invocato miraculo, per merita dilecti sui supplicem istum liberavit. Sanus equidem ab oratione surrexit, et Deum propitiatorem in commemoratione Sancti sui glorificavit. Clamor ad caelum attollitur, et cum debita gratiarum actione hymnus gloriae omnipotentis Dei ab universis assistentibus decantatur.

Hoc quoque successoribus nostris indicare curavimus, quod in diebus Rogationum, ad sepulchrum praedicti Confessoris contigisse veraciter cognovimus. Quidam enim Sacerdos cum populo suae procurationi commisso, in diebus Rogationum Crucem cum hymnis, et canticis ad Monasterium sancti Petri, et sancti Georgii deferebat, cum qua quidam coecus alterius manu ductus veniebat. Is cum ad sepulchrum Confessoris Christi venisset, ex toto corde suo rogavit sanctum Henricum, ut per eius interventum restitueretur ei lumen oculorum; cumque diu precibus, et lacrymis pulsaret ad ostium pii Confessoris, cunctis videntibus, et in laudem Dei acclamantibus, redditus est illi visus per gratiam omnipotentis: et mirum in modum, qui alterius manu ductus, crucem Domini sequutus fuerat caecus, modo propriis manibus crucem ferens, cum laudibus ipsi populo domum redeunti, ductum praebuit illuminatus.

Aliud quoque divinae virtutis miraculum cele-

bri commemoratione, et certa fide cognitum est. Erat quidam languidus ipsa in civitate omnibus cognitus, cuius inferiora omnia a lumbis et infra, omnino praemortua fuerunt, adeo ut nec pedibus solo niti valeret, sed instrumento cuidam rotulis quatuor coaptato, pendulus inhaerebat, suique corporis molem manibus propriis pro possibilitate artificis volutabat. Idem loculum sanctissimi corporis frequentius visitare solebat; et per Dei misericordiam ad declaranda servi sui merita, tantam gratiam consequutus est, ut membra praemortua vivificarentur, ac deinde baculis utrique humero suppositis, pedibus terram tangeret, et erectus incederet.

Modernis etiam temporibus, contractus quidam, qui adhuc in carne superest, in eodem loco sanatus est, et naturalem usum recepit ambulandi.

Praeter haec multa alia sanctitatis argumenta, et experimenta frequenter loco in eodem visa sunt; debiles curati, caeci illuminati, daemones ex obsessis corporibus visibiliter fugati, multi ex diversis infirmitatibus ibidem frequentissime liberati sunt, Domino testificante quanta sanctorum gloria in caelis, sit, quos tantis miraculorum virtutibus in terris coruscare concedit; ne apud homines loco humili teneantur, qui apud Deum meritis excelsi esse comprobantur. Cum etenim miraculorum attestationibus sanctitatem Confessoris sui Dominus declararet, Bambergensis Ecclesiae Praelati crebrescentibus signis cum mandatis, et litteris Conradi Regis, ac Principum Romam abierunt et quam magna mirabilia Deus per Confessorem suum operaretur, Domino Papae Eugenio, et Romanae curiae nunciaverunt: at illi gaudentes pro tantae famae dulcedine, Deum glorificantes, de Canonizatione Sancti Regis Henrici caeperunt solicite, et diligenter ad invicem conferre, quatenus in catalogo conscriberetur Sanctorum, qui virtutibus, et signis probaretur esse assumptus in regnum celorum. Cui canonizationi quidam Cardinalis Ioannes nomine caepit vehementer obsistere et profecto Dei timore in quibuscumque potuit non verecundatus est praedicto Confessori Christi detrahere; sed divina ultio detrahentem, caelesti repente verbere coercuit, et dum famam beati viri lacerarat, potestas Dei lumine oculorum, eum privavit: at ille adeo humiliatus, et percussus caecitatis molestia, reatus sui conscientia, caepit torqueri, et quoniam hanc plagam ex Confessore Christi peccando meruisset publica voce confiteri. Et mirum in modum quem prius dentibus detractionis lacerabat, hunc modo laudibus, et praeconiis usque ad sydera tollebat. Conversi itaque ad poenitentiam, celerem consequutus est indulgentiam, et per intercessionem confessoris Christi denuo est illuminatus, ob cuius ultionem iusto Dei iudicio fuerat excoecatus.

Simili modo cum in loco Bambergensi, ubi praedictus Confessor tumulatus fuerat, de Canonizatione eius celebris fama haberetur, Presbyter quidam nomine Luipoldus maioris Ecclesiae Canonicus de signis, quae per eum fiebant, caepit dubitare, et de permutatione exequiarum, quae in anniversario eius celebriter fiebant, intra semetipsum dolere; qui mox adeo oculorum caligine est plagatus, ut postea per Confessorem Christi sanatus, quantum sanctitas eius apud Deum posset in curatione ipsius experiretur. Et mirandum est valde quod de sanctitate tanti viri aliquis potuerit dubitare, cum conversationis sanctitatem, castitatis integritatem, eleemosynarum largitatem, humilitatis custodiam, et omnia opera iustitiae usque in finem vitae suae cum devotione summa servaverit sed sicut scriptum est, *Nemo Propheta acceptus est in patria sua.* Presbyter ergo praedictus gravatus defectu luminis, confugit ad patrocinia Sanctorum, deprecans, ut per suffragia eorum, sanitas sibi restitueretur oculorum. Et cum ex dolore, et assidua veniarum incurvatione fatigatus fuisset lassatum corpus somno reparavit. Cui dormienti Sanctus Vuolfangus eo quod eum familiarem in orationibus suis habuerit, apparuit, et ait ei, Ora Confessorem Christi Henricum, et liberabit te, quia quod eius sanctitati derogasti, idcirco haec plaga coecitatis venit super te. Post hanc visionem expergefactus ex conscientia delicti sui intremuit, et ad tumbam Confessoris Christi concito gradu, et devota mente properavit, et procumbens terrae a Confessore Christi lacrymis, et precibus suis excessibus veniam postulavit; qui statim exauditus et pristinae sanitati restitutus, gratiarum actiones Deo, et Sancto Henrico retulit, et magnalia Dei, quae circa ipsum Deus fecerat, religiosis viris, qui nobis retulerunt, ipse narravit.

Caveant igitur habitatores saeculi domesticis Dei, et viribus Sanctorum detrahere; quia necesse est eos hic, et in aeternum perire, qui Sanctorum bonis operibus solent obloqui, et invidere: quamvis ergo nunc tempora miraculorum non sint signa enim debentur non fidelibus, sed infidelibus: tamen cum aliqua nobis praeter solitum cursum, ordinemque naturae eveniant, omni veneratione amplectenda sunt; quatenus et ipse qui in Sanctis suis mirabilis est honorificatus, et nostra tarditas ad meliora quaeque tantis virtutibus accendatur, praestante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Deo Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat Deus, etc.

Additio ex Annalibus Card. Baronii. Tomo XI. Anno Domini 1014. ex vita Sancti Popponis Abbatis, scripta ab Everhelmo Abbate.

Contigit etiam ludis histrionum imperiales tunc fores occupari, atque eo spectaculi genere Regem (Henricum) cum suis oblectari. Ursis enim quidam nudus melle perunctus exhibetur, illo plurimum pro periculo suo timente, ne forte ab iisdem ursis ad ossa sua, melle consumpto, perveniretur. Unde super tam iniqua in Christianum illusione Regem Beatus Poppo redarguit; eumque ab hoc spectaculo suis cum optimatibus mox compescuit tum etiam a periculo ursorum virum liberavit: et ne id ultra fieret arguendo, et obsecrando obtinuit. Henricus enim Imperator tam obsecrationi, quam correptioni eius humiliter paruit. At nec id satis, sed magna sollicitudine idem Imperator curavit, ut idem Poppo Abbas Stabulensis crearetur. Sic

Imperator bene uti scivit reprehensione, ut reprehensorem suum novo beneficio sibi devineiret.

Anno Domini 1020. *Ex vita S. Heriberti Episc. Coloniensis.*

Henrici Imperatoris animam timor Domini possidebat, neque scienter disponere, aut iudicare in regno cupiebat, per quod caelestis offenderetur maiestas. Denique dum aliquid de regno disponere, aut iudicare intenderet, dispositiones omnes sive iudicia sua precibus, et eleemosynis praeveniebat, qualenus mens eius, et actus, caelesti regimine gubernaretur, ne quando exorbitaret agendo, vel iudicando, quod divinis legibus contrairet.

Eodem anno ex eadem vita S. Heriberti.

Invidi quidam animum Imperatoris adversus Archiepiscopum Coloniensem vehementer conciaverant, sed postea divinitus admonitus, quam magnus Dei servus esset Heribertus, sic ad eum locutus est: Ex quo ad regni fastigium Deo donante conscendi detrahentium linguis nimirum, fateor, credulus, te venerande Pater, exosum habui, et hanc odii trabem in oculo gerens, et ideo nihil videns, iniquum de te iudicium habui, tuamque iustitiam, immo Dei gratiam in te fulgentem videre non merui, et infra. Indulge ergo, precor, te, quod in te malignatus sum, qui peccatum meum agnosco, nec amplius addam adversari sanctitati tuae. His dictis semel, iterum, ac tertio sanctum Pontificem deosculatus est, et paulo infra. Sollicitus Imperator, neque praeterita reconciliatione contentus, nocte sequente finitis matutinorum solemniis, assumpto uno ex clericis, cubiculum sancti Pontificis adiit; sed non ibi quiescentem, verum in proximo Sancti Ioannis oratorio vigilantem, ut solebat, et orationibus insistentem reperit; protinus abiecta clamyde solo stratus ante pedes eius in spiritu humilitatis, et in animo contrito se suscipi postulat, et ea potestate, quam sacerdotibus suis Dominus contulit, veniam sibi dari cunctorum quae in ipsum admiserat. Nec moratus omnipotentis Dei famulus. Imperatorem prostratum a terra subievat, et Christo mediante, qui dixerat. *Quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in caelo: et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in caelo*, absolutio culpae secundum fidem Regis in caelo, et in terra peracta est. Haec ibi. Quid egisset hic pissimus Imperator si Archiepiscopum re ipsa, et factis laesisset, quando ob solam cogitationem illi nocendi, et hanc a perditis hominibus animo illius, alioqui simplici et recto, inspiratam, tanta poenitentiae signa edidit?

Anno Domini 1022. *Ex Bonif. de rebus Hungaricis Decade* 2. *lib.* 5.

Henricus in omnibus rebus specimen reddidit Christianissimi Imperatoris, quippe qui Sacratissima Eucharistia communire soleret exercitum, expiatione antea facta delictorum, cum praelium cum hostibus initurus esset, adhiberetque Patronos Sanctos Martyres Laurentium, Georgium, et Adrianum, quos praevio Angelo praecedere consuevisse aliquando vidisset exercitum.

Obiit Sanctus Imperator Henricus anno Domini 1024. cum vixisset annos 52. Regnasset annos 24. et Imperasset annos decem.

VITA S. STEPHANI

PRIMI REGIS HUNGARORUM

Qui eos ad Christi religionem traduxit:

Ab Episcopo Chartuitio conscripta, sed stylo mutato per Fratrem Laur. Surium.

PRAEFATIO AUCTORIS AD COLOMANNUM REGEM.

Domino suo Colomanno, Regi excellentissimo, Chartuitius Episcopus, spiritale ministerium Dei benignitate adeptus; post huius vitae terminum, illud, Enge precatur sempiternum. Aggredior nunc opus, Serenissime Rex, iussu tuo mihi demandatum, a quo hactenus ingenioli mei imperitia abhorruit, ob id praesertim, quod Priscianus Grammaticus, mihi olim sat bene perspectus et cognitus, procul a me digressus, iam decrepito mihi, tamquam caligine quadam septus, faciem exhibet obscurissimam. Sed cum alia ex parte dignitatis tuae attenderem auctoritatem, vicit tandem anxiae mentis dubitationem omnem, virtutum omnium lux et gemma, obedientia: cuius forti praesidio fretus, tametsi mihi vires cernerem haudquaquam suppetere, operis inchoandi fiduciam concepi. Cum sint autem plerumque invidiae obnoxia, quae bona animi fiducia geruntur: supplex oro Regiam sublimitatem tuam, uti opusculi huius suscipere ne gravetur patrocinium: nec offendatur parum commoda dictione, aut ordinis et rerum gestarum confusione. Quod si occurrat quippiam, quod foedam habeat offensionem, malim codicem ignibus absumi, quam livoris materiam cuipiam offerri. Et quia bona omnia ad nos ex divina misericordia proficiscuntur, ipsius munere sic libet opusculum praesens auspicari.

VITA.

Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum. Huius quidem patris datum optimum, et donum perfectum, ad omnes largiter dimanans, (*Neminem enim spernit, sed vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis pervenire*) ad Hungaros usque, quos olim Christianorum flagellum fuisse constat, sese diffudit. Quod quemadmodum et quando factum sit, styli officio ad posteriorum notitiam transmittere visum est. Ea quidem tempestate, qua Hungarorum gens, Dei Ecclesiam populabatur, fuit in ea Princeps quidam, quartus ab eo, qui Hungaris in Pannoniam ingressuris Ducem se praebuit. Is Geisa dicebatur, severus sane et crudelis homo in suos, potenter eis imperans: erga alios vero, praesertim Christianos, humanus, misericors, et liberalis. Etsi autem paganismi adhuc erroribus esset implicatus, attamen caelestis gratiae luce spiritali appropinquante, cum omnibus vicinis circumquaque provinciis de pace coepit accurate tractare, ut iam in illo liceret animadverti, cuius optaret esse filius dicente in Evangelio Domino Salvatore: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Edicto quoque proposito, iussit Christianis omnibus, in ipsius ditionem, sive Ducatum ingredi volentibus, hospitalitatis, et publicae fidei studium, et curam impendi. Porro Clericis et Monachis fecit potestatem in ipsius quoque conspectum veniendi, eosque propenso animo audivit: atque ita factum est, ut orthodoxae fidei semen in pectoris eius horto satum in fruges erumpere gestiret.

Quid multa? Adest tempus caelitus dispositum: credit ipse cum familiaribus suis: undis salutaribus expiatus, omnes ditionis suae homines pollicetur ad Christianismum perducturum. Cum autem multum esset sollicitus de edomandis rebellibus, ritibus sacrilegis abolendis, ad sanctae Ecclesiae profectum pro sua aestimatione statuendis Episcopatibus, mira quadam visione nocte eum Dominus consolatus est. Misit enim ad eum iuvenem speciosissimum, qui diceret ei: Pax tibi Christi electe; facessat cura isthaec, et solicitudo. Non fiet per te id, quod meditaris. Habes enim manus humano sanguine pollutas. Nascetur autem tibi filius, qui divinae providentiae consilio id efficiet, quod tu animo concepisti. Erit is Rex, et ex eorum Regum numero, quos Dominus elegit coronam Regni temporarii aeternam commutaturus. Tu vero hominem spiritali legatione apud te functurum, honorifice excipito: exceptum, reverenter habeto,

eius adhortationibus syncerum pii pectoris assensum adhibeto. Experrectus Princeps, stupens ad visionem, prius secum, deinde cum Christianis, et suis hominibus pertractans, humi totus prostratus, expansis manibus humiliter gratias agit Deo, seque, principatumque suum cum filio nasciturо curae illius, qui non dormit, neque dormitat, lacrymabundus commendat.

Admirante autem eo de viro divinitus ipsi praedicto, nunciatur illi, beatum Adalbertum Boemensis Ecclesiae antistitem, ad ipsum venire, ad Christianam religionem, fidemque non fictam eum traducere, et ob fidei profectum Domino laudis hostiam immolare cupientem. Is nuncius novis Christi tyronibus ineffabilem attulit laetitiam. Dux procedit obviam servo Christi cum fidelibus quibusque, honorifice eum excipit, et ut in visione erat admonitus, modis omnibus se obedientiae filium fore demonstrat. Deinde iubente ipso, fit ubique congregatio indomitae gentis; per sanctum Episcopum fiunt conciones, eius adhortationibus mox illi convertuntur et baptizantur, multis locis Ecclesiae conduntur. Lux enim illa, quae illuminat omnem hominem, profligatis tenebris, coepit in Hungaria enitere, et completum est in ea, quod Propheta ait: *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Lux lucis invisibilis Christus est, quem tunc Gentiles videre meruerunt, quando e tenebris revocati, illum esse et verum Deum, et hominem verum perfecte credidere.

Non est autem silentio praetereundum, ut omnis ambiguitas tolleretur e medio, et ne parum fidei habere videretur visio Duci oblata; etiam uxorem eius, iam partui propinquam, eiusmodi divinitus consolatione affectam: apparuit illi beatus Levita et protomartyr Stephanus, Levitici habitus insignibus ornatus, ita eam compellans: Confide mulier in Domino, et certa esto te filium pariturам, cui primo huius gentis et Regnum et corona debetur. Tu vero illi nomen impones meum. Cum autem femina non sine admiratione sciscitaretur ex eo, quisnam aut esset, aut vocaretur; sic respondit: Ego sum Stephanus protomartyr, qui primus pro Christi nomine martyrium obivi: iis dictis disparuit. Nascitur itaque, ut praedictum erat, filius Principi, notus Domino, secundum prophetam, priusquam in utero conciperetur, et per Stephanum prothomartyrem a Domino appellatus antequam natus. Eum vero beatus et Deo dilectus Episcopus Adalbertus baptizavit, et nomen Stephani ei impositum est, non sine nutu et consilio Dei, ut nos quidem persuasum habemus. Stephanus enim latine coronam significat. Et illum Deus voluit tum Regni temporarii, tum futurae beatitudinis redimere corona, ut vita et gloria perfruatur sempiterna. Oppido quidem Strigoniensi natus est, et illic quoque puer praeceptis Grammatices ad plenum imbutus est.

Interea crevit accurate educatus: eumque iam excessisset pueritiae metas; pater eius convocavit Hungariae proceres, et reliquos ordines, communicatoque cum eis consilio, illum post se regnaturum constituit. Utque ea res firmior esset, singulos ad sacramentum adegit. Deinde iam grandaevus, anno a Christo nato noningentesimo nonagesimo septimo vitae huius aerumnas cum caelestibus gaudiis commutavit. Eodem autem anno beatus Adalbertus, cum in Prussiam, gentis eius convertendae causa, profectus esset, martyrii palmam adeptus est.

Post obitum patris, Stephanus adhuc adolescens, Principum et plebis favore patri subrogatus, ardentiori animo in veritatis propagationem incubuit. Nam tametsi etiam num esset adolescens, non tamen illi cor in ore, sed in corde os erat. Scripturarum divinarum, quarum amore impense flagrabat, non immemor, iudicium et iustitiam semper ob oculos versabat, et pulchre quadrabat in eum illud Salomonis: *Audiens sapiens sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit.* Cumque omnia Dei praecepta sedulo observare conaretur, apud se pertractabat, quemadmodum populum suum ad unius Dei cultum adducere posset. Animadvertens autem sine vicinarum gentium confederatione id nequaquam fieri posse, cum exteris provinciis pacem fecit, fidemque inchoatam egregie confirmavit, ut posset eo securius id quod animo constituerat, in novella plantatione efficere. Sed hostis totius boni, et adversarius diabolus, malignitate et invidentia plenus, ut eius sanctum propositum disturbaret, intestina ei bella excitavit. Eius enim instinctu populus gentilis, Christianae fidei iugo colla supponere noluit, et cum Principibus domini sui imperio subducere se moliebatur. Itaque depopulabantur eius urbes, praedia vastabant, possessiones diripiebant, ministros caedebant, et ut caetera taceam, etiam ipsi insultabant. Cumque ab huiusmodi improbitate revocare se nollent, nec suo furori, et amentiae modum statuerent; Dux ipse, divinae virtuti confidens, ad edomandam illorum rabiem, cum sui exercitus copiis sub signis Dei electi Pontificis Martini, et clarissimi Martyris Georgii, movit in hostes, qui tum sorte urbem obsidebant, quam vulgo Vesprinum vocant. Quod quidem illi in eius fecere contumeliam, ut quem ad locum ille familiarius consuevisset accedere, ibi ipsi confiderent: esseque ex eo loco facilior ipsis aditus ad alia praesidia occupanda. At ille divina fretus ope et clementia, illos aggressus est: et illis quidem suis armis confidentibus, ipso vero fide armato, utrinque congressi sunt. Victis tandem hostibus, et partim caesis, partim captis, Dux victor abscessit: et sapienter quidem de illorum villis et agris, sive possessionibus statuens: non quemadmodum olim Saul, qui superatis Amalechitis, contra quam Dominus iusserat, ex eorum spoliis optima quaeque servaverat: sed quia Pannonia beatissimum Martinum apud se natum gloriatur, cuius etiam meritis vir Christo fidelis, ut iam dictum est, ex hostibus victoriam reportavit: nihil de rebus eorum in suos usus convertit: sed ex Dei amantium consilio, iuxta eiusdem sancti praesulis fundum eo loco, qui sacer mons dicitur, ubi sanctus Martinus, cum in Pannonia degeret, precari solitus erat: sub eius nomine monasterium construxit, possessiones, et redditus sufficientes ei attribuens. Idem vero de Episcopis constituit, ex illorum captivorum facul-

latibus decimas persolvi volens, idque adeo exacte, ut si quis decem haberet proles, decimam prolem sancti Martini coenobio daret.

Ita ergo hostibus sub iugum missis, Christi miles gaudio spiritali perfusus, omnem ingenii sui vim contulit ad consectandam doctrinam Evangelicam. Itaque dabat operam eleemosynis, vacabat precibus, crebro adhaerens ecclesiae pavimento, cum lachrymis orabat Dominum, ut animi sui propositum ipse ad effectum perduceret: ut qui sine illo nihil posset efficere, eius opitulante providentia, bona, quae facere decrevisset, cum virtutum incremento etiam re ipsa exequi valeret. Cum autem facile intelligeret, ad haec inchoanda et consummanda fidelium Christianorum consilium sibi esse necessarium, per nuncios et literas in partes omnes suum declaravit votum et desiderium. Multi igitur presbyteri et Clerici, sancti Spiritus gratia compuncti, relictis sedibus suis, Christi causa peregrini esse voluere. Abbates et monachi, nihil proprii habere cupientes, sub tam religioso Principe statuerunt ad sui instituti praescriptum vivere: in quibus fuit Astricus abbas cum discipulis suis: e quibus Bonifacius loco patris Abbas postea creatus, et a beato Rege in inferiores Hungariae partes causa praedicationis missus, in vertice gladio percussus, etsi supervixit, non est martyrii corona frustratus. Venerunt etiam duo e Polonia, eremiticae vitae contemplationis causa studiosi. Ex iis alter Andreas dictus, confessionis merito choris Angelicis est adiunctus, haud obscure id declarantibus miraculorum signis, quae per eum Dominus effecit. Alter Benedictus nomine, pro Christo sanguine fuso, insigniter est laureatus. Porro Astricus Abbas cum suis honorifice acceptus, ad radices montisfertei caenobium in S. Benedicti honorem construxit, ubi hodieque monachorum est congregatio, regulari disciplina pollens, temporalium rerum copiis ex Ducis liberalitate superabundans, nullius indigens, nisi ut ad Evangelii praescriptum, suos aliorumque pedes quotidianis precibus, et lacrymis lavet. Cum his Dei servis Princeps christianissimus, modo communiter cum omnibus, modo separatim cum singulis colloquia miscens; usque adeo divinis conspectibus gratum, et acceptum se praebuit, ut per eum omnes militiae eius comites ad veri Dei cultum adducti sint. Quos autem alios Deos colere animadvertit, eos et minis, et terroribus subiugavit, et convenienter doctrinae ecclesiasticae illos instituens, in eorum cervices disciplinae iugum, et legem imposuit, omnesque daemonum spurcitias prorsus eliminavit.

Postea vero provinciam in decem Episcopatus distribuit, quorum metropolim, et magistram esse voluit Ecclesiam Strigoniensem. Non ignorans autem vir prudens Astrici Abbatis religionem, Episcopum Colocensem constituit, canonica electione creatum. Deinde quarto a patris obitu anno, divinitus promotus, eumdem Astricum praesulem, qui etiam Anastasius dictus est, ad Sanctorum Apostolorum limina misit, a Petri Apostolorum Principis successore petiturum, ut recens conversae Pannoniae largam benedictionem impertiret, Strigoniensem Ecclesiam sua auctoritate metropolim constitueret, reliquos Episcopatus sua benedictione muniret, et ipsum Ducem regio diademate cohonestaret: ut eo fultus honore, quae divinae gratiae adiutorio caepisset, ea magis, magisque promovere, et constabilire posset. Per idem tempus etiam Miesca Polonorum Dux, christianam complexus fidem, legatos suos Romam miserat, ut Pontificis benedictionem, et regium ipsi titulum impetrarent. Assenserat quidem Pontifex, et iam coronam egregio opere confici curarat, quam ei mitteret sua benedictione adiuncta. Sed quia *novit Dominus, qui sint eius*, qui etiam duobus ab Apostolis propositis, Matthiam socio suo praetulit, et cum Apostolis annumerandum curavit: illa corona Stephanum ornari voluit, postea felicius gloria sempiterna coronandum. Nocte enim eius diei, quo statuerat Pontifex coronam Polonorum principi dare perferendam, apparuit ei Angelus Domini, aitque ad eum: Noveris cras hora diei prima ignotae gentis nuncios ad te venturos, suo Duci coronam regiam, et Apostolicae benedictionis munus abs te expetituros. Eam ergo coronam, quam parari iussisti, illis incunctanter tribue, ad ipsorum Ducem eam absportaturis: nec dubites illi eam cum regni gloria pro vitae eius meritis deberi. Itaque crastina luce, ea hora, quae praedictum erat, Praesul Astricus ad Pontificem venit, demandatumque sibi officium prudenter exequens, sanctique Ducis res gestas ordine referens, a Sede Apostolica regni coronam petiit, ostendens dignum esse Ducem eo honore, et dignitate, quippe qui divina fretus ope, multos sibi populos subiugasset, multosque infideles sua potentia ad Christum convertisset.

Iis auditis, mire exhilaratus Pontifex, precibus illis libenter annuit, Crucemque ante Regem, ceu Apostolatus insigne, gestandam adiunxit: Ego, inquiens, sum Apostolicus: at ille merito Christi Apostolus dici potest, cuius opera tantum populum sibi Christus acquisivit. Atque ea causa, quemadmodum divina gratia ipsum docebit, Ecclesias Dei una cum populis nostra vice ei ordinandas relinquimus. Omnibus impetratis, quae postularat, Antistes Astricus laetus ad suos revertitur, illud secum ferens, cuius causa iter illud emensus erat. Allatis vero Apostolicae benedictionis literis cum Corona, et Cruce, Praesules cum Clero, Comites cum populo, in laudes Dei prorumpunt, et Deo dilectus Stephanus Princeps ungitur in Regem, et diademate regio feliciter coronatur. Ea autem dignitate auctus, quam ille vitam egerit, qua prudentia, et moderatione fuerit, illud satis declarat edictum, quod ab illo cum Episcopis, et Hungariae Primoribus promulgatum est: quo singulorum vitiis singula adhibuit remedia, et ut patris, qua Christus orbem coadunavit, se filium ostenderet, inter caetera cavit, ne quis alium hostiliter invaderet, ne quis vicinum suum absque iudicis sententia laederet, ne quis viduas, et pupillos opprimeret. Id vero decretum, perpetui foederis subscriptione, ad posteros suos transmisit.

Porro consortem regni, praecipue sobolis propagandae causa, sibi adscivit Henrici Imperatoris

filiam Giselam: qui Imperator, ob morum comitatem, et mansuetudinem, Pius est appellatus. Ea autem Gisela, chrismate uncta, et corona regia insignita, qualem se praebuerit erga Dei cultum ornandum, quam frequens, et benigna, ac liberalis erga Christo servientium congregationes fuerit, mollarum ecclesiarum Cruces, vasa sacra, et utensilia, miro opere effecta, vel contexta, in hunc usque diem testantur: praecipue tamen Ecclesia Vespriniensis, quam illa a fundamentis constructam, rebus omnibus, quae ad Dei ministerium sufficiant, in auro, argento, multigenisque vestibus praeclare ornavit. Ipse vero Rex nuper inchoatos Episcopatus, idest, tam metropolitam, quam caeteras cathedrales Ecclesias, amplissima singulis assignata dioecesi, et idoneo praefecto Antistite, Abbatias quoque, praediis, Cohortibus, familiis, et redditibus regia plane munificentia instruxit. Crucibus, vasis sacris, aliaque supellectile ad Dei ministerium spectante, pro cuiusque necessitate, vel indigentia, satis exornavit, annisque singulis, quoad vixit, munera et oblationes semper auxit, ne aliquid extrinsecus conquirere cogerentur, qui rebus divinis peragendis praecerant. Monachorum quoque vitam, et conversationem, modo per se ipsum, modo per alios accurate investigans, desides arguebat, alacres, et vigiles charas habebat, Canonicorum ministerium, Episcoporum moderationi, et circumspectioni sub Christi, et Ecclesiae testificatione commendabat, cum Apostolo omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret.

Ea tempestate in monasterio S. Martini erat monachus quidam, Sebastianus nomine, cuius vita probabilis, et in Dei cultu religiosa devotio habebatur. Eum venerabilis Rex miro caepit amore complecti: (Quanto enim quisque esset religiosior, tanto illi quoque charior erat) atque ob vitae eius merita dignum eum censens, qui Episcopi dignitate polleret, Strigoniensis Ecclesiae Archiepiscopum esse voluit. Sed quia *flagellat Deus omnem filium, quem recipit*, Sebastianum illum ut eius patientia probaretur, ad tempus utriusque luminis orbitate afflixit. Ne vero novellus grex, pastoris gubernatione destitutus, a recto itinere deflecteret, et aberraret; Romano Pontifice assentiente, Astricum Colocensem Episcopum, cuius iam crebro est habita mentio, in eius locum Rex substituit. Triennio inde evoluto, Sebastianus ex Dei benignitate recuperavit visum, et Pontifice Romano approbante, Astricus cum pallio rediit ad suam Colocensem Ecclesiam, Sebastianus Strigoniensem gubernandam recepit.

Erat sane Rex ille fidelis, et integer in omnibus factis suis, Deo toto pectore deditus, et addictus: se ipsum quoque et regnum suum per votum, et oblationem in perpetuae Virginis Mariae tutelam assiduis precibus contulit. Cuius sacratissimae Virginis honor, et gloria tam est celebris apud Hungaros, ut festum Assumptionis eius, tacito proprio nomine, sua lingua diem Dominae appellent. Atque ut Rex piissimus propensionem tantae Virginis defensionem, et patrocinium posset promereri; in ipsa regiae sedis civitate, quam Albam vocant, in eiusdem perpetuae Virginis laudem, et honorem, et grandem, et insignem, atque in primis celebrem basilicam condidit, opere sane mirifico celatis Chori parietibus, et pavimento marmore strato. Quam basilicam qui vidit, testimonium perhibet dictis nostris, innumera illic haberi palliorum, et eorum, quae paramenta vocant, genera: tabulas altarium non paucas ex auro purissimo, pretiosissimorum lapidum ordinibus conspicuas: Eucharistiae aediculam, quam ciborium dicunt, arte mirabili supra Christi mensam extructam: conclave omni genere vasorum crystallinorum, onychinorum, aureorum, et argenteorum abunde refertum. Tantae vero elegantiae Ecclesiam usque adeo rex sibi uni vendicavit, adeoque immunem esse voluit, ut nullus Episcopus quicquam in ea iuris haberet. Quibus autem diebus absolutio esset poenitentibus impendenda, aut sacrum Chrisma conficiendum, eum Episcopum voluit in ea absolvere poenitentes, et Chrisma conficere, quem ipse vel praesens id facere iuberet, vel quem absens eo mitteret: Divina quoque Missarum solemnia, rege illic praesente, eum duntaxat Episcopum celebrare, cui rex, consentiente cum fratribus Praeposito, id demandaret: absente autem rege, absque Praepositi et fratrum bona venia, nullum Episcopum illic sibi vel Missas celebrandi, vel cuiuslibet pontificalis ministerii exercendi licentiam usurpare. Praeterea eius Ecclesiae populum tanta libertate et immunitate gaudere voluit, ut nulli omnino Episcopo decimas penderet: sed soli Praeposito et fratribus, prout ipse instituisset, servitium exhiberet.

Quaecumque autem servus Dei per id tempus acquirere potuit, ea in Christum refundere studuit, a quo illa profecta non ignoraret; ut qui eum mundi huius gloria et honore dignum fecerat, etiam caelestis patriae civibus clementer adscribere dignaretur. Et in Prophetis quidem de Apostolis scriptum legimus, *In omnem terram exivisse sonum eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.* Non debet autem hoc de solis illis duodecim accipi, sed de omnibus, a Deo ad Evangelizandum missis, quorum fide, verbis et moribus, Ecclesia suis augescit incrementis. Ex eorum autem numero ille, de quo agimus, Christianissimus Rex non minimus fuisse putandus est, ut qui bonae voluntatis et piorum operum famam, quam Ecclesiis in propriae ditionis amplitudine construendis sibi peperit; in longinquas regiones, et urbes celeberrimas diffuderit, ac propagarit. Extruxit enim in ipsa Hierosolyma, ubi Dominus noster Iesus Christus in carne versatus est, monachorum caenobium, idemque praediis et vineis, unde eis quotidiani victus copia suppetat, ditavit. Romae quoque, quae est mundi caput, sub protomartyris Stephani titulo, duodecim Canonicorum Collegium condidit, rebus necessariis, et ad eiusmodi Collegium attinentibus abundans, domos quoque et hospitia Hungarorum, qui orationis causa Romam ad beati Petri Apostolorum Principis limina venirent, exaedificavit, muro ea lapideo circumdans. Tum quoque Urbem Regiam Constantinopolim noluit suae liberalitatis esse expertem,

mirifici operis in ea condens Ecclesiam, rebus omnibus necessariis ei adiunctis. Itaque non immerito suae ditionis Apostolus appellatus est. Et si vero ille sibi evangelizandi munus non sumpsit, attamen ceu quidam concionatorum dux et magister, defensionis et sustentationis solatia eis suppeditavit.

Inter omnia autem coelestis gratia munera, beato regi divinitus collata, illa vel praecipue admiranda, et scriptis commendanda videntur, quae etiam ad promerenda aeternae vitae gaudia primarium locum obtinent, puta misericordia et veritas. In cunctis enim felicibus factis suis hoc, vel maxime sibi consectandum existimabat, quod in Evangelio scriptum, fidelibus interioris hominis oculis contemplatus erat, ipsa veritate ita dicente: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur,* et alio loco: *Date et dabitur vobis.* Tanta igitur misericordia, benignitate, et pietate pauperes Christi, imo in pauperibus ipsum Christum complectebatur, ut nullum unquam hospitem et peregrinum absque aliquo solatio a se discedere pateretur, et ad recreandos egenos quotidianas expensas absque intermissione fieri iuberet. Iam vero etiam nocturnis horis multa alacritate et hilaritate abluebat fidelium pedes, et in sinu pauperum abscondebat eleemosynas. Christum inopem membris eius consolari in hac vita cupiens, ut cum illo quandoque in illa caelesti domo, bonis omnibus refertissima, aeternum exultare mereretur.

Quadam autem nocte, divino permotus instinctu, nemine sciente, crumenam nummis plenam accipiens, pusillum Christi gregem suo more solus invisit. Et ecce pauperes caelestis thesauri distribuendae pecuniae nimium inhiantes, beati viri barbam evulserunt, ea improbitate illius meritis testimonium perhibentes. At ille gaudio perfusus ingenti, ad beatissimam creatoris omnium matrem se confert: humi prostratus, gratias agens, exclamat: Regina coelestis et mea, en quem tu Regem contulisti, cum sic honorarent milites tui. Quae si mihi ab aliquo hoste illata esset iniuria, tuo fretus adiutorio, non sinerem eam inultam abire. At nunc sciens hinc mihi parari aeternam felicitatem, impense laetor, gratias agens illis piissimi Salvatoris consolatoriis verbis, quibus discipulos suos confirmavit. *Capillus,* inquiens, *de capite vestro non peribit.* His dictis, cum se vir Dei caelesti gratia, et spiritali charismate perfusum sentiret, statuit nunquam pectoris sui ostia opem poscentibus claudere: atque deinceps per scipsum et alios; praecipue tamen Christi servos et familiares, nempe Clericos et Monachos, coelitus sibi datas facultates pauperibus impertiit in aeternis thesauris per illorum manus reponendas. Eius rei permulti sunt testes, atque in iis beatus Guntherus, ex saeculari nobilitate conversus, atque Eremita et Monachus effectus, cum illo nunc vitae beatae particeps. Is humanissimi Regis tanta liberalitate illectus, e Bohemiae regione crebro ad illum venire solebat. Quoties autem sua praesentia eius aulam illustraret, curam regni ei demandabat Rex Tum ille rebus, quas in aula invenisset, et peregrinos, egenos, viduas, pupillos, coenobia, et Ecclesias erogatis, brevi illam exinanichat. Ad eius quoque nutum Rex Deo devotus monasterium, quod Beel vocant, inchoavit, bonis omnibus illud locupletans: in quo Gerardus Monachus, qui Venetiis eo venerat, vitam duxit contemplationi addictam: et postea divina ordinatione creatus Episcopus, post obitum sancti Regis, orta christianorum persecutione, lapidibus oppressus, divino munere, martyrum contubernio pignus effectus est. Nec hic praetermittendum puto, quod divina virtus in beati viri vita demonstrare voluit, cuius meriti esset. Nam quoties ad aures eius pervenisset, quempiam adversa laborare valetudine, medicinae loco misit ei sive panis, sive pomi, vel herbae odoriferae particulam, simul mandans, ut sanus surgeret. Mox vero divinae misericordiae favore eis sermonem prosequente, incolumis ille efficiebatur.

Post gloriosam in caelos ascensionem, et mirabilem in paterna dextra confessum, Salvator noster paucis corporaliter apparuisse legitur; per visionem autem multos consolans, de rebus futuris eos fecit certiores. Idem vero praestitit etiam huic sancto Regi. Quadam enim nocte ex revelatione experrectus, veredarium quemdam intra diem et noctem iussit propere ire ad Albam Transylvaniae, et omnes ruricolas, ut ad Urbes munitas celerrime se conferant, admonere, quod superventuri essent christianorum hostes Bessi, (qui tum Hungaris infesti erant) eorumque res depredaturi. Vix nuncius compleverat, quae iussis erat: et ecce Bessorum inopinata incursio, et impetus, incendiis et rapinis depopulatur omnia, corporalibus hominum illaesis, quod ex beati viri praemonitione in tutiora loca se recepissent.

Defuncto autem beati Regis amico, Romanorum Imperatore Henrico, Conradus ei in Imperio successit. Is pacis tranquillitate interturbata, totius Germaniae viribus et copiis contractis, Pannoniae infesta signa inferre conatus est. Tum vero Rex Stephanus, Episcoporum, et Principum coacto conventu, in patriae defensionem totius Hungariae exercitum evocavit. At prius tamen secum perpendens, se nihil posse sine Christi adiutorio, manibus et corde sursum erectis, Dominae suae, perpetuae Virgini, et Dei genitrici, suas iniurias commendans, in eiusmodi prorupit voces: Si placet tibi, Domina mundi, tuae partem haereditatis ab inimicis devastari, et novellam Christianismi plantationem dissipari: ne, quaeso, sinas illud imputari: diffidentiae meae, dispositioni voluntatis tuae. Si quid commeruit culpa pastoris, ipse luat: oves, quaeso, insontes ne patiaris affligi. His dictis, tanquam accepta consolatione ab ea, fidenter movit in hostes. Altera die nuncius venit ad singulos quosque duces exercitum Germanorum, ab Imperatore literas adferens, quidem iubebantur pedem retro referre. Illis ergo discedentibus sanctus Rex divina misericordia adiutum se sentiens, humi se abiecit, gratiasque agit Deo et sanctissimae genitrici eius, cuius protectioni, seque regnumque suum assiduis precibus commendare solebat. At Imperator suorum tam repen-

tina defectione perterritus, sciscitatur quidnam rei ipsis accidisset: audiensque de nuncio qui eos ipsius nomine redire iussisset, sciensque illum a se haud quaquam missum fuisse, non dubitavit consilio et voluntate Omnipotentis Dei rem gestam ob fidelissimi Regis corroborandam spem: seque deinceps ab eius invadendo regno, timore illius Iudicis aeterni, cohibuit.

Porro Rex piissimus, erga regni sui politicam gubernationem religiosa sollicitudine occupatus, diurnum tempus colloquiis et consultationibus impendebat, nocturnis horis in vigilias, preces, lachrymas, rerum divinarum contemplationem incumbebat, orans sedulo iustum iudicem, ut ipse sua moderatione quotidie discutiendis rebus et ferendis sententiis adesse dignaretur, Quod quidem cum ille magno spiritalis desiderii studio frequentaret, nocte quadam procul a templo Dei (descenderat quippe cum illo suo magno et nobili comitatu) in loco campestri fixis tentoriis, in cordis sui cubiculum se recepit: et flexis genibus solo labiorum motu, ad sempiternae misericordiae fores gemitibus et lacrymis pulsabat, cumque diutius precibus inhaereret, Domini sui, Regis aeterni ministris ad suscipiendas preces eius advenientibus, papilio super eum extensus, a terra sublatus est: atque tamdiu in aere mansit suspensus, donec vir Dei ad se reversus ab illa contemplatione, spiritum a precibus relaxavit. Quod licet invisibiliter illi soli, qui res novit ante, quam fiant, et secretorum eius conscii Angelis esset cognitum; attamen etiam cuidam magnae simplicitatis, et innocentiae viro, qui tunc fortassis simili erat operi intentus, innotuit. Quem Rex Dei spiritu id revelante, arcani sui conscium sciens, ad se accersitum blandis primum verbis appellat; rogat, quidnam viderit. Deinde severiter interdicit, ne cui id, dum ipse sit in humanis, revelet.

Fama nominis eius in multas gentes divulgata, et iudiciis oris eius cum multa laude ubique propalatis, sexaginta Bessi, quorum supra meminimus, cum universo apparatu suo, auri, argentique copiis, et multi variis ornamentis curribus onustis, e finibus suis egressi, ad regem venire volebant, ad Pannoniae fines accessissent, multi e servis, quorum animi instar cerae facile flectuntur in vitium, malignitatis suae facibus inflammati, iis exiere obviam: et quosdam gladiis cedentes, illorum res omnes abstulerunt, eosque vacuos et semineces reliquerunt. At illi ea, quae passi erant, ad Regem relaturi, coepto pergunt itinere: cumque in Regis conspectu venissent, ad eius genua provolvuntur. Rex iis visis, percontatur quid mali perpessi sint. Tum illi: Nos, inquiunt, servi tui, domine Rex, nihil cuiquam mali machinantes, ad te properabamus, audituri iudiciorum tuorum disciplinam. Quidam autem in nos incurrentes, pecuniam omnem, quam apud nos habebamus, nulla culpa nostra abstulere: atque insuper quosdam apprehensos e nobis occiderunt. Denique vix compotes vitae, huc accessimus, ut eam rem tibi indicaremus. Rex iis auditis, ut erat prudens, neque vultu, neque verbis minatus est eis: sed convenienter illi sententiae Salomonis, *Totum spiritum suum profert stultus, sapiens differt et reservat in posterum*: misit ocyus ad tribunal, sub quo militabant illi, et ad certum diem iussit coram se sisti omnes. Factum est ita, et ad eius conspectum adducti sunt, ab illo discutiendi. Eos ergo sic appellat Rex: Cur post habita et contempta lege divina, non estis usi misericordia, sed homines innoxios tam male mulctastis? Sicut ergo fecistis? ita hodie vobis, coram me faciet Deus. Legis enim transgressores feriri par est. Lata igitur in eos sententia, educti sunt, et ad omnes Regni aditus bini suspensi. Quod ille credendus est zelo iustitiae ita iussisse, ut exemplo suo perditi illi homines his terrorem adferrent. Cum enim Regnum suum exteris omnibus in illud adventantibus, ceu portum quemdam tutissimum, et asylum esse vellet, liberum quoque in illud omnibus voluit patere ingressum, ita ut nemo ausus esset quemquam ex eis laedere, aut molestiam ei exhibere. Quod etiam sua auctoritate consecutus est, quando illo vivente nullus quemcumque hospitem in aliquo violare ausus fuit.

Nec tamen beatus et pius Rex immunis fuit ab eo, quod Apostolus dicit, *Per multas tribulationes oportere nos introire in regnum Dei*. Et quod habetur in Proverbiis Salomonis: *Quem diligit Dominus, corrigit, et quasi pater in filio complacet sibi*. Multis enim modis castigavit eum Dominus. Tribus annis perpetuo laboravit adversa valetudine. Qua cum tandem divinae misericordiae medicina esset liberatus, in obitu filiorum suorum, quos adhuc infantes mors rapuit, aeterni iudicis flagella persensit. Attamen dolorem, ex ea orbitate conceptum, amore filii superstitis, bene indolis pueri Emerici temperavit: quem sane ceu unicum impensius amans, quotidianis precibus Christo, et eius genitrici, Virgini perpetuae commendabat, eumque sibi superstitem, et Regni haeredem votis omnibus expetebat. Et ut idoneus ille foret tanti Regni tenendis gubernaculis, Catholicorum virorum doctrinis quotidianae lectionis usum, et utrasque tam animi, quam corporis aures, eum voluit adhibere: atque insuper paterni amoris impulsus stimulis, libellum ei composuit de morum institutione, in quo illum verbis spiritus adhortationis fideliter et accurate compellat: docens eum quemadmodum ante omnia deberet retinere catholicam fidem, confirmare statum Ecclesiasticum, honorem habere Praesulum dignitati, Principes et milites amare, iudicii tenax esse, in cunctis suis actibus studere patientiae, hospites benigne recipere, benignius alere et fovere, sine consilio nihil agere, maiores suos semper ob oculos exemplum sibi statuere, precibus crebro vacare, pietatem et misericordiam, caeteraseque virtutes colere et consectari. His et id genus aliis disciplinis praeclarus ille iuvenis imbutus, ex divinae voluntatis moderatione, cui omnia parere necesse est, Dominicae incarnationis anno millesimo tricesimo, vitam hanc corruptibilem cum sempiterna commutavit, supernorum civium choris adnectus. Eius animam ea ipsa hora, qua decessit, cuidam Graecorum Episcopo, sanctae conversationis viro, divinitus revelatum est, Angelicis comi-

bus in caelos deportari. Cum autem pro sanctitatis suae meritis summe ab omnibus diligeretur, omnium extitit luctus ingens, in primis vero Principum: inter quos pater, tanto accepto orbitatis vulnere, graviter suspirabat, et pietatis affectu ductus, dolebat se omni posteritatis spe destitutum. Attamen sciens scriptum esse, *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum*: et illud in Canonibus, Neminem propter obitum charorum nimium debere contristari: posito animi moerore, totum se contulit ad largam Dei misericordiam promerendam. Coenobiorum enim et Ecclesiarum ministris, monachis, et clericis multa elargitus est, multamque ea beneficentia attulit consolationem: quicquid vero ei superfuit, peregrinis, viduis, et orphanis erogavit. Exterarum quoque provinciarum monasteriis Regiae munificentiae dona innumera per nuncios suos crebro misit. Eam, quam in iuventute susceperat, morum gravitatem ad supremum usque vitae diem praesetulit. Vix unquam ridere visus est, sciens scriptum, *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat*: semper ita se comparans, ac si staret ad tribunal Christi, eius praesentiam oculis interioribus sereno vultu contemplans, Christum in ore, Christum in corde, Christum in cunctis actibus suis circumferebat. Extremum vitae diem semper ob oculos mentis habebat, et magno cordis desiderio ad illam supernorum civium frequentiam adspirabat, quemdam Angelicae conversationis habitum praeseferens. Denique cunctis ornatus virtutibus, in sanctitate et iustitia coram Deo omnibus diebus vitae suae vivere constituerat, ut in eo iam quaedam futurae gloriae species elucere videretur.

Nec diu post in morbum incidit, qui ei postea mortem attulit: diuturnaque eius morbi molestia increscente, pedibus insistere non potuit. Quod ubi adverterunt ex Palatinis nobilissimi quatuor, scilicet Regem diu, graviterque laborantem, cum etiam num cordis perfidia tenerentur, iniquum inter se consilium inierunt, ut cum e medio tollerent. Iam die advesperascente, antequam in domo Regis lucerna accenderetur, unus ex iis audacter, caelo abscuro ingressus est, nudum ensem sub clamyde ferens, quo erat Regem piissimum iugulaturus. Sed cum eo inferret pedem, ubi Rex quiescebat, caelesti revera impulsu, gladius ei excidit: quem Rex statim sentiens, quid is sibi vellet, perquisivit, cum iam divinitus id praesciret. Tum ille territus corruit, agnoscit consilium amentia plenum, dolet, accedit propius, procumbit in genua, Regis pedes amplectitur, se peccasse confitetur, petit tanti parricidii veniam. Rex pius ab eo faciem non avertit, propenso animo ignoscit. At vero iubet inquiri illos immanes parricidas: in repertos tanto sceleri congruentem mortis profert sententiam.

Dignus tandem, qui centuplex caelestis Regni bravium consequeretur, febre correptus est: sentiensque adesse migrationis tempus, accersitis Episcopis et primoribus palatii, Christiano nomine gloriantibus, primum tractavit cum eis de substituendo sibi Rege. Deinde paterne monuit eos, servare catholicam fidem, quam accepissent, amare iustitiam, fraternae charitati studere, humilitati dare operam, ante omnia vero novellae Christianismi plantationi curam et solicitudinem adhibere. His dictis, manus et oculos in caelum erigens, Regina caeli, inquit, mundi inclyta reparatrix, tuo patrocinio sanctam Ecclesiam cum Clero et Episcopis, Regnumque cum primatibus et populo tuis precibus commendo: quibus ego nunc ultimum vale dicens, animam quoque meam tuis manibus committo. Instabat tunc praecipua solemnitas, celebris Angelis et hominibus Assumptionis beatissimae Mariae dies: in cuius gaudiis, ut sui corporis fieret dissolutio, precibus a Domino contendit, lachrymis et gemitibus impetravit, sperans cumulatioris misericordiae se spem habiturum. Aderat ergo felix ille dies, obitu mox felicitatis aliquam accessionem habiturus, circumstabant cum Clero Episcopi, cum ministris Principes et Comites. Rex in medio iacens, sacram percepit unctionem, sanctamque animam, corporis et sanguinis Christi recreatam viatico, anno Dominicae incarnationis millesimo tricesimo quarto, in manus perpetuae Virginis, et sanctorum Angelorum, aeternae quietis beatitudini inferendam, tradidit.

Extitit mox planctus Sanctorum haud vulgaris, Angelis laetantibus: sed planctus ille postea mutatus in gaudium perenna tam praesentium, quam futurorum populorum. Ad exequias eius ex omnibus Pannoniae plagis concursum est, corpus ad urbem regiam, puta Albam, perductum: sed cum Ecclesia beatissimae Virginis ab eo constructa, necdum consecrata esset, communicato inter se consilio, prius Episcopi statuunt sanctificandam basilicam, postea in ea corpus humandum. Absoluta igitur dedicationis solemnitate, sacrum corpus media aede sarcophago e candido marmore confecto, impositum est, ubi compluribus annis ob eius merita Dominus permultis malo habentibus, febribus vexatis, afflictionem, et miseriam suam fatentibus, innumera praestitit beneficia. Saepe quoque illic noctibus Angelicae melodiae auditae sunt a multis, saepe odoris suavissimi fragrantia per templum sese diffudit.

Iacuit in eo loco sacrum corpus annis quadragintaquinque, occulta quadam omnipotentis Dei dispositione, cui est mirabilis in Sanctis suis, marmoris pondere pressum, et in pulverem redactum, ut tempore praefinito dignius declaretur, et in resurrectionis die gloriosius renovetur. Id vero quid significet, quando sine divina ordinatione factum minime putamus, libet oculis interioribus speculari. Fortassis non nihil terreni pulveris, divinae examinationis igne purgandum, in illo remanserat, sine quo Reges, magna potentia fulti, vitam praesentem vix quidem transigere possunt. Illis ergo evolutis annis quinque et quadraginta, cum ad praestanda per eum mortalibus suae misericordiae beneficia Sancti sui iam vellet Deus merita declarare, Romani Pontificis literis mandatum fuit, ut eorum corpora elevarentur, qui in Pannonia Christianae fidei semina iecissent, et sua vel praedicatione, vel institutione ad Dominum

eam convertissent. Itaque Ladislaus Rex, qui tum ad Reipublicae gubernacula sedebat, omni morum honestate conspicuus, et virtutibus illustris, divino cultui, et laudibus Dei totus aedictus, sancto illum Spiritu permovente, communicato cum Episcopis et proceribus, totiusque Regni sapientibus viris consilio, triduanum cunctis ieiunium indixit: ut quod communi Catholicorum utilitati. Spiritus sancti numeribus, animarum et corporum salutem efficientibus, profuturum videretur, id communi omnium deprecatione, ieiuniis et eleemosynis fulcita, per signorum manifestationem expeteretur. Sed ut ostenderet Dominus, quanta misericordia Rex adhuc manens in corpore, praeditus fuerit, quam etiam iam cum Christo regnans prae caeteris operibus se approbare declaret, cum triduo totis viribus in id incumberent, ut eius sacrum corpus elevarent, nulla id arte loco movere potuerunt. Eo namque tempore ob hominum culpas inter eum, quem diximus, Ladislaum Regem, et fratrem eius Salomonem, gravis fuit orta simultas et seditio; cuius nomine captus Salomon, custodia tenebatur. Cum ergo in corpore elevando frustra sudarent, quaedam inclusa apud Ecclesiam sancti Salvatoris, (Charitas ea dicebatur) cuius vitae tum erat celebris opinio, ex divina revelatione mandavit Regi, conatus eorum omnes irritos et inanes fore, nec posse transferri sancti Regis corpus, donec Salomon venia impetrata, liber custodia dimitteretur. Illo igitur e carcere educto, et rursus triduano exacto ieiunio, cum ad sacras transferendas reliquias tertio die ventum est, grande saxum sarcophago impositum, tanta facilitate sublatum est, ac si nihil ponderis haberet. Absoluto autem eius diei vespertino officio, cunctis divinae benignitatis beneficia per beati virì merita praestolantibus, subito Christo plebem suam visitante per sanctae aedis amplitudinem caelitus miracula corruscant. Quorum multitudo quoniam ea nocte numerum excessit, libet hic illud ex Evangelio dicere, quod Salvator Ioanni, per nuncios scisciatanti, an ipse esset, qui venturus sit, voluit responderi: *Cocci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, leprosi mundantur*, mali corriguntur, paralytici curantur. Sed tamen quando omnia non possumus, quaedam ex eis annotabimus.

Iuvenis quidam, membris omnibus dissolutus, duodecim annis mansit paralyticus, manuum et pedum officio destitutus. Is parentum opera eo perductus, totius corporis est incolumitate potitus, atque ad altare currens alacriter, omnium Christi laudes promentium gaudia cumulavit. Fuit hoc eius noctis primum miraculum.

Alius septennis puer, ab ispo ortu contractus, genibus et manibus reptabat. Eum parentes plena fide ad beati Regis sepulcrum adducunt, illicque prostrati, eius suffragia implorant. Mox voto potiti suo, mirantur contractos nervos filii corpore laxari. Vident omnes cum solidatis plantis et genibus ambulantem, et Christi nomen in beati viri meritis laudabili clamore concelebrant. Porro Rex pius, prae nimio gaudio lacrymans, puerum e terra levatum ad altare adfert, et in Dei laudes erumpens, pro tanto beneficio illi puero collato, cum omnibus, qui aderant, profuse gratias egit. Ita totam noctem illam Deus, pro famuli sui veneratione, multorum splendore signorum mirifice illustravit: et populus vigiliis et precibus vacans, singulis miracula laudis, et praedicationis vocibus prosequi non cessavit.

His vero illud quoque adiungendum videtur, non solum illic praesentes, sed etiam procul positos, eius suffragantibus meritis, celerem salutis effectum adeptos esse. Cum enim eius elevandi fama passim increbuisset, variis afflicti morbis, ex cunctis Pannoniae finibus, quo quisque poterat modo ad sanctum eius tumulum properarunt. Sed cum aliis praecedentibus, aliis maiori morbo retardati, simul eo pertingere non possent, eadem tamen misericordia innumeri in ipso itinere sanati sunt. Quamobrem etiam ob perpetuam beneficii Regis conservandam, et ad posterós propagandam memoriam, complures eius meritis salutem adepti, in iis ipsis, curati sunt, itineris sui locis; grandes lapidum acervos effecerunt, qui postea longo illic tempore permanserunt. Sed et mulier quaedam exanime corpus unici filii sui, qui interim spiritum exhalarat, apud sancti Regis sepulcrum deposuit. Dei et sancti eius opem imploratura. Mira quidem res, et nostris temporibus stupenda: non prius femina orare destitit, quam vivente cerneret filium suum.

Mane diei, ab Assumptione beatissimae Virginis quinti, convenientibus in Ecclesiam cum Rege Principibus, cum Clero Episcopis, primum Missa pro defunctis celebrata est: deinde sublata tabula marmorea, quae erat pavimento eminentior. Postquam autem ad sarcophagum perventum est, tanta inde suavissimi odoris fragrantia in omnium nares dimanavit, ut sibi in paradisum deliciarum Dei rapti viderentur. Ipse vero sarcophagus plenus fuit aqua aliquantum subrufa, et quasi oleo permixta, atque in ea, perinde atque balsami liquore, ossa pretiose quievere. Quibus in mundissimum linteamen collectis, in ipso liquore diutissime quaesierunt annulum sancti Regis dexterae insertum. Sed cum non inveniretur, iussu Regis aqua illa in argentea vasa effusa est, ut posset annulus certius reperiri. Sed modo sane admirabili factum est, ut quo plus exhauriretur aquae, eo magis sarcophagus impleretur. Id ubi animadversum est miraculi, aquam haustam suo restituere loco: nec tamen ea accedente, sarcophagus magis abundare visus est. Tum vero cooperto sepulcro, laudes et gratias egerunt divinae pietati. Porro interim dum ex invento reparant beatissimae matris Dei, et perpetuae Virginis altare, Deus, qui est mirabilis in Sanctis suis, profusis benignitatis suae muneribus, et evidentibus miraculorum signis se praesentem declaravit, in tantum, ut tempus illud, quo Salvator vixit inter homines, rediisse videretur, de quo Scriptura divina ait: *Omnes, qui habebant infirmos variis laguoribus, ducebant illos ad Iesum, et curabantur.* Haec vero omnia virtus divina, non solum illo die, sed postea quoque longo tempore ob merita servi sui effecit, ita ut etiam ab exteris regionibus, cognita beati viri fama, salutis recuperandae causa per-

multi, variis affecti morbis, ad sancti Regis imploranda suffragia cupidissime advolarent.

Comitissa Mathildis, eximiae nobilitatis Matrona tribus annis perpetuo viscerum dolore laborans, iam morti proxima videbatur: A suis vero ad monumentum Regis beati allata, ubi illud attigit, paulatim coepit habere melius: brevique recuperata pristina valetudine, magnalia Dei per famuli eius merita in se renovata divulgavit.

Alia miracula caelitus perpetrata idcirco praetermisi, quod ea fastidiam: sed cum non mihi uni pluat Dominus, *qui solem suum oriri facit super bonos, et malos*: tantam beneficiorum eius copiam, omnium utilitati consulere cupiens, innumeris sapientibus viris, quos Hungaria fovet et complectitur, stylo prosequendam relinquo. Illum solum sub libelli finem adiicere libet, miro divinae benignitatis munere, diu quaesitum et minime repertum annulum, cum ipsius beati Regis dextera, post eius peractam translationem inventum esse.

Nam Monachus quidem, Mercurius nomine, (qui cum esset clericus thesauri beatissimae, semperque Virginis Mariae custos fuerat, et iam amore caelestis patriae saeculo valefecerat) ea hora, qua sancti Regis tumulus apertus fuit, ne quid sacrarum reliquiarum ad se raperet, obiurgatione Regis procul inde remotus fuit. Sedenti igitur in choro tristi vultu, iuvenis quidam candido amictus habitu, pannum involutum tradidit, ita dicens: Hunc pannum tibi servandum commendo, opportuno tempore in lucem proferendum. Sacro inde expleto ministerio, monachus in quodam angulo domus explicat pannum, integramque piis Regis manum cum annulo mirifici operis cernens, expavescit, nulloque conscio, ad monasterium suum cui praefectus erat, eam absportat, tempus a iuvene ipsi memoratum praestolaturus. Et diu sane thesauri illi in agro absconditi, solus ipse custos pervigil fuit. Deinde monasterii eius fundatoribus rem aperuit. Postremo, appropinquante iam tempore, quo erat arcanum illud in publicum offerendum, ait Regis quoque notitiam perduxit. Is vero nox accitis Episcopis, et Hungariae primariis [illegible] cum multa interim Christus miraculorum beneficia exhiberet, celebrem praefixit diem beati Regis dexterae elevandae. Sed quid sibi vult, frater mei quod caeteris membris resolutis, et carne in pulverem redacta, solam dexteram manum cum [illegible] cute, ossibus, et nervis, Deus integram conservavit? Equidem sic sentio, divini consilii altitudinem id hac re demonstrare voluisse, eleemosynae studium omnes virtutum gradus transcendere. Quamobrem etiam in Evangelio Dominus ait: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, itemque: *Date, et dabitur vobis*. Et alio loco Scripturae divinae: *Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis*.

Merito igitur sancti Regis dextera, corruptionis mansit expers, quae semper misericordiae floribus reviviscens, ad alendos pauperes numquam muneribus distribuendis vacua fuit. Namque piissimus Rex opem tulit calamitosis et indignis, liberavit oppressos captivitatis iugo, vestes et hospitalitatis officia impendit peregrinis, viduarum et pupillarum miseriam et inopiam suam putavit. Mandatum Salvatoris de lavandis aliorum pedibus quotidie implevit, pauperum pedes abluens: eleemosynas praestitit non ex rapinis, aut aliorum damnis, sed de suis facultatibus. Ut domos Dei locupletaret, sibi ipsi interdixit habendi voluntatem. Denique omnibus pro dignitate prodesse cupiens, carnem suam cum vitiis, et concupiscentiis crucifixit. Inde est ergo profecta corporis, et dextrae manus eius admiranda, et iucunda veneratio inde suavis et beata sempiternae vitae retributio: inde optatissima supernorum civium cohabitatio: ubi cunctos illustrat semper lucens, nec unquam deficiens splendor unius, summeque divinitatis. Patris, et Filii, et Spiritus sancti, per infinita saecula saeculorum. Amen.

ANNOTATIO.

Quod in hac historia dicitur, Giselam coniugem sancti Stephani fuisse filiam sancti Henrici, et ab eo ductam, cum iam Christianus esset: corrigendum est ex historia Othonis Frisingensis: Gisela enim non fuit filia, sed soror sancti Henrici, et in coniugem data Regi Stephano, cum ille nondum Christianus esset. Haec enim sunt verba Othonis Frisingensis, historici nobilissimi in libro sexto Chronici capite 27. Henricus Imperator sorore sua Gisila Stephano Hungarorum Regi in uxorem data, tam ipsum, quam totum Regnum eius ad fidem vocavit. Hunc Stephanum Hungari hactenus fidem Christianam servantes, velut principium fidei suae inter Sanctos colendum dignum ducunt. At Henricus Imperator piissimus, vicesimoquarto Regni sui, Imperii autem undecimo anno, rebus humanis exemptus, in Ecclesia Bambergensi humatur. Et ut illa testatur Ecclesia, sepulcrum eius usque hodie crebris miraculis celebre habetur.

Obiit sanctus Stephanus anno Domini 1034, et in Sanctorum numerum relatus fuit a Benedicto IX. anno Domini 1036.

VITA S. EDUARDI REGIS

AUCTORE ALREDO RHIEVALLO ANGLO, MONACO ET ABBATE CISTERCIEN. ORDINIS

Floruit is Alredus Anno Domini 1164.

Gloriosi, ac Deo dilecti Regis Eduardi vitam literis traditurі, ex verbis beatissimi Petri Apostolorum Principis sumamus exordium, qui Centurionis vocationem admirans ait: *In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, et operatur iustitiam acceptus est illi.* In omni enim gente ordine, gradu et dignitate novit Dominus qui sunt eius, et miseretur cui voluerit, et misericordiam praestat, in quem sibi placuerit. Neque enim ex sui ipsius natura, vel paupertas praestat, vel adimunt divitiae sanctitatem: nec perfectum obscuritas, nec reprobum claritas facit; nec claudit libertas, nec reserat servitus paradisum. Primus Patriarcha Abraham, et dives scribitur et perfectus, cuius fides admirabilis, et obedientia inimitabilis in rerum omnium copia praedicatur. Ioseph Dominus Aegypti constitutus a Rege, universo orbi praebuit castitatis exemplum. Sanctus Iob qualis in divitiis fuerit, earum probavit ademptio, quam morbus corporis, tentatio uxoris, amicorum exprobratio, speclabili patientia reddidit clariorem Rex David, quo nemo ditior, sed nemo et sanctior quo nullus sublimior, sed humilior nullus: et inter thesauros innumeros sepelitur, et inter Dei amicos caeteris gratior computatur. Nemo proinde miretur, si noster Eduardus, et Rex dicatur, et sanctus, quem cernimus, et in divitiis egenum, et in delictis sobrium, in purpura humilem, et sub corona aurea mundi conteamptorem.

Cum enim Rex Ethelredus ex filia Comitis Thoreti filium suscepisset Edmundum, cognomento ferreum latus; ex Regina autem Emma Alfredum, beatus Eduardus intra viscera materna conclusus praefertur utrique agente eo, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae, qui dominatur in regno hominum, et cuicumque voluerit, dat illud. Fit enim coram Rege magnus procerum et Episcoporum conventus, et quia iam futurae cladis indicia saeva processerant, agitur inter eos de regis statu tractatus. Alii vero Edmundum ob invictissimum robur corporis aestimant praeferendum; alii ob virtutem Nortamannorum Alfredum promovendum tutius arbitrantur. Sed futurorum omnium praescius, prioris brevissimam vitam, alterius mortem immaturam prospiciens, in puerum necdum natum, universorum vota convertit, utero adhuc clauditur, et in Regem puer eligitur: non natus natis praefertur, et quem nec dum terra susceperat, terrae dominus designatur: et laeti proceres sacramentum fidelitatis illi iurant, qui utrum nascerelur, ignorant. Paulo itaque post nativitatem Sancti Eduardi irruentibus in Angliam Barbaris, et maximam insulae portionem caede, incendioque vastantibus; Regina cum filiis in Nortmanniam transposita est. Vivebat in avita domo inter pueros puer, immunis tamen a vitiis, quibus aetas illa solet implicari. Castus erat corpore, sermone rarus, simplex actu, et purus affectu. Frequentare Ecclesiam dulce habuit, crebrius orationibus incumbere, sacris Missarum interesse solemniis visitandis monasteriis operam dare, et quos sanctiores sciebat, sibi monachos in amicitiam copulare.

Saeviebat interim gladius hostilis in Anglia, caedibus et rapinis omnia replebantur, ubique luctus, clamor, et desolatio. Incenduntur Ecclesiae, monasteria devastantur, sacerdotes a suis sedibus fugati, in locis desertis communem miseriam deplorantes delitescebant. Inter quos vir venerabilis Brithuvaldus Uvintoniensis Episcopus, coenobium Glastoniense moerens, ac tristis ingressus, orationibus vacabat et psalmis. Qui cum aliquando pro Regni, plebisque liberatione preces lacrymasque profunderet, quasi in haec verba prorumpens, ait. *Et tu Domine usquequo? Usquequo avertis faciem tuam? oblivisceris inopiae nostrae et tribulationis nostrae? Sanctos tuos occiderunt, altaria tua destruxerunt, et non est qui redimat, neque qui salvum faciat.* Scio Domine, scio, quia omnia, quae fecisti nobis, in vero iudicio fecisti. Sed *numquid in aeternum proiiciet Deus, et non apponet ut complacitior sit adhuc*? Erit ne Domine Deus meus, erit ne finis horum mirabilium? aut in aeternum tuus in nos mucro desaeviet, et perculies usque ad internicionem? Inter preces tandem et lacrymas fatigatum sopor suavis excepit, videtque per somnium beatum Petrum in eminentiori loco constitutum, et ante eum praeclari vultus in forma decenti, regalibus insigniis ami-

clum Eduardum. Quem cum propriis manibus Apostolus consecrasset et unxisset in Regem, monita salutis adiecit, praecipueque caelibem vitam commendans, quot esset annis regnaturus aperuit. Obstupefactus praesul tanti miraculi novitate, petit sibi a sancto huius visionis mysterium revelari: de statu insuper regni, et de instantis periculi fine Apostolicum exegit oraculum. Tunc placitum vultu intuitus intuentem se, ait: *Domini*, o praesul, *est regnum, et ipse dominabitur in filiis hominum. Ipse transfert regna, et mutat imperia, et regnare facit hypocritam propter peccata populi.* Peccatum peccavit populus tuus Domino, et tradidit eos in manibus gentium, et dominati sunt eorum qui oderunt eos. Sed non obliviscetur misereri Deus, nec continebit in ira sua misericordias suas. Erit enim cum dormieris cum patribus tuis, visitabit Dominus populum suum, et faciet Dominus redemptionem plebis suae. Elegit enim sibi virum secundum cor suum, qui faciat omnes voluntates suas, qui me opitulante regnum adeptus Anglorum. Danico furori finem imponet. Erit enim acceptus Deo, gratus hominibus, terribilis hostibus, amabilis civibus, utilis Ecclesiae, laudabilemque vitam sancto fine concludet. Quae omnia in beato Eduardo completa, rei exitus comprobavit. Cum autem Episcopus de posteritate Eduardi quaereret, respondit Sanctus Petrus; Regnum Anglorum, regnum Dei est. Post istum providebit regem ad placitum suum.

Stabat adhuc spiritus procellae, et exaltati sunt fluctus eius, externisque malis accessit civilis discordia; adeo ut quis cui mentis suae secreta committeret, nesciretur. Plena erat proditoribus insula: nusquam tuta fides, nusquam sine suspicione amor, sermo sine simulatione. Tandem eousque proditio civilis, et astutia processit hostilis, ut defuncto Rege Ethelredo, magna pars insulae, legitimis haeredibus abdicatis, Canuto qui regnum invaserat, manus darent: peremptoque invictissimo Rege Edmundo, etiam filios eius, adhuc in cunis agentes, Barbaris mitterent occidendos. Alfredus demum Eduardi frater in Angliam transvectus in audita crudelitate ab hostibus, civibusque perimitur. Tunc Eduardus omni humano destitutus auxilio, exul patriae, regni, et honoris, vivebat: impiorum insidias timebat, et ne a suis proderetur, vel ab hostibus ad mortem emeretur, plurimum formidabat. Invento autem consilio salutari, Deo prosternitur, talia prosequendo: Ecce Domine, *non est mihi auxilium in me, et necessarii mei recesserunt a me. Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt.* Pater meus post multos labores rebus humanis excessit, fratres meos crudelitas proditorum absorbuit, nepotes in exilium acti sunt, mater aemuli nostri nuptiis tradita est. Ita solus relictus sum, et quaerunt animam meam. Sed tibi Domine derelictus sum pauper: pupillo tu eris adiutor. Tu quondam Eduvinum morti expositum, mirabili modo, et vitae reservasti, et regno. Tu illud Angliae decus, Sanctum Osualdum ex exule Regem factum, per signum crucis reddidisti cunctis hostibus fortiorem. Si igitur fueris mecum, et custodieris me, et reduxeris me in regnum patris mei; eris tu mihi semper in Deum, et beatus Petrus Apostolus in patronum, cuius sacratissimas reliquias in Urbe Roma, te annuente, te regente, te comitante, visitaturum me promitto. Exhinc autem factus fide robustior, spe alacrior, expectans expectavit Dominum.

Canuto autem Rege rebus humanis exempto, filiis eius immatura morte praereptis, Angli Danico iuge liberati, Eduardum in Regem elegerunt, et cum maximo honore consecrari et inungi fecerunt. Tunc sacerdotes sapientia et sanctitate fulgebant, monasteria omni religione pollebant, agebat clerus in officio suo, populus stabat in gradu suo. Videbatur etiam terra faecundior, aer salubrior, maris unda pacatior. Reges enim et Principes pro tanta rerum mutatione, admiratione perculsi, cum tanto rege foedus inire, amicitias iungere, pacem componere gavisi sunt. Sola tamen Dania adhuc spirans et anhelans caedes, Anglorum interitum minabatur. In his omnibus vir beatus in gloriam non est elatus humanam, sed hanc sibi vivendi formam proponens, suis se domesticis praebebat aequalem, sacerdotibus humilem, plebi gratum, compatientem miseris, et largum egenis, Nulla apud eum personarum acceptio, sed iudicabat in iustitia pauperes, et arguebat in aequitate pro mansuetis terrae. Eratque pater Orphanorum, et iudex viduarum. Si quicquam petebatur, praebebat: si accipiebatur, tacebat. Nullus unquam eum vidit aut inflatum superbia, aut ira efferatum, aut gula dehonestatum. Supra humanum enim modum pecuniae contemptor, nec in earum amissione tristior, nec in adeptione videbatur hilarior.

Recumbente aliquando gratia quiescendi Rege in lectulo, camerarius accessit ad thecam, in qua aes regium servabatur, et reposito intus quod volebat, et illam claudere oblitus, foras egressus est. Animadvertit hoc quidam, et accedens ad thecam, pecuniam non modicam in sinum recondit, et abscedit: Reversus denuo, rege inspectante, facinus iteravit. Quod cum tertio attentasset; cernens rex in spiritu thesaurorum adesse custodem, ait: Importune agis, o homo, si mihi credis, tolle quod habes, et fuge, quoniam si venerit Hugolinus (hoc enim cubicularii nomen erat) nec unum tibi nummum relinquet. Fugit ille, et vix pedem extulerat, et ecce minister regis rediens, et thesaurum ablatum reperiens, timore, et tremore concutitur, unde non solum angustiam cordis, verum etiam et furorem mentis, clamor, et suspiria prodiderunt. Surrexit, et quasi nesciens quid acciderit, perturbationis huius causam inquirit. Quam cum didicisset, ait: Tace, forte ille qui coepit, plus nobis indiguit. Habeat sibi: nobis sufficit quod remansit.

Proceres autem terrae de successione solliciti, regem de uxore ducenda conveniunt. Stupet rex, thesauro metuens suo, qui fictili vase reconditus, facile poterat calore dissolvi. Sed quid ageret, si obstinatus resisteret, timebat ne propositi sui proderetur dulce secretum: si suadentibus praeberet assensum, naufragium pudicitiae formidabat. Tandem importune insistentibus cedere tutius ratus,

huiusmodi verbis pudicitiam suam Domino commendabat : Iesu bone, tua quondam misericordia tres pueros inter flammas Chaldaicas illaesos servavit. Per te Ioseph, relicto pallio in manibus meretricis, cum titulo castitatis evasit. Admirabilis Susannae constantia, tua virtute de impudicis presbyteris triumphavit. Sanctae Iudith castitas ab Holoferne nec ledi potuit, nec tentari. Ecce ego servus tuus, et filius ancillae tuae, succurre mihi Domine, quatenus sic maritale suscipiam sacramentum, ut pudicitiae periculum non incurram. Rege igitur procerum voluntati consensum praebente ; Goduvini filiam duxit in uxorem. Erat autem Goduvinus vir magnarum opum sed astutiae singularis, Regum, Regnique proditor, qui doctus fallere, et quaelibet dissimulare consuetus, facile populum ad cuiuslibet factionis inclinabat assensum. Sed sicut spina rosam, genuit Goduvinus Egdidam. Hanc dilecto suo praeparavit Christus Eduardo, inspirans ei ab ipsa infantia castitatis amorem, odium vitiorum, virtutis affectum. Legere, aut operari manibus, ocium fugiendo, consuevit lasciviam vitare, et colloquia iuvenum declinare. Convenientibus igitur in unum, Rex et Regina de castitate servanda paciscuntur, nec huic fidei alium, quam Deum testem aestimant adhibendum. Fit illa coniux mente, non carne ; ille maritus mente, non opere. Perseverat inter eos sine actu coniugali coniugalis affectus, et sine defloratione virginitatis, castae dilectionis amplexus. Diligitur ille, sed non corrumpitur ; diligitur illa, nec tangitur, et quasi nova quaedam Abisag Regem calefacit amore, sed non dissolvit libidine, mulcet obsequiis, sed desideriis non emollit.

Quadam vero die Pentecostes, cum Rex divinis interesset mysteriis, hora elevationis corporis Christi, subito Rex vultu hilarior, et erectior oculis, in risum modicum, servata tamen regia gravitate, dissolvitur. Mirari, qui aderant caeperunt, nec sine causa, cum praeter consuetudinem id ei accidisse sciebant. Peractis autem Missarum solemniis, causam risus instanter adstantes sibi exponi petunt. Ille, ut erat mirae simplicitatis, simpliciter quaerentibus, simpliciter omnia confitetur, dicens : Convenit Danis cum Rege suo antiquum facinus iterare, et quam nobis propitia divinitas largita est, infestare quietem. In percussione quidem nostra, qua castigans castigavit nos Dominus, ignorantes Dei iustitiam, et suam extollentes virtutem, dixerunt. *Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit haec omnia.* Quia vero Deus patribus nostris iratus, Danorum nos tradidit potestati, suis id viribus tribuentes ; facile hoc ipsum et nunc fieri posse arbitrantur, nescientes quia qui percutit, ipse et sanat; et qui mortificat, ipse et vivificat, et qui ducit ad inferos, ipse et reducit. Igitur Rex Daniae, coacto in unum exercitu, hodierna die ventis pro voto flantibus, naves parari praecepit. Iam naves velis, et vela ventis fuerant committenda, et Rex iniquus ob nimiam superbiam quasi semetipsum non sustinens, dum de scapha in navem conscendere vellet, pede lapso, inter utramque in mare corruit, et statim abyssus vallavit eum, et pelagus cooperuit caput eius : sicque morte sua utrumque populum, Danorum scilicet et Anglorum, a peccato pariter, et periculo liberavit. Et spero in Domino Deo meo, et in dulcissima matre eius, quod temporibus meis nullum habebit conatus eorum effectum. Haec sunt, quae Christo revelante cognovi, et vidi, et risi, et gavisus sum. Risum enim mihi fecit Dominus, et quicumque audierit, corridebit mihi. Notantur tempus et hora, mittuntur nuncii in Daniam, et omnia quae beatissimo Regi caelitus nunciata fuerant, vera et eadem hora accidisse reperta sunt.

Succedentibus itaque prosperis, Rex voti sui nequaquam oblitus, recogitans quanta sibi fecerit Dominus, qui ditavit egenum, sublimavit humilem, inglorium coronavit; parat reddere vota sua, parat sumptus, parat donaria. Vocatis autem Regni proceribus, habuit cum eis de statu Regni, vel de sua peregrinatione sermonem, dicens : Non excidit vobis quomodo irruentibus in haereditatem nostram barbaris, facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio et illusio his, qui in circuitu nostro sunt. Aliis namque interfectis, aliis fugatis, aliis iugo ignominiosae servitutis oppressis, nihil fere honoris, nihil gloriae nostro generi reliquerunt. Tandem defuncto patre meo, peremptis fratribus, actis in exilium nepotibus, et cum hostibus nostris in omnibus fortuna fuerat, mihi profecto nihil spei superesse videbatur. Ego vero contra spem in spem credens, et Domini mei misericordiae me totum dedens, peregrinationem meam ad Sanctorum Apostolorum limina vovi, et deinceps divinae me protectioni, dispositionique commisi. Ille autem respexit in orationem meam, et non sprevit precem meam, et abstulit opprobrium meum, et restituit me in regnum patris mei. Insuper cumulatum divitiis, auxit gloria, donis caelestibus illustravit : Ipse sine sanguine rebelles subegit, hostes subvertit, et omnia nostra amabili quidem pace composuit. Absit ut tot, et tantis eius beneficiis inveniamur ingrati ; quin potius de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in iustitia et veritate, faciamusque quod ait propheta, *Vovete et reddite Domino Deo vestro.* Decernite ergo mecum quomodo me peregrinante, Regnum subsistat Anglorum, qua lege, qua pace, qua iustitia, quo iudice omnia disponantur ; quis castra, urbes, privata, et publica negocia procuret. Erit autem unus omnium custos et protector Deus, et pacem quam dedit, ipse servabit, nobiscum proficiscens, et remanens, qui et vos custodiat, et me reducat. Tunc omnes in communi vociferantes ad Regem, se non deferendos, se non exponendos gladiis, patriam hostibus non prodendam, nec pro uno, ut putabatur, bono, tot admittenda pericula allegabant. Tunc Rex eorum vocibus et precibus urgeri se sentiens, diu in animo fluctuabat; quia et voto supersedere periculosum, et tantorum precibus, fletibusque non cedere, inhumanum arbitrabatur. Tandem peregrinationem differens, expectabat donec Apostolico fultus consilio, aut votum redimeret, aut impleret.

Demum Pontifex Summus, consideratis praemissis, et diligenter discussis, Regi epistolam subscripta continentem transmisit. Leo Episcopus

servus servorum Dei, dilecto filio suo Eduardo Anglorum Regi, salutem et Apostolicam benedictionem. Quoniam voluntatem tuam laudabilem, et Deo gratam cognovimus, gratias agimus ei, per quem Reges regnant, et Principes iusta decernunt. Sed quia prope est Dominus in omni loco omnibus invocantibus eum in veritate, et sancti Apostoli cum suo capite coniuncti, unus spiritus sunt et pias preces aequaliter audiunt; et quia constat periclitari Anglicam regionem ex tua discessione, qui fraeno iustitiae seditiosos eius motus cohibes ex auctoritate Dei, et sanctorum Apostolorum absolvimus te a peccato illius voti, pro quo offensam Dei times, et ab omnibus negligentiis et iniquitatibus tuis, ea potestate usi, qua Dominus in beato Petro concessit nobis, dicens. *Quaecumque solveris super terram, erunt soluta et in caelis*: Deinde praecipimus tibi sub nomine sanctae obedientiae, et expensas, quas ad iter istud paraveras, pauperibus eroges, et coenobium Monachorum in honorem sancti Petri Apostolorum Principis, aut novum constituas, aut vetustum emendes et augeas, et sufficientiam victualium fratribus de tuis redditibus constituas; quatenus dum illi assidue inibi Deum laudaverint, et Sanctis augeatur gloria, et tibi indulgentia, Cui loco quicquid contuleris, vel collatum est, vel conferetur ut ratum sit, Apostolica auctoritate praecipimus, et ut semper habitatio monachorum sit, et nulli laicae personae nisi Regi subdatur, et quaecumque privilegia ibi constituere volueris ad honorem Dei pertinentia, concedimus, et robustissima auctoritate confirmamus, et in fine fractores eorum aeterna maledictione damnamus.

Responsalibus autem Regis, et literis Pontificis oraculum caeleste concurrit. Erat enim vir quidam in Anglia, Deo dilectus et hominibus, cui in specu subterraneo multis annis inclusus, suorum erat meritorum stipendiis iam vicinus. Huic Petrus Apostolus in visione noctis assistens: Rex Eduardus pro voto quo se cum adhuc exularet adstrinxerat, pro Regni etiam pace, pauperumque necessitate, preceque sollicitus, Romanam Ecclesiam de omnibus credidit consulendam. Noverit ergo se mea auctoritate ab hac obligatione solutum, et de coenobio ad mei nominis honorem construendo, a Summo Pontifice suscepisse mandatum. Incunctanter itaque literis Apostolicis fidem habeat, praeceptis obediat, consiliis acquiescat. A me enim egressus est sermo, quem sibi quondam patronum elegit, viae comitem gratiae largitorem. Est autem mihi locus in occidentali parte Londoniae a me electus, mihi dilectus, quem quondam mihi propriis manibus consecravi, mea nobilitavi praesentia, divinis etiam miraculis illustravi. Thorneia nomen est loci, qui quondam ob peccata populi, Barbarorum traditus potestati, pauperrimus ex divite, humilis ex sublimi, ex nobili factus est contemptibilis. Hunc me Rex praecipiente, in habitaculum monachorum suscipiat reparandum, sublimandum aedificiis, possessionibus ampliandum. Non erit ibi aliud, nisi domus Dei, et porta caeli: ibi erigenda est scala, per quam descendentes et ascendentes Angeli, preces et vota hominum perferant, et deferant, gratiam. Inde ascendentibus reserabo ianuas paradisi, ut ex officio, quod meus mihi Dominus, ac Salvator iniunxit, et ligatos absolvam, et absolutos suscipiam, et quam eis delictum occluserat, iustificatis portam patriae caelestis aperiam, Tu autem omnia, quae audisti a me, et didicisti, literis tradens regi mitte, ut munere Dei duplicato, et de absolutione securior, et praecepti executione devotior, in mei autem dilectione et obsequio reperiatur propensior. His dictis, lux cum loquente disparuit. Scripsit itaque senex omnia audita, et regi direxit. Eadem autem hora lecto Papae scripto, beati senis apices recitantur. Tunc Rex laetus, et alacris, pecuniam, quam ad peregrinationem paraverat, pauperibus distribuit, et monasterium aedificavit.

Tempore quo Rex Ethelbertus, qui regnavit in Cantia praedicante Augustino fidei sacramenta susceperat; nepos eius Sebertus, qui Orientalibus Anglis praefuit, fidem eodem Episcopo evangelizante suscepit. Hic Londoniis, quae regni sui caput habebatur, intra muros Ecclesiam beati Pauli fabricavit, et Episcopali honore Mellitum Episcopum instituens honoravit. Extra muros vero in Occidentali parte, in honorem beati Petri monasterium insigne fundavit, et multis possessionibus ditavit, Nocte autem, dedicationem eiusdem Ecclesiae praecedente, piscatori cuidam Thamesis fluvii, qui idem monasterium praeterfluit, ulteriori ripa in habitu peregrino beatus Petrus apparens promissa mercede transponi se ab eodem, et petiit, et promeruit. Egressus autem de navicula, Ecclesiam piscatore cernente, ingreditur. Et ecce subito lux caelestis emicuit, miroque splendore illustrans omnia noctem convertit in diem. Adfuit cum Apostolo multitudo civium supernorum, ingredientium et egredientium, melodiaque caelestis insonuit, indicibilis odoris fragrantia nares perfundebat. Peractis autem omnibus, quae ad Ecclesiae dedicationem spectant solennis, redit ad piscatorem piscium piscator egregius hominum. Quem dum divini luminis fulgore perterritum et alienatum pene sensibus reperisset, blanda consolatione reddit hominem sibi, animum rationi, ingredientes cymbam simul uterque piscator, ait Petrus. Numquid pulmentarium non habes? et ille, Inconsulte, inquit, lucis perfusione stupidus, et expectatione tui detentus, nihil coepi, sed promissam a te mercedem securus expectavi. Ad haec Apostolus ait: Laxa nunc retia in capturam. Paruit imperanti piscator, et mox implevit rete piscium maxima multitudo. Omnes erant eiusdem generis pisces praeter unum mirae enormitatis esocium. Quibus ad ripam extractis, dixit Apostolus, Hunc, qui prae caeteris pretio et magnitudine praecellit, Mellito ex mea parte defer piscem Episcopo. Pro nautica vero mercede, caetera tibi tolle.

Huius generis copia abundabis in vita tua, et longo tempore post te progenies tua tantum ne ultra piscari audeatis in celebritate Dominica. Ego sum Petrus, qui loquor tecum, qui cum meis concivibus constructam in meo nomine basilicam dedicavi, episcopalemque benedictionem meae san-

ctificationis auctoritate praeveni. Dic ergo Pontifici, quae vidisti et audisti, tuoque sermoni signa parietibus impressa testimonium perhibebunt. Supersedeat igitur dedicatione, suppleat quod omisimus, Dominici corporis et sanguinis sacrosancta mysteria, populumque sermone erudiens, notificet omnibus hunc locum me crebro visitaturum, hic me fidelium votis et precibus affuturum, sobrie vero, pie, et iuste in hoc saeculo viventibus caeli ianuam reseraturum. His dictis confestim ab oculis eius disparuit. Mane autem facto Episcopo Mellito ad dedicandam Ecclesiam procedenti cum pisce piscator occurrit, et omnia, quae sibi mandata fuerant, pandit. Stupet Antistes, reseratisque Ecclesiae valvis, videt pavimentum utriusque alphabeti inscriptione signatum, parietem bis senis in locis sanctificationis oleo linitum, totidem cereorum reliquias duodenis crucibus inhaerere, et quasi recenti respersione adhuc cuncta madescere. Quod videns Episcopus, una cum populo Deum benedicebat, et illi gratias referebat. Dat fidem miraculo piscatoris illius tota successio, quae sicut a patre acceperat, totius emolumenti, quod ars illa deinceps ei conferret, beato Petro, eique servientibus decimas offerebat. Unus tamen semel fraudem ausus inferre, mox tam diu artis caruit beneficio, donec confessus reatum, et ablatum restitueret, promitteret correctionem.

Haec cum Sanctus Eduardus relatione, ac scriptis veterum didicisset, ad monasterium illud aedificiis, possessionibus, et dignitatibus altius extollendum exarsit animus eius, et pro privilegiis illius loci, caeteris causis nuncios Romam transmisit, talem epistolam Papae deferentes. Summo universalis Ecclesiae patri Nicolao, Eduardus gratia Dei Anglorum Rex debitam, et subiectionem, et obedientiam Glorificamus Deum, quia curam habet suae electae ecclesiae, quoniam in loco boni praedecessoris vos optimum successorem constituit. Quapropter iustum iudicamus apud vos velut ad solitam petram acuere, et probare omnes bonas actiones nostras; et vestram notitiam atque societatem in bono habere, qualenus eas donationes et privilegia, quae obtinuimus apud praedecessorem vestrum, renovetis, et augeatis nobis, videlicet ut quod ille iniunxerat nobis sub nomine obedientiae, et poenitentiae propter votum, quod voveram ire Romam, et in remissionem omnium peccatorum meorum construere coenobium Monachorum in honore Apostoli Petri, ratum facialis et privilegia possessionum et dignitatum eiusdem loci confirmetis, renovetis, et decernatis. Ego quoque pro modulo meo augeo, et confirmo donationes, et consuetudines pecuniarum quas habet Sanctus Petrus in Anglia, et ipsas pecunias collectas cum regalibus donis mitto vobis, ut oretis pro me, et pro pace regni mei et continuam ac solemnem memoriam instituatis totius gentis Angliae coram corporibus sanctorum Apostolorum.

Rescripsit autem ei Papa in hunc modum. Nicolaus Episcopus servus servorum Dei. Gloriosissimo, ac pissimo, omnique honore dignissimo, speciali quoque filio nostro Eduardo Anglorum Regi, visitationem omnimodam, salutem mellifluam, et benedictionem Apostolicam. Omnipotenti Deo referimus grates, qui vestram prudentissimam excellentiam in omnibus ornavit, et decoravit erga beatum Petrum Apostolorum Principem nobiscum habere dilectionem, et in omnibus Apostolicis consentire censuris. Literas igitur vestrae nobilitati transmittimus, et per eas sanctorum Apostolorum societatem, et nostram vobis damus, orantes misericordiam illius, qui est Dominus omnium, et Rex super omnia solus, ut ipse vos participem faciat ex omnibus, si qua sunt coram Deo, bonis operibus nostris, et fratres nos, ac socios in sua dilectione constituat in omni tempore amplius, ac non minorem partem obsequii nostri vobis in suo regno reconsiguet, quam nobis met ipsis provenire optamus. Erimus etiam deinceps pro vobis sine dubio orantes assidue, ut ipse Deus subiicial hostes et inimicos, qui contra vos voluerint insurgere, et confirmet vos in paterno solio, et propria haereditate, ac beatus Petrus sit vobis custos, et adiutor in omni tribulatione. Renovamus ergo et confirmamus, ac augemus vobis privilegia vestra, scilicet, ut absoluti sitis ab illo voto quod timebatis, et ab omnibus aliis peccatis, et iniquitatibus vestris auctoritate illius, qui me, licet indignum, suae sanctae praeesse voluit Ecclesiae. Praeterea illi loco, quem sub nomine sanctae poenitentiae construendum, et meliorandum suscepistis, quoniam ut fertur, primam antiquitus consecrationem a beato Petro accepit, cuius licet indigni, Vicarii sumus, et quia regia antiquitus sedes est, ex auctoritate Dei, et sanctorum Apostolorum, atque huius Romanae Sedis, et nostra concedimus, permittimus, et solidissime confirmamus, ut amplius in perpetuum regiae constitutionis locus sit, atque repositorium regalium insignium, et habitatio perpetua monachorum, qui nulli omnino personae, nisi regi subdantur, habeantque potestatem secundum regulam sancti Benedicti per successiones eligere ex se idoneos Abbates, neque introducatur per violentiam extranea persona, nisi quam concors congregatio ex se praeelegerit. Absolvimus etiam eum locum ab omni servitio et dominatione Episcopali, ut nullus Episcopus illuc introeat ordinaturus, aut praecepturus aliquid, nisi ex petitione et consensu Abbatis, et Monachorum. Et habeat idem locus liberum procinctum, idest, ambitum, caemeterium mortuorum circa se, absque Episcopali, vel cuiuslibet respectu, vel exactione, et omnia, quae ad libertatem, et exaltationem illius loci ad honorem Dei pertinentia, per nostram auctoritatem accedere possunt, hilari et promptissima voluntate concedimus. Possessiones autem, quas antiqui Reges, seu quicumque alii homines, vos quoque, et vestri barones ad eundem locum contulistis, et chartas, quae ex eis factae sunt, divina et nostra auctoritate roboramus, et ratas ac stabiles esse decernimus, et infractores earum, vel invasores, aut diminutores, aut dispersores, venditores etiam aeterna maledictione cum Iuda proditore damnamus, ut in beata non habeant partem resurrectione, sed a beato Petro Apostolo se iudicandos sciant, quando sedebit cum suis coapostolis, iudicans duodecim tribus Israel. Vobis

vero et posteris vestris Regibus committimus advocationem et tuitionem eiusdem loci, et omnium totius Angliae Ecclesiarum, ut vice nostra cum consilio Episcoporum, et Abbatum constituatis ubique quae iusta sunt, scientes pro hoc vos recepturos dignam mercedem ab eo, cuius Regnum et Imperium non desinet, nec minuetur in saeculum.

Sanctus autem Eduardus tributum illud gravissimum, quod tempore patris sui classi Danicae pendebatur, et postmodum Fisco Regio inferebatur, regia liberalitate remisit, et ab onere importabili in perpetuum Angliam absolvit. Cum enim collecta illa pecunia ante illum delata esset diabolum super cumulum sedentem et ludentem vidit: et ne amplius exigeretur praecepit. Cum in palatio iuxta Ecclesiam beati Petri Rex aliquando moraretur, supervenit quidam vir mirabilis, Hybernicus genere, pedis utriusque privatus officio: nervi enim in poplite contracti, ad posteriores corporis partes crura retorserant, tali natibus inhaeserant, immersione carnibus pedum articuli a lumbis eius et deorsum corpus omne perverterant. Porrectis ad terram manibus et scamnis suppositis repebat, et factus sibimetipsi gravis, trahebat se post se. Hic videns Regis cubicularium, ait ad eum: Hugoline, non me respicis, nec misereberis nec movebit te mea tanta calamitas? et ille: Quid me vis facere? Cui pauper: Sexies, inquit. Apostolorum limina repens (ut cernis) visitavi, et sanitatem nec dum promerui. Quam tamen Apostolorum Princeps non negavit, sed distulit, socium in hoc miraculo habere volens Eduardum, quem sibi novit esse devotum. Ab ipso enim Apostolo in mandatis accepi. Regem adire, ut me suo sacro subvectum dorso ad ecclesiam eius, quae palatio vicina est, perferat, recepturum, si id fecerit, membrorum meorum integram sanitatem. Haec ubi nuntiata sunt Regi, gratias agit Deo, et citatus mox aeger accessit. Rex vero ut spiritalis ille asinus fortis, accubans in terminis, supposuit humeros suos ad portandum: Pendet de humero tanti Principis plenus sordibus pauper, squalidis manibus, brachiisque squamosis regium illud pectus, collumque complectitur. Interea ex assistentibus ridebant nonnulli, alii a paupere Regem delusum iocabantur, alii simplicitatem iusti fatuitatem iudicabant. Cum itaque Rex paululum processisset, subito nervi extenduntur, rigantur ossa, carnes marcidae recalescunt, emergunt a carne articuli, pedes a natibus solvuntur. Distendit homo crura, poplite iam flexibili; et sanie cum sanguine profluente, vestis Regia ornatur potius, quam foedatur. Iam nunc satis esse clamant omnes sanatum languidum, onus ob sordes ulcerum deponendum. Ille vero memor praecepti quod susceperat, syrenarum cantus obturata aure pertransiit, ingressusque ecclesiam, ante sanctum altare holocaustum, quod detulerat, Deo, ac beato Petro resignat incolumemque dimisit. Suscepto autem a Rege itineris viatico, acturus gratias Deo et sancto Petro Romam profectus est.

In monasterio autem beati Petri ante altare sanctae Trinitatis Missarum solemniis sanctus Rex vice quadam cum Comite Leofrico assistebat. Et ecce speciosus ille forma prae filiis hominum Christus Iesus in ara consistens, oculis utriusque visibiliter corporalis apparuit, sacraque dextera super Regem extensa, signum sanctae Crucis eum benedicendo depinxit. At Rex demisso capite, divinae maiestatis adorabat praesentiam. Comes vero quid in animo Regis ageretur ignorans, volensque Regem tantae visionis esse participem, coepit velle ad ipsum usque procedere. Verum Rex quid in mente Comitis volvebatur intelligens. Sta, inquit. Leofrice, sta: quod vides, video et ego. Post Missam vero dixit Rex ad Comitem: Per eius quem vidimus, maiestatem, mi Leofrice, te obtestor, ne, quoadusque vixerimus, sermo isto proferatur in publicum, ne vel nos in perniciem nostram ob favorem vulgi pulset elatio, vel fidem deroget dictis infidelium aemulatio.

Sub faucibus autem quasi glandes muliere succreverunt, quae totam faciem deformi tumore foedantes, putrefactis sub cute humoribus, sanguinem in saniem verterant, inde nati vermes, odorem teterrimum exhalabant. Iubetur tandem somnis adire palatium, et Rex Regis manibus sperare remedium, quibus si lota, si tacta signata foret, meritis eius reciperet sanitatem. Cum autem venisset ad Regem, et oraculum exposuisset: ille nec sordes cavit, nec foetorem exhorruit: sed loca tumentia manibus contrectans, et aqua lavans, signum sanctae Crucis impressit: et subito rupta cute cum sanie vermes ebulliunt, recedit tumor, et dolor omnis abscessit.

Coecus quidam docetur oraculo, lumen amissum sancti Regis meritis se adepturum, si lympha qua manus abluerat, ipse faciem perfudisset. Cumque id cubiculario, et ille Regi retulisset, obstupuit ille, plurimum indignatus, illusum phantasmatibus hominem, nihil tale de peccatore sperandum, Apostolicae id esse virtutis, nec fidem somniis adhibendam asseruit. Aqua manus lavit, et ad Ecclesiam processit. Cubicularius autem coeco receptam in pelvi aquam illam tradit, cum qua oculos et faciem lavans, visum confestim percipere meruit.

Civis quidam Licolniensis coecitate percussus, ad palatium Regis veniens, aqua lotionis manuum eius, faciem et oculos lavat, mox tenebris diuturnis optata lux succedit.

Quidam coecus Regem adire, et visum ab eo percipere monitus, cubiculario, et ille rem Regi pandit. Cui Rex; Veniat, inquit. Quis ego sum qui contrister, et non potius exultem, si meis manibus licet indignis, promissum beneficium homini illi pietas divina contulerit? Vocatus est autem vir, et a Rege tactus et signatur, et inter manus eius ab oculis utrisque ubertim sanguis effluxit, pupillas serenavit, et tumorem palpebrarum deposuit, et tumorem palpebrarum deposuit. Et dixit homo ille: Video te Domine mi Rex, et facies tua tanquam facies Angeli stantis ante me. Alia autem vice duo coeci cum uno monoculo, aqua lotionis manuum Sancti perfusi, visum percipere meruerunt.

Sedebat aliquando Rex ad mensam, et a latere eius Comes Goduvinus. Huius duo filii adhuc pue-

ri. Haraldus et Tostius, ludebant coram eis: cumque unus ex illis amarius, quam expetebat ludi suavitas, insurrexisset in alterum, ludum vertunt in pugnam. Et ecce Haraldus vehementius in fratrem irruens, capillis eius utramque manum inferit, prostratumque, nisi citius eriperetur, virtute superior suffocasset. Tunc Rex versus ad Ducem, ait: Nihil aliud, o Goduvine, nisi simplicem in his vel ludum puerorum, vel pugnam contemplaris. Et ille: Nihil aliud, Domine mi. Tunc Rex dixit: Longe aliud mea mihi mens loquitur: et his quid futurum sit pueris, per hoc mihi bellum revelatur. Emensis quippe pueribus annis, cum in virum uterque prefecerit, tandem adversus invicem livor utrumque aduret. Et primum circumventione, insidiisque privatis quasi ludere videbuntur, ad ultimum fortior infirmiorem proscribet, rebellantem prosternet, et prioris mortem post modicum sequens, alterius calamitas expiabit. Quae omnia sic completa, tota Anglia teste, probatur. Nam Tostius ab Haraldo fugatus, cum paulo in Regnum successisset Eduardo Haraldus una cum Rege Norwegiae Tostius prosternitur, et totus fere exercitus deletur. Eodem anno Haraldus ipse Regno spoliatus Anglorum, aut misere occubuit, aut, ut quidam putant, poenitentiae tandem servatus, evasit.

Goduvinus cum in mensa Regi assideret, unus ministrorum in obicem aliquem uno pede immoderatius impingens, pene lapsum incurrit: quem tamen pes alius recto pede procedens, iterum in statum suum nihil iniuriae passum erexit. De hoc eventu pluribus inter se loquentibus, et quod pes pedi subvenerit gratulantibus. Comes quasi ludendo intulit: Sic est frater fratrem adiuvans, et alter alteri in necessitate subveniens. Et ait Rex ad Ducem: Hoc meus mihi fecisset, si Goduvinus expavit et tristem praeferens vultum, ait: Scio, ego, Rex, scio, adhuc de morte fratris tui tuus me accusat animus, nec eis aestimas discredendum, qui me vel eius vel tuum vocant proditorem; sed secretorum omnium conscius Deus iudicet, et sic buccellam hanc, quam manu teneo, guttur meum faciat pertransire, et me servet illaesum, sicut nec tuae proditionis, reus, nec de fratris tui nece mihi conscius existo. Cumque vir beatus buccellam manu benedicens signasset, miser ille, eam ori inferens, usque in medium gutturis pertraxit.

Tentat interius trahere, nec valet, tentat emittere, sed firmius haesit. Mox meatus, quibus ducebatur spiritus obcluditur, vertuntur oculi, brachia rigescunt. Intuetur infeliciter morientem Rex, et ultionem in eum sentiens processisse divinam, adstantes alloquitur, dicens, Extrahite canem istum: et factum est ita. Hic Goduvinus simplicitate Regis abutens, multa in Regno contra institiam et Deum faciebat. Cunctos fere Regis cognatos, et amicos, quos de Normannia adduxerat, fraude sua dolo, et circumventione de patria exturbabat; credens, sibi cuncta processura pro voto, si Rex amicis nudatus, suis tantum consiliis uteretur. At Rex cuncta dissimulans, divinis vacabat obsequiis, ultionemque Dei sibi futurum multis praedixit. Aliquando etiam ipsi Goduvino idipsum non tacuit.

Sanctus Eduardus nulli petenti in nomine sancti Ioannis Evangelistae aliquid denegabat, hunc enim post Apostolorum Principem arctius diligebat. Unde contigit, quod quidam peregrinus, absente Camerario, in nomine sancti Ioannis Evangelistae importune a Rege eleemosynam postularet. Cui Rex pretiosum annulum, cum nihil aliud in promptu haberet, dedit. Accidit post haec, duos Anglicos ad adorandum Salvatoris sepulcrum Hierosolymam proficisci. Qui die quadam a publica strata declinantes, devia quaeque sectati sunt: et sole ruente, nox obscura adducta est.

Et cum nescirent quid agerent, quo se verterent, apparuit eis senex quidam venerandus, qui eos, ad civitatem reducit. Susceptis autem hospispitio, mensa paratur, lautissimeque refecti, dant membra quieti. Mane autem facto, egressis illis de civitate, ait senex. Viri fratres, cum summa prosperitate vos repatriaturos non dubitetis, quoniam prosperum iter faciet vobis Deus, et ego ob amorem Regis vestri in omni via firmabo super vos oculos meos. Ego enim sum Apostolus Christi Ioannes, qui Regem vestrum ob meritum castitatis summa dilectione completor. Hunc ergo annulum, quem mihi in habitu peregrino apparenti tribuit, reportate, denunciantes obitus sui instare diem; quem infra sex menses visitans visitabo, ut mecum sequatur Agnum quocumque ierit. His dictis, disparuit, et illi ad patriam prospere redeuntes quae viderant, et audierant, Regi seriatim retulerunt.

Cum autem Rex infirmitate gravi detineretur, in mentis raptus excessum, biduo fere iacebat exanimis. Tandem quasi de gravi somno evigilans, aperuit oculos et sedit, et assumpta parabola, ait: Cum adolescens in Nortmannia exularem, grata mihi semper extitit bonorum amicitia, et quicumque sacrae religionis meliores videbantur, hi mihi caeteris erant familiariores. Inter quos duos monachos speciali quadam devinxerant charitate, conversationis honestas, vitae sanctitas, suavitas morum, verborum affabilitas. Hos frequentius visitabant, quam dulcia faucibus meis eloquia eorum. Hos ante in somnis assistere, quid genti meae post obitum meum sit futurum, ex Dei mandato mihi referentes.

Impletam dicunt Anglorum nequitiam, et iniquitas consummata iram provocat, accelerat vindictam. Sacerdotes praevaricati sunt pactus Domini, polluto pectore, et manibus inquinatis sancta contrectant. Et hi non pastores, sed mercenarii exponunt lupis oves, non protegunt, lac et lanam quaerunt, non oves, ut detrusus ad inferos, mors, et pastores depascat: et oves, sed et principes terrae infideles, socii furum, praedones patriae, quibus nec Deus timori est, nec lex honori, quibus veritas oneri, ius contemptui, crudelitas delectationi; itaque nec praelati iustitiam, nec servant subditi disciplinam. Et ecce Dominus gladium suum vibravit, arcum suum tetendit, et paravit illum. Ostendit deinceps populo huic iram, et indignationem, immissiones insuper per angelos malos, quibus traditi sunt anno uno et die uno, igne simul et gladio puniendi. Ego vero ob inten-

tatam meae genti calamitatem polens, atque suspirans, dixi: O caelestium secretorum conscii, si conversi egerint poenitentiam, numquid non ignoscet Deus, et relinquet post se benedictionem? Poenitentia certe prolatam Dei ore in Ninivitas suspendit sententiam; quae etiam imminentem impiissimo Achab debitam distulit ultionem. Suadebo igitur genti meae, ut poeniteant de praeteritis, et caveant de futuris, et forte miserebitur Deus, ut non inducat super eos malum hoc grande, sed qui punire praeparavit aversos, recipiat in gratiam solita pietate conversos.

Nequaquam, inquiunt, hoc erit, quoniam induratum est cor populi huius, et excoecati oculi, et aures aggravatae, ut nec intelligant commonentem, nec terreantur minis, nec beneficiis provocentur. His eorum verbis dum mihi maior accresceret sollicitudo, dixi, Num ita in perpetuum irascetur Deus, et non apponet ut complacitior sit adhuc? Quando ergo tristibus laeta succedent, aut tot adversa qualis consolatio temperabit? quale sperandum est in his malis remedium, ut sicut illinc terret, et contristat futura correptio: ita hic aliquantulum mulceat divinae miserationis promissio. Ad haec sancti tale mihi problema proponunt. Arbor quaelibet viridis a suo trunco decisa, ad trium iugerum spatium a radice propria separetur. Quae cum nulla hominis manu degente, nulla urgente necessitate, ad suum reversa truncum, in antiquam radicem sese receperit resumptoque succo rursum floruerit, et fructum fecerit; tunc sperandum est aliquod in hac tribulatione solatium, et de ea, quam praediximus adversitate remedium. Haec cum dixissent, ipsi coelo, vobis ego redditus sum Assidebant narranti visionem Regina, Robertus sacri palatii custos, Dux Haraldus, Stigandus, et qui ascendit cubile patris sui, et maculavit stratum eius, vivente adhuc Roberto Archiepiscopo, cathedram Cantuariensem invadens; ob hoc a Summo Pontifice suspensus paulo post crepuit, et effusa sunt viscera eius. Hic ad vocem narrantis obduruit, nec terretur oraculo, nec fidem habuit prophetanti, sed potius regem senio confectum delirare submurmurans, ridere maluit quam lugere. Caeteri vero quibus mens sanior erat, flebant ubertim et suspirabant, qui nihil secus quam ipse dixerat, aut a sacerdotibus, aut a principibus fieri non ignorabant. Quidam enim praemissam similitudinem dicunt regem pro impossibili statuisse, illi maxime, qui totam Anglorum nobilitatem sic deperisse lugebant, ut ex ea gente, nex Rex, nec Episcopus, nec Abbas, nec Princeps quilibet vix in Anglia cernerctur. Mihi sane alia mens est, consideranti sanctissimum virum Dunstanum, et ipsam calamitatem praedixisse, et consolationem nihilominus promisisse. Potest proinde sic non inconvenienter exponi. Arbor haec regnum Anglorum significat, decorum gloria, deliciis, divitiisque faecundum, excellentia regiae dignitatis sublime. Radix, ex qua totus honor iste processit, regium semen fuit, quod ab Alfredo, qui primus Anglorum a Summo Pontifice unctus et consecratus fuerat in Regem, recta successionis linea usque ad sanctum Eduardum descendit. Abscissa est arbor de trunco, quando regnum a genere regali divisum, ad aliud semen translatum est. Ad spatium trium iugerum *haec fama est separatio*, qui in trium temporibus regum, nulla fuit novis cum antique semine regali coniunctio. Haraldus enim successit Eduardo. Uvilhelmus Haraldo, Uvilhelmus iunior priori Uvilhelmo. Accessit ad radicem, quando Rex Henricus, in quem totum regium decus transfusum est, nulla necessitate cogente, nulla spe lucri urgente, sed ex infuso ei amoris affectu, abneptem Eduardi Mathildam duxit uxorem, senem regium Northmannorum, et Anglorum coniungens, et interveniente opere coniugali, de duobus unum faciens. Floruit sane arbor, quando de utroque semine Imperatrix Mathilda processit. Tunc vero fructum fecit, quando ne ipsa Henricus exoriens, quasi lapis angularis utrumque populum copulavit. Habet nunc certe de genere Anglorum Anglia Regem, habet de eadem gente Episcopos et Abbates, principes, et milites, ex utriusque seminis coniunctione procreatos. Si autem alicui haec displicuerit expositio, aut ipse aliter exponat, aut aliud tempus, quo haec expleantur expectet.

Sciens itaque Rex, quia appropinquavit hora eius, ut transiret de hoc mundo, suum transitum mox in circuitu propalari iussit, ne mortis suae agnitione dilatata, orationum quoque suffragia differrentur. Sicque senex, et plenus dierum, ac bonorum operum migravit ad Dominum. Obiit autem anno Domini millesimo sexagesimo sexto, cum regnasset vigintitribus annis, mensibus sex, et diebus vigintiseptem, pridie nonas Ianuarii, cum quo tota pariter Anglorum felicitas ruit, periit libertas, vigor omnis interiit.

Contractus quidam ad sepulcrum eius veniens, membrorum sanitatem devotis lacrymis, et precibus postulabat. Et ecce vis quaedam occulta subito nervos extendit, in naturalem statum crura, pedesque retorquet, evulsisque a carne articulis sanguis profluit, paulatimque succo resumpto, arida prius ossa pristinum robur recipiunt.

Sex quoque caeci, unum monoculum secuti, ad sepulcrum regis properantes, cum alter ab altero traheretur, et unus praecedens oculus, viris septem ducatum praeberet; sancto cum lacrymis miseriam exponunt, opem flagitant, contra diuturnae caliginis taedium sanctissimi regis deposcunt auxilium. Nec mora, beati meritis, et precibus visum, oculorumque claritatem percipere meruerunt.

Interea Haraldus filius Goduvini, regnum nec iure, nec natura sibi debitum usurpans, malum, quod Angli secundum sancti Regis oraculum Dominus praeparaverat, transgressione pacti cum duce Uvilhelmo, et fidei laesione acceleravit. Ut autem attenuatis viribus facilius ab his, quos iniuste provocaverat, hostibus vinceretur; suscitavit ei Deus a parte Aquilonis inimicos, scilicet Haraldum Regem Noruvegiae, et Tostium fratrem suum, quem de Anglia expulerat, ipse quippe tempore Regis Eduardi exulabat in Flandria. Hi cum magna classe per Humbriam Eboracum properantes, cum exercitum Northumbrensium praelio excepis-

sent, potiti victoria, magnam de obstantibus stragem dederunt. His Haraldo nunciatis, exercitum copiosum ex omnibus finibus Angliae collegit.

Apparuit autem tunc sanctus Eduardus cuidam Alexi, Abbati Ramesiae, viro religioso, dicens, Vade, et dic Haraldo, ut homines, qui contra ius, et fas regni huius fines invadunt, aggrediatur securo. Ego enim ero Dux, et Protector exercitus, quoniam iustitiae gentis huius deesse non possum. Per me enim reportabit vice hac de hoste triumphum. Et ne verbis tuis fidem deroget, secretum ei sui cordis ostende, ut cum ei quae nullo conscio mente volvebat, edixeris, non haec tuae adinventioni, sed meae promissioni adscribat.

Nocte quidem praeterita, cum dolore femoris torreretur, licet eum non parum urgeret imminens molestia; siluit tamen, reputans apud se, si publicaret languorem, quod suis esset contemptui, et hostibus irrisioni. Verum quia nunc ab illa peste convaluit, de meo praesumens auxilio, contra Barbaros iustum bellum suscipiat, et ab imminenti periculo suos eripiat. Quod cum Abbas Haraldo reserasset, ex caelesti promissione factus audacior, in valida manu progrediens, apud Stamsordbrig hostibus occurrit. Conferloque praelio, dux uterque prosternitur, scilicet Rex Norwegiae et frater Haraldi Tostius, et pene totus eorum exercitus deletus est.

Anno tricesimo sexto post sancti Eduardi obitum, cum corpus eius de terra elevaretur, integrum, incorruptum, et flexibile cum vestibus recentibus repertum est. Quod videns Episcopus Rossensis, pilum unum devotionis desiderio accensus extrahere, sibique servare conatur. Sed ille firmius haerens, effectum mentis Episcopi, et voluntatem defraudavit. Mulier quaedam in festo sancti Eduardi operibus vacans, paralysis morbo correpta, ad corpus sancti deducitur, et sanitatem pristinam se recepisse laetatur. Tres viri febre quartana vexati, visitato sancti sarcophago, quasi in momento curati sunt.

Obiit S. Eduardus anno Domini 1066 qui beatissimus Rex post annos circiter centum in sanctorum numerum relatus fuit ab Alexandro Tertio Pontifice, anno pontificatus quarto, et Christi 1163 ut Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium, die quinta Ianuarii, et alii testantur.

SANCTI LEOPOLDI AUSTRIAE PRINCIPIS CANONIZATIO

ET INTER SANCTOS CONFESSORES ADSCRIPTIO

Cum suae festivitatis institutione, pro die 15. Mensis Novemb.

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam

Sacrosanctam Matrem Ecclesiam adstitisse a dextris Dei Reginam, in vestitu deaurato, circumdatam varietate; non ab re per Prophetam traditur. Regina equidem, quae illi Regi Domino, per quem Reges regnant et Principes iustitiam faciunt, desponsata sit. Unica eius columba, luna perfecta in aeternum. Arcturus per gyrum nocturna spatia perenni lumine illustrans: Lucifer qui nescit occasum: Aurora hic in crepusculo caligantis saeculi corruscans: et in diem lucidum in Regno caelorum sese diffundens. Regina quae illi serviat cui servire regnare est, illi fidem habeat, illi se totam committat, Regina quae Christifideles sub umbra alarum suarum extremo carcere ad regna caelorum perducat, ubere de caelo pleno lactet, atque inebriet, ex multis aerumnis nos eripiens, regni caelestis cum Christo Domino participes efficiat. In vestitu, inquit, deaurato. Vestimentum Ecclesiae sanctam fidelium vitam esse profitemur. Nam sicut tota Ecclesia vestimentum est Christi, ita fideles quoque eiusdem Ecclesiae vestimentum esse arbitrabimur. Vestimentum scilicet non habens maculam per peccatum, neque rugam per duplicitatem: sed per iustitiam in Deum, per simplicitatem cordis tensum vestimentum innocentiae, quam homo plasmatus a Deo accepit: male a serpente persuasus perdidit, ad quam recuperandam poenitentia, et Dei misericordia induimur. Vestimentum deauratum splendore sapientiae aureo perlucens, clara enim est sapientia quae numquam marcescit, facile videtur ab his cui eam quaerunt. Doctrix est disciplina Dei, electrix operum illius, qua nihil locupletius, quae operatur omnia, artifex omnium quae apud turbas claritatem, et honorem apud seniores praestat. Vestimentum deauratum perfectione auri, idest iustitiae, qua nihil humano generi utilius. Dilectione disciplinae ex una custodia legum emanat, legum autem custodia consummatio est incorruptionis. At vero incorruptio facit

nos esse Deo proximos, per quam beatitudo aeternae vitae a nobis comparatur, Circumdata Ecclesia dicitur varietate gratiarum, administrationum, et officiorum, iuxta verbum Apostoli, divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus eas conferens, divisiones administrationum sunt, idem autem Dominus, et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Circumdata varietate potestatis, ordinis, status, et variatum Ecclesiarum decore quae veluti adolescentulae, hanc de qua sermo est, Catholicam Ecclesiam quasi matrem observant, non vetustae per culpam, non senio steriles, sed ad spiritualem congrue fecunditatem, et nova semper prole pullulantes. Nam a iusto Abel, unde Ecclesiae exordia trahimus, in hanc usque diem, quot Sanctos orbis terrarum habuit : tot quasi palmites protulit, ex quibus varii in dies surgunt surculi in hac vinea nostra Sabaoth, quam licet immeriti, praestante Domino, sortiti sumus excolendam, seruntur. Circumdata varietate, quod alia triumphantis, alia militantis Ecclesiae species existat. De triumphanti Domini sponsione repromittitur. Ego ero eis, quicquid ab hominibus iuste desiderari potest, ero illis honor, gloria, salus, et vita, virtus et copia, pax, et omne bonum. Militans autem Ecclesia fundae non ineptе assimilatur : nam sicut e funda in gyrum versata, lapides exeunt, quibus adversarii feriuntur, et Goliath posternitur ; ita ex sancta Ecclesia dum per varias procellas, et tempestates fluctuantes huius saeculi per tribulationum circuitum rotatur fortes viri prodeunt, quibus quasi lapidibus iniquorum corda tunduntur, et de hoste humani generis nequissimo a Christi tyronibus triumphatur.

Hanc ipsam Ecclesiam Deus omnipotens mira quadam dispositione, et potestate fundavit, pretioso unigeniti filii sui Domini nostri Iesu Christi sanguine dotatam esse voluit, multiplici Spiritus sancti gratia ornavit. Apostolorum simplicitate et fide roboravit, quos ignares delegit, ut populos non tam sermo illorum, quam causa ad credendum adduceret. Martyrum tormentis, cruciatibus, constantia, et trophaeis stabilivit, represso paulisper, quinimo confusa infidelitatis saevitia, et inimico homine superseminante zizania, crescente, multiplicataque haereticorum pravitate, Doctorum caelesti doctrina illuminavit, et demum Confessorum, Virginum, aliorumque Sanctorum intrepida confessione, solerti cura, exemplisque imitatione dignissimis, adversus sathanae insidias circumdedit.

Inter autem alia saluberrima sanctitatis exempla divina misericordia, sydus quoddam mundo fulgere dedit, Beatum Leopoldum Austriae Principem, pium Marchionem, cognomento appellatum, innocentiae, sapientiae, et iustitiae vestimentis, quibus vestiri Ecclesiam praediximus, decorum bonitate, mansuetudine, atque clementia conspicuum, simplicitate, continentia, et munificentia praeclarum, cuius integritas, vitae sanctimonia, humilitas, pietas, fides, adeo apud Christi fideles invaluerunt, ut una omnium Germanorum voce pro Sancto hactenus celebratus fuerit. Christianae religionis cultum, et eius liberalitatem nonnulla monasteria, et quidem celeberrima ab eo cum amplissimis censibus constructa, alia etiam magno sumptu illustrata, abunde testantur. Hic Princeps optimus, Sacerdotes, et viros religiosos admodum coluit, summosque Pontifices tanta veneratione prosecutus fuit, ut ab Innocentio II. Romano Pontifice praedecessore nostro peculiaris S. Petri filius appellaretur: et Apostolica commendatione, atque ea plenaria, quam vulgo dicunt, absolutione dignus ab eodem Innocentio etiam mortuus iudicatus fuerit. Hic vir Dei in summis opibus educatus, in magna peccandi licentia constitutus, coniugalibus curis implicitus, principatus regimine impeditus ; sedulo tamen pietatis et misericordiae munera subibat, lassos roborans, vacillantes confirmans, oppressos sublevans, inopes fovens. Inter curas domus, inter coniugales anxietates, inter affectus pignorum, inter multiplices principatus sollicitudines, inter studia tot laborum, immaculatum sese ab hoc saeculo custodivit, et temporalia tractando aeterna disposuit.

Quadraginta annis Principatum Austriae regens, et quod maius est illis praecipue temporibus, quibus propter Henricorum patris et filii mutuas concertationes, et postea propter Henrici Quarti cum Lothario acerrimas contentiones, in Germania bellis, incendiis, et agrorum vastationibus tumultuatum est; summa cum iustitia, humilitate, et tranquillitate cuncta administravit: et aliis caede, et sanguine madentibus, creditam sibi Austriae Provinciam in diuturna pace continuit. Quibus ex meritis aeternae retributionis et pacis praemia a Deo Optimo Maximoque, cui centuplicato foenore munera hominum pensat, est consecutus.

Praetendant nunc huius saeculi amatores ad peccata excusanda, coniugales, familiares, civiles, seu regales solii molestias, saeculi illecebras, aut tentationes. Leopoldi exemplo divina providentia eos circumscripsit, excusationes omnes circumvenit, aditum humanae tergiversationis conclusit, et quasi aranearum telas commenta humanae fragilitatis disrupit. A Deo creati, et perempti, Deum debitis honoribus non colimus; et quod dolentes ex intimis referimus, illum non tantum negligimus, sed blasphemamus saepenumero. Adhibita sunt praecepta divinae, et humanae legis, praeceptis obtemperare tergiversamur. Addita sunt caelestis praemia gloriae, indicta paenarum diversa genera, censura correctionis inventa ; ab illis faciem quasi rebelles avertimus. Sanctorum varia exempla ante oculos nostros proposita, ipsa quoque imitari contumaciter recusamus, imbecillitatem nostram, saeculi sollicitudines, cum de salute nostra agitur, causamur. Leopoldi nobilis Principis coniugati, ac mollorum filiorum, ac subditorum cura irretiti, clarissimo exemplo admonemur, ut omni excusatione remota, per haec temporalia ita caute ambulemus, ita sancte nos exerceamus, ut aeterna non amittamus ; allecti spe momentaneae huius prosperitatis, perpetuitate gloriae caelestis non fraudemur, sed mundi molestias, illecebras, aut dignitates contemnendo, ad caelestem patriam totis viribus contendamus.

Huius beati Leopoldi sanctimoniam Deus omni-

potens innumerabilibus miraculis ad eius invocationem editis, comprobavit. Miraculis profecto quae tum in facti substantia, tum et ordine, vim, et potestatem totius naturae excesserunt. Quis enim non miretur, cum audiat per Dei aeterni misericordiam implorato Leopoldi auxilio, paraliticos, artheticos, febricitantem podagra laborantem, pristinae valetudini illico restitutos? Quis non magnalia Dei in hoc Sancto agnoscat, cum vioeat intercessionibus eius claudos recte ambulasse, apostematibus mortiferis infectos, liberatos, in carceribus constitutum, pedicis, manicisque vinctum, per foramen unde hominis impossibilis exitus erat eductum evasisse? in variis vitae periculis positos, illaesos servatos esse? quis non mente obstupescat, et Deo optimo, maximoque praeconia manifesta dicat, cum liquido deprehendat, meritis, ac precibus huius Sancti viri mortuos suscitatos? mutos loquendi facultatem adeptos? coecos illuminatos? surdis auditum restitutum esse? Maxima sunt haec sanctitatis, et divinae approbationis signa, humanam expectationem, ac spem excedentia; et tamen clarissimis documentis comprobata sunt.

Quinimo ab anno Christi millesimo centesimo tricesimo sexto, quo Leopoldus vita functus, ex terris ad caelestem Hierusalem transivit, in nostra usque tempora, et praesentem diem magis, atque magis manifestata mira de illo ex mentibus hominum in Austria praecipue, et per omnem Dannubii ripam, devotio caelitus infunditur. Incredibile dictu quanta cum veneratione eius corpus, quod in Monasterio semper Virginis, et matris Dei Mariae ab eo condito, in loco quod novum Claustroburgum appellatur Pataviensis diaeceseos sepultum est, a Christi fidelibus visitetur; quibus votis celebretur pia eius memoria. Memoratu difficile esset, quot, et quanta tabellis, et imaginibus illi dicatis exornetur, quanta luminariorum copia perlustretur; procumbit supplex ante tumulum languentium, et rogantium turba, opem Leopoldi implorans, nec expectatione irrita discedit.

Huius veneratione, et pro multorum populorum salute, Rodulphus Austriae Dux impulsus est, ut Innocentio sexto huic sanctae Sedi ea tempestate praesidenti, supplicaret, quatenus Leopoldum Sanctorum catalogo adscribere dignaretur.

Qui re perspecta quam sapientissime de vita et miraculis, ac fama eiusdem Leopoldi ex more, institutoque maiorum, cum consilio sacri Senatus inquisitionem tunc Archiepiscopo Pragensi, et aliis collegis delegavit.

Verum cum ea de re agi coeptum esset, morte Innocentii, surgentibusque bellorum inter Australes, et Pannonios diversis turbinibus, immensisque procellis in Ecclesia Dei exortis, usque ad tempora Pauli Secundi praedecessoris nostri, inquisitio intermissa est.

Carissimo autem in Christo filio Friderico Romanorum Imperatori Augusto, Praelatis, et Principibus Germaniae apud eumdem Paulum multis precibus, tam sancti viri Canonizationem absolvi petentibus; tribus S. R. E. Cardinalibus de fratrum suorum consilio, demandatum est a Pontifice praefato, ut solemnem inquisitionem ea de re adhiberent, et processus consuetos tum per se, tum per subdelegatos facerent, quod magna ex parte consectum erat, cum evocato ad Dominam Paulo sanctae memoriae, Sixtus Quartus praedecessor noster in hac sancta Sede, divina providentia, constitutus est.

Iterandas ergo preces, et vehementius agendum apud Sixtum Imperator, Praelati, ac Principes praedicti duxerunt, ut tam sanctum opus Canonizationis caeptae perficeret.

Is, ut certiori fide quae de miraculis, et vita Leopoldi asserebatur praeciperet, venerabili fratri nostro Marco Episcopo Praenestinensi, hunc Tituli S. Marci, Presbytero Cardinali, et in Germania Legato, ut praemissa percunctaretur, iniunxit: qui locupletissimam de illis omnibus relationem per publica acta, et legitimos processus eidem attulit.

Dehinc processibus, et actis publicis magna cum diligentia per venerabiles Episcopum Portuensem, Marcum praedictum Praenestinensem illo tempore Episcopum assumptum, ac F. S. Eustachii Diaconum Cardinalem, Commissarios discussis, privata primo relatione eidem Sixto facta, postmodum in Sacro Senatu referente praedicto Venerabili fratre, Episcopo Portuensi dilucide re examinata, et ex illorum sententia Canonizatione conclusa, sicut Domino placuit.

Sixto vita functo, nobis, qui eidem onere, et honore per divinam misericordiam, licet indigni successimus, reservatum est, ut supremam manum tam sanctae approbationi apponeremus. Consilio itaque habito, rursus Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinal*ium* publica concione, omnia prout ex ordine gesta erant, Leopoldique vitam, miracula, et reliqua merita per Advocatum Concistorialem proponi curavimus. Demum vocatis omnibus qui in Romana Curia degunt, Praelatis, in frequenti eorum consessu, assistentibus nobis eisdem Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, singulorum vota praelatorum scrutati sumus. Quibus Spiritu sancti gratia cooperante, manibus, pedibusque, ut aiunt, in eam sententiam devenientibus, quod Leopoldus merito sanctus a nobis canonizandus esset, hunc in locum, et publicum suggestum hac ipsa die conscendere decrevimus, ut opitulante Domino, votis, precibusque fidelium adiuvantibus, ipsum Leopoldum sanctum definiremus, et pro Sancto venerari debere ab universis, et singulis Christianis mandaremus, Sicque hodie sermone per nos habito, re divina peracta, et reliquis solemnitatibus adhibitis, ad hanc sacratissimam Canonizationem procedendum duximus. Cum autem verbo Sapientiae Dominus affirmet homini, qui eum laudaverit, et ditexerit Deum, qui fecit illum, quod in medio populi sui exaltabitur, in plenitudine sancta admirabitur, in multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur: mirumque in modum Leopoldus in medio populorum exaltatus sit, plenitudine caelestis gratiae admirabilis refulgeat: Restat ut nostra approbatione inter electos, et Sanctos Dei laudetur, inter benedictos benedicatur,

quae ille abunde impartiemur, si eum inter Sanctos Ecclesiae adnumerandum, pro Sancto venerandum, atque publicis, et solemnibus supplicationibus, votisque in Missarum celebrationibus, aliisque divinis officiis invocandum, Apostolica auctoritate iudicaverimus. Ad laudem igitur aeterni Dei, individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ad fidei Catholicae robur, et ornamentum, ad Religionis Christianae cultum augendum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum, et nostra, de Venerabilium Fratrum nostrorum consilio statuimus, deffinimus, et pronunciamus sanctum Leopoldum Austriae Marchionem Sanctorum catalogo adscribendum, et publica veneratione pro Sancto observandum, sicut et nos illum in praesentiarum manifesta voce Sanctorum catalogo annectimus, ac minorum Confessorum numero adiungimus, publice Sanctum diffinimus, profitemur, et veneramur.

Statuentes festum eiusdem die 17. kalend. Decembris debere celebrari, et ipso festo eius sepulchrum, quod in praedicto Monasterio existit visitantibus, et pro manutentione dicti Monasterii manus porrigentibus adiutrices, septem annos, et totidem quadragenas indulgentiae, in forma Ecclesiae misericorditer perpetuis temporibus concedimus. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae 1485 octavo Idus Ianuarii, Pontificatus nostri anno primo. Hic S. Leopoldus obiit anno Domini 1136.

VITA SANCTI LUDOVICI

REGIS FRANCORUM

Excerpta, ex illa, quam conscripsit Gaufridus de Bello loco, ipsius Regis Confessarius.

Beatus Ludovicus Francorum piissimus Rex, patrem habuit Ludovicum Christianissimum Regem, qui in Albigesio, et Comitatu Tholosano haereticos oppugnavit. In reditu autem laethali correptus morbo, die decimo ad Montem Penserium excessit e vivis mense Octobri, anno ab Orbe redempto millesimo ducentesimo vicesimo septimo, vir utique bene Catholicus et sanctus. Nunquam corporis sui ullam admisit pollutionem, unica uxore legitima contentus. Corpus eius exanime ad B. Dionysii Ecclesiam apportatum, iuxta patrem honorifice conditum est. In eius locum successit filius primogenitus Ludovicus, Rhemis ab Episcopo Suessionensi, quod Ecclesia Rhemensis tum pastore orbata esset, regia corona insignitus et consecratus, annos natus duodecim, aut circiter. Eius coronationi complures e praecipuis nobilibus, licet vocati essent, interesse noluerunt: quod propter dolorem defuncti Regis et Regni desolati, lacrymis et luctui illic potius, quam laetitiae et iucunditati, se darent.

At puer sanctae indolis, strenuissimo patre orbatus, sub tutela et moderatione matris Blanchae, Regis Castellae filiae, permansit: quae illum tenerrime diligens, ex consilio religiosorum hominum, praesertim Dominicanorum et Franciscanorum, singulari cuidam magistro tradidit moribus, ac literis instituendum. Ille vero pius puer, et velut alter Salomon, ingeniosus, et bonam sortitus animam, prae suis coaetaneis mire profecit in utrisque. A primis enim aetatis initiis, deditus fuit pietatis et sanctitatis studiis, ferturque vitam omnem absque mortiferi peccati perpetratione exegisse. Eius vero sanctitati gratulans Blancha mater: Mallem, inquit fili te mortuum cernere, quam creatorem tuum mortali crimine offendentem. Quae verba usque adeo illius animo haesere, ut divina ipsum gratia protegente, nunquam in se eiusmodi crimen admiserit.

Agente autem matre et proceribus regni, anno salutis millesimo ducentesimo tricesimo quarto, duxit uxorem Margaretam, Comitis Provinciae filiam, quae Lutetiam venit, intra octavas Ascensionis Christi, cum prius esset coronata apud Senones. Anno proximo dira fames afflixit Gallias, praesertim in Aquitania, ita ut homines instar iumentorum, herbis agrestibus vescerentur. Nam frumenti sextarius apud Pictavos centum solidis veniebat. Sequenti anno Arsacidas senior Assassinorum, misit nuncios in Franciam, quibus id mandati dederat, ut Regem Ludovicum interficerent. Sed Deo animum eius ad pacem et humanitatem inclinante, crudelis mandati poenitentia ductus, misit alios celeres nuncios, qui Ludovicum Regem

admonerent, ut a primis legatis sibi caveat. Cum autem priores nuncii diligenter inquirerentur, inventi, ad Regem Ludovicum adducti sunt. Iis conspectis, Rex laetatur, utrosque nuncios muneribus afficit, Regi Arsacidae non pauca magni pretii munera, quibus pacis et amicitiae studiosum se declaret, per illos transmittit. Sed ab eo tempore plures suo corpori luendo custodes adhibuit, qui perpetuo clavas aereas ferrent.

Anno millesimo ducentesimo quadragesimo secundo. Ludovicus Rex duxit exercitum in Hugonem Marchiae Comitem, quod is adversus Regem rebellasset, Henrici Angliae Regis, et Richardi fratris eius auxiliis fultus : qui ambo habebant uxores filias Comitis Provinciae, sorores Reginae Franciae: cum Hugo Comes uxorem haberet ipsius Angliae Regis matrem. Anno quidem superiori Ludovicus multam regni sui militiam ad Saliminum convocans, Alphonsum fratrem illic militem creaverat, cui antea Ioannum, filiam Tolosani Comitis, uxorem dederat, cum Arverniae, Pictavorum, et Albigensium terris quibusdam. Voluit autem Rex, ut Hugo Marchiae Comes Alphonso se sacramento devinciret: quod cum ille detrectaret, ab uxore persuasus, Regis in se animos concitavit, adeo ut is anno altero cum numerosissimo exercitu in eius ditionem ingressus, aliquot oppida expugnaret, et nobiles amplius quadraginta captos, cum multis aliis partim Parisios, partim alio mitteret in custodia asservandos. Interea vero Comitis Marchiae uxor, quosdam e suis muneribus et promissis illectos, ad Regis Ludovici aulam misit, qui Regem et fratres eius veneno tollerent e medio. Sed illi a Rege comprehensi, in carcerem abducti sunt. Commissum tandem est praelium non sine multa strage Anglorum, qui Hugoni Comiti suppetias ferebant. Nocte autem Angliae Rex cum Hugone Comite, relictis Senonibus, quo ex fuga se receperant, aufugere, civesque eius Urbis mane claves Ludovico Regi obtulerunt. Eodem die Hugo filius Comitis Marchiae primogenitus, ad Ludovicum Regem venit, cum eo de pace tractaturus. Postera luce Comes Marchiae cum uxore advenit, cum lacrymis et suspiriis a Rege veniam petit, et impetrat.

Anno Christi millesimo ducentesimo quadragesimo tertio, natus est Ludovicus primogenitus Ludovici Regis, atque altero inde anno in lucem editus est Philippus secundus filius. Inde circa Idus Decembris Ludovicus Rex apud Pontisaram ex morbo decumbens, adeo extra se raptus est, ut multi putarent eum iam plane obiisse; Sed ad se reversus, mox transmarinae militiae Crucem petiit, et accepit, Operam sane dedit Rex ille piissimus, ut proles suas et verbis, et exemplis ad amorem Dei, ad mundi contemptum, ad sui cognitionem institueret. Cum enim per otium liceret vacare sibi, invisebat liberos suos, et instar Tobiae monita salutis dabat eis : docebat ante omnia timere Deum, et ab omni semper peccato abstinere. Serta, e rosis, aut floribus confecta, aut alia id genus, non sinebat eos sexta feria in capitibus ferre, quod eo die Salvator noster in suo capite tulerit e spinis contextam coronam. Cumque non ignoraret, a deliciis castitati, a divitiis pietati, ab honoribus humilitati, magna impendere pericula: sobrietati, humilitati, misericordiae dedit animum, a mundi, carnis, et Satanae insidiis solicite sibi cavens ; atque cum Apostolo corpus suum castigans, et in servitutem redigens, multo tempore intima veste cilicina utebatur: qua si non esset usus, dehortante eum confessario propter nimiam imbecillitatem, volebat ut idem confessarius pro quadam compensatione diebus singulis quadraginta solidos Parisienses clanculum in pauperes erogaret. Semper ieiunavit sextis feriis, nec iis diebus, praesertim in Adventu, et Quadragesima, piscibus aut fructibus vesci volnit, vigiliis, orationibus, et clandestinis abstinentiis perpetim se affligens.

Quanto autem maior erat, tanto humilius et submissius, instar Davidis Regis se gerebat, et coram Deo propria existimatione vilior sibi videbatur. Quolibet sabbato in loco secretissimo aliquot pauperum suis manibus abluebat pedes, lotos tergebat, tersos exosculabatur. Deinde lavabat etiam illorum manus, et singulis ceriam pecuniae portionem largiebatur. Crebro etiam centum viginti pauperibus, qui in eius aula quotidie abunde reficiebantur, atque certis quibusdam diebus, et solemnibus vigiliis ducentis pauperibus, et priusquam ipse cibus sumeret, suis manibus cibos apponebat. Semper et in prandio et in coena prope se tres habebat senes inopes, iisque de appositis sibi ferculis humanissime transmittebat. Interdum scutellas et cibos, quos illi Christi pauperes manibus contrectaverant, offas praesertim, quibus libenter vescebatur, ut inde aliquid ederet, ad se reportari iubebat : Christum pauperem in eius pauperibus venerans, dum non abhorret a cibis, qui ipsis superfuerant. Vidit quandoque unum ex tribus illis pauperrimis non bene edentem. Iussit igitur pius et humilis Rex scutellam sibi propositam, cum cibo ad illum senem deferri : eamque, cum satis ille inde comedisset, ad se referri. Ita nimirum ut interior animi eius humilitas, cunctis mortalibus peterat esse virtutis incitamentum, Purpurea, aut viridi, aut alioqui pretiosa veste, vel pellibus variis, et magni pretii, nolebat uti, maxime posteaquam primum e locis transmarinis rediit. Fidei propagationem summopere sitiebat. Itaque si quid ab inquisitoribus, quod ad fidem pertineret, esset ad eum relatum, id aliis negociis omnibus posthabitis, audiebat, et instar Phinees, magno zelo in Christianae fidei violatores animadvertebat. Civis quidam Parisiensis blasphemiae reus, illo iubente cauterio in labiis mustus fuit. Ea enim poena decreta erat ab ipso in eos, qui scelerate iurarent et blasphemarent. Eam rem cum plerique carperent, et Regem tyrannidis insimularent: ille ait : Equidem in meis labiis libens eiusmodi inustionem perpetuo feram tantum ut impia iuramenta e regno meo profligentur.

Decrevit quandoque pius Rex septennio peregrinari, et loca sancta invisere. Venit igitur Perusium ad S. Aegydium Franciscanum instar pauperis peregrini et ignoti, una cum sociis suis. Ostiario autem monasterii indicante Aegydio, peregri-

num quemdam ipsius expetere colloquium : ille spiritu docente agnoscens quis esset, propere accurrit, pariterque flexis genibus, in mutuos ruunt amplexus et oscula, sed nihil loquuntur, cum utrique alterius cor pateret.

Anno salutis millesimo ducentesimo quadragesimo octavo Crux praedicabatur in dioecesis Coloniensis pago, quem vulgo Bedonfrisium vocant. Ibi tum mense Maio feria sexta ante Pentecosten tres Cruces visebantur in aere, una candida versus Aquilonem, altera eiusdem coloris ad Austrum tertia colore medio, in qua cernebatur suspensi hominis effigies extensis brachiis et capite inclinato, atque in manus et pedes eius adacti clavi. Eaque medium tenebat inter alias locum, in quibus nulla cernebatur hominis figura. Alio tempore in Enchusen Phrisiae oppido, cum illic praedicaretur Crux, alia Crucis forma iuxta solem apparuit colore caeruleo, quam multi viderunt. In Traiectensi quoque dioecesi in Doccum, ubi S. Bonifacius martyr trucidatus fuit, visa est in eiusdem martyris festo die, ingens sane et albi coloris, perinde ac si trabi altera trabs transversim artificiose impacta esset. Creduntur autem bis apparuisse Cruces ne quis ambigeret de prima apparitione : atque ita factum est, ut Coloniensis provincia ad trecentas fere naves appararet.

Anno Christi millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, petente Ludovico Christianissimo Rege, magna Dominicae Crucis portio Constantinopoli Parisios translata est. Proximo inde anno Rex Ludovicus sexta feria a Pentecoste, iter transmarinum suscepit, multis cum e Lutetia cum processionibus usque ad Sanctum Antonium deducentibus.

Iverunt cum eo Odo Tusculanos Episcopus Apostolicae Sedis Legatus, et duo fratres Regis, Robertus Comes Atrebatensis, et Carolus Andegavensis Comes, cum uxoribus suis et multis Franciae Episcopis et nobilibus. Erat quidem etiam Alphonsus Comes Pictavensis, Regis frater, Cruce signatus : sed eo anno, cum Blancha Regina matre, ob regni tuitionem mansit domi. Die quinta et vicesima Augusti Rex cum suis in navim ingressus, biduo sustinuit ventos secundos. Vicesimo octavo Augusti die a portu solvens, Christo duce, prospere navigans, paulo ante beati Matthaei ferias nocte ad Cyprum appulit. Comitis Atrebatensis coniux, quod esset pregnans ab Aquis mortuis in Franciam reversa fuit. Rex vero consilio nobilium suorum, et Regni Cypri, quod naves et triremes cum balistis nec dum advenissent, tum etiam propter impendentem hyemem, et quasdam alias res, usque in Paschales ferias dilulit profectionem suam. Interim Rex Cypri, et omnes fere regni eius nobiles, et Ecclesiarum praefecti sive praelati, Crucis signum accipiunt, et se cum Franciae Rege, quocumque ipsos ducere velit, adversum Saracenos profecturos iureiurando confirmant.

Per id tempus Sulthanus Aegypti, qui per ditiones Christianorum Damascum petere decreverat, Regis Francorum cognito adventu, consilium illud mutavit. Intercesserant enim illi inimicitiae cum Damasci et Alapiae Sulthanis. Iisdem temporibus obiit Robertus Bellovacensis Episcopus, et Comes Montis fortis, cum multis aliis eius expeditionis sociis. Porro extremo fere Decembri mense venerunt ad Ludovicum regem nuncii a quodam Tartarorum principe, qui ipsius nomine multa cum salute impertirent. Ii ipso die Nativitatis Christi fuere cum Rege Ludovico sub sacrificio in Ecclesia, et ad prandium in aula eius: itidemque in festo Epiphaniae: nec poterat in eis animadverti, quod a Christianorum more discreparent. Literae autem iussu Regis in sermonem latinum conversae sunt. Cumque Rex diligenter de ipsorum principe, et rebus Tartarorum ex iis percontatus esset ; tandem dimisit eos, adiunctis nunciis cum literis, et muneribus, quae ad Tartarorum Regem, et ipsorum principem perferrentur. Misit etiam per eosdem nuncios suos Regi Tartarorum, quem Cham vocant, tentorium e purpura elegantissime confectum, in quo res gestae Salvatoris nostri graphice expressae visebantur. Addidit etiam particulas Crucis Dominicae, literis humanissime, et Regem et Principem adhortans, ut qui per gratiam suam eos vocasset ad cognitionem nominis sui, illum accurate colerent, et in eius amore semper permanerent. Misit una literas suas Odo Legatus Pontificis ad Regem Tartarorum et Principem supradictum, eorumque praelatos, ostendens eis, sacrosanctam Romanam Ecclesiam cupidissime eos ceu filios charissimos complexuram, modo fidem orthodoxam constanter retinere, et Christi Vicario morigeros se praebere velint. Eius legationis primarii, a Rege Francorum missi, fuere frater Andreas Dominicanus cum duobus aliis eiusdem instituti fratribus, itemque duo Clerici, et totidem ministri Regis; profectique sunt octavo Kalendas Februarii cum iis, quos diximus, nunciis, Tartarorum. Porro frater Andreas, quem Rex illis praefecerat, non multo post ad Regem literas misit, quarum exemplum una cum principis Tartarorum literis, Rex matri suae Blanchae in Gallias perferendas curavit.

Interea Aegypti Sulthanus, quem Babilonia vocant, ubi comperit Regem Ludovicum in Cypro hybernaturum, rursus Damascum ire contendit, per Hierosolymam proficiscens, in eam curam intentus, ut posset Alaviae Sulthanum, et foederatos ad se adiungere ; sed ille Aegyptii Sulthani malitiam non ignorans, non fuit ausus ei fidem adhibere. Scripserunt autem magister militum templi, et Marestallus hospitalis Ludovico Regi, Sulthanum Babylonicum cum magno exercitu venisse in loca Gazae propinqua, eo animo, ut sibi conciliaret Damasci et Alapiae Sulthanos, metumque esse, ne Ioppem vel Caesaream obsidione premat. Scripsit postea iterum magister ille Regi, quemdam Sulthani Babylonici Admiraldum ad se venisse percontatum de voluntate Regis Francorum, quod Dominus ipsius cuperet cum eo pacem componere. Ea vero res et Regi et nobilibus eius valde molesta fuit, maxime quod magister diceretur a Sulthano petiisse, ut Admiraldum ad ipsum mitteret. Mandavit ergo Rex per literas Magistro, ne deinceps eiusmodi nuncios iniussu suo admitteret vel cum eis colloqui ausus esset. Affirmabant enim

omnes, eo ingenio Syros esse, ut quantumque oppressi, numquam primi velint induciarum mentionem facere; sed eousque id differre, donec multa instantia, ut eas faciant, invitentur.

Eodem tempore quo Rex cum Regina Margareta coniuge sua, in Cypro morabatur, Armeniae Rex, eius adventu comperto, ad eum spectabiles nuncios misit, Archiepiscopum Armenorum, et alios aulicos, per literas eius se offerens voluntati quos ille honorifice excepit. Cum autem didicisset, inter eum et Antiochiae principem discordiam extitisse, misit ad utrumque Legatos suos. Illis vero suos quoque ad eum Legatos mittentibus, duorum annorum pactae sunt induciae. Per id fere tempus capti sunt quidam, qui se dicerent a Sulthano Babylonico missos esse, ut Regem Ludovicum et primarios eius exercitus viros veneno enecarent. Tandem permultae venere naves, cum magna militum manu, qui in insulis hyemaverant. Inde sabbato post Domini Ascensionem mandatum est, ut omnes ad Damiatam contenderent. Eodem die Rex solvit a Cypro, sed vi tempestatis bis in Cyprum reiectus est; ubi tum se iunxit illi princeps Achaiae cum magnis subsidiis, itemque Burgundiae Dux. Tum vero dant vela ventis, et sexto die veniunt in Aegypti conspectum, ac paulo post etiam Damiatae, in cuius portu naves ancoris fixere. Sed cum viderent in eo portu magna esse Turcorum praesidia, Rex communicato cum proceribus consilio, iussit, ut die altera summo mane exirent in terrram eamque eo loco occuparent, ubi inter ipsos et Urbem fluvius interesset. Eo ergo die, omnibus in triremes et alias naves se se recipientibus, Rex cum Legato Pontificis sacrosanctam gestans Crucem nudam et apertam, in cymba vehebatur; iuxta eum praecedentibus in alia cymba beati Dionysii vexillo, fratribus quoque illius et aliis nobilibus, et sagittariis comitantibus: atque ita in terram egressi sunt. Multis in hostes contortis telis qui eos arcere magna vi nitebantur, in ea concertatione pene nulli ex Christianis vulnerati sunt: permulti autem Saraceni, et eorum equi interfecti et in iis tres proceres.

Eodem die profligatis Saracenorum triremibus Christianorum triremes fluvii ostia occuparunt. Hisce iam prosperis initiis feliciores etiam successus Dominus adiecit. Perterritis enim, qui intra Urbem erant, Saracenis virtute divina, omnes in fugam versi, ex Urbe excesserunt, instructis prius ignibus, quibus Urbe conflagraret. Multi itaque e castris Regis per pontem navalem, quem satis in oppidum ingrediuntur: Rex quoque certior factus nonnullos e suis intromittit, fixis tentoriis suis ad pontem, ut si ita res posceret, suis suppetias ferferret. Multus ibi commeatus repertus est, ita ut multi affirmarent, eam civitatem vi capi minime potuisse. Prospexerant enim sibi in longum tempus Saraceni, ita ut divino potius miraculo ea victoria tribuenda sit. Deinde vero ea civitate a mortuorum cadaveribus repurgata, igneque extincto, Legatus Pontificis cum Patriarcha Hierosolymitano, cum Archiepiscopis, Episcopis, et magna parte eorum, qui convenerant, itemque Ludovicus Rex cum permultis aliis nudis pedibus, praesente Rege Cypri cum non paucis nobilibus, in Urbem igressi sunt: eamque Legatus eadem quandam prophanatam reconciliasset, et gratias egissent Deo, in honorem Sanctissimae Matri Dei, ab eodem Legato sacrificium oblatum est. Rex autem constituit, Deo bene volente, illic canonicorum instituere collegium, qui Domino servirent. Capta est Mamiata, quam alii Eliopolim vocant, anno ab orbe redempto millesimo ducentesimo nono: mansitque illic Rex tota aestate cum exercitu Christiano, donec fluvius pertumesceret, qui exercitui periculum allaturus videbatur.

Eodem anno sub finem mensis Iunii, Alphonsus Pictavorum Comes, et Regis Ludovici frater, matre Blancha ad Regni defensionem relicta, iter ingressus est cum copioso milite, et sub finem Octobris ad Damiatam applicuit. Inde die Novembris vicesimo Rex Ludovicus, tam navali, quam terrestri exercitu instructo, relicta Damiata, contra Saracenos movit, qui tum apud Masseram, quam quidam Pharamiam vocant, frequentes convenerant. In eo itinere non parum detrimenti illatum est Saracenis. Deinde cum ventum est ad pugnam paulo ante Christi natalem, multi ex eis caesi sunt, complures Nili aquis extincti. Postea transmisso flumine non sine ingenti periculo, rursus cum eis christiani confligentes, multos trucidarunt, neque saxui, neque aetati parcentes. At ubi Saraceni didicerunt nostros temere progredi, re sumunt animos et in Christianos impetu facto, magnam etiam nobilium edunt stragem, in quibus Robertus Atrebatensis Comes, frater Ludovici Regis. Tandem tamen nostris eo die victoria cessit. Proxima luce, iubente Rege, Plures e christianis flumen transgressi, Saracenorum everterunt machinas, et pontes navales instituerunt, ut possent nostri facile fluvium transire. Non diu post Saraceni, collectis viribus, omni ex parte in christiano summa vi et contentione irruunt; sed magno numero prosternuntur. Post dies aliquot in castra eorum venit Sulthani Aegyptii filius, (iam enim pater eius obierat) quae res auxit animos Saracenorum. At Christianorum res, occulto Dei Omnipotentis iudicio, deteriores reddebantur, multis eorum morbo absumptis, ita ut ex triginta duobus millibus vix millia sex superessent. Magna enim commeatus penuria laborabant, nec pauci fame, et inedia periere, Saracenis itinera obsidentibus, ne posset a Damiata commeatus advehi in castra Regis. Ea res coegit eos Damiatam repetere. Die quinto Aprilis, illis iam proficiscentibus, saraceni cum maximis copiis in eos incurrunt, ipsum Ludovicum Sanctissimum Regem, et duos fratres eius Alphonsum et Carolum capiunt cum multis aliis, eosque in carceres coniiciunt, multo fuso christianorum sanguine, Deo id fortassis propter quorundam peccata permittente, vel etiam ut piissimi Regis virtus et patientia illustrior appareret.

Porro autem sceleratissimi illi, et impuri Saraceni, praeter contumelias, in Salvatorem nostrum iactatas, Christianis inspectantibus, Crucifixi effigiem flagellis verberarunt, et per summam ignominiam impie eam conspuentes, in Christianae re-

ligionis dedecus, pedibus conculcarunt. Poterat sane facile clabi sanctus Rex, cum illi ad manum esset navis, sed sponte illis se capiendum obtulit, ut posset captivos Christianos, quorum erat ingens numerus, redimere. Egit postea apud Regem Sulthanus minacibus verbis de paciscendis induciis, de restituenda Damiata, de praestandi damnis, facientisque sumptibus, quos fecisset ipse a capta Damiata. Tandem initae sunt induciae decennales his conditionibus, ut Sulthanus Regem Ludovicum et captivos Christianos omnes e suis ditionibus liberos a se dimittat: ut Christiani retineant loca aliquot terrae sanctae: porro Rex Ludovicus restituat Damiatam, et pro factis in illud bellum impensis octa millia Byzantiorum, reddatque captivos Saracenos omnes. His confectis induciis, Sulthanus, dum cum exercitu Damiatam proficiscitur, a quibusdam e suis, frustatim gladiis conciditur; moxque grandi numero properant Saraceni ad Regis Ludovici tentorium, illum et Christianos omnes iugulaturi. Sed immensa Salvatoris virtus eorum animos fregit mutataque scelerata voluntate, postulant a Rege, ut stet pactis conventis. Rex cum nulla esset servandae Damiatae spes, maluit pacisci cum illis inducias, quam et se, et Christianos omnes perdere. Itaque ad certum diem Damiata illis redditur. Rex, et fratres eius, et nobiles Franciae, ditionis Hierosolymitanae et Cypri, e carcere dimittuntur. Sperabat iam prius Rex, fore ut etiam reliqui captivi, uti conventum erat a Saracenis dimitterentur: sed cum diu expectasset, ex duodecim millibus aegre quadringentos recepit, impiis illis Saracenis, fidem iureiurando firmata violantibus: qui etiam de caeteris rebus nihil voluere remittere; et quod est longe immanius, egregios quosdam iuvenes Christianos è captivis illis, coegerunt impurissimi Mahomentis profiteri sectam, Christiana religione abiurata. Imposuerant enim nudos enses cervicibus eorum, et si qui nollent eis consentire, illos iugulabant. Ex iis quidam imbecilliores, a Christo ad Mahometem defecerunt: alii coronas martyrii, contempta morte, reportarunt.

Cernens autem Ludovicus Rex Saracenos venire contra inductarum fidem, consuluit nobiles suos, et milites religiosos, quid agendum sibi ipsis videretur. Illis magna ex parte assentibus, siquidem nunc recedant, terras illas, et captivos in summam discrimen venturos: sin autem maneant ad tempus aliquod, posse inde utilitatis nonnihil accidere Christianis, praesertim quod inter Aegyptium, et Alapianum Sulthanos acerba extaret simultas: Rex pius maluit haerere in Syria, quam res Christi, in ea desperatione, tantoque discrimine relinquere· Alphonsum vero, et Carolum fratres suos ad Reginam matrem consolandam remisit in Gallias. Acta sunt haec anno Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo. Quis vero hic non agnoscant stupendum praepotentis Dei miraculum, gentem illam ferocissimam parere tanto Regi? gentem cupidissimam Regem opulentissimum solvere captivitate pro longe minori pretio, quam obtinere potuissent? Rex autem quinque deinceps annis mansit in Syria, nec ociosus sane, sed multos Saracenos ad Christi religionem traducens, multos captivos redimens, et urbes aliquot, et castra egregie communiens. Offendit tum apud Sidonem permulta caesorum christianorum corpora iam putentia, non pauca a feris belluis lacerata. Ea propriis manibus sepelivit humiliter et devote, usus opera quorumdam e suis, qui illorum foetorem vix ferre potuerunt. Quotidie autem mane flexis gentibus Davidicum Psalterium recitabat. Postquam autem rescivit de obitu matris Bianchae, nobilibus ipsius id consulentibus, in Gallias reversus est. Cum ergo navigarent, tertia nocte navis, quae Regem habebat, bis tanta vi appulsa est ad rupem, vel terrae lingulam, ut nautae et alii illico submersum iri putarent. Ea concussione excitati sacerdotes, clerici, et caeteri, sanctum Regem invenerunt coram sacrosancto Christi corpore devote orantem: omnesque in ea fuere sententia, mortis tam praesens discrimen, eius meritis et precibus se evasisse.

Inde in Franciam reversus Rex, summa omnium gratulatione excipitur, atque ab eo tempore magis, magisque, de virtute in virtutem proficiens, ad omnimodam vitae perfectionem pervenit. Et si vero ab infantia cum illo creverat miseratio, deinceps tamen evidentius eam declaravit in afflictos et inopes, quibus omnibus pro viribus opitulabatur. Iussit enim extrui, domos hospitales, monasteria religiosorum, et in diversis regni sui locis multas quot annis distribui pecunias iis, qui maiori pressi inopia videbantur. Multa Dominicanorum, et Franciscanorum condidit coenobia a fundamentis, multisque aliis pauperibus religiosis Ecclesias et aedificia opportuna construxit, largis additis eleemosynis. Coecis in qualibet fere civitate et castello regni sui, domos, ipsis congruas et opportunas benissime attribuit, certos illis proventus assignans: Non pauca diversorum ordinum monasticorum coenobia ex integro extruxit, et magnis ea redditibus instruxit: in quibus etiam non raro mirae humilitatis et charitatis officia exhibuit suis manibus humiliter ac devote serviens aegrotis. Cum veniret Parisios, aut ad alias Urbes, domos hospitales, in quibus magna erat male habentium copia, humanissime inuisens, nulliusque morbidi deformitatem, aut sordes refugiens, infirmis omnibus, flexis genibus fercula offerebat. In Abbatia Regii Montis, Cisterciensis Ordinis, quam ille magnifice in primis et condidit, et ditavit, ut res ipsa testatur, crebro id genus officia praestitisse fertur. Erat ibi monachus quidam leprosus, quem foedus ille morbus horridum et abominabilem reddiderat, naso eius et oculis plane corrosis, et exesis. Ei sanctissimus Rex prandenti in os cibum et potum inferebat, absque ulla abominatione officiosissime illi inserviens genibus flexis, ita ut Abbas, qui tum aderat, et vix id intueri sustinebat, in gemitus et lacrymas prorumperet.

Quamvis autem nulli indigenti sua benignitate non ferret opem, at illis tamen, qui divino cultui et saluti animarum vacarent, liberalius et crebrius eleemosynas praestabat; solebatque dicere non nunquam familiaribus suis de magnis illis eleemosynis, quas conferebat quotannis Parisiis in fratres Dominicanos et Francisca-

nos : O Deus, quam bene collocatae sunt hae eleemosynae in tot tantosque fratres, ex toto orbe terrarum Lutetiam adventantes; ut quod hic ex divinis scripturis hauriunt, in totum mundum effundant in honorem Dei, et salutem animarum. Alias eius tum annuas, tum quotidianas eleemosynas quis vel enumerare queat ?

Praecipua vero devotione sanctas venerabatur reliquias, cultumque Dei, et honorem Sanctorum semper amplificare nitebatur. Parisiis in Palatio Regali sacellum elegantissimum extruxit, in quo sacrosanctum Domini Iesu coronam spineam, magnam sanctae Crucis portionem, sertumque lanceae, quod Salvatoris latus fodit, admodum reverenter reposuit cum multis aliis reliquiis, quas a Constantinopolitano Imperatore immenso labore, et magnis impendiis acceperat. Cum in Ecclesia divina officia persolverentur, nullius admittebat colloquium, nisi aut necessitas cogeret, aut evidens utilitas id poscere videretur : sed neque sic tamen, nisi breviter et succincte, ne ipsius lacrymae, et pietas sive devotio interturbarentur. Nam instar Hieremiae, in precibus suis et exercitiis pietatis lacrymarum fontem sitiens, suo confessario quandoque in familiari colloquio fatebatur, nonnumquam sibi oranti divinitus datas fuisse lacrymas, quae per genas in os influentes, non solum, cor, sed etiam os ipsius gustu suavissimo affecissent.

Tanta reverentia sanctae Crucis signum prosequebatur, ut si illud humi expressum vidisset, calcare pedibus ausus non esset : exegitque a multis coenobiis, ne deinceps in suis monasteriis permitterent illud in pavimento effingi : et sicubi iam humi effictum esset, id penitus abolerent. Quam vero reverenter annis singulis in Parasceve ad adorandum sanctae Crucis lignum, solutis capillis, flexis atque etiam nudis genibus accesserit, testantur eorum oculi, qui tunc eum sine lacrymis conspicere non potuerunt. Illum diem, in quo, ut paulo ante diximus sacras reliquias a Constantinopolitano Imperatore acceptas, in palatii sacello collocavit; annua voluit solemnitate celebrari, idque triduo, ita ut primo die divina officia peragerent Dominicani, secundo Minores, tertio alii Monachi : ad eam rem magnas a Sede Apostolica condonationes sive Indulgentias impetrarat. Cum Saraceni ab eo exigerent, ut quae cum ipsis pactus erat de numeranda pecunia pro sui et christianorum liberatione, ea conditione firmaret, ut testaretur, se velle Christi fidem abiurasse videri, si non staret promissis; prorsus abhorruit, dicens Etiam si corpus occidatis, animam occidere non potestis. Sed cum quidam e suis diceret, Sine peccato ita eum iurare posse : placide respondit : Ego vero usque adeo haec verba de neganda fide exhorreo, ut ea ore exprimere non possim. Orabant eum quidam, cum esset in locis transmarinis, ut nobilem quendam Saracenum, qui recens Sulthanum interfecerat, militem crearet : at ille respondit; Absit a me, ut vel pro servanda vita, vel morte declinanda, quemcumque a christiana religione alienum, balteo militari donare velim.

In regni administratione eam prudentiam, et auctoritatem adhibebat, ut sine acceptione personarum controversiis quorumcumque diligenter excussis, iustam ferret sententiam. Consiliarii eius et regni proceres, cernentes cum sapientia Dei praeditum, et syncere, atque ex animo diligebant illum, et non mediocriter verebantur. Cum autem formidaret pius Rex, causas pauperum non magnae illis curae esse, ut minimum, bis hebdomadibus singulis in loco publico residens, audiebat eorum querelas, et tum iustitia, tum misericordia eas expendens, celeriter illos expediebat. Duella, ut quae iure essent vetita, ad nullius preces admittere voluit : sed alia ratione, quae iuri consentanea esset, etiam magnatum maleficia castigabat. Et ut usurarum immanis vorago obstrueretur, statuit, ut eos, qui per literas Iudaeis, aut aliis publice usuras exercentibus se obligassent, non cogerent ad solutionem Iudices. Et quia verissime dixit Esaias. *Erit opus iustitiae, pax* : Deus iusto et pio Regi pacem, et Regno tranquillitatem praestitit.

Habebat hoc peculiare a Deo munus, ut, qui inter se discordia laborarent, eos ut plurimum conciliaret. Quam fuerit autem Deo grata tanti Regis summa humilitas, Rex Regum omnium Christus Deus evidenti miraculo declaravit. Comes Gelriae nuncium cum literis miserat Parisios, illico redditurum : Ex eo reverso sciscitabatur Comes num Regem Franciae Ludovicum vidisset. Tum ille subsannans, collumque contorquens; Vidi, inquit, vidi illum miserum papilardum Regem, ad scapulas capitium gestantem. Vix verba sinierat, et facies eius retrorsum acta, ita contorta permansit. Tandem post multorum annorum curricula, quibus se in omni virtute exercuit sanctus Rex, certa ad eum fama allata de vastatione et periculis terrae sanctae, instar Matathiae cum filiis suis mala gentis christianae, et sanctorum ferre non sustinens, Deo ipsum permovente, alteram suscepit navigationem cum tribus filiis suis comitibus, itemque cum regni proceribus, et nobilibus, multaque populi frequentia. Cumque iam naves conscensuri erant, filios suos blando vultu adspiciens et primogenitum speciatim appellans, ait. Vide, fili, ut ego iam grandaevus secundo hoc iter capessam, quando iam etiam Regina mater tua provecta aetate est, et nos regnum nostrum, favente Deo, absque ulla perturbatione obtinemus, divitiis, et honoribus, quantum fas est affluentes. Vide inquam, ut Christi, et Ecclesiae eius causa, non parcam senectuti meae, nec me flectat prestolatio matris tuae, delicias et honorem contemnam, opesque meas pro Christo impendam. Vide, ut te et fratres tuos et sororem primogenitam mecum ducam, simul etiam quartum filium ducturus, si aliquanto maturiori esset aetate. Haec vero ideireo te audire volui, ut cum post obitum meum ad regnum pertigeris, pro Christo et Ecclesia, atque fide Catholica tuenda, nulli rei parcas, non uxori, non liberis, non Regno. Volui enim et tibi et fratribus tuis ad me ipso praebere exemplum, ut si res postulet, vos similiter facialis.

Itaque anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo, Kalendis Martiis, Ludovicus Rex

Christianissimus, nihil fractus superiorum temporum laboribus et expensis, quas in priori expeditione fecerat; cum tribus liberis, Philippo, Ioanne Petro, e Massiliae portu solvit, adiuncto etiam sibi Navarrae Rege, et permultis Ecclesiarum praefectis et nobilibus. Ut autem facilius terram sanctam recuperare possent, consultissimum eius visum est, ut Regnum Tunetanum, quod magna in Syriam navigantibus obiiceret impedimenta, ante omnia in suam redigerent potestatem. Iam ceperant portum Carthaginis, qui Tuneto haud procul abest, et ecce morbus, qui illo anno iis in locis mire grassabatur, in christianorum exercitum invadit, ex Regis filiis tollit Ioannem, tollit ipsum quoque sanctissimum Regem cum multis è nobilitate et plebe. Quam sancte autem et pie a vita migrarit Christianissimus Rex, gener eius Navarrae Rex Tusculano Episcopo perscripsit. Nam correptus morbo, non cessavit laudare Deum, saepe illam orationem interserens: *Fac nos Domine prospera mundi despicere, et nulla eius adversa formidare.* Et pro illis quos secum adduxerat, ita orans: *Est Domine plebi tuae sanctificator et custos.* Morti propinquus, voluit se corporis Christi sacramento muniri. Cumque sacerdos id ei ostenderet, perquireretque, num crederet ibi esse filium Dei, respondit minus apud se habere dubii, quam si videret Christum in caelos. Iam supremum trahens spiritum, suspiciens in caelum, ait: *Introibo in domum tuam Domine, adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.* Quibus dictis, felicissime obdormivit in Domino.

Eius morte non mediocriter consternato christianorum exercitu, et Saracenis laetantibus, Carolus Siciliae Rex, in bellis strenuus, cum multo milite advenit, animosque christianorum confirmavit. Et si autem longe plures essent Barbarorum quam christianorum copiae ; non tamen ausi fuere cum nostris instructa utrinque acie committere, sed levibus praeliis et crebris excursionibus non mediocriter vexarunt christianos. Tandem obsidione pressi a nostris, coacti sunt pacem petere, quae his potissimum conditionibus confecta est, ut omnes christiani, qui in eo regno captivi tenebantur, abirent liberi : et ut Dominicanis et Franciscanis, atque aliis libera esset facultas toto illo regno Christum praedicandi credenque baptizandi, utque Rex Tunetanus Regi Siciliae annuum tributum quadraginta millium aureorum persolveret.

Obiit autem piissimus Rex Ludovicus vicesima quinta Augusti, et tum in vita, tum post obitum multis claruit miraculis. A Bonifacio Pontifice, eius nominis Octavo, in Sanctos relatus est. Robertus Gaguinus libro septimo de gestis Francorum testis est, in archivis Caroli Quinti Regis Gallorum repertam esse chartulam praeceptorum, quae hic sanctus Rex filio suo primogenito, dum Tunetum obsideret, dictavit et scripsit: eamque ex Caroli thesauro receptam, Girardum de Montaguto regium scribam, Carolo exhibuisse anno salutis millesimo trecentesimo quarto. Ea praecepta et institutiones habentur etiam in manuscriptis codicibus, unde nos ea stylo mutato descripsimus.

Institutiones sanctissimae. Philippo primogenito filio a S. Ludovico Rege sub mortem propositae.

Fili mi, ante omnia diligenter in eam curam incumbe, ut diligas Deum: nemo enim potest esse salvus, nisi Deum amet.

Cave ne unquam admittas peccatum mortiferum; sed omnia potius ferre velis genera tormentorum, quam aliquam talem perpetrare culpam.

Cum adversa accidunt, feras aequo animo, et cogita te commeruisse: atque ita lucrum tibi inde accedet.

Cum rebus prosperis frueris, humiliter agas gratias Deo, ne inde animo elatus, efficiaris deterior, unde te oportuit fieri meliorem.

Crebro confitearis peccata tua, deligasque tibi sapientes confessarios, qui te possint instituere et docere, quid agere quid vitare oporteat: et coram illis ita te compares, ut audeant syncere te reprehendere, et vitia tua indicare tibi.

Officium divinum devote auscultes : facessant ibi fabulae et nugae, nec oculi huc atque illuc circumferantur: sed ores Deum ore, et etiam meditanto corde, idque praecipue sub sacrificio post peractam consecrationem.

Animos sis pio et humano erga pauperes et calamitosos homines, illisque pro viribus opituleris.

Si quid angat animum, id mox explices confessario tuo, aut alicui viro bono: fiet ut facilius id feras.

Da operam, ut quorum uteris consuetudine et familiaritate, ii sint homines probi et integri, sive religiosi illi sint, sive saeculares, et cum illis libenter misce colloquia: porro nequam et improborum virorum commercia devita.

Sermones, qui fiunt de Deo, publice et privatim lubens audias, preces quoque et condonationes, sive indulgentias studiose expetas.

Amato bonum, odito malum omne.

Ubicumque fueris, nemo ausus sit quicquam eiusmodi te praesente eloqui, quod alliciat ad mortiferum peccatum, aut alterius famae deroget nec tu unquam de ullo male loquaris obtrectandi animo.

Non patiaris quemquam, te audiente, perverse de Deo, aut sanctis eius loqui, nec id sinas impune abire.

Crebro gratias agas Deo pro bonis omnibus tibi ab illo collatis, ut dignus fias potioribus eius beneficiis et augeri.

In administranda iustitia sis rectus et severus, et ita ut leges praescribunt, eam exerceas erga subditos, neque ad dexteram, neque ad sinistram deflectens, pauperumque querimonias non reiicias, donec veritas innotescat.

Si quis habeat adversum te querelam aut controversiam, semper ab illo stes contra te ipsum, donec rem certam comperias. Ita enim fiet, ut consiliarii tui fidentius iustam ferant sententiam.

Si quid possideas rei alienae, etiamsi id acceperis a maioribus tuis, incunctanter restituas iusto possessori, ubi certo id constiterit. Sin autem dubia res est, cura, ut viri sapientes accurate et

sine mora inquirant. Id enim vel maxime studere debes, ut qui sunt in ditione tua, pace et iustitia fruantur, in primis homines religiosi, et qui in Clero sunt.

Parentibus tuis debes amorem, reverentiam et obedientiam. Beneficia ecclesiastica non conferas nisi bene dignis, et qui nulla eiusmodi beneficia habeant, idque ex consilio bonorum virorum.

Bellum praesertim adversus quemlibet Christianum, sine multo consilio vide ne suscipias. Si necessitas cogat suscipere; ecclesias et insontes nullo patiaris damno affici.

Si qua existat vel tibi, vel subditis contentio, vel bellum, quoad poteris, componere et sedare conaris.

Vide ut bonos habeas praetores et magistratus, et de illis solerter inquiras, uti se gerant.

Semper sis addictus et devotus Romanae ecclesiae, eius Pontifici haud secus, atque spiritalis patri te morigerum praebeas.

Da operam, ut impensae tuae moderatae sint, et rationi consentaneae.

Sub finem hortor et adiuro te fili mi, si me contigerit ante te migrare ex hac vita, ut toto regno Franciae pro anima mea cures offerri Deo preces, et Missae sacrificia.

Ad extremum, fili charissime, quidquid boni potest bonus et pius parens precari filio suo, id ego precor tibi: Sacrosancta Trinitas et sancti omnes servent te ab omni malo, praestetque tibi Deus gratiam recte semper agendi, et ipsius faciendi voluntatem; ita ut ille per te honoretur; et nos possimus post hanc vitam pariter esse cum illo, eumque contemplari et laudare per infinita saecula saeculorum. Amen.

Sanctus Ludovicus natus est anno Domini 1214 obiit anno 1270. Regnavit annis 44. in sanctos relatus an. 1296.

VITA B. AMADEI

TERTII DUCIS SABAUDIAE

Amadeus Sabaudiae Dux tertius, natus est ex Ludovico Duce Sabaudiae secundo, et Anna filia Iani Regis Cypri, anno a partu Virginis millesimo quadringesimo trigesimoquinto. Hic nondum infantiam egressus, sponsus designatus fuit Iolandae filiae primogenitae Caroli septimi Christianissimi Galliarum Regis. Adolescens, ac pene puer initium operum suorum semper ab oratione ducebat neque antea cum hominibus agere solebat, quam divino Missae sacrificio audiendo, et conciliando sibi numini operam dedisset. Et quoniam in itinere spiritualis vitae multa occurrunt pericula, partim a naturae fragilitate, partim ab inuidentia, et astutia daemonum, ducem elegit non minus sanctum, quam doctum eumque perpetuo sibi adesse voluit, ut eius consilio, et admonitione regeretur. Is fuit Magister Ioannes Fauzonius Ordinis sancti Francisci, ex Monte regali, vir aeque doctus, ac sanctus. Hunc virum, ut parentem coluit, ut magistro fidem habuit, et cum eo negocia animae suae omnia liberrime communicabat. Quod vero attinet ad naturalia, sive Dei dona, sive naturae vitia: cum venustate corporis coniunctam habebat incredibilem facilitatem, et comitatem, sed cum his bonis admiscuit divina providentia morbum incurabilem, et foedum, qui dicitur epilepsis, sive morbus comitialis: quod flagellum vir Dei, non ut flagellum, sed ut fraenum ad peccata multa vitanda, sibi a Deo Patre amantissimo, datum existimabat, Cum enim subirent animum, quae illum extollere potuissent, opes, honores, potestates, imperium: mox aderat medicina a Deo parata, morbus epilecticus, qui tumorem hominem abiiciebat. Itaque non raro famulos suos, ipsi compatientes dulcissime consolabatur dicens, Deum magis homini propinquare, cum eum flagellat, quam cum consolatur. Id quod est consentaneum divinis literis, in quibus legimus dictum fuisse Tobiae ab Angelo sancto. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te*, et in Psalmo legimus. *Cum ipso sum in tribulatione*, et Apostolis dicit. *Quam diligit Dominus castigat, flagellat autem omne filium, quem recipit*, et alius Apostolus addit. *Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis*. Sed his omissis ad historiam revertamur.

Cum ad annum aetatis octavum decimum pervenissent Amadeus, hortante patre, Iolandam sibi olim desponsatam accepit uxorem; sed ad sacramentum coniugii non sine multis precibus se praeparavit, ut eius soluta pietas, et patris spiritualis admonitio, et doctrina requirebant. Vixit

autem cum uxore tam pacifice, et concorditer toto vitae suae tempore, ut plane intelligi posset, auctorem huius coniugii non alium fuisse, quam Deum. Interim accidit, permissione divina, ut virtus optimi Principis magis elucesceret; ut fratres eius, videntes eum a patre plus omnibus diligi, invidentiae morbo adurerentur. Et res in apertum bellum erupisset, nisi Ludovicus Dux, et pater, cum Rege Galliae egisset, ut Philippus, unus ex fratribus, et caeteris ardentior, carceri manciparetur. Sed sicut fratres Amadei imitati sunt fratres Iosephi patriarchae, in ipso Iosepho sine ulla causa iniusto odio prosequendo: sic et pius Amadeus imitatus est incredibilem charitatem sanctissimi Iosephi, in reddendo bona pro malis, et vincendo in bono malum, ut Apostolus iubet. Vix enim Ludovicus pater obierat, et Amadeus in Ducatu successerat: cum Philippum fratrem e carceribus liberari curavit: nec per Legatos id effecit, sed ipse in Gallias profectus, cum Rege non solum egit, ut Philippus e carcere educeretur; sed etiam curavit, ut Margarita filia Ducis Borbonii fratri suo Philippo in matrimonium coniungeretur, et ipse partem imperii sui eidem donavit. Heroica plane charitas, et Christianissima virtus, sic diligere inimicos: hoc est esse verissimum Christi discipulum, et imitatorem. Nam ne ipse quidam patriarcha Iosephus ad hunc apicem charitatis pervenit, ut fratres suos, a quibus venditus, ac pene necatus fuerat, ad partem sui principatus admitteret.

Sed ea quae dicta sunt de charitate sanctissimi Ducis Amadei erga fratres ingratos, et malos, ab iis quae dicenda restant, superantur. Philippus Ducis Amadei germanus, non contentus honore, quo eum Dux affecerat, iterum in hostem ex fratre mutatus, coacta militum armatorum multitudine arcem, in quam se Dux contulerat, circumdare, eamque vi capere aggreditur. Sed Amadeus verissime Deum amans, et propter Deum inimicos etiam diligens, et assuetus reddere bona pro malis, atque in adiutorio Dei confidens; aperiri iussit portas arcis, et ad se fratrem armatum, et minacem vocans, sic pie, sic amanter, sic divine locutus est, ut fratrem ab odio et furore hostili ad pacem, et charitatem vere Christianam, et vere fratrem converterit. Sic triumphavit triumpho nobilissimo de hoste generis humani, cuius proprium est serere inimicitias etiam inter amicos, et fratres.

Extincta inimicitia cum fratre, exorta est sinistra quaedam opinio inter magnates de imperitia Ducis ad regendos populos: propterea quod nimium sollicitus videretur de spiritualibus exercitiis et de pauperibus sublevandis. Sed hanc sinistram opinionem prudentissimo consilio facile superavit, et extinxit. Instituit enim iter in Gallias ut cognatum Regem viseret: atque ad hoc iter invitavit maiorem partem Principum suorum. In eo itinere multis in locis honorificentissime exceptus fuit ut cognatus Reges; et cum ad Regem pervenisset, incredibile est, quantis honoribus affectus fuit tum ab ipso Rege, tum etiam ab omnibus Principibus nobilissimi illius Regni. Ex ea re didicerunt aulici Ducis, quam magnifacere deberent Ducem suum, quem tanti fieri ab universo Galliae Regno ipsi vidissent. Itaque ab eo tempore nemo ausus fuit reprehendere pietatem Principis sui, quam admirari, et de qua gloriari, si quid saperent, omnino deberent.

Quod autem Amadeus non abhorreret ab armis, quando iusta causa bellandi se offerret; docuit infelix exitus Constantini ultimi Imperatoris Graecorum. Ferunt enim tunc Amadeum Ducem magno zelo misisse in Peloponnessum exercitum satis copiosum, ut ea regio a Turcarum furore defenderetur. Et cum paulo post Pius Secundus Pontifex Maximus in Concilio Mantuano praesidens, vocaret Principes Christianos ad bellum sacrum contra Mahomethanos, ipse in primis adfuit, promptus ad opes esset, pro Christi Religione profundendas. Quod etiam facile cognosci potuit, quando Iacobus Nothus Nicosiae Episcopus dimissa dignitate Episcopali, adhaesit Soldano Aegypti, et Ludovico a Sabaudia Rege legitimo expulso, Regnum Cypri invasit. Tunc enim magno ardore animi Amadeus coegit exercitum, ut Regnum, si posset, recuperaret; praesertim cum Carlotta Regni haeres ad eum venisset. Sic enim decebat, ut piissimus Princeps proprias offensiones ex fraterna charitate facile condonaret; sed offensiones Dei, et Reipublicae Christianae pro viribus ulcisceretur.

Sed una in re videtur hic sanctissimus Princeps plane excelluisse: ea est misericordia erga pauperes. Non enim surda aure audivit Dominum dicentem. *Venite benedicti Patris mei. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare*, et quae sequuntur; et Salomonem, qui ait. *Foeneratur Domino, qui miseretur pauperis*, et Angelum dicentem ad Tobiam. *Eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quae purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam aeternam*. Et denique beatum Apostolum admonentem divites, ut facile tribuant, et communicent opes suas, et thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam. His, et aliis id genus Spiritus sancti oraculis eruditus optimus Princeps in pauperes alendos, et vestiendos liberalissimus erat; neque contentus erat solo ministerio famulorum in pauperibus reficiendis, sed ipse propriis manibus ad mensam illis ministrabat; certus, se Christo in pauperibus ministrare, cum Dominus dixerit, *Quod uni ex minimis fratribus meis fecistis, mihi fecistis*. Accidit aliquando, ut Legatus quidam nescio quo magno Principe missus, cum Duce Amadeo colloquens, peteret, an non aleret magnam copiam canum venaticorum, de more aliorum Principum; respondit Amadeus, ingentem omnino numerum canum optimorum a se nutriri; quos si placuerit videre, sequenti die, tali hora adesset. Adfuit ille ad horam indicatam: et Dux introduxit Legatum in proximum triclinium, unde in subiectam aulae planiciem prospectus erat. Ibi mensam illi admirabundo oblongam, stratam, et cibis omnis generis refertam, accumbentesque ad eam mendicos quamplurimos ostendit, atque hisce hominem verbis affatur, Isti, vir amice, canes sunt, quibus in vita hac, cuius brevis, incertaque pe-

riodus est, coelum ego venor, alimentaque mihi comparo, quae manna omni praestantiora famem mihi in perpetuum sistant. Ac dicenti inter alia Legato, inveniri saepius homines improbos, inertesque, qui paupertatem simulent, et mendicando, quam manibus laborando quae ad victum necessaria sunt, comparare sibi velint; respondit Dux. Nolim, inquit, tam anxie ista inquirere: nam si in actiones nostras sic inquireret Deus, male omnino nobiscum ageretur; sed ille pius, et clemens *Solem suum oriri facit super bonos, et malos, et pluit super iustos, et iniustos.* Sic et nobis melius est, in tanta multitudine bonorum eleemosynam dividere in aliquos indignos, quam dum paucos indignos repellere a nostra liberalitate curamus, plurimis vere pauperibus iniuriam faciamus.

Neque vero solum in pauperibus singulos liberalissimus erat pius Princeps, sed etiam in publicis aedificandis hospitalibus, et monasteriis, et in ornandis, et pretiosa supellectile ditandis Ecclesiis magnificentiam suam, et pietatem ostendit. Usque ad hanc diem conservari dicuntur Vercellis pretiosissima sacerdotalia indumenta, quae piissimus Dux Amadeus Ecclesias sancti Eusebii dono dedit. Suscepit etiam aliquando peregrinationem ad Urbem, ut videret loca sancta, quibus Romana civitas abundat. Profectus est autem non ut magnus Princeps, sed ut homo incognitus, et cum vestibus peregrinantibus accommodatis, et incredibili humilitate, et religione Ecclesias, et sanctuaria Urbis obivit. In eleemosynis solum largiendis tum pauperibus singulis, tum xenodochiis; non se pauperem peregrinum, sed opulentum Principem demonstravit. Siquidem magnam argenti, et auri copiam in eiusmodi sancta loca effudit, ac potissimum ad memoriam Principis Apostolorum, non aurum solum, et argentum, sed etiam gemmas pretiosissimas dimisit. Obivit postea et aliam peregrinationem cum uxore Iolanda ad sacrosanctum linteum, in quo passionis Dominicae vestigia, non sine insigni miraculo impressa cernuntur. Obivit autem eam peregrinationem non sine magno labore, et fatigatione semper pedes, ut passionis Dominicae cum ipsa sua coniuge particeps fieret.

Porro ad eleemosynas, et peregrinationes, adiungebat etiam frequentes orationes, et ieiunia neque desunt, qui existiment, frequentia ieiunia in causa fuisse, ut rarius morbo illo suo familiari vexaretur. Neque vero religiosae et piae exercitationes impediebant eum quominus conservaret maiestatem Principis, qualis eum decebat tum in alenda numerosa familia, tum in stipendiis militibus numerandis. Noverat enim Patriarcham Iosephum, moderatorem Aegypti, et Davidem Hebraeorum Regem, et nostros. Henricum Imperatorem Romanum, et Ludovicum Regem Francorum, sine detrimento pietatis potuisse Regna, et imperia debita cum auctoritate gubernare. Illud tamen pii Principes, et in eis noster Amadeus, diligenter curabant, ut ab aula exularent mimi, parasiti, gnatones, inutilia terrae pondera, et multo magis blasphemiis, vel periuriis addicti; neque ii soli, sed etiam mendaces, detractores, rixosi, et alii id genus improbi. Illud autem admirabile est, et proprium eleemosynarum emolumentum; quod cum tam liberalis, et quasi prodigus videretur Dux Amadeus in eleemosynis largiendis: tamen fratribus plurima largitus est, et sororibus dotes statui ipsarum congruentes dedit; et nulla nova populus vectigalia, vel tributa imposuit. Sic tamen aerarium, quod inane repererat, cum regnare inciperet, replevit, ut iurisdictiones varias redemerit, quas Principes superiores coacti alienaverant. Itaque verum est, non solum in vita futura, sed etiam in praesenti, quod Sapiens scriptum reliquit. *Qui miseretur pauperum, foenerator Deo.*

Ad has virtutes sancti Ducis accessit diligentissima cura praeponendi in omnibus civitatibus optimos Iudices, quos videlicet ipse nosset simul valde peritos, et valde probos. Nam et probitas sine scientia parum prodest, et scientia sine probitate multum obest. Denique accessit eximia patientia in adversis. Quae virtus virtutes omnes perficit, quod sanctus Iacobus docet, cum ait: *Patientia opus perfectum habet*: cuius rei rationem reddit sanctus Cyprianus, cum demonstrat, sine patientia nullam virtutem, ac ne ipsam quidem charitatem, diutius posse subsistere. Donavit Deus servo suo Amadeo filios sex, et filias tres; quae felix proles dici potuisset, nisi Carolus primogenitus, qui solus idoneus per aetatem erat ad regimen populorum, et in cuius virtute pater non parum acquiescebat: paucis mensibus ante obitum Ducis raptus fuisset. Flagellum hoc Dei non potuit non sentire Dux pater, sed ita sensit, ut continuo divinae voluntati acquiesceret.

Agebat iam Princeps optimus annum tricesimumseptimum aetatis cum Vercellis in morbum incidit; et quamvis stella crinita quae paulo ante in caelo apparuerat, significare crederetur mortem magni alicuius Principis; ipse tamen ab alio diviniore lumine illustratus constanter praedixit finem vitae suae iam propinquare: quin etiam, ut ferunt, diem ipsum signavit, in quo de hoc mundo migraturus esset. Itaque tamquam certo brevi moriturus sepulchrum sibi delegit, non excelsum, neque pretiosum; sed congruens vitae suae, quam semper duxerat, humile et vulgare, infra gradus videlicet aree maioris sacrae aedis sancti Eusebii, quae est Vercellis, ut non possent sacerdotes ad aram sacram ascendere, quin sepulchrum Principis pedibus calcarent. Quod ego de industria factum reor, non solum ob amorem humilitatis, sed etiam ut Sacerdotes facilius memissent animae ipsius, cum in ipsa ara pretium nostrum Domino Deo offerrent. Itaque propinquante die ab ipso praedicta, susceptis de more fidelium sanctissimis Sacramentis, nominavit uxorem Iolandam tutricem filiorum, qui tres tantum supererant, et natu maximus, septennis erat. Deinde vocatis ad se uxore et filiis, et praecipuis Magistratibus commendavit illis, quae ipsi praecipue semper cordi fuerant, his verbis. *Facite iudicium et iustitiam, et diligite pauperes: et Dominus dabit pacem in finibus vestris*: Hac locutus paulo post sanctae tidu-

ciae plenus migravit ad Dominum, die tricesimo Martii anni millesimi quadringentesimi secundi. Mortem eius gloriosam indicaverunt Vercellis, ubi mortuus est, lumina visa supra arcem accensa divinitus, et cantus Angelici supra eamdem arcem auditi. Apud Taurinos autem, ubi fiebant publicae supplicationes ad Deum pro vita Ducis graviter aegrotantis, visa est in aere coram multis millibus hominum, sedes sublimissima, ac ipsi Soli aequalis, in qua sedere conspiciebatur Dux Amadeus, luce candissima circumdatus. Secuta sunt postea miracula plurima, et maxima, quae gloriam beati Ducis testificabantur. Sed et dum viveret hic beatus Princeps, miraculis claruisse dicitur, praesertim cum in civitate Parisiensi pridie nativitatis sancti Ioannis Baptistae, solemni ritu ad honorem sanctissimi Praecursoris facem admovisset rogo lignorum unde magnus ignis excitabatur. Quam quidem ceremoniam Rex ipse peragere solebat, sed eo anno, cum adesset Dux Amadeus, Rex illi pium hoc officium cessisse dicitur, ac paulo post a Duce aliquos aegrotos praesentes solo tactu curatos ferunt. Quia vero Episcopi, qui ad funus Ducis defuncti celebrandum convenerant, neque audebant sine beneplacito Apostolico optimum Principem sacris cerimoniis honorare: et tamen iniuriam sibi videbantur facere animae illi sanctae, si pro ea Domino supplicarent: elegerunt mediam quamdam viam. Haec fuit, ut prima die, et nona Episcopus Vercellensis caneret solemnem Missam de Spiritu sancto: Pontifex Taurinensis Missam de Beatissima Virgine Maria: Archiepiscopus Tarantatiensis Missam pro defunctis generatim. Si quis miracula singula cognoscere cupiat, consulat librum Italica lingua scriptum de vita Beati Amadei, Ducis tertii Sabaudiae, a Reverendo Patre Donno Petro Francisco Maleto Canonico Regulari Lateranensi, anno Domini 1613. Obiit beatus Princeps anno Domini 1472. cum vixisset annos. 37.

VITA SANCTI CASIMIRI

REGIS POLONIAE FILII

A Venerabili viro Gregorio Suvcis Ki Eccle. Cathed. Viln. Canonico, ex bonis Auctoribus cum fide descripta.

Immensa atque inexplicabilis Dei sapientia, quae habitat in consilio, eruditisque interest cogitationibus, cuius est aequitas, prudentia, et fortitudo, per quam Reges regnant, legum conditores iusta decernunt; sic mundum nostris subiectum oculis gubernat, rebusque consulit humanis ut pro temporum necessitate, viros Ecclesiae suae idoneos, sanctimoniae notis insignes, ac omni virtutum genere conspicuos diversis saeculis assignet. Ita mundi nascentis exordio, ante legem exaratam Patriarchas: progessu temporis, ante gratiae statum Prophetas: demum post filii sui salutarem in terras adventum, fidei antesignanos, et primos, sacri Evangelii praecones Apostolos: eiusdemque acerrimos propugnatores, invictos Martyres; item optimos Reipublicae divinis a Christo formatae legibus praesides et rectores: tum singulari sapientia praestantissimos Episcopos, et Doctores; denique ex aliis hominibus multitudinem prope innumerabilem suffecit, qui posteris et recte vitam instituendi norma, et duces aeternae felicitatis, capessendae existerent. Ex hoc postremo numero unus est immortalitate dignus inclytae potentissimorum Regum stirpis Iagelloniae Divus Casimirus, quem summa rerum omnium effectoris bonitas tutelarum, ac Patronum Poloniae. Lithuaniaeque veluti quoddam specimen, totiusque probitatis pulcherrimam effigiem contemplandum, imitandumque proposuit. Natus is est Cracoviae, nobili in primis ac primaria Regni Poloniae Urbe, anno partae salutis millesimo quadringesimo quinquagesimo octavo, tertio Nonas Octobris, ipso diluculo: qui dies tum Victoriae quam pater eius Casimirus in Prussia de Crucigeris insignem reportavit. Arcemque Papoviam vi oppugnando coepit; tum Georgii Podiebradii Bohemorum Regis legatione iure amicitiae efflagitantis, Regnique Bohemici insignia eidem Casimiro Regi Poloniae ultro deferentis, fuit illustris.

Agebatur iam tunc annus sexagesimus quartus ex quo Iagello Dux Lythuaniae bellicosissimus Olgerdi filius, Gedimini Nepos ab Vitenne Romano viro Principe genus ducentium Urbano Sexto Pontifice Max. Ecclesiae Romano clavum tenente, Christi fidem amplexus, et sacro baptismatis fonte initiatus Vuladislai nomen sortitus est. Hic in Regem Poloniae electus, ex Scenza (post Maria dicta) Hilioviensis Ducis filia, stirpem ac spem fami-

liae Vuladislauum, videlicet, post felicem progenitoris sui obitum, simul Hungariae ac Poloniae Regem; et Casimirum, Divi Casimiri, (de quo nobis sermo est) Patrem suscepit: penes quem dum post immaturum Vulasdislai fratris decessum Regni Poloniae administratio esset nupta ei Elisabetha Alberti Austriaci Romanorum, Hungariae, et Bohemiae Serenissimi Regis filia, sex ei liberos, nimirum Vuladislaum qui Bohemiae et Hungariae Rex fuit, deinde Divum Casimirum, post Ioannem Albertum, Alexandrum, et Sigismundum Reges Poloniae, et Fridericum tituli Sanctae Luciae Cardinalem Archiepiscopum Gnesnensem, partu edidit secundo. Inter omnes Divus Casimirus velut inter clarissimas gemmas speciosissimus Carbunculus enituit. Ab incunabulis enim summa cura, diligentique educatus, una cum lacte, ea semina virtutis imbibit, quae deinceps per reliquam aetatem adhaeserunt. Sexennis adhuc puer praeclaris moribus, bonisque literis erudiendus optimis Praeceptoribus a parentibus traditus, tantum profecit, ut in omnibus progressum eius qua oculis, qua auribus accipientibus non mediocrem admirationem excitavit. Erat in eo rara indoles animi, egregia corporis forma, mores candidi, suaves, sine fastu, quibus assequebatur, ut quibus uteretur, carus, acceptusque esset. Certe molliter, et in deliciis educatus dives ac opulentus Princeps, in maxima affluentia rerum, iuventaeque licentia, praeclara specie, habituque corporis adolescens sui potens fuit; et cum transgredi potuerit, non est transgressus, nec mala gessit in vita sua. Labentis huius saeculi gloria contempta, post aurum non abiit, et in thesauris pecuniae non speravit dum hic non habere se civitatem permanentem contemplans, divini amoris facibus inflammatus, omne studium ad futuram inquirendam non manufactam in caelo convertit, ubi thesauros nec aerugo, neque tinea demolitur, nec fures effodiunt. Perpetuo autem memoriae eius inerat divinum illud oraculum, quod Regius Vates, caeleste domicilium adire cupientibus, inculcat: nimirum in montem Domini neminem ascensurum, nec quemquam in loco sancto eis fixurum pedem nisi qui fuerit innocens manibus, et mundo corde, qui non acceperit in vanum animam suam, nec iuraverit in dolo proximo suo. Quamobrem vehementi ille gloriae perennis aestuans desiderio, ut iucundissimam Beatorum patriam consequeretur, ad eam regulam omnes actiones suas conformavit, quam praefato oraculo universis vitae christianae sectatoribus praescribi animadvertebat. Nec est dubium vitam eius omnium virtutum ornamentis conspicuam Regni proceribus, aliisque cuiusvis ordinis hominibus; vitae bene ac laudabiliter instituendae fuisse exemplar. Vitiorum omnium fuga talis ac tanta in eo fuit, ut etiam quamvis eorum speciem diligentissime caveret. Proinde luxum vestium et lecti mollitiem, tanquam peccandi fomitem declinans, uti nuda homo pro cubili, et ex horridis equorum seris comparato cilicio, aliisque verberum asperitatibus velut cupiditatum moderatricibus teneram carnem, non minus saepe quam avide Christi cruciatuum salutis nostrae causa susceptorum memorem affligere solebat. Divis omnibus, ac Praecipue Beatae Mariae Dei Parenti, benignissimaeque hominum Patronae maxime addictus erat, quam a se matris singulari artificio elaboratis, et pulchro schemate, pene omnia Incarnationis dominicae mysteria claudentibus, quotidie in terram fusis genibus pio affectu salutabat. Caeteris porro religiosis officiis, piisque ritibus cum in aede sacra peragerentur; adeo frequens intereral, ut cum saepius in templo, quam in Palatio, saepius in Patrum linteatorum, piorumque sacerdotum choro, quam amicorum, regiorumque aulicorum coetu videres. Quo tempore saepenumero a sensibus abalienatus, atque extra se positus, eo animi ardore precibus vacabat, ut cibi atque potus immemor; nisi saepius sub prandii aut coenae horam a parentibus missis nunciis, domum, corporis reficiendi causa revocaretur; totos dies sine epulis esset transacturus. Sed neque tamen diurna hac orandi assiduitate contentus erat; nisi etiam intempesta nocte e strato persaepe consurgeret, e cubili se clam efferret, et pedes discalceatus, nullo teste precandi causa aedem sacram aditaret. Et quoniam plerumque (id quod moris est) obseratis ostiis ab ingressu prohibebatur; satis religioni, satis Deo, sibique factum putabat si nimirum sacras valvas salutasset, lacrymis religiosa limina rigasset; atque hoc pacto in precibus pernox ad fores templi perdurasset.

Quo loco saepissime sub auroram a nocturnis custodibus, atque vigilibus humi, toto corpore prostratus, precibusque intentus, est repertus. Verum enimvero parvi hanc corporis molestiam aestimans, vere egregius, ac sanctus iuvenis, adeo multis in rebus innocentem ac delicatam carnem suam vexabat; ut eum non carnem spiritui subiugare, quod ab Apostolo traditum esse divinae literae perhibent; sed penitus in carne sine carne vivere voluisse putares. Equidem in respuendo, et contemnendo blandissimas dominas cupiditates constantissimus, in refrenando omnes illicitae voluptatis illecebras vigilantissimus in abstinentia a cibo et potu religiosissimus, in somno, caeterisque rebus eiusmodi, atque carnis commoditatibus parcissimus fuit. Adeo in aula regia non aulicum, aut stirpem regiam degere, verum in claustro religiosae disciplinae assuetum Christi athletam vitam instituere arbitrarere. Ac de hoc rigore vitae, etiam dum morbi vis eum lecto aliquando affixisset, nihil omnino remittebat. Quadam vice dum a Medicis iuberetur, diebus interdictis ab Ecclesia, lacte, et similibus vesci; adduci nullo pacto potuit, ut obsequeretur eorum consilio, et recuperandae sanitatis gratia, vel latum unguem a sanctissimae Matris Ecclesiae placitis descisceret. Quam tam raram nobilissimi iuvenis, atque singularem erga sanctissimam Christi Sponsam observantiam, ea est ratione divina bonitas remunerata, ut nihil neque abstinentia rigor invaletudinem corporis promoveret: neque huius imbecillitas animi alacritatem, atque perfectae vitae studium retardaret. Quippe qui numine revelante iam didicerat, neque infirmitatem istam menti nocuram, et humana remedia, si quae essent, ne-

quicquam profutura. Ad hasce eius eximias virtutes, summa quoque aegritudinis tempore patientia, et dolorum omnium contemptus accedebat. Et quidem semper sive dum morbo laborabat, sive dum corpore bene habebat, cum in aliis rebus omnibus tum praecipue a sermone, et si alias esset disertus, modestissimus extitit. Et vero si loquendum quidpiam erat; id nequaquam faciebat, nisi vel de rebus piis ac coelestibus, vel de iis, et quae documento, aut emolumento, caeteris essent, loquendi copiam haberet. Hinc nihil unquam ipse quod alios offenderet in colloquium inducebat; et si in aliquem eiusmodi sermocinationibus occupatum incideret, amice corripiebat, pertinaciter peccantes, etiam severioribus verbis castigabat: ac si non a proposito desisterent, ut quamprimum eiusmodi mortales aula regia prohiberentur; apud optimum parentem nullo negocio efficiebat. Huic igitur tantae nobilissimi et sanctissimi Principis virtuti par in Deum religio, in assertorem ac vindicem salutis nostra Christum fides, in sanctam Ecclesiam Catholicam et Romanam orbis magistram extitit reverentia. Quarum rerum habemus hodie in Cathedrali Ecclesiae Vilnae luculentum testimonium diploma, inquam, illud ipsum habemus, quo huius impulsu Rex severissime caverat, ne qui e gente rustica ab unione Catholicae et Romanae religionis desciverunt. Templa vel nova erigere, vel vetustate collapsa restaurare possent. Longum est dicere quot aliis in rebus quamque sollicite Divus Casimirus integritati religionis, ac Ecclesiasticarum legum observantiae se totum impenderit. Cuius tam singulari industria effectum est, ut nullae eo tempore diversarum opinionum, atque errorum lernae capita erigerent, quin confestim vigilantissimi Principis acinace demeterentur. Huic porro tantae in Deum religioni, et charitati non inferior parte altera in proximum amor, et commiseratio respondebat. Quanta enim hic diligentia quosvis hic inopes sublevabat, iacentes erigebat, oppressos liberabat, omnes denique quibuscumque adversae fortunae telis expositos iuvabat. Hunc enim viduae tutorem, pupilli parentem egeni et afflicti consolatorem vocabant. Namque ea erat humanitas in singulos, benevolentia in miseros clementia in subditos, facilitate in universos, ut ultro si quid a se praestitum vellent, obvius quosvis interrogaret, causas susciperet, ageret, atque perageret. Qua tam incredibili, atque inusitata charitate, atque prudentia, singularem ab omnibus gratiam inibat; et cum has, aliasque ob res ad Regnum administrandum iudicaretur aptissimus, id non ambiebat, sed etiam a Parente aliisque Regni proceribus oblatum constantissime respuebat. Caeterum ea semper integritate, et animi, et corporis fuit, ut complures viri gravissimis qui nobilissimo Principi, vel a secretis, vel a cubili fuerunt, (ut interim medicorum spiritualium, quibus illae animae suae salutem concredidit, testimonium taceam) constanter asseverare minime dubitarent, eum et toto quo vixit tempore castum vixisse, et castum Virginem mortem obiisse. Quod illorum testimonium ipsa mors videtur admirabili quadam divinae providentiae dispensatione comprobasse: constat enim eum potius, vitam, quam huc inviolatae castimoniae nitidum florem amittere voluisse. Qua una in re, non solum a Medicorum praeceptis, verum etiam parentum suorum monitis, quorum imperio caeteri parebant omnes, uni sibi discedere licitum esse existimabat. Et cum illi in hoc negocio pertinaciter sese gererent, cum instantissime ab eo efflagitarent, ut vitae tutandae caesi tori virginalis consortium admitteret, (id enim unicum Medicorum consilio morbi remedium supererat) illos hic castissimus iuvenis pie increpabat, seque asserens aliam vitam nescire, quam cum iactura eiusdem, vitam mortalem prorogare malebat. Quocirca ingravescente in dies morbo, postquam diem obitus sui praesensisset, eumque coram astantibus praedixisset, sanctissimus ac vere Regius adolescens armis spiritualibus sese rite communiit; sacramenta inquam quae morituris administrari solent, religiose percepit, ac demum Christi Crucifixi effigiem manu tenens, intentisque oculis intuens, dum solemnia illa Regii vatis saepius iteraret verba, in manus tuas Domine, commendo spiritum meum, dum in extrema illa vitae et mortis lucta precibus lacrymas misceret, voce pariter, ac vita deficiente in Vilnen. arce, Anno a virgineo salutifero partu millesimo quadringentesimo octogesimo quarto, die quarta Martii, illucescente aurora (qui etiam annus Xysti Quarti Pontificis Maximi vitae simul et Pontificatus ultimus fuit) aequissimo animo obdormivit in Domino. Cuius eodem tempore ab omni immunem peccati labe animam, complures fide dignissimi homines, a beatis mentibus in coelum clarissima circumdata luce, deportari conspexerunt. Vixit annos viginti quatuor, menses quinque. Sepultus est quam decuit Regis natum honorificentissime in aede Pontificia Vilnae sancto Stanislao Martyri sacra, in sacrario Beatae Mariae Virginis, quem ipse sibi vivus sepulturae locum designarat.

Erat sanctissimus iuvenis, et nobilissimus Princeps Casimirus statura mediocris, caesariem gestabat sub nigro coloris, naso aequali, temperati ruboris, facie venusta, et eleganti, incessu gravi, et ad omnem modestiam composito, ac moribus cum primis affabilis, comisque ut non obscure interiorem animi statum, exterior oris, vultus, totiusque corporis habitus et figura videatur prodidisse. Hic iam, benevole lector, eius gloriam et celsitudinem, qua ipsum supremus rerum omnium conditor cumulatissime decoravit, libeat animo volvere, suspicere, admirari. Qua enim putas iuvenem hunc natalium splendore clarissimum, divitiarum, potentiaque magnitudine pollentem, virentis adolescentiae decore floridum, venustate corporis, et mentis sublimitate insignem, eruditione conspicuum, sapientia, probitate, aliisque omnibus virtutibus ornatissimum, qua inquam putas iuvenem hunc divina bonitas gloriae amplitudine est remunerata? Quia brevem hanc, caducam, et incertam vitam flocci pendit, vitam illi nullis circumscriptam mortalitatis limitibus tribuit: quia inanem mundi fastum contempsit, veram

illi in coelo gloriam donavit, ab exilio illum in patriam revocavit, e naufragio in portum subduxit, labores eius salutis adipiscendae gratia susceptos perenni dulcissima quiete; et maestitiam qua Christo in Cruce pendenti condolens saepe saepius tenebatur, indeficienti gaudio compensavit. Faxit ergo ille animorum Parens, ut huiusce felicitatis optatissimae, huius mercedis, qua nec unquam haberi, nec cogitari amplior potest, capti desiderio, totos nos ad eius imitationem convertamus: qui et vitae laudatissimae exemplo, et ineffabilis premii magnitudine, coronae immarcescibilis spe certa, ad sui nos imitationem invitat.

De Miraculis per eum post mortem editis.

Et si quidem nemo fuit eo etiam tempore, quo huius lucis usura fruebatur Casimirus, qui de eius vitae integritate, innocentia, et sanctitate dubitaret; eo defuncto tamen, incredibile dictu est quantis eius virtus est et vitae sanctimonia ab ipso piorum omnium fidelissimo Agonothete et remuneratore Deo illustrata prodigiis. Adeo ut difficulter admodum eorum numerus iniri possit, qui rerum admirandarum fama exciti se ad ipsius sacratissimum tumulum recuperandae sanitatis gratia contulerint, ac quae voluerant, recuperarint. Videre hic enim saepe numero fuit, non solum caecis oculorum usum, surdis aurium mutis linguae, claudis pedum; sed quod mirabilius est, nonnullis quos malorum extremum mors vita et sensu privaverat, et vitae et sensus bonum quasi post liminio, Divi Casimiri ope fuisse restitutum.

I.

Nam erat puella Vilnae Ursula nomine, quae superstitibus adhuc parentibus, diem obiit supremum. His mors filiae adeo molesta accidit, et gravis, ut a sensibus pene ipsi alienati, praeter mortalium communem consuetudinem, magis de vita filia restituenda, quam de iustis mortuae solvendis, cogitarent. Quo in negotio quid agerent? quo se verterent? cum hanc ad rem nulla humana vis aut industria sufficeret, ad divinam se converterunt, atque ubi primum Divi Casimiri memoria mentem subiit, visi sunt ambo non nihil respirare quid multa? votum faciunt, sacrosancta adyta ubi quiescebat Casimirus adeunt, luctu, et lacrymis omnia complent, clamore ac precibus sydera feriunt, Casimiri numen et nomen ingeminant, opem implorant, spiritum defunctae filiae restitui flagitant. Audivit Casimirus precantes, lacrymas piorum parentum, ac fidem respexit, puellamque mortuam vitae simul ac maestis parentibus divinitus restituit.

II.

Addo hoc loco et alterum, quod etsi isto inferius admiratione, ad Casimiri sanctitatem demonstrandam, nihilo tamen minus. Etenim anno millesimo quingentesimo decimo octavo, Moschorum Dux nostris nihil cogitantibus, atque ex improviso arcem Polocensem non parvis copiis oppugnare aggreditur. Quo tempore Sigismundo Primo inclyto Poloniae Regi, aliis multis, gravibusque rebus intento, miles in promptu exiguus admodum erat. Rex igitur optimus, bina solum millia ductoribus Gastoldo et Ioanne Boracynski adversus hostes, manum tumultuariam potius quam exercitum, expedit. Abeunt illi divini magis, quam humanis nixi viribus, praecipue Divo Casimiro (quem miraculorum fama celeberrimum effecerat) sua vota, postulationesque dicando, et certaminis dubium eventum committendo. Post multis fusis ad eum precibus, auxilium illius benignum experiuntur. Quippe in illa expeditione, confecto multorum dierum itinere, ad Dunam fluvium perveniunt, vadoque irreperto, universi in littore subsistunt; dumque nimium de transitu sunt solliciti, ecce tibi invenis quispiam albis amictus, forma decorus, et spectabilis, candido vectus equo, iis se spectandum obiicit, bonoque omnes esse animo iubet, seque ducem sequantur, imperat. Quae ubi dixisset, confestim subditis equo cui insidebat, calcaribus, primus in flumen insiliit, vadumque demonstrans, superatoque nullo negotio amne, ad ripam alteram salvus, caeteris inspectantibus, pervenit. Quo viso Poloni milites, rei novitate attoniti, iisdem in vestigiis diu haeserunt; neque quousque ille iterato, ut se ducem intrepidi sequerentur, commonefaceret, loco moverunt. Tandemque rem divinitus agi animadvertentes, pleni fide, et fiducia, se catervatim rapidissimi fluminis, qua parte ille monstrabat discrimini committunt, atque incolumes transeunt. Quod cum Duces, Regiusque equitatus conspexisset, iuvenisque interea oculis eorum sese subduxisset, Casimirum, omnes clamitant, eumdemque, quem itineris ducem, etiam praelii imminentis, supplicibus pro se quisque votis promotorem, et fautorem exoptant. Neque in vanum militum piorum cecidere preces, nam cum primo signo dato, in hostes tanto viribus superiores, impetum fecissent, illos terga vertere, et obsidione etiam invitos solvere coegerunt, multosque internecioni dederunt, neque pauciores in servitutem Moschos adduxerunt. Victoria parta Poloni, divinam opem agnoscere, solemnem hymnum, Te Deum laudamus canere, Casimiri virtutem extollere, remque Regi simul captivis Moschis divinitus gestam, conscriptamque transmittere. Quae adeo Regem commovit, ut non solum ad aedem sacram agendarum Deo, et Casimiro gratiarum causa se subito conferret; verum etiam seriam se de Casimiro in divorum numerum referendo cogitationem suscepturum promitteret. Verum quid evenit? isthaec minus sedulo fortasse agentes.

III.

Ea sibi anno sequenti Moschus superiori clade immanior, ferociorque effectus ingentem in ipsam Lithuaniam exercitum inducit, omniaque nullo ante indicto bello flammis, et ferro late vastat. Quo tam periculoso turbine, ac insperata tempestate perculsis Lithuanis, neque consilium, neque auxilium suppetebat. Cum alios hostilis gladius e

medio tolleret, alios vorax flamma anima et spiritu privaret: alios denique in miserrimam servitutem crudelis hostium barbaries, et barbara crudelitas, male prius mulctatos, abduceret. Hisce rebus animadversis e Lithuanica nobilitate, nonnulli patriae cladem miserati; quoscumque eo tempore tam difficili poterant, conveniunt, seque ad arma sumenda, patriosque lares, et focos, etiam cum vitae discrimine tutandos invicem incitant. Atque paucitas quidem suorum, et hostium multitudo nonnihil quosdam initio est remorata. At ubi memoria repeterent, quod anno superiori Divo Casimiro duce subsidium divinitus sub Polocia experti fuerant; eiusdem patrocinio freti, eius opem omnes implorare, quod segnius honorem ipsius curassent, agnoscere, culpam deprecari; se si eis hoc tempore auxilio futurus esset, eius cultum, caelestemque honorem apud sedem Apostolicam diligenter procuraturos, spondere. Nec irrita cecidere vota, nam tantus subito animos omnium ad pugnas incessit ardor, ut nemo esset qui temerarium putaret, duo millia, (tot enim ex Lithuanis nobilibus convenerant) adversus sexaginta millia hostium obiicere. Itaque signum certaminis editur, Lithuani Dei, Divique Casimiri numine saepius ingeminato, pugnam ineunt. Nec mora, ut primum in hostes nostri irruerunt, adest Casimirus, suisque Dux factus, et Archistrategus, in aere, eodem quo anno superiore, et oris, et corporis habitu sublimis conspicitur. Laeti tali duce Lithuani, acriterque caedendo hostes, urgent, instantque. Neque diu adversa pars divinam Indigetis Lithuani vim, et numen sustinuit: sed cum ingens adversarios pavor invasisset, in fugam conversi, victoribus Lithuanis terga dedere, ex suis amissis pluribus millibus, e nostris Dei beneficio, desiderato nullo. Quae cum Rex pientissimus intellexisset, eamque tam prodigiosam victoriam uni post Deum Casimiro ab omnibus qui rei intererant, adscribi vidisset, caeteras etiam, quas aliis diversis in locis, eodem tempore, exiguo ubique milite victorias reportasset, favori et patrocinio eiusdem sancti Casimiri acceptas referre minime dubitavit. Quare in gratiarum actionem, re divina in templo solemni ritu procurata, Rex optimus nulla interiecta mora ad Romanum Pontificem legationem destinavit, curam ut de Casimiro in Divorum numerum assiscendo subeat, omnibus modis contendit. Pontifex aequissimis Regis Catholicissimi postulatis, non invitus annuit, remque Nuncio Apostolico in Poloniam misso, ipsique Archiepiscopo Gnesnensi, Ioanni et Posnaniensi Antistiti, Regni Procancellario demandavit, qui mira omnia opera Divi Casimiri nutu patrata diligenter inquisiverunt, inquisita fide dignis testibus stabiliverunt, atque sic stabilita Pontifici Maximo Leoni X. anno millesimo quingentesimo vicesimo transmiserunt. Quibus Pontifex sequenti anno in Augustissimo purpuratorum Patrum consessu, diligenter revisis, examinatis, tandemque approbatis; Divum Casimirum in numerum Sanctorum adscripsit, quem postea Clemens Papa Octavus per totum Poloniae Regnum, et magnum Lithuaniae Ducatum, aliasque omnes Provincias ipsorum ditioni subiectas, duplicis Officii ritu, ab omnibus publice, privatimque coli, et celebrari, anno millesimo sexcentesimo secundo concessit, ut latius in Brevi Apostolico de hac re authentice profecto, licet videre. Haec de vita S. Casimiri ex auctore supra nominato, hoc loco referenda esse censuimus. Caetera quae ad sola miracula pertinent libenter omisimus: quae tamen ab iis, qui ea cognoscere cupiunt, ab auctore suo facile peti poterunt.

FINIS

ST. DUNSTAN'S
COLLEGE
LIBRARY

- Opera Omnia; Vol. 7
#14587

PONTIFICAL INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK CRESCENT
TORONTO—5, CANADA

14587